
10
1 M
6

Cat. inscript. GR.

PHILONIS IVDAEI,

SCRIPTORIS ELOQVENTISSIMI, AC PHILOSOPHI SVMMI, LVCVBRATIONES OMNES

quotquot haberi potuerunt, Latinæ ex Græcis factæ, per Sigismundum Gelenium.

HIS ACCESSERVNT PROPTER ARGVMENTORVM AFFINITATEM:

Athenagoras De mortuorum resurrectione, Petro Nannio interprete: & Aeneas Gazeus De immortalitate animarum, Ioanne Vuolphio interprete: cuius opera uterq; est integritati restitutus. Indice rerum memorabilium adiecto.

Coll. Rom. societ. Jesu





Τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίνεται.



Cum Priuilegg. Imp. Maiestatis ad quinquennium, Et Regis Galliarum ad sexennium.

BASILEAE APVD EPISCO-
PIVM IVNIOREM.
1561.

Biblioth. noua.



TESTIMONIA SANCTISSIMORVM VIRORVM DE PHILONE IUDÆO.

EVSEBIVS HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIBRO SECUNDO.

CAij Cæsaris temporibus, Philo magna famæ celebritate apud plurimos fuit: uir sanè, qui non nostrorum hominum solum, sed etiam Gentilium, qui humanitatis ac politioris literaturæ elegantia excellebant, facilè principem locum obtinuit. Genus autem antiquitus ex Hebræorum stirpe duxit: atque illis viris, qui Alexandriæ in summis honorum gradibus locati, magnum splendorem acquisiuissent, nulla ex parte inferior putabatur. In diuinas præterea & patrias disciplinas quantum & quàm magnum laborem contulerit, inter omnes liquidò constat. Quinetiam in studijs philosophiæ, liberaliumq́ artium cognitione qualis & quàm excellens fuerit, non necesse habeo dicere: præsertim cum Platonicæ & Pythagoricæ disciplinæ formam ardentiore studio imitatus, omnibus suæ memoriæ & ætatis uiris antecelluisse prædicetur.

Ac rursus de eo sic loquitur. Philo quidem uerbis copiosus, sententijs loculentus, in diuinis scripturis explicandis altus, & in sublime se tollens, uariam ac multiplicem sacri eloquij interpretationem pertexuit. Et paulò pòst. Istum, Caio regnante, Romam profectum esse, & librum de Caij impietate ac scelere à se compositum (quem facetè admodum & dissimulanter, De uirtutibus, inscripsit) posteà, Claudio imperium gerente, coram uniuerso senatu recitasse memoriæ proditum est. Quapropter non illud opus solum, uerum etiam alia ab eo edita tantopere admirabantur Romani, ut digna existimarent, quæ in ipsorum bibliotheca, tanquam monumenta quædam reponerentur.

AVGVSTINVS CONTRA Faustum Manichæum libro 12. cap. secundo.

VIdit hoc, inquit, Philo quidam, uir liberaliter eruditissimus, unus eorum, cuius eloquium Græci Platoni æquare non dubitant.

HIERONYMUS IN CATALOGO SCRIPTORUM Ecclesiasticorum.

Philo Iudæus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum: idcirco à nobis inter scriptores ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci euangelistæ apud Alexandriam scribens ecclesia, in nostrorum laude uersatus est: non solum eos ibi, sed in multis quoque prouincijs esse memorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet, talem primum Christo credentium fuisse ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, ut nihil cuiusquam proprium sit, nullus pauper, patrimonia egentibus diuiduntur, orationi uacatur & psalmus, doctrina quoque & continentiæ: quales & Lucas refert primùm Hierosolymæ fuisse credentes. Aiunt hunc sub Caio Caligula Romæ periclitatum, quò legatus gentis suæ missus fuerat. Cum secunda uice uenisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum apostolo Petro, eiusq; habuisse amicitias, & ob hanc causam etiam ecclesiam Marci, discipuli Petri, apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus. Extant huius præclara & innumerabilia opera, In quinque libros Moysi: De confusione linguarum liber unus: De natura & inuentione liber unus: De his quæ sensu precamur & testamur liber unus: De eruditione liber unus: De hærede diuinarum rerum liber unus: De diuisione æqualium & contrariorum liber unus: De tribus uirtutibus liber unus: Quare quorundam in scripturis mutata sint nomina liber unus: De pactis libri duo: De uita sapientis liber unus: De gigantibus liber unus: Quòd somnia mittantur à deo libri quinque: Quæstionum & solutionum in Exodo libri quinque: De tabernaculo & decalogo libri quatuor: Necnon de uictimis & repromissionibus, siue maledictis: De prouidentia: De Iudæis: De conuersatione uitæ: De Alexandro, dicente quòd propriam rationem muta animalia habeant, & quòd omnis insipiens seruus sit: Et de uita nostrorum librum, de quo supra diximus, id est de apostolicis uiris, quem & inscripsit περὶ βίου θεωρητικοῦ ἱκετῶν, quòd uidelicet cælestia contemplentur, & semper deum orent. & sub alijs indicibus: De agricultura duo: De ebrietate duo. Sunt & alia eius monumenta ingenij, quæ in nostras manus non peruenerunt. De hoc uulgo apud Græcos dicitur, ἢ πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει: id est, aut Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo: tanta est similitudo sensuum & eloquij.

RAPHAEL

RAPHAEL VOLATERRA-
NVS ANTHROPOLO-
giæ libro XVIII. ex
Suida.

Philo Iudæus, Alexandriæ natus, disciplinisq; omnibus eruditus, in nostra & Græcorum philosophia facile cæteros antecellit, eloquentiæ Platonis adeo æmulator, ut prouerbium fuerit, ἢ πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει, id est, aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat. In diuinis autem legibus & patrijs institutis quantus fuerit, ex his quæ nobis librorum suorum tradidit monumentis, palam est. Igitur temporibus Caij principis quanta acciderint Iudæis mala, uoluminibus absoluit: in quibus & suam legationem pro Iudæis apud ipsum Imperatorem refert: unde suggillatus nec sine periculo domum rediit. Sed & Iosephus huius legationis meminit libro 18. his uerbis, Et quidem cum seditio apud Alexandriam fuisset inter Iudæos & Græcos, terni ab utrisque legati partibus mittuntur ad Caium, in quibus pro parte Græcorum erat quidam Appion grammaticus, qui cum in cæteris insimularet eos, tum quòd honores diuinos (ut mos est apud alios) Cæsari non deferrent: quapropter iratum reddidit Caium. Philo, qui legationi præerat Iudæorum, uir in omnibus magnificus, philosophiæ non ignarus, uehementissime omnia confutauit. tandem absterritus ac repulsus, bono nos, inquit, animo esse oportet, quibus est Caius infestus. Necesse namque diuinum adesse, ubi humanum cesset auxilium. Hæc quidem ille. Sed Philo in ipso libro, quem de sua legatione scripsit, omnia exequitur. Iterum ergo reuertens legatus ad Claudium in Vrbe, cum apostolo Petro tunc primum congressus est, uenitq; in eius & Marci discipuli amicitiam, ob quam causam postea Alexandrinam ecclesiam, cui Marcus præfuit, & Christianos ea tempestate laudibus prosequitur, ut Hieronymus testatur. Volumen eius ingens plures continens libros ad nos peruenit, conuersum Sixti IIII. Pontificis tempore, à Lilio Tiphernate meo præceptore, bibliothecæq; Vaticanæ dicatum.

CATALO-

CATALOGVS ET ORDO LIBRORVM IN HOCCE *Philonis Iudæi opere contentorum.*

HIS ADDITI SVNT LIBRI DVO:

PHILONIS IVDAEI, DE EA QVAM MOSES DESCRIBIT MVNDI CREATIONE LIBER,

Sigismundo Gelenio interprete.



Æteri legislatores partim nullo ornatu adhibito nudū ius præscripserunt: partim ad exaggerandam apud uulgus rem, fabulosis figmētis ueritatem prætexerunt. Moses uerò utraq; ratione posthabita, altera ut rudi ac ignaua parumq; decora philosopho: altera ut mendace plenaq; præstigijs, perpulchrum ac honestissimum legum suarum fecit initium: neq; statim quæ facienda, quæ'ue non, admonens: neq; quoniam formandæ prius erãt mentes accepturorum has leges, affingens fabulas, aut aliorum figmenta recipiens: sed admirandum (ut dicere cœpi) est hoc principium creationem mūdi complexum: utpote cum & mundus legi & lex mundo conueniat, & homo legi obnoxius mox ciuis mūdi euadat, dirigens sua facta ad arbitrium naturæ gubernantis hanc rerū uniuersitatem. eam sublimitatem sensuū quibus mundi creatio traditur, nullus poeta, nullus scriptor laudare queat pro dignitate. superant enim omnē dicendi audiendi'ue facultatem, utpote sublimiores quàm ut mortali quopiã uase posint conuenienter percipi. non tamen ideò cessandum est, sed studio pietatis uel ultra uires audendum: non ut priuatim afferamus aliquid proprium, sed è multis pauca quædam, ad quæ humanam mentē penetrare fas est, deductam amore ac desiderio sapientiæ. quemadmodū enim colossorū similitudines uel in exiguo exprimuntur anulo: ita fortasis etiã scripturæ creationem mundi prodentis pulchritudo eximia splendore quodam percellēs lectorum animos, mediocri stilo enarrabitur: si prius admoneantur, quod admoneri operæpretiū fuerit. quidã enim mundū magis admirati q̃ eius conditorē, hunc quidem non factum æternumq; asseuerant: deum uerò in alto ocio degere mentiuntur impij: cum debuissent contrà, huius ut conditoris ac parentis admirari potentiã, illum non supra modū uenerari. at Moses tum philosophiæ fastigium assecutus, tum oraculo de præcipuis naturæ arcanis edoctus, animaduertit duo esse in rebus necessaria: alterum causam agentem, alterum quod ab agente afficitur. præterea agēs illud esse huius uniuersi mentem sincerissimã ingentissimamq;, præstãtiorem quàm sit uirtus aut scientia, imò quàm ipsum summū bonum & ipsum summum pulchrum. alterum autem illud passioni obnoxium, inanime & suapte natura immobile, motum, formatum animatumq; à mente illa, redditū esse opus absolutissimum. cæterū qui mundum factum negant, non animaduertunt se tollere quod est in uita utilissimū, & ad pietatem summe necessariū, nempe prouidentiam. nam opificium non negligi ab opifice suo parenteq; docet ratio. etenim pater hoc agit ut permaneat sua progenies, conditor itē diuturnitati à se conditorum consulit, arcens quicquid noxam damnúmue

illaturum uidetur, cōtra quicquid utile cōmodumq́, modis omnibus pro ſpiciens. at quod factum non eſt, nihil commercij habet cum eo qui ſe non fecit. eſt autem abſurda opinio atq́ inutilis, mundum tanquam rempub. ſine magiſtratu inducere, cui non præfectus, non præſes, non iudex præſit, quem omnia diſpenſare gubernareq́ deceat. at magnus ille Moſes longiſsimo interuallo diſtare exiſtimans rem uiſibilem ab infecta: quandoquidem quicquid ſenſui ſubiectū eſt, generationi mutationiq́ obnoxiū nunquā eodem ſtatu manet: inuiſibili & mente ſola prehenſibili naturæ æternitatē tanquam germanā cognatamq́ attribuit: de ſenſibili uerò generationē tanquā propriū uocabulum prædicat. quoniā igitur uiſibilis ſenſibiliſq́ hic mundus eſt, factum eſſe conſequitur neceſſario. quapropter nō alienum fuit ab autoris propoſito, generationem eius ſcripto prodere, idq́ admodum grauiter ac theologice. ſex autem diebus fabricatū ait mundum, nō quòd temporis ſpacio opus habuerit conditor. deum enim non iuſſu ſolum, uerū & cogitatu operari creditur. ſed quoniā opus erat res creari quodam ordine. ordini autem numerus eſt proprius. inter numeros uero lege naturæ aptiſſimus generationi eſt ſenarius. nam poſt unitatē primus occurrit perfectus parilibus conſtans partibus è quibus conficitur: è ternione, ſcilicet, ſui dimidio, è binario parte tertia, & ex unione parte ſexta: qui (ut ita loquar) maſcula ſimul ac fœminea natura præditus eſt, et compoſitus ex utriuſq́ uiribus. maſculus eñ in rebus cēſetur impar numerus, ſicut par fœmina. imparium autem principium ternio, parium binarius. ex amborum uero uiribus conſtat ſenio. oportet enim mundum cùm ſit creaturarum omnium abſolutiſsimus, iuxta perfectū numerum compingi, nempe ſenarium: & quia in ſeipſo complexurus erat generationes è binaria copula, formari ad numerum mixtum, eum qui primus pariter impar eſt, ut in ſe cōtineret tum proſeminantis maſculi, tum fœminæ genituram ſuſcepturæ ſpeciem. ſingulis autem diebus attribuit aliquā uniuerſi portionem, excepto primo die, quem ne nominat quidem primum, ne cōnumeretur cæteris: ſed unum nominās, apto utitur uocabulo, conſiderata unionis natura, appellationeq́ eius hic cōuenientiſsima. Diſſeremus igitur quæ his uerbis continentur quantum fieri poteſt, quando impoſsibile eſt dici omnia. ineſt enim hic eximius ille mundus intellectu ſolo conſpicuus, ſicut procedente ſermone patebit in enarratione huius diei. Deus enim ubi pro ſua deitate præuidit, imitamentum pulchrum non poſſe abſq́ exemplari pulchro exiſtere, nec ſenſibile quicquam citra exceptionem probari poſſe quod nō archetypo intelligibilis ideæ reſpondeat, poſtquam decreuit uiſibilem huncce mundum cōdere, prius formauit ſimulacrum eius intelligibile, ut ad exemplar incorporei deoq́ ſimillimi, corporeum abſolueret mundum recentiorem hunc antiquioris effigiem, totidem complexurū ſenſibilia genera, quot in illo intelligibilia. mūdum autem illum qui ex ideis conſtat, nefas eſt loco ullo dicendo cogitandòue circumſcribere: ſciemus tamē quo pacto conſiſtat, ſi cōſiderauerimus aliquam rerum noſtratium ſimilitudinem. quoties condenda eſt urbs cura regis alicuius aut imperatoris pro fortuna magnifici, præſto eſt quiſpiā peritus architectonicæ, qui contemplatus loci opportunitatem, primum intra

tra ſeipſum partes futuræ urbis propemodū omnes deliniat, templa,gym-
naſia,curias,fora, portus,naualia, uias angiportusq́;, mœniorum ſitum,&
ædificiorū tam priuatorum q̄ publicorū. deinde impreſsis uelut in ceram
in ſuum animum ſingularum rerum imaginibus, effingit urbem intelligibi
lem:cuius effigiem innata retractans memoria, atq; ita impreſsis ſibi magis
etiam ſimulacris,ut bonus artifex, ad ſemel propoſitū exemplar reſpiciens,
aggreditur deſignatā ſuam ſtructuram è ſaxis & materie, repræſentans in-
corporeas illas ideas ſingulis operis partibus. eodem fermè modo de deo
ſentiēdum eſt,qui ubi decreuit ingentē hanc urbem condere, prius formas
eius concepit: ex quibus poſtq; intelligibilem mundum cōſtituit, ad illius
exemplar ſenſibilem hunc condidit. Quemadmodum igitur illa in archite-
cto præſignata urbs locū extra nullum habuit,tantum impreſſa artificis ani
mo:eodem modo ne ille quidē ex ideis conſtans mundus alibi locum habe
re poterat,q̄ in dei uerbo quod adornauit hęc omnia. quis enim alius poſ-
ſit eſſe locus uirtutum dei, idoneus ad cōcipiendas non dico omnes ideas,
ſed uel unam quampiam earū ſimpliciſsimam? eſt autem uirtus etiam mun
di effectrix,à uero bono ceu à fonte oriūda. nam ſi quis uellet cauſam huius
uniuerſalis opificij perſcrutari,nō aberraret opinor à ſcopo ſi diceret quod
quidam priſcus ſapiens : bonum eſſe patrem conditoremq́;, ideoq́; ſuapte
naturæ bonitate non inuidiſſe ſubſtantiæ,nihil boni ex ſeipſa habenti,quæ
tamen quiduis fieri poterat. erat enim ex ſeipſa expers omnis qualitatis,in-
digeſta,inanimis,plena ruditate,confuſione,atq; diſcordia:ſed capax altera
tionis mutationisq́; in contrarium ſtatum optimum,uidelicet ordinē,qua-
litatem,animationem,ſimilitudinem,identitatem,coaptationem atq; cōſo-
nantiam,cæteraq́; quæ ad potiorem ideam attinent. Tum deus nemine mo
nente(quis enim erat alius?)ſuopte conſilio decreuit diuitias gratiæ ſuæ co
pioſe largiterq́; [illegible] andere in naturam nullius bonæ rei per ſe capacē ſine
diuina munifi[illegible] . attamen non pro magnitudine gratiæ ſuæ beneficus
eſt,nimirum infinitæ ac incōprehenſibilis:ſed attemperat ſe ad uires eorum
quos dignatur ſua beneficentia. nec enim ſicut deus ad benefaciendum na-
tura propenſus eſt,ita creatura ad accipienda beneficia. illius enim potentia
longe ſuperat,at huius infirmitas impar eſt eorum magnitudini, ſuccumbe
retq́; niſi deus pro cuiuſq; portione moderaretur ſuam gratiā. quòd ſi cui li
beat apertioribus uti uocabulis, nil aliud dixerit eſſe mūdum intelligibilē,
quàm uerbum dei iam mundum condentis. nec enim intelligibilis urbs eſt
aliud quid,q̄ illa architecti ratiocinatio, cogitantis iam urbem mente con-
ceptam condere. Moſis enim eſt opinio hæc,non mea. ergo hominis gene-
rationem aggreſſus ſcribere, procedēte ſermone diſerte fatetur, formatum
eum utiq; ad dei imaginem. quod ſi pars imago eſt imaginis, patet quod e-
tiam tota hæc ſpecies. uidelicet uniuerſus hic mundus, qui magis q̄ homo
refert diuinam imaginē. liquet autem quod archetypū ſigillum, quem dici-
mus eſſe mundū intelligibilem,ipſe ſit archetypū illud exemplar,idea idea-
rum,uerbū dei. narrat enim quomodo in principio fecit deus cælum & ter
ram,principiū uſurpans non ut quidam putant,iuxta ſignificationē tempo
ris. tempus enim ante mūdum non erat,ſed aut unà factū eſt, aut poſt eum.

Cum enim tempus sit spacium motus cęli, fieri nō potest, ut motus rem mo tam præcesserit: sed necesse est hunc aut pòst, aut simul existere. necessario igitur colligitur, tempus aut æquæuum esse mundo, aut recentius. affirmare autem illud esse antiquius, re uera alienum est à philosophia. quod si principium non accipitur nunc iuxta significatum temporis, conueniens fuerit id significari iuxta numerum, ut hæ uoces, IN PRINCIPIO FECIT, idem ualeant quod PRIMVM fecit cælum. Est enim reuera consentaneum rationi, primum in generatione illud prouenisse, cum sit præstantissimum ex his quæ facta sunt, & è purissima constet essentia: quamobrem deorum tam non apparentium, quàm sensui patentium, destinatum est domicilium sacratissimum. Nam si omnia simul & semel fecisset condita, minus ordinis fuisset in rebus tam pulchre conditis. nec enim est quicquam pulchri in confuso ordine. Ordo uerò est consequentia seriesq; rerum pręcedentium & sequentium, si non ipso opere, certe consilijs opificum, si modo caueatur ut ea certa inconfusaq; sint. itaq; ante omnia conditor fecit in mundo intelligibili cælum incorporeum & terram inuisibilem, & aeris ideam & uacui. hunc uocauit tenebras, utpote atrum naturaliter. uacuum uerò abyssum. profundissimum enim est, & dehiscit patentissime. deinceps fecit aquæ incorpoream essentiam, itemq; spiritus, deniq; postremam lucis septimam æque incorpoream, & exemplar solis intelligibile, omniumq; stellarum quæ cælo lucem erant illaturæ, dignatus priuilegio lucem & spiritum. Hunc enim nominauit dei, quia spiritus plurimum ad uitam conferat, quæ ab autore deo proficiscitur. lucem uerò appellauit ualde bonam: hæc enim intelligibilis uisibili tanto est lucidior ac splendidior, ut existimo, quanto sol antecellit tenebras, dies noctem, quantoq; mens totius animi imperatrix sensus quibus res discernimus, & oculi reliquas partes corporis. cæterum inuisibile illud & intelligibile diuinum uerbum & dei uerbum, imaginem dicit dei: & huius imaginem lucem illam intelligibilem, quæ facta est imago diuini uerbi, suæ generationis interpretis: quæ est supercęlestis stella, fons stellarum sensibilium: quam non temere appellare possemus uniuersalem lucem, à qua sol, luna, cæteræq; stellæ tam fixæ quàm erraticę hauriunt singulæ pro uiribus conuenientes sibi splendores sinceræ illius & puræ lucis, quæ obscuratur quàm primum uergit ab intelligibili ad sensibilem. Sincerum enim nihil sensu percipitur. Recte autem se habet illud quoque dictum, quod Tenebræ erant super abyssum.] Aer enim quodammodo existit supra uacuum, quandoquidem omnem illam immensam regionem uacuam desertamq; explcuit, quæ ad nos usq; á lunari orbe pertinet. cæterum postquam effulsit lux illa intelligibilis sole antiquior, cesserunt aduersæ tenebræ, dispescente deo dirimenteq;, cui perspicuæ sunt contrarietates rerum, & natiua quædam certamina. ne igitur perpetuis laborarent seditionibus, ne'ue bellum pulsa pace præualeret confuso in mundo ordine, non solum separauit lucem à tenebris, uerum & terminos in medijs spacijs posuit, quibus utrumq; arceatur ab extremitatibus alterius. Alioqui propter uicinitatem inductura erant confusionem contentionibus de principatu mutuis, pertinaci ambitione luctam appetentia, nisi præ-

fixi

fixi in medio termini ad pugnam gestientia dirimeret. hi sunt uesper & mane, quorum alterum prænunciat lætum aduentum solis orituri, sensim tenebras submouens. uesper autem occidentem solem subsequitur, ingruentes tenebras leniter excipiens. atq; hæc ipsa, mane inquam & uesper, in ordine incorporearum intelligibiliumq; rerum ponenda sunt. nam nihil omnino sensibile est in his, sed omnia ideæ mensuræq; ac loci & sigilla incorporea, ad generationem aliarum rerum corporearum. Facta autem luce & succedente tenebris, fixisq; in medio terminis uespera ac mane, necessario temporis mensura mox effecta est, quem diem nominauit opifex, eumq; non primũ, sed unum: qui sic dicitur propter singularitatem intelligibilis mundi habentis naturam unitatis. Iamq; perfectus erat mundus ille incorporeus, situs in diuino uerbo, cum sensibilis hic ad exemplar alterius absoluebatur: & ante alias eius partes potissimam omnium faciebat conditor, cælum uidelicet, quod apte firmamentum appellauit, ut rem corpoream. corpus enim naturaliter firmum est solidumq;, tres dimensiones habens. solidi autem & corporis quæ potest esse alia cogitatio, quàm quaqua uersum dimensio? Merito igitur supposito pro incorporeo sensibili hoc corporeoq; firmamentum id uocauit: quod mox οὐρανόν, id est, cælum apte ualdeq; proprie appellauit: siue quia omnium ὅρος, id est terminus, siue quia primum ὁρατόν, id est uisibilium factum sit. post cuius generationem nominat diem secundum, integrum diei spacium mensuramq; ad cælum referens, ob eius inter sensibilia dignitatem honoremq;. Post hæc quoniam uniuersa aqua in totam terram diffusa erat, omnesq; eius partes penetrauerat, quemadmodum spongia humorem combibit, ut ceu palus quædam cœnosa ex utroque elemento macerato confunderetur, & quodammodo fermentaretur in unam indiscretam informemq; naturam: iubet deus quicquid aquarum salsum erat, ac proinde offecturum fertilitati satorum & arborum, collectum in unum confluere ex omnibus terræ foraminibus: tum aridam emergere, dulci humore in ea relicto ad eius perpetuitatem. humor enim hic moderatus pro glutine est iungendis partibus distantibus. quo fit etiam, ne omnino exsiccata terra infrugifera & sterilis reddatur: utq; tanquam mater, non solum alterum alimenti genus, cibum, sed utrunque ceu natis suis cibum ac potum præbeat. quapropter uenis mammarum similibus exundauit, quæ per cauernas editæ fluuios fontesq; profunderent. nihilo secius tamen latentes quoq; humores indidit omnibus aruis & latifundijs, ad fertilitatem fructuum copiosissimam. his ita dispositis autor nomina imposuit, aridæ terram, aquæ uero inde secretæ mare. atq; ita ornare terram aggressus, iubet eam proferre herbas & spicas, omnigenaq; olera producere, tum prata fœno uirentia, & quicquid cessurum erat pecuarijs in pabulum, aut in cibum hominibus. Eodem iussu & arborum species omnes sunt editæ, nulla omissa uel mitium uel syluestrium. eaq; omnia fructibus suis abundabant in ipso statim ortu, secus quàm hodie. Nunc enim singula gignũtur suis uicibus, non simul omnia. Quis enim nescit, primam esse sementem & plantationem, tum sequi incremẽta satorum plantarumq; deorsum radices ceu fundamenta demittentium, sursum item altas stirpes

attollentium. Deinde frondes foliaq́ germinant, postremo fructus profertur, ac ne is quidem perfectus, sed uarias subinde facies recipiens, & nunc formam mutans, nunc magnitudinem. Nam primo tam minutus est, ut pene uisum fugiat, similis atomis corpusculis, quæ non temere uocari possunt prima sensibilia. Post hæc paulatim accedente alimento quod rigat arborem, & afflatibus temperatis ac tepidis aurisq́ mollibus nutricantibus augescit, & ad iustam magnitudinem peruenit. cum qua etiam qualitates uariat, ceu picturæ artificio iam his iam illis tinctus coloribus. At in prima huius uniuersitatis generatione (ut dixi) deus omnem stirpium syluam è terra produxit perfectam, fructibus non inchoatis, sed maturis refertam, sine dilatione inuitantem ad fruendum affutura mox animalia. Terra uerò ad illius iussum tanquam dudum prægnans & parturiens, parit omnes satorum, arborum atq́ fructuum inenarrabiles species. qui quidem fructus non solum in alimoniam facti sunt animantibus, uerum etiam in hoc præparati, ut in perpetuum propagaretur similium generatio, quippe qui continebant uim seminariam, obscuris & incertis rationibus insitam, quæ se tandem proferret statis temporum circuitibus. Voluit enim deus naturam certis horarum spacijs decurrere, consulens immortalitati specierum, & reddens eas æternitatis participes. Quapropter inchoata perduxit ad finem propere, rursumq́ à fine reflexit ad initium. è plantis enim fit fructus tanquam è principio finis: & è fructu semen, intra se denuo plantam continens, tanquam è fine principium. Quarto autem die cælum picturis exornauit, non quòd terræ id posthaberet, dans inferiori naturæ priuilegium, potiorem uerò ac diuiniorem secundo loco ponens, sed ut euidentissime imperij sui potentiam ostenderet. Quippe qui præuidens opiniones nondum creatorum hominum, coniecturas uerisimiles & credibiles libenter sequentium, quæ multam quidem rationis speciem habent, non item syncceram ueritatem: & quod suis oculis magis crediturí essent quàm deo, admiratores sophisticæ potius quàm sapientiæ: quodq́ solis ac lunæ cursibus, tum æstiuis, hibernis, uernis autumnalibusq́ mutationibus, annuorum terræ prouentuum omniumq́ nascentium causas acceptum laturi essent syderum cælestium ambitibus: ne cui creaturæ asscribere primas causas auderent, siue per impudentiam, siue per ignorantiam nimiam: recurrant, inquit, mentibus ad primam huius uniuersitatis generationem, meminerintq́ ante solem & lunam omnigenas stirpes, omnigenosq́ fructus è terra proditos. Atq́ ita sibi persuadeant, & in posterum eam prolaturam eos ex cælestis patris arbitratu, quoties ei placuerit non expectato cæli fauore, cui dedit quidem potentiam, sed non liberam. Nam ipse quemadmodum auriga habenas, aut gubernatòr clauum tenens, dirigit quà uult recto more ac lege singula, nullius ope indigens. omnia enim deo possibilia. Atque hæc est causa cur terra prior germinarit, & herbam protulerit: cælum uero pòst sit ornatum in numero perfecto quaternario, quem denarij omnium absolutissimi causam fontemq́ nō falso dicere licet. Quod enim actu est denarius, hoc quaternarius potentia esse uidetur. Si igitur ab unitate usque quaternionem deinceps componãtur numeri, denariũ conficient: qui

est immensitatis numerorum terminus,ad quem ceu metam circumagũtur & se reflectunt. Quin & musicas symphoniarum rationes idem quaternio continet,uidelicet diatessaron,diapente,diapason,disdiapason,è quibus cõcentus fit absolutissimus. Nam diatessaron proportionem habet supertertiam, diapente sesqualteram, diapason duplam. Eas proportiones omnes quaternio in se cõtinet.supertertiam in quatuor ad tria. sesqualteram in tria ad duo,duplam in duo ad unum, aut quatuor ad duo. Quadruplam uero in quatuor ad unum.est & alia uis quaternarij,dictu cogitatuq; mirãda.Primus enim hic solidi naturam ostendit, cum præcedentes numeri incorporeis rebus dicati sint.Nam in unitate censetur punctum quod uocant geometræ,iu binario linea.Ea est longitudo sine latitudine.quæ ubi accessit,fit superficies,ad ternarium pertinens. Hæc quo minus sit corpus natura solidum,una destituitur altitudine: qua iuncta ad ternarium, fit quaternarius. Vnde multum existimationis contigit huic numero qui ab incorporea intelligibiliq; essentia duxit nos ad considerationem corporis trifariam patẽtis,quod suapte natura primum sensu percipitur.Id qui parum intelligit, è lusu quodam uulgato cognoscet.Qui nucibus ludunt, solent positis prius in plano tribus quartam superimponere,in formam pyramidis. Triãgulus igitur ille in plano consistit intra ternarium: cui superimposita quaternariũ in numero facit,in figura uero pyramidem, solidum iam corpus. Præterea nec illud ignorandum,quod primus numerorum quatuor, quadrangulus est pariter par,mensura æquabilitatis ac iusticiæ:quodq; solus ex eisdem & compositione & innata potentia consistit. Cõpositione ex duobus & duobus.Rursum potentia ex bis duo,pulcherrimam quandam consonãtiæ speciem præ se ferens,quæ nulli inest ex alijs numeris. Mox enim senarius cõpositus è duobus ternarijs,nõ amplius gignitur his per se multiplicatis,sed alius,nẽpe nouenarius.Alijs quoq; multis uiribus præditus est quaternio, quæ accuratius & copiosius in proprio tractatu indicandæ sunt.Nũc illud addidisse sat erit,cum totius cæli mundiq; generationi dedisse initiũ. Nam quatuor elementa ex quibus uniuersum hoc conditum est,tanquam à fonte manauerũt à numero quaternario:atq; adeo hæc quatuor,quibus annus distinguitur,tẽpora, unde animantes plantæq; proueniunt, scilicet hiems, uer,æstas & autũnus.Cum igitur tot priuilegijs à natura honoratus sit modo dictus numerus,necessario conditor rerum ornabat cælum,quarto die, adhibitis ornamẽtis pulcherrimis ac diuinissimis,hoc est stellis luciferis: & gnarus lucem esse omnium rerum præstantissimam,fecit eam instrumentũ uisus,sensuum excellentissimi. Quod enim mens in animo est,id oculus in corpore. Videt enim uterq;:altera intelligibiles res,alter sensibiles. Vsus autem mentis in scientia ad noscenda incorporea,cæterum oculi in luce ad cõtemplationem corporum. quæ res & ad alia multa bona prodest hominib. & in primis ad id quod maximũ est, scilicet philosophiã. uisus enim à luce subductus in superna,considerataq; natura stellarũ & motu earum tam cõcinno,tum fixarum ac erraticarum statis circuitibus, dum illæ eodẽ semper modo circumferuntur, hæ uero dissimiliter & in contrarium duplici cursu utuntur:ad hæc chorea uniuersarum modulata,& ad musicæ leges pulchre

conueniente, ineffabilem delectationem uoluptatécp in animo excitat. atcp ita inescatus alijs atcp alijs spectaculis (nam unum ex alio nascitur) nullam contemplandi satietatem consequitur. Post hæc, ut fieri solet, ulterius procedente curiositate scrutatur quæ'nam sit rerum harum uisibilium essentia: & utrum generatæ sint, an nullum habuerint principiũ: quis'ue modus sit motus earum, quæ'ue causæ quibus dispẽsantur singula. Ex huiusmodi uero disquisitionibus philosophia nata est, qua nullum perfectius bonum introiuit uitam hominum. Cæterum opifex respiciens ad intelligibilis lucis ideam, de qua dictum est in mentione mundi incorporei, condidit has sensibiles stellas, simulachra diuina & pulcherrima, quas tanquam in templo inter corporeas essentias pulcherrimo collocauit in cælo multis de causis. Primum lucis inferendæ, deinde signorum, tum temporum quibus annus distinguitur, postremo dierum, mensium, annorum, quæ sunt mensuræ temporis, ex quibus nata est natura numeri. quẽ aũt singula hęc usum, quam'ue utilitatem præbeant, liquet ex eorum effectibus. Sed quo diligentius animaduertantur, non alienum fortasse fuerit etiam differẽdo ueritatem uestigare. Cum uniuersum tempus distributũ sit in duas partes, diem & noctẽ, diei præfecit pater ille solem tanquam magnum regem: nocti uero lunam cum cęterarum stellarum multitudine. magnitudini autem uirtutis ac potestatis solaris præclare attestantur quæ modo dicta sunt. Vnus enim cum sit & solus, priuatim & peculiariter dimidium totius temporis sortitus est, scilicet diem: reliquę uero omnes stellæ unà cum luna alterum dimidiũ, quod uocatũm est nox. & illo exorto tot stellæ quæ apparebant, non obscurãtur solum, sed euanescunt etiam præ splẽdore diffuso. post occasum uero eius, uno momento incipiunt ostẽtare suas species. Factæ sunt autem, ut ipse ait, non solum ad lucem emittẽdam in terras, sed etiam ut futura præsignificẽt. aut enim exortu earũ & occasu deliquio'ue, aut emersione occultatione'ue, aut alijs motuum differentijs, homines de futuris conijciunt, & præsagiunt copiam inopiam'ue fructuum, prouentũ uel pestem animantiũ, serenum & nubilum, tranquillitatẽ aeris & procellas uentorum, inundationes & exilitates fluminũ, molliciem maris & tempestatẽ, horarum anni uices pręposteras, dum aut æstas hybernat, aut hyems æstuat, aut uer autumnũ refert, aut contrà autũnus uernam temperiem. Nec defuerunt qui concussionẽ terræ motumcp ex cæli obseruatione prædicerent, aliacp multa euẽtu certissimo: ita ut uerissime dictum sit, in signa esse factas stellas, atcp etiam in tempora. tẽpora porrò de quatuor annuis uicibus horarũ intelligẽda sunt. Et quidni: tempus enim quod aliud esse potest, quàm tempus rei bene gerendæ? at horæ anni omnia perficiunt & ad bonum euentum perducunt, sationes, plantationes, genituras & incrementa animalium. Factæ sunt etiam stellæ ad mensuras temporum. nam solis lunæcp & aliorum siderum recursus, dies & menses annoscp conficiunt. moxcp res utilissima, numeri natura exstitit, tempore illam proferente. Ex una enim die fit unum, è duabus duo, è tribus tria: è mense triginta, ex anno tantus numerus, quantum dierum continetur duodecim mensibus: & ex infinito tempore infinitus numerus. Tantas & tam necessarias utilitates afferunt naturæ motuscp stellarum

larum cælestium: ne quid dicam de rebus nobis incognitis (nec enim mortalibus nota sunt omnia) attamen ad perpetuitatem mundi conferentibus, quas legibus à deo præfinitis haudquaquam uiolabilibus oportet semper & ubiq; administrari. Postquam autem terra & cælum suis ornamētis exculta sunt, altera tertio die, alterum (ut dictum est) quarto, mortalia genera animalium fingere aggressus est rerum opifex, exorsus ab aquatilibus die quinto, existimans nullam esse inter duo quæpiam tantam cognationem, quantam inter animalia & quinarium. Differunt enim animata ab inanimis non alia re magis quàm sensu. is uero in quinq; diuiditur. in uisum, auditum, gustum, odoratum & tactum: quorum singulis deus attribuit certas materias, & instrumenta propria ad subiecta iudicanda: colores uisui, uoces auditui, sapores gustui, uapores odoratui; tactui uero mollicies & duricies, tum quicquid calidum est & frigidum, leue & asperum. iussit igitur omnifaria piscium genera cetorumq; suis locis existere, tum quantitate tum qualitate inter se differentia. Sunt enim in alio mari alia, interdum etiam eadem. Nec tamen ubiq; omnia fingebantur, & fortasse merito. quædam enim amant palustre ac uadosum mare, quædam cloacas & portus, quæ nec in terram prorepere, nec longe à terra natare ualent. quædam in alto mari degentia, uitant promontoria in id procurrentia & insulas & scopulos. & alia serenitate tranquillitateq; delectantur, alia fluctibus & tempestate. Nam continuis iactationibus exercita, & ui contra impetum reluctantia, firmiora euadunt, pinguescuntq; amplius. mox autem etiam genera uolucrium creauit, tanquam germana aquatilium. Vtraq; enim natatilia: nec ulla species per aerem meantiū, ut imperfecta omissa est. Iamq; aqua & aere conuenientium sibi animantium ceu sortem adeptis, rursum prouocatur terra ad generationis partem reliquam. reliqua autem erant post stirpes animalia terrestria, & dixit: Producat terra pecudes & feras & reptilia in suo quæq; genere.] Illa uero continuo emisit quęcunq; iussa est, eaq; ornata eximie, tum robore, tum innatis nocendi iuuandi'ue uiribus. Vltimus autem omnium homo creatus est. modum uero creationis eius paulo post dicam, ubi prius ostendero pulcherrimam consequētiam in creationis animalium ordine. anima enim inertissima & rudissima generi piscium obuenit: absolutissima autem & longe optima generi hominum: cæterum inter utrasq; media generi terrestrium ac uolucrium. Hæc enim acutiores sensus habet quàm illa piscibus indita, hebetiores tamen quàm humana. ideoq; primi creati sunt pisces, corporeæ plus quàm animalis essentiæ participes, quodam modo animalia & non animalia, mobilia inanima, ad solam corporis conseruationem ui animali eis addita, sicut uulgo salem inspergunt carnibus, ne facile putrefiant. post pisces uero secuta sunt uolucria & terrestria, uidelicet acrioribus iam sensibus prædita, & animales proprietates habitu ipso præ se ferentia. postremus (ut dixi) homo creatus est, cui conditor mentem eximiam donauit, quæ sit ceu animæ anima, quemadmodum pupilla in oculo. nam hanc quoq; scrutatores naturæ dicunt esse oculi oculum. tum igitur omnia simul sunt condita. in quo quidē uniuersali opificio necesse erat seruari ordinem, propter futuram generationem alia

rum

rum rerum ex alijs. in his autem quæ successiue generantur, ordo hic est, ut natura incipiens à uilissimis, desinat in præstantissima omnium. id uero quid sit, dicendum apertius. semen genitale est principium animalium. hoc esse uilissimum uidemus, spumæ simile. cæterum ubi in uuluam iniectum hæserit, motus mox particeps, in uesicam quandam mutatur. ea semine est melior. & quoniam motus placidus inest fœtibus tanquã artifex, uel ut magis proprie dicam, irreprehensibilis ars, fingit animal ex humida essentia, in corporis membra partesq; eam distribuens: sicut spiritualem essentiam in uirtutes animæ, nutritiuam & sensitiuam. nam de rationali nunc supersedẽdum est dicere, propter eos qui aiunt eam externe aduenire diuinam sempiternamq;. atq; ita generatio quam natura cœpit à uili semine, in res pręstantissimas desinit, animal & hominem. idem hoc & in uniuersi huius creatione contigit, quando enim res effingere placuit opifici, in ordine primi fuerũt, qui & uilissimi, pisces: postremi uero, qui & optimi, homines, reliqua uero inter extremitates media, potiora prioribus, deteriora posterioribus. terrestria & uolucria. Cæterum post alia omnia (ut dixi) hominem ait iuxta imaginem factum & similitudinem, ualde pulchre. nihil enim è terra genitum deo similius quàm homo. hanc porrò similitudinem nemo æstimet figura corporis. nam neq; deus humana forma est conspicuus, neq; humanũ corpus refert dei speciem. sed dicitur imago iuxta mentem rectricem animę. ad illud enim singulare ceu archetypum, in unoquoq; mens effigiata est, quodammodo deus eius qui ipsam circumfert ut statuam. sicut enim se habet magnus ille imperator ad uniuersum mundum, ita se habere uidetur humana mens ad hominem. inuisibilis enim est, uidens ipsa omnes res: & ignotã habet essentiam suam, cum alienas intelligat: & instructa artibus, scientijsq; multifarijs, aperit sibi uias omnes terra mariq;, utrunq; elementum perscrutans. moxq; sublimis euolans, & aerem eiusq; mutationes contẽplata, profert se ad summum æthera: uagataq; circa stellarum tum fixarum tum erraticarũ cursus ac choreas iuxta musicæ præcepta absolutissimas, trahitur amore sapientiæ se deducentis: atq; ita emergens supra omnem sensibilem essentiam, demũ intelligibilis desiderio corripitur. illic cõspicata exemplaria ideasq; rerum quas hic uidit sensibiliũ, eximias illas pulchritudines, ebrietate quadam sobria capta, tanquam corybantes lymphatur, alio plena amore lõge meliore, à quo ad summum fastigium adducta rerum intelligibilium, ad ipsum magnum regem uidetur tendere. tum uero in uidendi cupidam purissimus ac merissimus diuinæ lucis radius more torrentis effunditur, ita ut ad eum splendorem caliget mentis oculus. Sed quoniam non quæuis imago refert exemplar archetypum, suntq; multæ dissimiles, post hæc uerba IVXTA IMAGINEM, additum est significantius ET SIMILITVDINEM, ut intelligatur exactum sigillum, formam habens euidẽtissimam. introducit enim propheta patrem huius uniuersitatis dicentem hæc: Faciamus hominem iuxta imaginem nostram & iuxta similitudinem.] Dicat aliquis: nunquid opus est quopiam ei, cui obediunt omnia? an cum cælum faceret, terram & maria, nullo egebat cooperatore: hominem uero tam paruum animal ac fragile facturus, non poterat absque alieno adiutorio fuisse

metipse

metipſe uiribus effingere? Huius rei cauſam uerißimam neceſſe eſt deum ſolum ſcire: cæterum quæ per coniecturas credibiles uidetur rationi conſentanea, non eſt cælanda. eſt autem hæc. Rerum quæ ſunt in natura, aliæ nec uirtutis participes cenſentur nec uitij, ut ſtirpes & bruta: illæ quia inanimæ, & ſuapte natura imaginationis expertes: hæc quia carent mente ac ratione. uitij uero ac uirtutis tanquam domicilium uidetur mens & ratio, in quibus commode inhabitent. aliæ item ſolâ uirtute præditæ, nihil omnino habent uitij, ut ſtellæ, nam hæ animalia eſſe dicuntur, & quidem intelligentia: uel potius mentes ſingulares, totæ quantæ probæ, nec ullius capaces uitij. rurſum aliæ mixtæ ex utraq; natura, ut homo, qui cõtrariorum eſt capax, prudentiæ & imprudentiæ, temperantiæ & incontinentiæ, fortitudinis & timiditatis, iuſtitiæ & iniuſtitiæ: & ut compendio dicã boni & mali, turpis & honeſti, uirtutis & uitij. ergo conueniebat ut uniuerſalis ille pater deus bona quidem per ſeipſum ſolum faceret, quippe ſibi cognata: ſicut nec indifferentium creatio fuit aliena ab eo; quandoquidem hæc quoq; expertia ſunt uitij deo inimici, cæterum mixtorum creatio, partim erat ei propria, partim impropria. propria propter admixtam eis meliorem ideam: impropria uero, propter contrariam & deteriorem. quamobrem de ſola hominis generatione ſcriptum eſt: Dixit deus, Faciamus hominem: quod indicat aſſumptos alios tanquam cooperatores: ut irreprehenſibiles tam uoluntates quàm actiones hominis recte ſe gerentis acceptum ferãtur deo rectori omnium: contrariæ uero alijs ipſi ſubditis. oportebat enim patrẽ non eſſe cauſam malorum ſuis filijs. malum autem eſt uitium, uitioſæq; actiones. Pulchre autem cum dixiſſet in genere hominẽ, mox diſcreuit ſpecies, dicens Marem & fœminam conditos, licet nondum ſua cuiq; forma contigerat, quandoquidem extremæ ſpecies continentur in genere, & tanquam in ſpeculo apparent cernentibus acutius. Quærat hic aliquis cauſam, cur ultimum operum ſit homo in mundi creatione. nam poſt omnia alia eum cõditor ac pater fecit, ut docent ſacræ literæ. Qui legem rimãtur profundius, eamq; quàm maxime fieri poteſt excutiunt ſumma diligentia, dicunt quod poſtquam deus hominem in ſuam cognationem admiſit, ratione donatum dono longe optimo, ne cætera quidem ei inuidit: ſed ut animali familiariſſimo amiciſſimoq;, omnia quæ mundo continentur præparauit, uolens ut recens creatus nulla re careret, quæ ad uitam, atq; adeo bene uiuendum cõferat. quorum alterum præſtat copia ubertasq; rerum ad fruendum paratarum: alterum contemplatio cœleſtium, qua quidem perculſa mens, amorem ac deſiderium ſcientiæ rerum huiuſmodi concipit: unde prognata eſt philoſophia, per quam homo quamuis mortalis, immortalitatem adipiſcitur. quemadmodum igitur conuiuatores non prius ad cœnã uocant quàm inſtructo bene conuiuio: & qui edunt ludos aut athletarum ſpectacula, priuſquàm ſpectatores uocati conueniant in theatra uel ſtadia, parant copiam concertatorum, earumq; rerum quæ ad oculos aures'ue oblectandas pertinent: ita etiam mundi totius imperator, tanquam conuiuator ludorum'ue præfectus, uocaturus hominem ad conuiuium ſimul & ſpectaculum, quicquid ad utrumq; pertinebat præparauit: ut ille in mundũ ingreſ-

ſus

sus mox inueniret & conuiuium & theatrum sacratissimum:alterum refertum copijs,quas terra fluuij mare aer suppeditāt ad usum simul & uolupta tem:alterum spectaculis, quorū tum essentia tum qualitates stupendæ sint, nec non motus choreæq; admiratione dignissimæ, propter ordinem conuenientissimum,numerum pro portione aptissimum, cursus recursusq; mire concinnos: in quibus omnibus ueram illam & exemplarem musicam in esse non falso quis dixerit:quā postea homines animis suis impressam prodiderunt, artem utilissimam uitæ summeq; necessariam. Hæc quidem prima causa est,ob quam homo rebus omnibus præpositus esse uidetur. altera quoq; non absurda dicenda est.Mox ut natus est homo, paratum inuenit quicquid ad uitam opus erat,ut futura disceret: tantum non diserte clamante natura,fore ut si autorem sui generis imitarentur, uitam sine dolore & sine labore in uberrimis copijs degerēt.id ita futurum, si nec uoluptates rationi contrariæ dominationem in anima occupauerint,uentris uenerisq; studio ceu arcibus communitis in ea:nec gloriæ,honorum, pecuniarū,cupiditates in uita sibi potentiam usurpauerint: nec mœrores mētem depressam curuatamq; sibi subdiderint: nec timor malus consultor præclaros ad uirtutem impetus repressérit:nec imprudentia,timiditas,iniustitia,cæterorumq; uitiorum turba ingruerit.nam in hæc omnia mala, quæ modo dixi, abutētium felicitate hominum & affectibus prauis deditorum, effusorūq; in cupidines, quas ne nominare quidem fas est, animaduertit iustum iudicium,de impijs studijs pœnas exigens.Itaq; criminū reos necessario sequitur inopia.ægre enim proscindentes arua,& fontanos fluuialesq; riuos inducentes, adhæc seminantes plantantesq;, & agriculturæ laborem noctu atq; interdiu obeuntes,quotannis comportāt necessaria,eaq; interdum tenuia,nec admodum suffectura,utpote læsa ex causis uarijs. aut enim perpetuis imbribus abripuit inundatio,aut grando uno impetu delata perfregit, aut nix adussit frigore,aut procellæ subuerterūt radicitus. multæ enim aeris & aquarum inexpectatæ mutationes inopiam fructuum afferunt.quòd si per tēperantiam lenirentur affectus immodici,& iustitiæ subderetur honorum iniustiq; lucri studium,utq; compendio dicam,actionibus ad uirtutem cōpositis uitiosæ ac proinde inanes decederent, sublato ex anima bello uere omnium difficillimo grauissimoq;, & pace præualente constituenteq; dotes nostras cum lenitate ac modestia:sperare liceret, deū utpote boni honestiq; amantem,& insuper humani generis, affluentiam bonorū ultro largiturum hominibus. Liquet enim facilius esse prouentum rerū absque agricultura largiter suggerere,quàm res ipsas ex nihilo producere.atq; hæc altera causa dicta sit:tertia uerò est hæc. Principium & finem deus uolens inter se coaptare,ut res necessitudine coniunctas & amicitia, principiū quidem fecit cælum,finem uerò hominem:illud inter sensibilia & incorruptibilia perfectissimum,hunc inter ex terra genita & corruptibilia optimū, paruum(si uera dicenda sunt)cælum,multarum naturarum stellis similium simulacra intra se gestantem,in quibusdam artibus & sciētijs,singulisq; celebrium uirtutum contemplationibus. nam cum cōtrarias naturas habeāt, id quod est corruptibile, & id quod incorruptibile, utriusq; speciei quod pulcher-

pulcherrimum est, principio finiq; attribuit: principio cælum, ut dixi, fini hominem. Præter has illa etiam causa reddi solet à quibusdam. necesse erat omnium rerum creatarum postremum produci hominem, ut nouissimus repente inter alias animantes existens, terrorem eis incuteret. sic enim futurum erat ut ad primum eius cōspectum obstupefactæ, adorarēt tanquam rectorem à natura datū & dominū. quapropter hoc uiso omnes ad unam cicuratæ sunt, & uel ferocissimæ primo statim intuitu mansuescebant, rabiem qua in se inuicem efferabātur, erga solum mitigantes hominē. quamobrem opifex eius & pater animal hoc naturaliter ratione præditum, nō re solum, sed & uerborum autoritate regem constituit omnium sub luna terrestrium, aquatilium, uolucrium. quicquid enim est mortale in his tribus elementis, terra, aqua, aere, totum ei subiecit, cælestia tantum excipiens, ut diuiniorem partem sortita. huius aūt regni fides apparet euidentissimè, dum pecorum multitudo maxima ductatur à uulgari quopiam homine, nec armis instructo, nec ferro accincto, nec ullum telum gestante, sed mastrucam tantum habēte pro uelamine, & baculum quo ea dirigat, & inter uiam lassitudine tentatus subnitatur. itaq; frequentissimos greges ouium, caprarum, boum, præ se agit opilio, caprarius bubulcus, homines ne corporibus quidem robusti & uigentes, ut saltem habitudine bona stupendi sint suis pecudibus: sed tanta illa robora uiresq; armis instructę (plerisq; enim instrumēta quibus se defendant à natura sunt addita) tanq; serui dominum reuerentur, & imperata faciūt. tauri sub iugum missi ad terræ culturam, profundos sulcos proscindunt tota die, nōnunquam etiam per longum spacium, subsequente quopiam agricola. arietes ægre sustinentes onus uellerum, uerno tempore iussu pastoris stant quieti, & libenter se prębent tondendos, assuefacti uelut populi annuum tributum pendere suo regi à natura imposito. quid equus animal animosissimum? hic quoq; facilę recepto freno regitur, quominus lasciuiat, utq; habenis pareat: simulq; tergum aptè sessori accommodat, moxq; sublimem fert cursu concitatissimo, quocunq; ille peruenire cupit cum rectore suo properans. isq; insidens absq; labore, admodum quietus, alieno corpore, pedibusq; alienis cursum conficit. Liceret & alia multa dicere, si liberet esse prolixum, quibus euidens fieret, nullum animal sibi libertatem usurpare detrectādo obsequium homini debitū. quare iam dictis exemplis contenti erimus. nec illud tamen ignorare oportet, non statim quia postremus homo factus est, esse inferiorem ordine, id quod testantur aurigæ gubernatoresq;. nam alteri post quadrigas locati à tergo cursum earum moderantur habenis utcunq; uisum fuerit, nunc laxādo eas ad celeritatem, nunc reducendo, si uideatur iusto maior impetus. gubernatores item in nauis postrema parte puppi consistentes, omnibus omnino prę stantiores habentur uectoribus. quippe quorum in manu nauis ipsius sarcinarumq; salus sit posita. sic & hominem ceu aurigam quendam & gubernatorem conditor rebus pręfecit omnibus, ut regat & gubernet quicquid terra continetur, curam gerendo stirpium animaliumq;, tāquam quidam subpræfectus illius primarij summiq; regis. Postquam autem uniuersus hic mundus perfectus est iuxta perfectam naturam numeri senarij, sequēti diei

ſeptimo pater honorem addidit,quem ubi laudauit, mox ſanctum appellare dignatus eſt.eſt enim feſtus non unius populi regionis'ue,ſed in uniuerſum omnium: quæ ſola digna eſt ut dicatur popularis feſtiuitas, & mundi natalis. Cæterum ſeptenarij naturã neſcio an quis ſatis laudare queat, cum ea ſit præſtantior quàm ut ulla facundia poſſit exprimi.nec tamen quia miranda quædam de eo prędicantur,ideo ſilere debemus. imò audendum potius,ſi non omnia aut magis propria poſſumus, certe ea prodere,quę mente ualemus aſſequi. Dupliciter ſeptenarius dicitur. alter intra denariũ, quẽ unitate ſola ſepties metimur, conſtantem ex ſeptem unitatibus. alter extra denarium, cuius omnino principium eſt unitas iuxta duplices aut triplices aut utiqꝫ proportionales numeros,ut ſe habet LXIIII & DCCXXIX, prior ab unitate duplicando creſcens,poſterior triplicando,utraqꝫ autem ſpecies non obiter conſideranda eſt. ſecunda certe manifeſtiſsimum habet priuilegium. ſemper enim qui ab unitate componitur in duplis aut triplis aut utique proportionalibus ſeptimus numerus, cubitus eſt ſimul & quadrangulus,utramqꝫ ſpeciem continens, tum incorporeæ tum corporalis eſſentiæ. incorporeæ quidem planiciẽ,quam conficiunt quadranguli, corporalis uero iuxta aliam dimenſionem, quam conficiunt cubi. id euidentiſsime patet in modo dictis numeris.mox enim ab unitate dupla ratione creſcens ſeptimus,ſcilicet LXIIII, quadrãgulus quidẽ eſt,octies octo multiplicatis:cubus autem quater quatuor quater. rurſum tripla ratione creſcens ab unitate ſeptimus,uidelicet DCCXXIX, quadrangulus quidem eſt multiplicato per ſeipſum XXVII. cubus aũt multiplicato nouies nouẽ nouies,ſemperqꝫ à ſeptimo incipiẽs ut prius ab unitate, & eadẽ proportione augens uſqꝫ ſeptimũ, inuenies omnino eum creſcere in cubum ſimul & quadrangulũ. Ergo à LXIIII cõpoſitus dupla ratione faciet ſeptimũ MMMMXCVI,quadrãgulũ ſimul & cubum,quadrangulum quidem latus habẽtem ipſum LXIIII,cubicum uerò numerum XVI. Tranſeundum iam & ad alteram ſeptenarij ſpeciem quæ continetur in denario, mirificam præ ſe ferentem naturam nõ minus quàm prior. Septem ipſa conficiũtur ex uno & duobus & quatuor habentibus duas rationes concinniſsimas, duplam uidelicet & quadruplam. alteram diapaſon conſonantiæ:alterã uero ſcilicet quadruplam, conſonantiam diſdiapaſon conficientem.cõtinet & alias diuiſiones ſeptenarius, conſtans ex quibuſdam coniugationibus. diuiditur enim primum in unitatem & ſenionem,deinde in binariũ & quinarium, poſtremo in ternionẽ & quaternionem.Eſt autem hæc quoqꝫ proportio numerorum admodum muſica.ſex enim ad unum habent rationem ſexcuplam.ſexcupla autem ratio maximũ inter tonos interſtitium facit, quo diſtat grauiſsimus ab acutiſsimo, ſicut demonſtrabimus,cum à numeris ad harmonias ſermonem traduxerimus. cæterum quinqꝫ ad duo maximam in harmonia uim oſtẽdunt, fermè æquipollẽtem harmoniæ diapaſon,quod in regulis eius artis apparet liquidiſsime.quatuor autem ad tria primã harmoniam efficiunt ſupertertiã, quę eſt diateſſaron. Præterea aliam quoqꝫ pulchritudinẽ ſuam profert ſeptenarius,eamqꝫ ſacræ conſiderationis. Cum enim conſtet è ternione & quaternione, rectam in rebus & nuſquam uergẽtem figurã naturaliter exhibet. id

quomo-

quomodo fiat declarandum est. rectangula forma, quandoquidem est principium qualitatum, constat ex numeris his: III & IIII & V. tria autem & quatuor, quæ quidem est essentia septenarij, rectum angulum efficiũt. nam obtusus & acutus inæqualitatẽ, confusionem & imparitatem pręse ferunt, cum sint iusto acutiores obtusiores'ue. at rectus collationem non admittit, nec fit recto rectior, semper sui similis, nec unquam propriam naturam uarians. Iam si rectangulus triangulus figurarum & qualitatũ est principium: in hoc autem rem maxime necessariam rectum angulum essentia septenarij præbet, ternio simul & quaternio, merito cẽsendus est hic fons omnis figuræ & omnis qualitatis. Huc accedit & illud, quòd III planæ figuræ est numerus, quandoquidem iuxta unionem est punctum, linea iuxta duernionem, superficies uero iuxta ternionem ordinatur. quaternio porrò ad solidum corpus pertinet, per accessionẽ unitatis accedente ad superficiem altitudine. unde liquet essentiam septenarij geometriæ & solida metiendi esse principium, & ut compendio dicam, incorporeorũ simul corporeorumq́. tanta in septenario sanctitas est sita, ut præeminentiã habeat præ omnibus numeris non excedentibus denarium. nam ex illis alij gignunt non gignuntur, alij gignuntur quidẽ non gignunt tamen. alij tum gignunt tum gignuntur. solus septenarius in nulla harum parte consideratur. id ita esse demonstratione confirmandũ est. Vnum quidem gignit omnes deinceps sequentes numeros, ipsum à nullo omnino genitũ. octo autem gignũtur quidem à bis quatuor, sed nullum gignunt, ex his qui sunt intra denariũ. item IIII eundem locum inter genitores & prognatos obtinet. repetitus enim VIII gignit, ipse gignitur à repetito II. soli ut dixi VII nec gignere natura dedit, nec gigni. quam ob causam cæteri quidem philosophi numerum hunc assimilant natæ sine matre Virgini Victorię, quam ex Iouis capite exortam narrant fabulæ: Pythagorici uerò uniuersitatis huius imperatori. nam quicquid nec gignit nec gignitur, immotũ manet. in motu enim generatio, quãdoquidem & id quod gignitur, non caret motu. mouetur enim alterum ut gignat, alterũ ut gignatur. solus autem nec mouet nec mouetur antiquus ille princeps & autor, cuius imago merito dici potest septenarius. Attestatur meis dictis Philolaus uerbis his: Est, inquit, autor & princeps rerum omniũ deus semper unus, stabilis, immobilis, ipse sui similis, aliorũ dissimilis.

Ergo in rebus intelligibilibus immobilis & impassibilis apparet septenarius. in sensibilibus quoq; declarat suam magnam latissimeq; patẽtem uim, natam ad profectum omnium terrestrium, uel lunæ certis recursibus. Quo aũt modo, considerandũ est. Septenarius ex unitate & reliquis deinceps numeris cõpositus, gignit XXVIII perfectum numerũ æquatum suis partibus. is ita natus numerus aptus est ad restituẽdã lunã in id momẽtũ ex quo primum cœpit crescere sensibiliter, & ad quod decrescẽdo solet recurrere: ea crescit à prima lunata facie usq; dimidiatam diebus septenis, moxq; totidem alijs ad plenum orbem proficit: deinde rursum à meta per eandẽ uiam à pleno orbe ad dimidiatum alijs septenis diebus recurrit, totidemq; ad lunatam faciem, quibus deinceps additis conficitur modo dictus numerus. Vocatur autem septenarius à proprietatis uocabulorũ studiosis etiam ab

solutorius: quia hoc absoluuntur uniuersa & perficiūtur. Id inde coniectare licet, quia omne corpus actiuum tres habet dimensiones, longitudinem, altitudinem & latitudinem, quatuor autem fines, punctum, lineam, superficiem, solidum, ex quibus compositus conficitur septenarius. Impossibile autem erat corpora septenario metiri, iuxtà illam è tribus dimensionibus suisq; finibus compositionem, ni cōtigisset primorum numerorum ideas, uidelicet unius, duorum, trium, quatuor, in quibus fundatur denarius, in se complecti naturam septenarij. nam modo dicti numeri quatuor quidem habent terminos, primum, secundum, tertium, quartum: dimensiones uerò tres, primam ab uno ad duo, secundam à duobus ad tria, tertiam à tribus ad quatuor. Præterea clarissime demonstrant uim perfectiuam rerum insitam septenario uel ætates ab infantia senectutem usq;, quas septimanis annorum metimur. namq; primo septennio dentes proueniunt, secundo tempestiui ad geniturā emittendam reddimur, tertio barbam promittimus, quarto augmentum roboris consequimur, tum quinto tempus nuptias postulat, sexto uis intelligendi maturatur, septimo tum mens seipsa melior auctiorq; euadit tum ratio, octauo utraq; plene perficitur, nono uerò æquitas ac mansuetudo, affectibus maiore ex parte perdomitis. porrò decimo finis uitæ optimus, integris etiamtum instrumentis sensuum. solet enim longa senectus unumquenq; supplantare & affligere. quas ætates etiā Solon Atheniensium legislator descripsit his elegiacis.

Impubes pueri septem uoluentibus annis
  Claudunt enatis dentibus eloquium.
Post alios totidem, diuorum numine dextro,
  Occultum pubis nascitur indicium.
Annis ter septem prima lanugine malas
  Vestiet, ætatis robore conspicuus.
Quartus id augebit iam septenarius, isq;
  Optima uirtutis proferet indicia.
Adde alios totidem, festinans ocyus ætas
  Coniugio monuit quærere progeniem.
Sexta ætas animo si quid deest addet, eaq;
  Disces quid deceat, quid quoq; dedeceat.
At quæ succedunt per proxima ter duo lustra,
  Ornabunt linguam dulcibus eloquijs.
Nona ætas languet, tum frigida membra retardant
  Virtutem non unquam interituram animi.
At quisquis decimam poterit contingere metam,
  Iam tempestiuo funere conciderit.

Ita quidem Solon modo dictis decem septimanis humanā uitam dinumerat. Hippocrates uerò medicus ait septem esse ętates, infantis, pueri, adolescentis, iuuenis, uiri, senioris, senis. Harum mēsuram septimanas annorum, non tamen deinceps. Sic autem dicit: In hominis natura septem sunt tempora, quas ætates uocant, infans, puer, adolescens, & reliquæ. Infans est donec intra septennium dentes amittat. Puer usq; genituræ excretionem, ad gemi natum

natum septennium. Adolescens usq; barbæ hirsutiem, ad annum ter septimum. Iuuenis usq; dum crescit totum corpus, ad quater septimū. Vir usq; undequinquagesimum, ad septies septimū. Senior usq; sextum supra quinquagesimum, ad octies septimum. Quicquid uerò deinceps sequitur, ad senium pertinet. Illud quoq; ad peculiarem septenarij cõmendationem affertur, quòd mirum habeat in natura ordinem, constans ex tribus & quatuor. Tertium quidem ab unitate si quis duplicet, inueniet quadrangulum. quartum uerò cubum. ex utroq; autem compositum, cubum simul & quadrangulum. Itaq; ab unitate tertius, in dupla ratione quadrangulus est. Quartus uero, scilicet octo, cubus, septimus autem quatuor ad septẽ, cubus simul & quadrangulus, ita ut omnino perfectus sit septimus numerus, ambas æqualitates promittens, & superficialem per triangulum, iuxta ternionis cognationem: & solidam per cubum iuxta familiaritatẽ quam habet cum quaternione. Ex ternione autem & quaternione fit septenarius. Est autem non solum perfectiuus, sed ut uerbo dicam, maxime harmonicus, & quodãmodo fons pulcherrimi diagrãmatis, quod omnes harmonias, scilicet diatessarõ, diapẽte, diapason: omnes item proportiones, scilicet arithmeticam, geometricam & insuper harmonicam continet. Is laterculus constat ex his numeris, sex, octo, nouẽ, duodecim. octo quidem ad sex ratione supertertia, quæ est harmoniæ diatessaron. Nouem uerò ad sex sesquialtera, quę est diapente. At duodecim ad sex ratione dupla, quæ est diapason. Cõtinet autem (ut dixi) etiam proportiones omnes: arithmeticam quidem in his numeris, sex, nouem, duodecim. sicut enim medius primum tribus superat, ita totidem superatur ab ultimo. Geometricã uero ex his quatuor numeris, scilicet sex, octo, nouem, duodecim. Qua enim ratione se habent octo ad sex, eadem duodecim ad nouem. Est autem ratio supertertia. Harmonicã porrò ex his tribus, sex, octo, duodecim. estq; harmonicæ proportionis duplex iudiciū. Vnum, quando quam rationem habet ultimus ad primum, eandem habet id quo superat ultimus medium, ad id quo primus superatur à medio. Id euidentissimum fiet ex modo propositis numeris, qui sunt sex, octo, duodecim. Vltimus enim primi duplus est, & partes quibus se inuicem hi numeri superant, item duplæ. Nam duodenarius octonarium superat quatuor, & octonarius senarium duobus. Quatuor autem duorum duplum est. Alterum autem iudicium harmonicæ proportionis, quando medius æqua portione & superat & superatur ab extremis. octo enim consistẽs in medio, superat primū portione tertia. subtractis enim sex, reliqua duo sunt primi tertia portio. superatur quoq; ab ultimo ęqua portione. Subtractis enim octo à duodecim, reliqua quatuor fient ultimi portio tertia. Hæc necessario dicenda habuimus de pulchritudine quam habet hoc diagrãma siue laterculus, siue quocunq; alio libet appellare nomine. tot ideas atq; etiam plures septenarius ostendit in rebus incorporeis & intelligibilibus. extendit autem se eius natura & in omnẽ uisibilem essentiam, quæ cælum ac terram, id est, huius uniuersi fines occupat. quæ enim mundi pars erga septenarium non afficitur, amore & desiderio eius domita? Primo cęlum ipsum aiunt septem cinctum circulis, quorum nomina sunt hæc, arcticus, antarcticus, tropicus

solstitialis,tropicus brumalis,æquinoctialis,signifer,et insuper lacteus.nam horizon nostrum est accidens,quatenus quisq; aut acute cernit,aut contra; sensu circumquaq; protendente se ulterius aut citerius. certe erraticarũ cohors aduersum fixis cursum tenens, septem distinguitur ordinibus, maximum præ se ferens affectum erga terram et aëra. nam hunc quidem quaternis quotãnis temporibus uariat, per singula infinitas mutationes afferens; tranquillitatibus,serenitatibus,nubilationibus,procellarum uiolentia. Fluuios quoq; inundant & minuunt, camposq; stagnare aut contra squalere faciunt. Quin & in mari easdem uices inducunt,accedente recedenteq;. Licet enim uidere sinus marinos ubi refugiente æstu amplum repente littus existit: & paulò pòst reuertente, mare se reddit altissimum,non paruis onerarijs, sed centies centenas amphoras uehentibus nauigabile. Nec minus terrenis omnibus, tum animantibus, tum stirpibus largiuntur incrementa maturitatemq; fructuum, singulorum naturam fouendo ad cursus recursusq; indefatigabiles,ut noui flores succedant,moxq; maturescant ad præbendam indigentibus copiam. Vrsa quidem quam uocant nautarum deductrix,è septem stellis constat: quam spectãdo gubernatores mille uijs sulcant maria, tentãtes rem arduam & maiorem quàm pro humana sapientia. hoc enim scopo usi,scrutãdo inuenerunt regiones ignotas maioribus,continentis quidem incolæ insulas,insulani uerò in continente sitas.oportebat enim à purissima cæli essentia animali deo charo terræ simul marisq; recessus abditos ostendi, uidelicet humano generi. Huc accedit etiam pleiadum chorus ex septem stellis absolutus, quarũ emersus & occultationes magnorum commodorum causa fiunt omnibus. his enim occidentibus sulci proscinduntur ad sementem,ortu uero earum instante,lætũ futuræ messis nuncium afferunt. exortę item agricolas gestientes ad comportationem rerum necessariarũ excitant.illi uerò libenter recondunt cibaria, quę mox in quotidianos usus depromant. Sol ipse diei dux,bina quotannis æquinoctia faciens,uere atq; autumno,uernum in ariete,autumnale in libra, euidentissimam probationem exhibet diuinæ maiestatis in septenario. utrunq; enim æquinoctium fit mense septimo:quibus temporibus etiam festa indixit lex duo maxima & celeberrima,quãdoquidem utroq; quicquid terra fert perficitur,uere quidem frumentum & quæcunq; seminamus alia: autumno uerò uitis fructus & plerarumq; aliarum arborum. & quoniam à cælestibus terrena dependent iuxta quendam naturalem consensum, septenarij ratio superne orta,descendit & ad nos,ut mortales inuiseret. Iamprimum nostræ animę,excepta mente rectrice,partes septem sunt, accedente ad quinq; sensus organo uocis, & postrema ui genitali. quæ sanè omnia, sicut fit in miraculosis machinis, à mente tanq; occultis quibusdam neruis trahente, nunc mouentur,nunc sinuntur quiescere,utcunq; motus aut quies competit. Similiter & corporis siquis internas externásue partes examinet,septenas inueniet. in propatulo quidem hasce:caput,pectus,uentrem, manus geminas & pedes: intestinas uerò,stomachum, cor,pulmonem, lienem, iecur, renes duos. item quod regnum obtinet in animante caput, maxime necessarijs instrumentis septem utitur,geminis oculis auribusq;, & totidem naribus, septimoq;

ptimoq; ore, per quod mortalia (ut ait Plato) intrant, exeũt immortalia. Intrant enim id cibi & potus, corruptibilis corporis alimenta corruptibilia: prodeunt autem à ratione immortalis animę immortales leges, per quas rationalis uita regitur. Item quæ per uisum pręstantissimũ omnium sensuum iudicantur, ad eundem numerũ pertinent in genere. Septem enim sunt quę conspiciuntur, corpus, distãtia, figura, magnitudo, color, motus, status, pręterea nihil. Vocis quoq; mutationes uniuersæ cadunt in septenarium, acuta, grauis, circũflexa, quarto loco uox aspera, quinto lenis, sexto longa, breuis septimo. Quin & motus septem esse animaduertuntur, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsumq;, prorsum, retrorsumq;, & in orbem, sicut clarissime liquere potest ex saltationibus. Aiunt insuper excremẽta quoq; corporis subijci modo dicto numero. namq; ex oculis promanant lacrymæ, sicut per ambas nares purgationes capitis. per os item saliuæ quas exspuimus. Insunt etiam geminæ cloacæ per quas deriuantur superfluitates corporum, altera antica, postica altera. Sextum est per totum corpus sudoris profluuium, adhæc naturalissima seminis effusio per membra genitalia. Rursum mulierum fluxus menstruus ad diem ut plurimum septimum durat: & fœtus intra uterum mensibus septem animantur naturaliter, ut quiddam ualde mirandum accidat. Fiunt enim septimestres partus uitales, cum octimestres omnino impossibile sit uiuere. Acuti quoq; morbi corporum, pręsertim cum ex mala temperatura uirium in febres continuas incidimus, septimo fermè die iudicantur. Hic enim in tali de uita certamine, alijs salutem, alijs mortem decernit. Eiusdem numeri uis non solum in iam dictis, uerum etiam in optima quaq; scientiarum uersatur, ut grammatica & musica. Lyra enim septem tenta fidibus, proportione respondens septem erraticarum choreæ, memorabiles harmonias perficit, princeps inter omnia propemodum instrumenta musica. inter elementa quoq; grãmaticæ, uocales quę uerè sic dicuntur, septem sunt, quandoquidem & per se uidentur sonare, & alijs coniunctæ, uoces articulatas efficiunt. nam in semiuocalibus supplent quod deest, reddendo sonos integros. mutarum uerò uertunt & mutãt naturas, afflando eis uirtutes proprias, ut ineffabiles antea, iam fiant effabiles. Quamobrem mihi uidentur primi nominum impositores, quippe sapientes, uocasse hunc numerum ἀπὸ τοῦ σεβασμοῦ, id est ab insita maiestate honestateq;. Romani certe addito sigma quod deest in Græco uocabulo, clarius etiam exprimunt uim etymologicam, SEPTEM eum appellando, à maiestate (ut dictum est) honestateq; ipsius. Hęc aliaq; plura à philosophię studiosis dicuntur de septenario, propter quæ summo honore in natura superna dignatus est. nec minus honoratur apud præcipuos uel Græcos uel Barbaros, qui exercent disciplinam mathematicam: in honore est etiam apud uirtutum amantissimum Mosen, qui eius pulchritudinem inscripsit sacratissimis legis tabulis, eandemq; animis posterorum cunctorum cunctis insculpsit, post sex dies iubens festum agi septimo, ab alijs abstinendo operibus quæcunq; ad quærendum parandumq; uictum attinent, interim uacando uni philosophiæ studio corrigendisq; moribus & examini conscientiæ: quod insitum in anima, tanquam iudex obiurgare non ueretur, alijs inten-

tando minas uehementius, alios admonendo modestius: eos quidem qui sponte sua contumaces sunt, minis territans, eos uerò qui peccant inuiti per imprudentiã, ciuiliter admonens, ne posthac labantur similiter. Deinde per epilogum creationem mundi summatim memorans, inquit propheta: Hic est liber generationis cœli & terræ, quãdo creata sunt, die quo fecit deus cælum & terram, & omne uirgultum agri antequàm orirетur in terra, omnemque herbam agri prius quàm germinaret.] An non manifeste incorporeas & intelligibiles ideas memorat, quibus tanquàm anulis signatorijs exprimi res sensibiles contigit. prius enim quàm terra uirgultũ proderet, ait in rerum natura uirgultum ipsum fuisse, & prius quàm herba in agro existeret, herbam fuisse inuisibilem: subintelligendum autẽ quod & ante singulas res alias quas sensus indicãt, antiquiores effigies mensuræque, quibus effigiantur & metiũtur, iam fuerant. nam etiamsi particulariter percẽsuisset omnia, uir alioqui breuitatis studiosus siquis alius, nihilominus iam dicta pauca hęc essent exempla naturæ uniuersorum, quæ absque incorporeo exemplari nihil in rebus sensibilibus perficit. deinde ordinem sequendo, & obseruando rerũ consequentiam dicit: Fons autem ascendebat è terra, & irrigabat omnem superficiem eius.] Nam alij philosophi uniuersam aquã aiunt esse elementum unum ex quatuor, ex quibus mundus creatus est. sed Moses acrioribus oculis etiam longinqua diligenter contemplari & comprehẽdere solitus, elementũ quidem opinatur esse magnum hoc mare, partem quartam uniuersi, quam posteriores oceanum nominantes, maria quæ nos permeamus ad illum collata habere portuum magnitudinem existimant. dulcem autem aquam & potabilem secreuit à marina, quam terræ attribuit, ratus huius partem non illius, uel ob causam dictam superius, ut tanquam uinculo contineatur dulci qualitate pro glutine insita. arida enim relicta nullo subintrante humore, qui foramina ipsius uaria permearet, fortasse fathisceret. nunc continetur & permanet, partim ui unientis spiritus, partim humore qui non finit arefactam abire in fragmenta maiora minoraque. & hæc quidem una est causa. iam dicenda & altera, à ueritate tanquam scopo non aberrans. Nihil è terra genitum absque humida essentia consistere natura patitur. id semina iacta indicãt: quæ quidem aut humida sunt ut animalium, aut sine humiditate non germinant, qualia sunt stirpium. Vnde liquet necessario dictam humidam essentiam partem esse terræ omnia parientis, sicut mulieres opus habent menstruis. Aiunt enim naturæ perquisitores hanc esse fœtuum essentiam in utero, nec dissentaneum est ab his quæ diximus quod mox dicetur. Cuilibet matri tanquam partem summe necessariam natura scaturientes mammas addidit, præparans alimenta nascituris infantibus. Mater autem etiam terra esse uidetur, quapropter & priscis illis placuit, ut uocaretur δημήτηρ, composito è matre & terra nomine. non enim terra mulierem (ut dixit Plato) sed mulier terram imitatur: quam uere Poetica gens omniparentem, frugiferam, Pandoramque nominare solita est: quippe causam generationis & perpetuitàtis tam stirpium quàm animalium. Merito igitur terræ quoque antiquissimæ matrum, ac fœcundissimæ natura tanquam mammas dedit, amnium fluenta fontiumque, ut stirpes rigen-
tur

tur,& omnia animalia potum copiosum habeant. Post hæc autem inquit: Formauit deus hominem, humo sumpta de terra: & inspirauit in faciem eius spiritum uitę.] Hic quoq; manifestissime docet, plurimum differre inter eum qui nunc formatus est hominem, & eum qui ad imaginem dei factus est antea. Qui enim nunc formatur, sensibilis est, particeps qualitatis, ex corpore constās & anima, uir & mulier, natura mortalis. Ille uero ad imaginem factus, idea quædam aut genus aut signaculum, intelligibilis, incorporeus, nec mas, nec fœmina, naturaliter incorruptibilis: sensibilis autem & specialis hominis structuram compositam esse ait ex terrena essentia & diuino spiritu. Factum enim corpus quidem ex humo quam sumpsit artifex, & formam humanam inde effinxit. anima uero ex nulla omnino re creata, sed ex patre atq; rectore rerum omnium. Nam quod dicit Inspirauit, nihil erat aliud quàm spiritus diuinus è beata illa & felice natura in coloniam hanc missus ad utilitatem nostri generis: ut quamuis mortalis sit iuxta partem conspicuam, saltem iuxta inuisibilem immortalis reddatur. Quamobrem proprie dicere licet, hominem mortalis & immortalis naturæ esse confinium, utriusq; quantum necesse est participem, factumq; mortalem simul & immortalem: mortalem iuxta corpus, iuxta mentem immortalem. Ille autem primus homo terrigena, princeps totius nostri generis, utraque parte præstantissimus & anima & corpore factus mihi uidetur, longeq; posteros suos antecellere utraq; præstantia. hic ipse enim erat re uera pulcher atq; bonus. Coniecturam autem formositatis eius corporis uel ex tribus causis licet capere, quarum prima est hæc. Cùm terra tum recens extitisset secreta ab aquarum mole, quod mare appellatum est, sequebatur ut materia rerum sincera & infucata puraq; esset, ex qua quicquid conficiebatur, merito erat inculpabile. Altera uerò, quia non ex quauis terræ parte humo sumpta uidetur deus hanc humana speciē statuam formare uoluisse summa cum diligentia: sed selecta undequaq; optima, ex pura materia ad id quod inerat purissimum excolasse accurate, quod maxime ad hoc opus aptum erat. Domus enim quædam aut templum sacratum fabricabatur rationali animæ, quam illa diuina imago circumferre debebat. Tertia ne conferēda quidem cum iam dictis. Opifex bonus erat arte quoq; inter cætera, ut singulæ corporis partes & priuatim conuenientibus absoluerentur numeris, & apte in uniuersum cohærerent. Ad eam per omnia quadrantem commensionem accessit & habitudo bona & color appositissimus, ut quàm maxime fieri potest pulcherrimus idem qui primus homo aspiceretur. Quod autem in anima quoq; par inerat præstantia, manifestum est. nullo enim creato exemplari in ea facienda usus uidetur, sed solo (ut diximus) suoipsius uerbo. ideoq; narratur effigiem & imitamentum fuisse hunc hominem inspiratum in faciem, ubi sensus locantur, quibus corpus animauit Opifex. deinde ratione in partem principalem imposita circundedit ei satellitiū, ut colores & sonos, itidemq; sapores atq; uapores & cætera similia tractaret, quæ sine ope sensuum per seipsam percipere non poterat. sequitur autem necessario, omnibus modis pulchri exemplaris pulcherrimā esse imaginem. nam dei uerbum etiam eam quæ in natura est pulchritudinem superat, quippe non

ornatum

ornatum pulchritudine,ſed ipſum ornamentum illius(ſi uera fatenda ſunt) decentiſsimum. Talis mihi uidetur factus primus homo tum corpore tum anima, omnium quotquot ſunt fuerunt'ue præſtantiſsimus. Nos enim ex hominibus gignimur,illum uerò deus condidit.quanto autē melior autor, tanto etiam opus melius:quemadmodū ſanè quicquid uiget,ſeneſcente me lius eſt,ſiue animal,ſiue plāta,ſiue fructus, ſiue aliud quid ex his quę natura cōtinet. itaq; par eſt illum recens creatū hominem robur fuiſſe uniuerſi no- ſtri generis,poſteros uerò eius non ita uiguiſſe,degenerantibus uſq; forma rum & uiriū ſucceſsionibus: quod quidem & in plaſtarū & in pictorum ar te uidi fieri. deteriora enim ſunt quæ exprimuntur ad exemplar propoſitū. quod ſi hæc ipſa imitetur plaſtes pictor'ue,multo magis degenerant:quip- pe longe remota à principio.ſimile quiddā in magnete ſpectatur.nam qui è ferreis annulis ipſum tangit,hæret tenaciſsime:qui uerò hunc deinceps, mi nus. pendent tamen & tertius à ſecundo, & quartus à tertio, & quintus à quarto, & alij ab alijs per longam ſeriem una ui trahente continenteq;, ſed non eodem modo.Semper enim quo longius abſunt à principio laxantur, eo quod remittatur uis attractoria, nec iam pariter aſtringere ualeat. Tale quiddam & humano generi accidiſſe uidetur, per ſingula ſecula ſuccedēti- bus exilioribus & corporis & animę uiribus ac qualitatibus. Quod ſi prin cipem illum noſtrum,non tantum primū hominem, ſed & ſolum mundi ci uē dicamus,dicemus ueriſsime.erat enim domus ei mūdus & ciuitas, haud quaquam manufacta ex modo creata ſaxorum lignorumq; materia, in qua tanquam in patria ſecuriſsime habitabat,alienus ab omni metu, utpote di- gnatus dominatione rerū terreſtriū, & formidādus cæteris mortalibus ani mantibus,ut domino doctis obedire aut coactis:pacateq; uiuebat in iucun ditatibus innocēs. quoniam aūt omnis legitima ciuitas habet inſtituta ſua, neceſſe erat mundi ciues uti inſtitutis cum toto mundo communibus. Ea ſunt recta ratio naturæ,quæ ratio magis proprie cognominatur ius, lex di- uina, ſuum cuiq; ita ut debetur & conuenit tribuens. huius ciuitatis ac rei- publicę oportebat eſſe quoſdam ante hominem ciues, qui merito dici poſ- ſent magnæ urbis ciues,ampliſsima pomœria ſortiti ad habitandum, & aſ- ſcripti in ius ciuitatis maximæ perfectiſsimæq;. hi uerò quinam alij poſsint eſſe, quàm rationales diuinæ naturæ, partim intelligibiles incorporeæq;, partim non ſine corporibus,quales ſtellę ſunt. cum his conuiuendo & col- loquendo, ueriſimiliter in felicitate ſinceriſsima degebat ille cognatus ſum mi regis recens in lucem proditus:qui plenus largiſsimo ſpiritu diuino om nia tum dicere tum facere ſtudebat ad placitum patris regiſq; ſui, ſequens eius uias eiſdem ueſtigijs,quâ uirtutes uiā publicam muniūt: per quas uias ſolis animabus fas eſt incedere,eum finem affectantibus, ut tandem reddan tur genitori deo ſimiles. Atq; ita primi hominis utraq; pulchritudo tā cor- poris quàm animæ, & ſi multo infra ueritatem,certe pro noſtra uirili, quan tum fieri poterat,dicta eſt.Poſteritas autem eiuſdem ideæ particeps, neceſ- ſario tametſi obſcuras, ſeruat tamē adhuc formas cognationis quę ſibi cum patre illo intercedit. cuius nam cognationis? omnis homo iuxta mētem di- uino uerbo eſt cognatus,beatę illius naturæ ſigillum ſiue particula quædā, ſiue

siue splendor & quasi radius: item mundo uniuerso iuxta structuram corporis. est enim contemperatus ex eisdem elemētis, terra, aqua, aere, igne, singulis portionem suam conferentibus ad supplementum materiæ sufficientissime: eam oportebat sumere opificem, ut fabricaret hanc uisibilem imaginem. præterea in omnibus modo dictis regionibus tanquam in domesticis cognatisque uersatur, locum loco mutans, & aliàs aliò se conferēs, ut proprie dicere liceat hominē esse omnia, terrenum, aquaticum, uolucrem, cælestem. quatenus enim habitat & ingreditur in terra, terrestre est animal: quatenus urinatur, natat, & sæpe nauigat, aquaticum. cuius rei testes sunt naucleri, negociatores, purpurarum captatores, cæterorumque conchyliorum atque piscium. quatenus autē sublime in pensilibus degit cœnaculis, merito dici potest aericola. atque insuper cæleste, propter principē inter sensus uisum, quo solem adusque & lunam cæterarumque stellarum tum erraticarū tum fixarum singulas euadit. Perpulchre autem & impositio nominum assignatur primo homini. ad sapientiam enim & regnū pertinet. at ille sapiens est suimet ipse discipulus & doctor per dei gratiam, & insuper rex quoque. Decet autem rectorem ut appellet unumquēque subditorum. eximiam uerò oportet fuisse imperandi uim in primo illo homine, quem accurate formatum deus secūdo post honore dignatus, subpræfectum sibi, rectorem aliarum rerum omnium constituit. quandoquidem etiam tot seculorum posteritas eius, euanescente iam per tam longum spacium genere, nihilominus adhuc brutis dominatur, seruans tanquam scintillam principatus & potentiæ hæreditariæ. Ait igitur scriptura, Omnes animantes à deo adductas ad hominem, ut uideret quas hic appellationes singulis inderet.] non quòd dubitaret. ignotum enim deo nihil, sed sibi conscius quòd rationalem in mortali naturam fecerit suapte ui mobilem, ne ipse esset uitij particeps. itaque periculum faciebat iam noti tanquam præceptor, insitum ei habitū excitans, & ad contemplationem operum suorum prouocans, ut eis ex tempore nomina imponeret, nec impropria nec inconuenientia, sed diserte rerum proprietates exprimentia. cum enim rationalis natura etiamtum pura maneret in anima, nullo turbante languore, aut morbo, aut affectu, purisque uteretur tam corporum quàm rerum imaginationibus, non aberrabat à uero dum nomina eis inderet, apposite significatis applicando, ut ad primum uocabuli sonum mox natura cuiusque intelligeretur. tantum omnigenarum uirtutum inerat homini, contendenti ad ipsum finem humanæ felicitatis. Verum quia nihil est in rebus genitis firmum, sed omnia mortalia necessarias mutationes admittunt, oportebat & primum hominem experiri aliquam infelicitatem. ut autem obnoxius uiueret, occasio fuit mulier. donec enim solus erat, similitudine referebat creatum mundum & deum, gestans utriusque naturæ formas expressas in anima, non omnes, sed quotquot earum mortalis ipsa capere poterat. ubi uerò formata est & mulier, cōspicatus germanam speciem, & cognatam formam, gauisus eo spectaculo, & accedens eam complexus est. at illa cùm nullum animal uideret sibi similius, libenter eum resalutauit, & reuerenter. deinde superueniens amor, tanquam unius animalis duo dimidia prius distantia collecta tunc in unum coaptauit,

indita

indita utrincp cupidine gignendi similem prolem per mutuam consuetudinem.ea cupido etiam corporũ uoluptatem peperit. Vnde est origo iniquitatum pręuaricationumcp omnium: quando talis uoluptas mutauit mortalem & infelicem uitam beata immortalicp. Viro autem adhuc solitariam uitam degẽte,necdum formata muliere,paradisus à deo plantatus dicitur, nostris his nequacp similis. nostrorũ enim inanimata sylua est,arboribus plena omnigenis, alijs semper uirentibus ad amœnitatem perpetuam, alijs primo uere pubescẽtibus ac germinãtibus. rursum alijs mites fructus in usum humanum ferentibus,non modo ad necessitatem, sed & ad superfluas uoluptates uitæ delicatioris: alijs dissimilem, qui necessario feris relinquitur. at dei paradisus animatas omnes arbores habet rationecp præditas, quarũ fructus uirtutes sunt & incorruptus intellectus atcp sagacitas, quid turpe sit,quid honestum,dijudicans.adhæc uita sana & incorruptibilitas,& quicquid est simile.hæc autem philosophia per similitudines magis quàm propriè loqui uidetur.arbores enim in terra nec unquã prius natæ sunt, nec nasciturас est credibile, uitæ aut intellectus feraces. sed ut puto subindicatur, per paradisum quidem principalis uis animæ, quę est plena ceu plantis,innumeris opinionibus:per arborem autem uitę,pietas inter omnes uirtutes eminentissima,per quã immortalis redditur anima: sicut per dignotionem boni malicp arbitra prudentia, quæ discernit res naturaliter contrarias. his ceu terminis in anima positis, deus tanquam iudex considerabat utrò esset propensior:& postquam uidit eam uergere ad calliditatem,sanctitate pietatecp posthabita,ex quibus immortalis uita prouenit,merito eiecit pulsam è paradiso in exilium,pręcisa omni spe reditus,propter eius erratum difficile sanatu & incurabile:quandoquidem etiam deceptionis occasio nõ mediocriter fuit culpabilis,non dissimulanda hoc loco per silentium. Fertur antiquum illum ueneficum & terrigenam serpẽtem humana uoce usum esse. is olim conditi ante omnes uiri uxorem aggressus, opprobrauit ei stupiditatem & numinis reuerentiam nimiam, quòd cunctando procrastinaret carpere fructum aspectu speciosissimũ omnium,gustu uerò suauissimum: adhæc utilissimum, quippe cui uis insit dignoscendi bona & mala. ibi mulier propter mentis inconstantiam inconsiderate assentiens, gustatum pomum uiro communicauit. itacp ambo repente ex innocentia simplicitatecp morum,in calliditatẽ mutati sunt.Id indigne ferens ille pater (merebatur enim iram facinus,quandoquidem neglecta uitæ immortalis arbore,hoc est uirtute absolutissima,unde longæuam ac beatã uitam carpere potuerant, breuem mortalemcp,non dico uitã,sed tempus ærumnosum prætulerant)pœnæ meritæ sententiam eis intulit. Sunt autem hæc non figmenta fabulosa, qualibus poetæ ludunt & sophistæ, sed figurata documenta, ad allegoriæ scrutationem inuitantia per latentes cõiecturas. quas si quis sequatur ut decet,serpentem haud absurde uoluptatem subindicare interpretabitur: primum quia pedibus carens pronus uentre nititur: deinde quia terræ glebis pro cibo utitur:tertio, quia uenenum gestat in dentibus, quo solet morsos tollere.Quibus omnib.malis obnoxius est homo uoluptati deditus:quippe qui ægrè caput attollit, grauatus depressuscp, subuertente supplantante-

tecp

teq; ipsum intemperantia. Vescitur quoq; non cibis cælestibus, quos sapiẽtia uiris contẽplatiuis per sermones & opiniones porrigit: sed his qui quotannis è terra proueniunt: unde ortæ ebrietates & cupedinarij gulosiq; appetitus uentris, postquam auctæ totũ hominem dediderũt huiusmodi studio, ea quoq; quæ sub uentre sunt excitant, & in furores quosdam erumpere faciunt. qui enim coquorum & popinariorum laborem abligouriunt, attacti caput nidoribus ex condimentis exhalantibus, participes huius turpitudinis fieri cupiunt. & ubi quis sumptuosam mensam uiderit, toto corpore in apposita irruit, datq; operam ut expleatur omnibus, hoc solum spectãs, ut nihil è tanto apparatu sinat reliquum. Quamobrem nõ minus quàm serpens in suis dentibus uenenum circumfert. hi sunt enim insatiabilitatis ministri & operarij, nihil non ad cibum secantes conterentesq;: qui primò linguæ diiudicandos sapores offerant, deinde gulæ. Est autem immoderata ciborum congestio lethifera naturaliter & uenefica, utpote concoctionẽ præ multitudine non admittentibus quæ ingesta sunt, quando addũtur alia super alia priusquam priora digesta sint. Vocem autem humanam serpẽs emisisse dicitur, quia plurimos sui studiosos propugnatoresq; uoluptas habet: qui defensione huius suscepta, nouam audent afferre doctrinam, tribuẽtes ei potentiã in rebus omnibus magnis ac paruis absq; ulla exceptione. quando & primi maris fœminæq; congressus sequestram habent uoluptatem, & geniture absq; hac non perficiuntur. tum quæ genita sunt nullius prius consuetudinem affectant quàm huius, quippe gaudentia uoluptate, cõtrarium uerò huic dolorem ægre ferentia. quapropter plorat infans recens editus, nimirũ dolens propter frigus. nam è calidissimo loco uuluæ, in qua longo tempore habitauerat, progressus repente in aerem frigidum & insuetum sibi, uelut ictus eo sentit, doloris ac uexationis manifestissimũ fletu prębens indicium. festinat enim, ut aiunt, ad uoluptatem, tanquam ad maxime necessarium & cuncta complectentem finem omne animal, præcipue homo. Nam reliqua per solum gustum & genitalia frui hac expetunt, homo per alios quoq; sensus, quicquid spectãtu audituq; delectare potest consectans auribus atq; oculis. Quin & alia dicuntur in laudẽ huius affectus plurima, & quòd sit animalibus familiarissimus atq; cognatissimus. Verum satis sint exempli causa iam dicta, propter quæ humanam uocem serpẽs emisisse uisus est. ideo, ut puto, Moses etiã in legibus quas priuatim scripsit de animalibus quæ sint cibis apta, quæ non, maxime laudat eum qui uocatur ophiomachus. Est autem reptile subnixum longis cruribus, quibus à terra pro ingenio suo prosilit & sublime fertur, quemadmodum cætera locustarum genera. nam hic ophiomachus nihil aliud mihi esse uidetur, quàm temperantiæ symbolum, quæ implacabile absq; ullis inducijs bellum gerit cũ uoluptate atq; intemperantia. altera enim frugalitatem, parsimoniam, sola necessaria, subrigidam honestamq; uitam eximie complectitur: altera operositatem sumptuositatemq;, quæ lauticias deliciasq; afferunt animæ atq; corpori, & uitam reddunt obnoxiam, morte molestiorem his qui rectè sapiunt. Cæterum uoluptas suas præstigias ac fraudes uiro non audet admoliri, sed fœminæ, & per hãc illi, idq; admodũ apposite efficaciterq;. in nobis

enim quasi uir est mens, sensus quasi fœmina. Voluptas uero prius appellat pertentatq; sensus, per quos id quod principale est mentem illicit. Postquã enim singuli sensus eius ueneficijs subiecti fuerint, adlubescentes his quę offeruntur, coloribus figurisq; uarijs uisus, uocum concẽtibus auditus, saporum suauitatibus gustus, exhalantium uaporum fragrantiæ odoratus, acceptis his donis tanquam famuli afferũt ea ueluti dominæ ratiocinationi, aduocatam adhibendo suadelam, ne repulsam ulla in re patiantur. Ratio porrò inescata, iãq; ex regina facta subdita, & serua ex domina, & exul ex ciue, mortalis fit quæ immortalis antea fuerat. Omnino eñ scire oportet, quod uoluptas tanquam lasciua meretricula amatorem appetit, quærẽs stupri cõciliatores per quos illum ceu hamo capiat. sunt autẽ huius cupidinis sequestri sensus, quos postq; inescarit, facile mentẽ subiugat: quę res externas intrò admittat, illis internuncijs & ostentantibus singularũ formas, & ei suũ affectum imprimẽtibus. nam ceræ similis, recipit per sensus imaginationes, quibus apprehẽdit corpora, quod per seipsam nõ ualet, ut ante dixi. Continuo autem mercedem uoluptatis habuerunt, qui primi sese in seruitutem dediderunt molesto huic morbo & insanabili: mulier quidem uehementes dolores parturitionis, & in reliqua uita continuas tristitias, præsertim in gignendis educandisq; liberis, ægrotis sanisq;, in prosperitate & aduersitate degẽtibus, quominus libertate frueretur, uitæ socium agnoscens pro dño, cuius mandata exequi necesse habeat. uiro item pro parte sua labores exãtlandi sunt propositi, sudoresq; cõtinui, ut acquireret necessaria uictui. præterea mulctatur ubertate terræ spontanea, quæ prius absq; agricolæ opera arteq; fertilitatẽ didicerat: iam uero inexhaustis laboribus succurrẽdum est inopię, ne fames internecionẽ afferat. Opinor enim quemadmodũ sol & luna perpetuo lucẽ ministrant semel iussi in rerum primordio, & diuinũ mandatũ indesinenter faciunt, non ob aliam causam q̃ quia malicia procul terminis cæli exulat. eodẽ modo terræ quoq; latifundia frugifera sine arte curaq; agricolarũ latura fuisse ingẽtes rerũ copias annuis prouentibus. nunc autem perennes illi fontes dei gratiarũ retenti sunt, postq; cœperunt uitia maiores q̃ uirtus profectus facere, ne in indignos profunderetur beneficẽtia. Itaq; debuerat humanũ genus, si pœna par culpæ luẽda esset, omnino deleri propter tantã erga benefactorẽ seruatorẽq; deũ ingratitudinẽ. at ille suopte ingenio clemẽs, miseratione uindictã moderatus est, genus quidẽ manere sinens, uictũ aũt non æque ut antea præbens, ne duobus malis accedentibus, ocio saturitateq; proni ad uim & peccatũ fierent. Talis erat uita innocẽter ab initio simpliciterq; uiuentiũ: talis item postq; uirtutẽ posthabuerunt uitijs, à quibus abstinendũ est. Licet porrò ex superiore de mundo cõdito narratione alia quoq; multa nos discere, præcipue quinq; res omnium pulcherrimas & optimas. primum, esse & præesse numen, ne nos fallant impij: quorũ alij dubitarunt, ambigendo an sit: alij uerò his audaciores perfricta fronte negauerunt esse, sed uerbis tantũmodo celebrari ab hominibus per figmenta fabularũ ueritatem adũbrantibus. Secundo, deũ unũ esse, ne fallamur à multorũ deorũ assertoribus: quos non pudet deterrimã reipub. speciem ex terra in cælum transferre uulgi potẽtiam. Tertiò (sicut iam dictum est)

est)mundum esse factum, aduersus eorum opinionē qui eum infectum sempiternumq́; esse contendunt, nihil deo tribuentes amplius. Quartò, hunc ipsum creatum mundum esse unum, quādo & unus eius opifex est, qui hac unitate opus suū simile sibi reddidit, ad cuius uniuersi perfectionē usus est omni essentia. integrum enim non esset, nisi compactum & constitutū fuisset ex omnibus partibus. nam non desunt qui credant plures mundos esse, quidam etiam infinitos, ipsi carentes fine modoq́; ignorantiæ, & ad ueritatem indociles: quos nosse cauereq́; bonum est. Quintò, præesse mundo dei prouidentiam. semper enim autor curam gerit operis sui, communi necessariaq́; lege naturæ: quemadmodum & parentes curant suam progeniē. Hæc quicunq; non tam auribus quàm cogitatione mature perceperit, & in animum suum mirandas, omniq́; studio petendas, species impresserit: Esse deū præesseq́; rebus, & hunc unum esse qui uere sit, & ab ipso mundum conditum credi oportere, eumq́; (ut dictum est) unicum, hac unitate autori suo similem: postremo nunquam non gubernari eum ab opifice suo: is beatā felicemq́; uitam acturus est, decretis pietatis diuinis formatus.

PHILONIS IVDAEI, SACRAE LEGIS ALLEGORIARVM POST SEX DIERVM OPVS LIBER I.



T perfecti sunt cæli & omnis eorū militia. Postquā de mentis sensusq́; generatione dudum dixit, nūc ex utroq; perfectionem mandat literis. Sed neq; mentē indiuiduam, neq; sensum particularem perfectū esse ait, uerum ideas: alteram mentis, alteram sensus. Tecte quidem mentem cælum, quoniam intelligibiles in eo sunt naturæ, uocat: sensum uerò terrā, quia constitutionem corpori similem & fermè terrenam sensus sortitus est. Ornant autem mentem quidem intelligibilia incorporeaq́; omnia: sensum uero corporea & quęcunq; sensibilia. Et cōpleuit deus die sexto opus suum quod fecerat.] Rusticanæ simplicitatis est putare, sex diebus, aut utiq; certo tempore mundum conditum: quia totus mundus uicissitudo est dierum ac noctium, quā solis motus super terram sub terraq́; meantis necessario conficit. Sol autem pars cæli censetur, ut fatendum sit tēpus posterius mundo esse, quippe quod mūdi est effectus. nam cæli motus indicauit naturam temporis. Ergo cum audis: Compleuit sexto die opera, intelligere non debes de diebus aliquot, sed de senario perfecto numero, quia primus in tres partes æquales diuiditur, dimidiam, tertiam, sextam, & ex æquilateris duobus cōstat, bis tribus. binarius quidem & ternarius excedunt iuxta corpus æqualitatem: alter materiæ imago, quæ diuiditur secaturq́; tanquam mortalis, alter uerò solidi corporis, quod iuxta triplicem dimensionem potest diuidi. quin & organicorum animaliū motibus cognatus est. sic enim organicum corpus natū est ut suopte ingenio moueri queat

prorſum,retrorſum,ſurſum,deorſum,dextrorſum ſiniſtrorſum'ue. Vult igitur indicare propheta, tum mortalia, tū incorruptibilia genera ex proprijs conſtitiſſe numeris,mortalia(ut dixi)ſenario metiēs, beata uero & felicia ſeptenario.Primū igitur ſeptimo die requieſcēs à mortalibus operibus, alias diuiniores formationes incipit. nunq̄ enim deus operari deſinit: ſed ſicut propriū ignis eſt urere,& niuis refrigerare:ita dei quoq; operari: idq; multo magis,eo quod ipſe alijs etiā rebus omnibus operādi autor eſt.Recte ſane dicitur Quieſcere fecit,nō Quieuit. quieſcūt enim quæ uidētur operari, ipſa nō agentia.at factor ille nō quieſcit.ideo ſubinfertur, Quieſcere fecit quæ exorſus eſt.]Quæcunq; enim noſtris artibus fabricātur,ea ſemel abſoluta ſtant manētq;.at quę deus perficit ſua ſciētia,mouētur denuo. fines eīm eorum,aliorū ſunt principia:ut diei finis,noctis initiū.menſes quoq; & annos deſinētes,initia ſequentiū cogitare debemus.itidē dum alia corrūpuntur,gignūtur alia:& dū alia gignuntur,corrūpuntur alia:ut uerè dictum ſit, perire nihil eorū quæ generata ſunt.ſed aliud accedens ad aliud, aliā formā repræſentat. gaudet aut natura ſeptenario. erraticæ ſeptē ſunt, in contrariū nitētes quotidiano cæli curſui.urſa ſeptē ſtellis cōpletur,commerciorū,cōſociationis hoſpitalitatiſq; hominū cauſa præcipua. mutationes quoq; lunæ ſingulis ſeptimanis fiunt,ſideris rebus terreſtribus familiariſſimi: quod quaſcūq; in aere mutationes operatur, maxime iuxta ſuas hebdomadarias figuratiões efficit.mortalia certe(ut dixi)omnia quæ diuinius principiū cælitus ſibi cōtrahunt,iuxta ſeptenariū mouētur ſalutariter. Quis enim neſcit infantiū ſeptimeſtriū felices partus:ſi uero tēpus uteri producatur in menſem octauū,pleroſq; omnes infelices? rationē quoq; aiūt in homine abſolui primo ſeptēnio,quādo iam idoneus eſt interpres uſitatorū nominū ac uerborū,rationalem habitudinē ſibi cōparans:item ſequenti ſeptennio ad ſummam perfectionē peruenire,nimirū ad potentiā progignēdi ſui ſimilem: id quod accidit circiter annū ætatis quartumdecimum. tertium deinde ſeptennium incrementi finis eſt. nam uſq; primū ſupra uigeſimū annum augetur proceritas hominis:quod tempus à multis uocatur ætatis maturitas.animæ quidē bruta pars ſeptifariā diuiditur,in quinq; ſenſus, & uocis inſtrumentum,& genitalē uim ſuis membris inſitā.Item corporū motus ſeptem ſunt, ſex pro ratione membrorū,in orbē ſeptimus.ſeptē itē interiora uiſcera,ſtomachus,cor,lien,iecur,pulmo,renes gemini.totidē quoq; membra corporis,caput,ceruix,pectus,manus,uēter, inguen, pedes. certe principalis pars hominis ſeptē habet foramina,oculos duos,totidem aures nareſq;,os ſeptimum.ſeptē ſunt & excrementa,lacryma,mucus,ſaliua,genitura, quæq; per geminas corporis cloacas deriuantur,ſudorq; totius corporis.in morbis ſanè ſeptimus dies maxime iudicat: & mulieribus mēſtruæ purgationes uſq; ſeptimū diem protenduntur. quin & ad utiliſſimas artes uis huius numeri peruenit,ſcilicet grāmaticam & muſicā: quādoquidē in grāmatica uocales optimæ elementorū potentiſſimæq; ſeptē ſunt: & in muſica lyra chordarū ſeptē,præſtantiſſima eſt inſtrumentorū ferme omniū:quoniam harmoniarū ratio,quę quidē in melico genere pulcherrima eſt,in hac cōſideratur maxime.tonorū quoq; ſeptē ſunt diſcrimina,acutus,grauis,circūflexus, aſper,

tenuis,

tenuis,lõgus,breuis.& primus numerus nascitur ex perfecto,id est senario, & unitate.prӕterea iuxta quandã rationem qui intra denarium sunt numeri,aut gignunt eos qui sunt intra denariũ,aut gignuntur ab eis,aut utrunq;. at septenarius nec gignit ullum eorum nec gignitur à quoquã, quapropter in suis fabulis Pythagorici eum semper uirgini sine matre natӕ assimilant, quia & illa nec partu est edita,nec unq̃ pariet.Itaq; quiescere fecit diẽ septimũ ab operibus suis quӕ fecit.]Id aũt sic intelligendũ,mortalia genera tum deus cessat fingere,cũ incipit facere diuina, & septenarij naturӕ familiaria. id ad mores pertinet hoc modo: quando in animã subintrauerit illud iuxta septenariũ uerbum sanctum,cõpescitur senarius, & quicquid occupatũ uidetur in faciendis hisce rebus mortalibus. Et benedixit deus diẽ septimũ, & sanctificauit eum.] Mores qui iuxta septimã uereq; diuinam lucem facti sunt,benedicit deus,moxq; sanctificat. summa enim cognatiõe benedictus sancto iungitur.ideo de illo qui magnum uotũ uouit scriptura dicit, quod si mutatio repentina polluerit eius mentem,non erit sanctus. Cęterum dies priores merito irrationales sunt.irratiõalis est enim quiuis nõ sanctus mos. ideoq; qui benedictus sanctus.Recte igitur dictum,quod septimũ benedixit simul & sanctificauit,quia in eo cessauit ab omnibus operibus suis quӕ cœpit deus facere.] Causa redditur ob quã benedictus sanctusq; factus sit, qui iuxta septimã perfectamq; lucẽ degit, quãdoquidẽ in hac natura quiescit mortalium cõstitutio.ita enim se res habet.postq̃ splendor uirtutis exortus fuerit,clarus reuera diuinusq;,cessare facit generationẽ naturӕ cõtrariӕ.docuimus aũt quod deus facere non cessat,sed aliarum rerũ generationem aggreditur,quippe non opifex modo,uerum & pater rerum conditarum. Hic est liber generationis cӕli & terrӕ,quãdo creata sunt.] Hęc quӕ iuxta septenarium mouetur perfecta ratio,principiũ est tum ordinati iuxta ideas intellectus, tũ generationis intelligibilis rerum iuxta ideas ordinatarum:uel ut proprie loquar ad sensum pertinentium . Librum aũt uocat dei uerbũ,in quo inscriptӕ insculptӕq; habentur cęterarum rerũ substãtię.Ne aũt suspiceris intra certa tẽporis spatia numen facere aliquid,sed ignota,incerta,inscrutabilia , incõprehensibilia humano generi esse eius opera,subinfert has uoces,Quãdo creata sunt,nõ definiens diserte quandonã . Incircũscripte enim fit quicquid ab hac causa fit,atq; ita negatur hoc uniuersum intra sex dies conditum. Die quo fecit deus cӕlum & terrã, & omne uirens agri anteq̃ oriretur in terra,omnẽq; herbam agri prius q̃ germinaret . Nõ enim pluerat deus super terrã , & homo nõ erat qui operaretur terrã.] Diẽ hunc superius librum dixit,siquidẽ utrobiq; cӕli & terrӕ describit generationẽ.nã illustrissimo splendidissimoq; suo uerbo , uno edicto deus utrũq; creat,& ideã intellectus,quã figurate cęlum uocauit:& ideam sensus,quam significauit terrӕ nomine . Duobus autẽ agris assimilat ideã intellectus & ideã sensus.intellectus enim fructus sunt quӕ intelliguntur : sicut sensus ea quӕ sentiuntur.Quod autẽ dicit tale est.sicut particulari indiuiduoq; intellectu prior est quӕdã idea tanq̃ archetypum huius exẽplar:itẽ particularis sensus alia,ad exprimẽdas formas uicẽ signaculi obtinẽs:ita prius q̃ fierent indiuidua intelligibilia,erat idipsum intelligibile, ob cuius participationẽ

cætera quoq; sic nominantur. Virens quidē agri, intelligibile dixit mentis. sicut enim in agro uirentia germinãt florentq;, ita mentis germen est intelligibile. itaq; prius q̄ indiuiduum intelligibile crearetur, illud ipsum intelligibile absolutum erat, generale iã tum uniuersaleq;, quippe cōpletum. Et oēm, inquit, herbā agri prius q̄ germinaret] id est, prius q̄ germinarent indiuidua sensibilia, iam erat generale sensibile per creatoris prouidentiã. Hic quoq; addidit Omnē. decēter sane sensibile cōtulit cum herba, quia animæ parti brutę sorte obuenit. alioqui cur supra dixit, uirens agri & oēm herbā, ac si herba nequaq; uireret? sed uirens agri est intelligibile mentis germen: herba uero sensibile, ipsum quoq; germen brutæ partis animæ. Nō enim pluerat deus super terrā, & homo nō erat qui operaretur terrā.] Valde naturaliter. nisi enim deus pluerit super sensum perceptiones subiectorum, ne intellectus quidem circa sensum operabitur & occupabitur. Cum eñ ipse ex seipso, nō sit idoneus ad irrorãdos uisui colores, uoces auditui, gustui sapores, cæterisq; sua perinde subiecta sensibus, q̄ primum deus sensibilibus sensum rigare cœperit, mox intellectus tanq; uberrimæ terræ cultor pręsto est. at idea sensus, quæ figurate uocatur pluuia, nullo alimento indiget, sed alimentum sensuum sunt indiuidua sensibilia, quæ utiq; corpora sunt. idea aūt aliud q̄ corpus est. cæterum prius q̄ existerent indiuidua, non pluerat deus super ideā sensus, quæ terra hic nominatur, hoc est nullum alimētum ei præbuit. nã ea nullo prorsus opus habebat sensibili. quod aūt sequitur: Et homo nō erat qui operaretur terrã, idem est quod: idea intellectus ideã sensus nō exercebat. mens enim eiusq; intellectus exercet sensum per sensibilia. intellectus autem idea, prius q̄ ullum existat indiuiduum illi familiare corpus, nō exercet ideã sensus. si enim exerceret, exerceret per sensibilia. nã in ideis nihil est sensibile. Fons autem ascendebat de terra, & irrigabat eius faciem.] Hic intellectum dicit terræ fontem, sensus uero faciem eius. hunc enim locum ex uniuerso corpore ad exercendas ideas aptissimum, natura omnia prouidens eis attribuit. Fōtis autem modo intellectus sensum queq; irrigat, immittens riuos conuenientes singulis. & uide quomodo analytica ratione potentiæ animalis inuicem cōnexæ sunt. cum enim tria sint, intellectus, sensus & sensibile, medius est sensus, utramq; autem extremitatem occupant intellectus & sensibile. atqui ne intellectus quidem potest operari, hoc est exercere se per sensum. nisi autem deus pluerit & rigarit sensibile, ne complutæ quidem rei sensibilis ulla est utilitas, ni terræ modo intellectus extendens se usq; sensum, mouerit eum quiescentem, & adduxerit ad subiecti sui comprehensionem. itaq; intellectus & sensibile semper par pari referre conantur, hoc quidem subiectum sensui tanquam materia: ille uero mouens sensum ad externa tanquam artifex, ut fiat impetus. animal enim non animali præstat rebus duabus, imaginatione & impetu. imaginatio fit progresso intellectu per sensum ad extera: impetus uero imaginationis germanus per intellectus uim intensiuam, quam intendens per sensum attingit subiectum, & accedit ad id, cupiens comprehendere. Et finxit deus hominem de humo terræ, & inspirauit in faciem eius spiritum uitæ: & factus est homo in animam uiuētem.] Duplex hominum genus. alter est cælestis, terre-

terrestris alter. cœlestis quidem, utpote ad imaginē dei factus, expers corruptibilis & in totū terrenæ essentiæ. terrestris uero è seminali materia, quam humū uocat, compactus est. ideo cælestem nón fictum dicit, sed formatum ad imaginem. terrestre uero figmentū, irrationalis progeniem esse artificis. ceterū homo terreus accipiendus est intellectus qui inseritur corpori, nondum ei concretus. is terrenus reuera est & corruptibilis, nisi quod deus inspirauit illi uim ueræ uitæ. ac tum demū fit iam, non amplius fingitur, in animam non ociosam & ignauam, sed intelligentem uerecę uiuētem. ait enim, In animam uiuentem factus est homo. Quęrat aliquis, cur deus terrigenam & corpori addictam mentē spiritu diuino dignatus sit, & non potius illam iuxta ideam factam & iuxta imaginem ipsius dei. Secūdo quid sit quod dicit Inspirauit. Tertio, quam ob rem in faciem inspirat. Quarto, quanobrem utatur spiritus uocabulo: num ita, sicut quando dicit: Et spiritus dei ferebatur super aquam: flatus nūc, non spiritus fit mentio. Ad primum respondendum, primo, quod benignus cùm sit deus, largitur bona omnibus etiā non perfectis, inuitans eos ut æmulatores uirtutis atcę participes fiant, ostenstanscę immensas suas diuitias, quod sufficiant etiam his qui non magnā utilitatem inde capiunt. Hoc autem etiam alijs rebus declarat manifestissimè. Quoties enim pluit in mare, fontes producit in locis desertissimis, tenuē & asperam sterilemcę terram rigat inūdans fluminibus, quid aliud exhibet cę nimietatem diuitiarum benignitatiscę suæ. Eadem est causa, ob quam nullam animam sterilem boni creauit, quāuis sint quędam quibus hoc est inutile. Altera responsio commendat diuinam iustitiam. Inspiratus aliquis uera uita, sed uirtutis expers, puniendus propter peccata, inique secum iniustecę agi diceret, quandoquidem per ignorantiam boni prolapsus sit in ea. Esse autem in causa ipsum, qui nullam ei mentem inspirasset. & forsitan negaret omnino se peccasse, siquidem quæ ab imprudentibus fiunt, ne in peccatorum quidem rationem competere quidam asseuerāt. hæc quidem uox Inspirauit, idem ualet quod afflauit animauitcę inanima. absit enim ut putemus deum oris aut narium instrumentis usum ad inspirādum. expers enim qualitatis deus, tantum abest à forma humana. quin & aliud naturæ arcanum hæ uoces proferunt. Triā enim hic requiruntur, quod inspirat, quod inspirationem capit, & quod ex inspiratione accipitur. Deus inspirat, mens inspirationem capit, spiritus ex inspiratione accipitur. quid ergo ex his colligitur? unitio fit horum trium, porrigente deo à seipso manantem uim per medium spiritum uscę subiectū: ad quid aliud nisi ut cogitatione percipiamus eum? alioqui quomodo anima deum intellexisset, nisi ipse inspirando attigisset eam quātum fieri potuit? nec enim ausa fuisset humana mens tam alte ascendere, ut attentaret dei naturam, ni deus ipse trahendo subleuasset eam ad seipsum, quatenus fas erat humanū intellectum subleuari. Quin & formauit eum pro ipsius uiribus. Cæterum faciem inspirat naturaliter & moraliter. naturaliter, quia in facie sensus creabat: quæ pars corporis maxime animata est & inspirata. moraliter sic: quemadmodum principalis pars corporis est facies, ita animæ pars principalis est mens. hanc solam inspirat deus, alias hoc honore non dignatur, sensum, ratiocinationem, gignendicę

uim. nam hæ secundum locũ obtinent. à quo igitur hæ quoq; inspirantur? Dubio procul à mente. Quicquid enim hæc accipit à deo, brutis animę partibus communicat. quo fit ut mens animetur à deo, brutum uero quod inest animæ, à mente. Est enim mens tanquam deus partis brutæ, & ideo Mosem quoq; scriptura non grauatur deum Pharaonis dicere. Nam quę fiunt, partim à deo & per ipsum fiunt: sicut procedente contextu legetur, Plantauit deus paradisum. inter ea mens cēsetur. Bruta uerò pars à deo quidem facta est, non autem per deum, sed per rationalem partē præsidentem regnantemq; in anima. Spiritũ porrò non flatum dixit, quasi intersit aliquid. Nam in spiritu intelligimus robur, tenorem, & uim: flatus tãquam aura quædam est & exhalatio lenis ac sedata. Quapropter mens facta ad ideam & imaginem, dici potest cōmunicare cum spiritu. robur enim hic intelligitur. procedens autem à materia leuiore, aura dicitur exhalatioq;. qualis fit ex aromatibus: quæ asseruata uel sine suffitu emittunt quandam fragrantiam. Et plantauit deus paradisum in Edem ad orientē, & posuit ibi hominem quem finxerat.] Diuinam & cælestem illam sapientiam cum nominasset multis nominibus, & uarias appellationes eam habere ostendisset, ut quam principium & imaginem & uisionem dei uocauit: nũc eius tanquam exemplaris imitamentum terrenam sapientiam insinuat per paradisi plantationem. absit enim ut tanta rationem nostram inuadat impietas, ut suspicemur deum plantare et terram colere. cur enim id faceret, statim occurrit dubitatio. non enim ut amœnos secessus & uoluptates sibi quæreret, quę fabulositas ne in cogitationem quidem admittenda est. nam deo ne totus quidem mundus dignum esset domicilium: qui sibi ipse locus est, & ipse seipso plenus sibiq; sufficiens, cum deus alienam indigentiam, solitudinē inanitatemq; impleat & contineat, ipse uero à nullo alio contineatur, utpote unus & totum ipse ens. ergo terrenã uirtutem seminat ac plantat deus humano generi, quæ sit imago effigiesq; cælestis uirtutis. miseratus enim nostrum genus, & conspicatus id plurimis refertum uitijs, auxiliatricem & depultricem animæ morborum uirtutem terrenã radicauit, ad imitationem formamq; cęlestis exemplaris, eamq; nō uno uocat nomine. Paradisus certe figurate dicitur uirtus. locus autem proprius paradiso Edem, id est delicię. uirtuti autem conuenit pax, uoluptas, gaudium, in quibus sunt ueræ deliciæ. quin & ad orientē est huius paradisi plãtatio. nam nec occidit nec extinguitur, sed perpetuo sua pte natura lux eius oritur: et ut puto, sicut sol exortus caliginosum aerem replet luce: sic etiam uirtus exorta in anima caliginē eius illustrat, & multum tenebrarum discutit. Et posuit, inquit, ibi hominem quem finxerat.] Cum enim bonus sit deus, & ad uirtutem tanq; peculiare suum opus, exerceat genus nostrum, mentem collocat in uirtute, uidelicet ut nihil aliud q; hanc colat curetq; ceu bonus agricola. Quęrat hic aliquis, quare cum fas piumq; sit imitari opera dei, ego uetor plantare lucũ apud sacrarium, deus autem plantat paradisum? ait enim lex: Non plãtabis tibi ipse lucum, omnem arborem apud sacrarium dei tui non facies tibi ipse. quid igitur dicendũ? Decens esse deo plantare & ædificare uirtutes in anima. mens autem sui amãs & impia, uolens uideri ęqualis deo, dum se facere putat, reuera patitur. cęterum cum

deus

deus ſeminat & plantat in anima quicquid honeſtum eſt, mens ſi dicat, ego planto, impie facit. nō plantabis igitur quādo deus plantat. quod ſi & plantas in anima poſueris, ô anime, fructiferas planta omnes, & non lucum. In luco enim tam ſylueſtres quàm mites ſunt arbores. uitium autem ſterile in anima cum miti fructiferaq́ȝ plantare uirtute, lepræ eſt biformis & cōfuſę proprium. ſi tamen ea quæ miſceri non debent in unum coegeris, ſepara ſecerneq́ȝ à pura & incontaminata natura, quæ ſolet offerre deo res irreprehenſibiles. hęc autem eſt ſacrarium. ab hoc enim alienū eſt, dicere opus aliquod eſſe animę, cùm ad deum referātur omnia, & permiſcere fructifera infructiferis. reprehendendum enim hoc: tu offer deo res irreprehenſibiles, ergo ſi quid in his præuaricata fueris ô anima, teipſa lędes, non deum. ideo dicitur, Non plātabis tibiĳpſe. deo enim nemo operatur, pręſertim uilia. moxq́ȝ additur, Nō facies tibiĳpſe. dicit autem & alibi ſcriptura, Non facietis mecum deos argenteos, & deos aureos nō facietis uobiſipſi. quiſquis enim uel qualitatem putat habere deum, uel non unum eſſe, uel non ingenitum & incorruptibilem, uel non immutabilem, ſibiĳpſe iniuriam facit non deo. & quiſquis aliter ſentit, ſuam ipſe animam implet opinione falſa & impia. non uides quod etiamſi nos inducat in uirtutem, & inducti plantemus, nihil quidem infructiferum, ſed omnem arborem cibo utilem, iubet tamen purgare præputium: id autē eſt, uideri plantare. eam arrogantiā abſcidere præcipit. nam impura eſt naturaliter. Hunc recēs fictum hominē poſuit in paradiſo] inquit ſcriptura nil addēs præterea. quis igitur eſt de quo pòſt dicit: Apprehendit dominus deus hominē quem finxerat, & poſuit eum in paradiſo ut operaretur eum & cuſtodiret:] Num fortè alius eſt hic homo iuxta imaginem & ideam factus: ut duo homines in paradiſum introducantur, alter fictus, alter iuxta imaginē. ergò qui iuxta ideā factus eſt, nō ſolum inter plantationes uirtutum cēſetur, uerū etiam operarius eſt earū & cuſtos, id eſt memor eorum quæ audiuit & exercuit. at fictus ille nec operatur uirtutes nec cuſtodit, tantū introducitur in decreta dei fauente ipſo, mox uirtutis trāsfuga futurus. ideo quem tātummodo ponit in paradiſo, fictū uocat: illū uerò quem operariū cuſtodemq́ȝ cōſtituit, non fictū, ſed quem fecit. & hūc quidem apprehendit, illum uero expellit. eum aūt quem apprehendit, tribus dignatur ex quibus cònſtitutus eſt, bonitate naturę, tāgendi facultate, diuturnitate memoriæ. ergo tāgendi facultas, eſt poſitio in paradiſo, memoria uero cuſtos ſeruatrixq́ȝ ſanctorū decretorū: ſicut bonitas naturę, actio rerū honeſtarū & operatio. at ficta mēs nec meminit honeſtatis, nec operatur eam, contenta facultate tangendi. ideo poſita in paradiſo, paulo pòſt fugitiua expellitur. Et emiſit deus è terra omnē arborē pulchrā uiſu, & bonā ad cibū, & arborē uitæ in medio paradiſi, & arborē ſcientiæ boni maliq́ȝ.] Arbores uirtutis quę in anima naſcūtur nūc deſcribit. hæ ſunt indiuiduę uirtutes, harumq́ȝ operationes & recte facta, & quę dicūtur apud philoſophos officia. hæ ſunt ſtirpes paradiſi huius. exprimit tamē has ipſas, docens quod bonū illud tum ad ſpectandū tum ad fruendū ſit præſtantiſſimū. Quædam enim artes contemplatiuæ ſunt, nō item actiuæ, geometria, aſtronomia: quędam actiuæ, at nō contēplatiuę, materiaria, æraria, & illiberales cæteræ. at uirtus contem-

contemplatiua simul & actiua est.habet enim contemplationē,quando quidem ad hanc deducit nos philosophia per tres sui partes, rationalem, moralem,naturalemq́.habet item actiones.est enim uirtus ars totius uitę omnes actiones in se continētis. & quamuis contemplationē & actionē habeat, tamen in utraq́ est præstātissima.est enim cōtemplatio uirtutis pulcherrima, usus uerò & actio sectanda omni conatu. ideoq́ dicit arborem esse aspectu pulchrā,quod cōtemplationem significat:& bonā ad cibum, quod usus & actionis signū est. Cæterum arbor uitę est illa generalissima uirtus,quā quidam bonitatem uocant,à qua indiuiduæ uirtutes procedunt. quamobrem etiam media paradisi locatur habens regionē capacissimā, ut ab utroq́ latere ceu rex stipetur satellitio. Alij dicunt cor intelligi nomine arboris uitæ, quia causa uiuendi est,mediā corporis regionē sortitum, ut princeps secundum ipsorū opinionem.uerum hi falluntur, medicam sentētiam afferentes pro physica.nos aūt,quemadmodum et antea dictū est,illam generalissimā uirtutem dici arborem uitæ affirmamus. hęc uerò diserte in medio paradisi esse traditur.sed altera, scilicet scientiæ boni maliq́ nō declaratur intra paradisum sit an extra.sed postq́ dixit,& arbor sciētiæ boni maliq́, mox desiit, nec declarauit ubinam erat,ne alieno à physiologiæ mysterijs moueret admirationem scientiæ suæ.quid ergo dicendum est? esse eam & intra paradisum & extra:essentia quidem intra,potentia uerò extra.quomodo? principalis uis nostra omnicapax est, & sicut cera omnes formas uel pulchras uel turpes recipit:sicut & supplantator ille Iacob fatetur dicēs: Super me facta sunt hæc omnia.nam unica anima innumeras formationes rerum quę in natura sunt capit omniumq́: quæ quoties characterem perfectę uirtutis recipit, uertitur in uitæ arborem: quoties uitij, fit arbor scientiæ boni maliq́. at uitium à diuino choro exulat.Ergo principalis illa uis, quæ hoc intra se admisit,in paradiso est iuxta suam essentiam:inest enim in ea ui character ille uirtutis proprius,qui in paradiso est:at iuxta potentiam nō est ibi, quia forma uitij aliena est à præceptis dei.Quod dico,uel sic potes discere.nunc in meo corpore principalis illa uis est iuxta essentiam, potentia uerò in Italia Sicilia'ue,quoties de his regionibus cogitat:item in cælo,quoties de cęlestibus speculatur. qua ratione interdum quidam in profanis locis constituti iuxta essentiam,sunt in sacratissimis, imaginantes ea quæ ad uirtutem pertinent. Econtra constituti in sacris penetralibus,cogitatione profanantur,quod ea sit ad deteriores uilioresq́ formas mutabilis. Itaq́ nec inest paradiso uitiū, nec abest.potest enim ibi esse iuxta essentiam,potētia uerò non potest. Fluuius aūt exit ex Edem,ut irriget paradisum, qui inde disterminatur in quatuor capita. nomen uni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Euilat, ubi est aurum: & aurum terræ illius bonum est. Ibi carbunculus inuenitur & lapis prasinus.Et nomen fluuio secundo Geon. is circuit terram Æthiopiæ. Tertius fluuius est Tigris. ipse uadit contra Assyrios. Quartus fluuius ipse est Euphrates.] Per hos uult particulares uirtutes designare. hæ sunt numero quatuor,prudentia,temperantia,fortitudo,iustitia. Cæterum maximus ille fluuius, à quo deriuantur alij quatuor, generalis est uirtus, quam quidam bonitatem nominant. Quatuor autem eius deriuationes,

uirtu-

uirtutes totidem. Sumit igitur initia generalis uirtus ab Edem, nempe à dei ſapientia: ab ea inquam quæ gaudet deliciaturq́ſolius dei patris maieſtate ſeſe oblectando. Ab hac uniuerſali quatuor hæ deriuantur, quę quidem fluminis in morem rigat benefacta ſingularum, inundans ea largis fluentis honeſtarū actionū. Inſpiciamus etiam uocabula. Fluuius, inquit, exit ex Edem ad irrigandū paradiſum.] Fluuius eſt illa generalis bonitas. exit hæc ex dei ſapiētia: hoc eſt ex uerbo dei. iuxta hoc enim uirtus uniuerſalis facta eſt. Rigat autem paradiſum hæc uniuerſalis uirtus, id eſt particulares uirtutes irrigat. Capita uerò accipiuntur non localiter, ſed principaliter. nam unaquęq; uirtus princeps reuera & regina eſt. Hæc autē uox Diſterminatur, idem ualet quod finitur terminis. Prudentia quid agēdum determinans, fortitudo quid ſuſtinendū, temperantia quid eligendū, iuſtitia quid cuiq; tribuendū.

Nomen uni Phiſon. ipſe circuit omnem terram Euilat, ubi eſt aurū: & aurum terræ illius optimum eſt. ibi carbunculus inuenitur, & lapis praſinus.] E quatuor uirtutibus una ſpecies eſt prudētia, quæ Phiſon hic nominatur, ἀπὸ τοῦ φείδεσθαι, id eſt, quod parcat animæ ſeruans eam à peccatis. circuit autem choreæ modo terram Euilat, id eſt, placidam, mitem propitiamq́ cōſtitutionem conſeruat. ſicut autem metallorum optimū probatiſſimumq́ eſt aurum, ita inter animæ uirtutes prudētia habetur probatiſſima. hæc autem uerba, Vbi eſt aurum, ſignificant: ubi eſt res aureo fulgore igneoq́ prædita illa precioſa prudentia, inter opes diuinas citra cōtrouerſiam pulcherrima. huic uirtuti attribuūtur duæ qualitates, eius qui habet prudentiam, & eius qui utitur ea, quas carbunculo praſinoq́ comparat. Et fluuio ſecundo nomen Geon. is circuit omnē terram Æthiopiæ.] Figurate hic fluuius eſt fortitudo. interpretatur enim Geon pectus aut cornupeta. utrunq; fortitudinem ſignificat. nam circa pectus, ubi & cor, habet domiciliū, & ad defenſionem ſui parata eſt. eſt enim ſcientia ſuſtinendorū non ſuſtinendorumq́ & neutrorum. circuit autem & obſidet hoſtiliter Æthiopiam, cuius nomen ſi interpreteris, idem eſt quod humilitas. humilis autem & abiecta timiditas, cui fortitudo ſemper aduerſatur. Tertius fluuius Tigris, qui uadit cōtra Aſſyrios.] Tertia uirtus eſt temperātia, reſiſtens uoluptatibus iſtis quæ ſibi uidentur imbecillitatem humanam corrigere. nam Aſſyrios in corrigentes licet uertere. confert autem concupiſcētiam cum immaniſſimo animali tigride, cum qua perpetuo negociū habet temperātia. Oritur hic dubitatio, cur ſecunda fortitudo, tertia temperantia, prima prudentia recenſeatur, omiſſa mentione uirtutum cæterarū. animaduertendum igitur tripartitam eſſe noſtram animā, habereq́ partes, rationalem, iraſcibilē, & concupiſcibilē: quarum rationalis regionem capitis inhabitat, iraſcibilis uerò pectus, ſicut concupiſcibilis inguina. harū cuiq; appoſitā eſſe uirtutē propriā. rationali prudentiam. ratiocinationis enim eſt ſcientiam habere faciendorū & nō faciendorū. Iraſcibili fortitudinē, cōcupiſcibili temperantiā. hac enim medicamus & ſanamus concupiſcētias. Quemadmodum igitur caput prima ſummaq́ pars eſt in animali, ſecunda pectus, inguen tertia: rurſumq́ in anima, prima pars ratiōalis, ſecūda iraſcibilis, tertia cōcupiſcibilis: ita et uirtutū prima eſt, quę circa præcipuū animę quod eſt ratiōale uerſatur, & circa ſummū caput

habitat

habitat,prudentia.secunda fortitudo, quia circa secundam partem, animæ quidem iram,corporis uerò pectus stabulatur. tertia temperantia, quia circa inguem,tertiam regionem corporis, & circa uim concupiscibilem, quæ tertium locum habet in anima.occupatur. Quartus,inquit, fluuius ipse est Euphrates.]Figurate uerò quarta uirtus est iustitia,reuera fructifera & mētem exhilarans.hæc ergo quando exoritur? cùm tres partes animæ inter se consonant.hæc consonātia fit,dum penes præstantiorem est imperium: ut quando ambæ irascibilis concupiscibilisq; parent habenis partis rationalis,tunc sequitur iustitia.iustū enim est ut quod præstat,semper & ubiq; imperet:quod deterius est,imperata faciat.atqui rationale pręcellentius est, uiliora concupiscibile & irascibile. sed ubi hæ duæ partes retrogradæ contumacesq; aurigam, id est, rationem impetu uehementi abstractum superauerint,& utrauis earū momorderit frenum,ibi summa est iniustitia. necessum est enim ut ignauo auriga regente ferantur in uoragines & præcipitia: sicut contrà ut uirtute huius peritiaq; seruentur. Præterea sic quoq; consideremus rem propositam.Phison interpretatur oris mutatio.Euilat parturiens, per quę significatur prudentia. nam uulgus prudentem existimat eum, qui more sophistarum inuentione ac elocutione pollet plurimum.Moses uerò talem agnoscit pro studioso eloquētiæ,pro prudente nequaq;. nam in mutatione oris,hoc est eloquendi facultatis,consideratur prudentia:quod quidem est non uerbis sapere, sed opere spectatum esse actionibusq; ad uirtutem compositis.Euilat uerò quasi circumscribit imprudētiam, ne parturiat exitium prudentiæ.est enim propriū imprudentiæ nomen parturiens,quoniam imprudens mens interdum res inconcessas parturit.itidem cum pecunias amat parturit,aut cum gloriam,uoluptatem, & id genus alia concupiscit. cæterum cum parturit,nondum parit.ideo non est apta ad gignendum quicquam perfectum ignaua anima. Quod si quando uidetur fœtus gignere,abortiui deprehenduntur deuorātes dimidium eius carnium,pares morti animæ. Quapropter in sacra scriptura Mosen amicum dei rogat Aaron, ut sanet lepram Mariæ,ne fiat in parturitione malorum eius anima. & ideo dicit:Ne fiat hæc quasi mortua, & ut abortiuum quod proijcitur de uulua matris suæ,& deuorat dimidium eius carnium. Vbi est aurū,inquit,In mentione auri dicit, Vbi est.nam prudentia quam assimilauit auro,metallo sincero,puro,precioso,examinato igne probatoq;, illic quidē est in dei sapientia:& cum illic sit,non possidetur à sapientia: sed ubi sapiētia,ibi & ipsa est, possessio dei conditoris & opificis. Et aurum terræ illius bonum est. Ergo est aliud aurum non bonum? certe est.Nam duo sunt genera prudentiæ,alterum uniuersale,alterum particulare.Itaq; prudentia mea cum sit particularis,non est bona.nam me pereunte simul interit. Vniuersalis autem illa quę dei sapientiam inhabitat ceu domicilium,bona est. Incorruptibilis enim in domo incorruptibili permanet.Ibi est carbunculus & lapis prasinus. Differunt hi duo,prudēs,& prudenter agens.alter ornatus prudentia, alter exercens eam.Ob hæc enim duo prudentia terrigenę homini à deo est insita, ut sapiat & bonus sit.Quæ enim eius est utilitas,nisi à ratione recipiatur, & ei formas imprimat? itaq; rectè uirtus iungitur prudētiæ, & prudēs cum exercente

cente

cente prudentiam,duo preciosi lapides. Et fortè hi sunt Iudas atq; Issachar. alter enim diuinæ prudentiæ cultorem se confitetur, gratias agens ei à quo bonum hoc accepit largiter. alter exercet se in uirtute honestisq; actionibus. Itaq; Iudas confitentem significat,in quo Lia parere desiit: Issachar uerò bona operantem. supposuit enim suos humeros ad laborandum, & factus est uir agricola:cuius merces est (ut ait Moses) anima seminibus plantisq; consita, hoc est, non labor inutilis, sed coronatus à deo & mercedem accipiens. Hæc autem sic intelligi oportere indicatur per alia, quando de talari ueste scribitur: Et intexes in ea gemmarum ordines quatuor. Vnus ordo erit,sardius,topazius,smaragdus, in quo Rubim, Simeon, Leui. Et ordo secundus, inquit, carbunculus sapphirusq;. Sapphirus autem est lapis prasinus. carbũculo Iudas insculpitur, quia quartus sapphiro Issachar. Cur igitur non dixit lapidem carbunculum,sicut lapidem prasinum? quia Iudas confessionis figura caret materia & corpore. Nam ipsum confessionis nomen declarat eam esse rem externam. Cum enim mens extra seipsam constituta, deo seipsam obtulerit, sicut ille risus Isaac, tunc confitetur ei qui solus uerè est. quàm diu uero se causam rei cuiuspiam existimat, multum abest quin confiteatur cedatq; deo, nam & ipsa confessio debet intelligi non animæ opus, sed dei, qui ostendit ei hanc ingratitudinem. Caret igitur materia Iudas confitens. laboriosus autem Issachar opus habet materia corporea. alioqui quomodo lectioni dabit operam studiosus uirtutis absq; oculis? aut quomodo audiet sermones exhortatorios absq; auribus? aut quomodo cibum potumq; desiderabit absque uentre & huius curiositate? ideoq; similatur lapidi. Quin & colores eorum differunt. nam illi confessorio uiro conuenit color carbunculi. is enim deo gratias agens, igne quodam accenditur, & inebriatur ebrietate quadam sobria. alteri uerò etiamnum laboranti, color prasini lapidis. pallent enim qui se exercent præ labore, & præ timore ne forte ad optatum finem non perueniant. Quærendum etiam,cur duo fluuij, Phison Geonq;, regiones quasdam circumeunt, alter Euilat, alter Æthiopiam, è reliquis uero neuter: sed Tigris dicitur meare contra Assyrios,de Euphratis meatu siletur. atqui re ipsa Euphrates,& circumfluit quasdam regiones, & ex aduerso sitas habet multas. uerum non fit hic sermo de fluuio, sed de morum correctione. Dicendum igitur prudentiam fortitudinemq; posse murum & uallum aduersus contraria uitia ducere,imprudentiam timiditatemq;,expugnareq; sic ca. infirmæ enim ambo capiuntur facile. nam imprudens non ægrè in potestatem prudentis redigitur, timidus itidem in fortis. at temperantia non ualet concupiscentiam uoluptatemq; circumuallare. graues enim sunt aduersariæ, nec facile expugnantur, non uides uel temperatissimos necessitate mortalis corporis ad cibos ac potus adigi? unde uentris uoluptates procedunt. satius igitur est resistere ac repugnare concupiscentiarum generi. Quapropter contra Assyrios uadit Tigris fluuius, id est contra uoluptates temperantia. porrò iustitia quam nobis refert Euphrates flumen, nec oppugnat quenquam nec circumuallat nec habet aduersarium. quare? quia huius est suum cuiq; reddere, & est loco non accusatoris, sed iudicis. Quemadmodum igitur iudex,

nec uincere uult quemquam nec habere aduersarium, sed lata sententia pondus addit parti iustiori: ad eundem modum iustitia quoque cùm nemini aduersetur, cuique rei quod suum est tribuit. Apprehendit dominus deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso ad colendum operando custodiendumque.] Is qui fictus est homo differt ab eo quem deus fecit, ut dixi. ille mens est terrena magis: hic uerò factus, expertior materiæ, & alienus ab huius corruptibili genere, constitutione puriore sincerioreque præditus. hanc igitur puram mentem deus apprehendit, non sinens extra seipsam excedere: apprehensamque collocat inter radicatas germinantesque uirtutes, ut operetur eas & custodiat. Multi qui se applicarunt ad uirtutis studium, circa finem defecerunt. sed cui deus largitur firmam scientiam, ei dat utrumque: operari uirtutes indesinenter, & asseruare has tanquam in promptuario. itaque operari ponitur pro facere, custodire autem pro meminisse.

Et præceptum dedit dominus Deus Adamo, dicens: Ex omni ligno paradisi comedens comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedatis: quocunque enim die comederetis ex eo, morte moriemini.] Quali Adamo præcipitur? quærendum quisnam sit hic. Nulla enim prius eius mentione facta, nunc primùm eum nominat. num forte uult tibi illius facti hominis nomen tradere? Appellat, inquit, eum terram. sic enim uox hæc Adam interpretatur. Itaque nunc cum audis nomen hoc Adam, terrenum corruptibilemque intellige. nam ille ad imaginem factus, non terrenus est, sed cœlestis. Quærendum item, cur qui omnibus reliquis imposuit nomina, sibi nullum imposuit. Quid igitur dicendum? mens quæ inest nostrum unicuique, cætera potest comprehendere, seipsam nosse non potest. Quemadmodum enim oculus alia uidet seipse non uidens: sic & mens intelligit alia, seipsam non comprehendit. aut dicat quæ & unde sit, spiritus'ne, an sanguis, an ignis, an aer, corpus'ue aliud: uel hoc saltem, corporea'ne sit an incorporea. & postea non sunt habendi stulti qui de essentia dei disserunt? Qui enim animæ suæ nesciunt essentiam, quo modo huius uniuersitatis animam exacte pernoscere poterunt? deus enim anima huius uniuersitatis intelligitur. Merito igitur Adam, id est mens, alia nominans & comprehendens, sibi ipse nomen non imponit, quando seipsum ignorat naturamque propriam. huic præceptum datur, non illi facto ad ideam & imaginem. nam ille uel absque hortatu uirtutem per se ipse didicit: hic citra operam præceptoris nunquam potest prudens euadere. interest autem inter hæc tria, præceptum, interdictum, mandatum siue monitum. interdictum ad peccata pertinet, & fit uel apud nequam hominem: præceptum ad recte facta: mandatum ad medium hominem pertinet, qui neque nequam sit neque uirtute præditus. Nec enim peccat ut interdicto habeat opus. neque recte facit, ita ut recta ratio postulat: sed indiget admonitione, quæ abstinere à prauis doceat, exhortans ad desiderium uirtutum ciuilium. Ergo homini ad imaginem perfecto, nec iussis nec interdictis opus est. Perfectus enim homo nullius indiget. uilis autem homo tum præcepto tum interdicto indiget. stulto uero admonitione doctrinaque opus est. Quemadmodũ perfecto grammatico musico'ue nullis harum artium præceptis opus est: ei uero qui aberrauit

errauit in harum consideratione,leges præceptaq; adhibenda sunt: institutio uerò recens in disciplinam tradito. Merito igitur menti terrenæ, nec inter uitiosas,nec inter uirtute præditas censendæ sed mediæ, dantur præcepta hæc & monita. sed tam præceptum quàm monitum utriusq; nomine adhibetur,domini deiq;.Præcepit enim dominus deus, ut siquidem paruerint præceptis, dignarentur diuina beneficentia: quòd si contumaces fuerint,à domino tanquam hero potestatẽ habente pellerentur in malam rem. ideoq; dum è paradiso eijcitur, eadem repetuntur uocabula. dicit enim: Et emisit eum dominus deus è delicato paradiso, ut operaretur terram ex qua assumptus fuerat.] Vt quoniam & pro potestate dominus,& pro merito deus præceperat, rursum utroq; modo in contumacem animaduerteret.per quas enim potestates eum deduxit, per easdem inobedientem ablegauit.Præcepta autem sunt hæc: Ex omni arbore paradisi comedens comedes.] Hortatur animam ut fruatur non una quapiam arbore, nec una quapiam uirtute, sed omnibus uirtutibus. Nam istud comesse alimoniam animæ significat. Alitur autem anima tractatione rerum honestarum, & actione bonorum operum. Conduplicauit autem rem, dicens, Comedens comede,hoc est commanducatum contritumq; cibum, non ut quiuis è uulgo,sed more athletarum ad parandam fortitudinem.Etenim athletis pædotribæ præcipiunt, ne cibos concidant dentibus, sed per ocium commoliant, quo ad uires proficiant. nam aliter ego aliter athleta nutrimur. ego, tantum ut uiuam: athleta ut etiam crassescat, & robur acquirat: ideoq; unum est ex præceptis ad uirtutem se exercentium, cibum subtrahere. tale quiddam est comedendo comesse.repræsentemus tamen id etiam diligentius.Honorare parentes, cibus & alimentum est. hos tamen aliter boni, aliter mali honorant.alteri propter uulgarem consuetudinem, qui non comedendo comedunt,sed tantum comedunt. Quando igitur etiam comedendo,cum explicatis perscrutatisq; causis,sic ultro iudicant,esse hoc officium honestissimum.causæ autem sunt hæ:genuerunt nos illi, aluerunt, erudiuerunt,omnium bonorum nobis causa fuerunt.Item comesse est summum illud ens colere: comedendo uero comesse, quando ad caput nostrum causamq; respicimus,& ad referendam gratiam. Ex arbore autem scientiæ boni maliq; non comedetis.] Ergo non est in paradiso arbor hæc: quandoquidem hortatur ut edant ex omni paradisi arbore: idq; naturaliter. est enim in eo per essentiam, ut dixi, non est per potentiam. sicut enim in cera per potẽtiam insunt sigilla omnia, actu uerò solum id quod impressum est: ita & in anima quæ est ceræ similis, omnes formæ continentur potentia: reuera autem unicus character præsens eam occupat, donec aboleatur ab alio efficacius impresso atq; manifestius. Deinceps illud quoq; perquirendum esse uidetur.Dum hortatur ut ex omni arbore paradisi comedat, unicum hortatur. dum uero interdicit usum arboris eius quæ boni maliq; causa dicitur,ut plures alloquitur.Illic enim inquit: Ex omni comedes: hic, ne comedatis. & quocunq; die comederitis, non comederis: & moriemini non morieris. Dicendum igitur: primò rarum esse quod bonum est, malum contrà multiplex. ideo sapiente uno inuento reperitur fatuorum mul-

titudo innumera. itaq; meritò unum hortatur innutriri uirtutibus: multos uerò ut à nimia calliditate abstineant. hac enim utuntur innumeri. præterea ad uirtutem percipiendam tractandamq; una solum re, uidelicet ratione opus est: corpus uerò etiam impedit hanc, tantum abest ut adiuuet. hæc enim ferè summa est sapientiæ, alienare se à corpore, atq; eius concupiscentijs. ut autem quis fruatur uitio, non solum mente, sed & sensu & ratione & corpore opus est. his enim omnibus malus opus habet ad explendam suam maliciam. alioquin quonam modo proditurus est arcana, si instrumento loquendi careat? quomodo autem uoluptatibus fruetur absq; uentre cæterisq; sensibus? Recte igitur unam solam rationem de quærenda uirtute alloquitur. sola enim hac, ut dixi, ad eius acquisitionem opus est. contrà de uitio ad plures uerba facit, animam, rationem, sensus corporis. nam hoc apparet in his omnibus, addit tamen: Quocunq; die comederitis ex ea, morte moriemini.] Atqui post esum non solum non moriuntur, uerum etiam progignunt liberos, & alijs uiuendi autores fiunt. quid ergo dicendum? duplicem esse mortem, alteram hominis alteram animæ propriam. hominis mors est animæ à corpore separatio: animæ uerò mors, corruptio uirtutis, & assumptio uitij. ideoq; non contentus moriturum dicere, morte, inquit, moriemini, indicans non communem hanc, sed illam æternam quæ per excellentiam mors dicitur: quæ est quoties anima insepelitur affectibus uitijsq; omnibus. atq; hæ mortes sunt inter se ferè contrariæ. nam illa corpus animamq;, quæ prius concreta fuerant, separat. hæc contrà, utrisq; conuenientibus fit, sed præpollente deteriore, uidelicet corpore: subiecta uerò anima, quæ est pars potior hominis. Quoties autem dicit, morte mori, obseruandum pœnalem mortem, non naturalem significari. naturalis porrò est per quam anima separatur à corpore: pœnalis uerò cum anima è uirtutis uita emoritur, & uiuit in uita uitij. quam opinionem Mosis secutus propemodum Heraclitus ait: Viuimus illorum mortem, mortui sumus illorum uitam. ac si dicat, nunc cum uiuimus, mortuam esse animam, & tanquam monumento insepultam corpori. quod si mortui fuerimus, tum demum animam uiuere uita propria, liberatam à malo, mortuo uinctoq; corpore.

PHILO-

PHILONIS IVDAEI, SACRAE LEGIS ALLEGORIARVM LIBER SECVNDVS.



ET abſcondit ſe Adam & uxor eius à facie domini dei in medio arboris paradiſi.] Hic introducitur dogma, quo docemur, omnem malum eſſe exulem. ciuitas enim ſapientum propria, uirtus ipſa eſt, in hanc quiſquis admitti nequit exulat. & nemo malus unquam in eam admitti poteſt. ergo ſolus malus hinc pellitur & exulat. Virtutis autem exul ſtatim abſcondit ſe à deo. nam ſi ſapientes conſpiciuntur à deo, utpote amici eius: liquet abſcondi malos & cælare ſe, tanquam inimicos hoſteſq; rectæ rationis. eſſe autem quemq; malum exulem carereq; domicilio teſtatur ſcriptura dum de illo hirſuto & uitijs uario Eſau loquitur: Erat autem Eſau gnarus uenandi, & ruri degebat. non eſt enim apta malitia morum populatrix ut uirtutis ciuitatem inhabitet, ex qua inclementer fugatur ruſticitas, ac ruditas. at ille ſapientia plenus Iacob & ciuis eſt, & propriam uirtutem inhabitat: de quo mox ſubijcitur: Iacob autem uir ſimplex domum habitabat. ideo & obſtetrices quoniam timebant deum, fecerunt ſibi domos. nam quæ ſcrutantur occulta dei myſteria, quod eſt conſeruare uiuos maſculos, ædificant uirtutis opera, in quibus habitare ſtatuerunt. atq; ita iam demonſtratum eſt, omnem malum ciuitate carere domoq;, cum à uirtute exulet. Qui uerò uirtute ornatur, ei pro ciuitate & domo obtigiſſe ſapientiam. Nunc uideamus deinceps, quomodo dicatur aliquis abſconditus à deo. Quod niſi per allegoriam accipiamus, nequaquã poteſt intelligi. Nam deus implet omnia, penetrat omnia, nihil omnino relinquens ſeipſo uacuum. & quem locum occupabis, in quo non ſit deus? atteſtante nobis alibi propheta his uerbis: Deus in cælo ſupra, & in terra infra, nec eſt alius præter ipſum. & rurſum ſic: Ego iam ante conſtitui te. deus enim omni creatura eſt antiquior, & ubiq; eſt. itaq; nemo poteſt ſe ab eo abſcondere. & quid mirum? quando etiam creaturarum capaciſsimas, quicquid nobis cõtigerit, effugere latereq; non poſſumus. aut effugiat quiſpiam terrã, aquam, aerem, cælũ, uel mundũ hunc uniuerſum. in his enim contineamur neceſſe eſt. certe extra mundum nemo exulare poteſt. & poterit aliquis abſcondi à deo, cùm nec mundum nec partes eius effugere ualeat? minime gentium. Quid eſt igitur illud, Abſconderunt ſe? Malus quiuis putat eſſe deum in loco, nec continere, ſed contineri: ideoq; putat ſe abſcondi: tanquam illa ſumma cauſa abſit ab ea parte, in quam ipſe illatebrare ſe decreuit. id ita poteſt intelligi. in malo homine opinio de deo uera obſcuratur cælaturq;. eſt enim plena tenebris, nullam habens illuſtrationem diuinitus, per quam res circumſpiciat. talis autem à diuino choro exulat, tanquam leproſus & laborans profluuio ſeminis: alter, deum & creaturam contrarias naturas diuerſi coloris in idem cogens ut cauſas, cum unica ſit cauſa efficiens: alter go-

norroicus, ex mundo ducens, & in mundum omnia, adeo nihil factum existimans, Heracliti opinionis socius, satietatem indigentiamq; introducens, & unum uniuersum, uicesq; rerum omnium. Quapropter diuina lex ait: Eijciant è castris animæ omnem leprosum, & omnem qui semine fluit, & omnem pollutum in anima, tam masculum quàm fœminam, eosq; quibus fracta exectaq; sunt animæ genitalia, scorta quoq; unius dominationem fugientia, quibus diserte interdictum est ne concionem dei frequentent. at sapientes cogitationes tantum abest ut abscondantur, ut manifestæ esse cupiant. Non uides quòd Abraham stabat adhuc in loco domini, & accedens ait, Ne perdas iustum cum impio, manifestum tibi notumq;, unà cum fugitiuo proripiente se abs te. hic enim est impius: iustus autem qui stat in conspectu tuo non fugiens. te enim solum domine honorari iustum est. non sic autem impius ut pius eripitur, sed satis est solum iustum seruari: quapropter dicit: Ne perdas iustum cum impio. satis digne enim nemo deum colit, sed iuste tantum. cum enim ne parentibus quidem dignam referre ualeamus gratiam, quandoquidem non possumus eis gignendi uicem reddere, an non impossibile est deo uicem reponere mutuam, aut laudem illo dignam, qui omnia ex nihilo condidit? omnem enim uirtutem largitur. tribus igitur temporibus, ô anima, id est, tripartito tempore, tota coram deo semper compareas, non fœmineum ullum affectum tecum trahens, sed uirilem, fortem, exercitatamq; rationem ceu suffitum offerens. tribus enim anni temporibus comparere omne masculinum coram domino deo Israelis, sacra lex præcipit. Quamobrem Moses quoq; quando manifestus deo consistit, fugit morem Pharaonis disperditorium, qui iactat se quòd nesciat dominum. Secessit, inquit, Moses à facie Pharaonis, & habitauit in terra Madiam, id est, iudicio naturæ operum, seditq; super puteum.] expectans quid nam boni deus ad potum ceu pluuiam immissurus esset sitienti, desiderantiq; animæ. secedit sanè à Pharaone, hoc est, ab opinione impia qua reguntur affectus, & secedit in Madiam, id est iudicium, deliberans utrum quiescere satius sit, an cum illo malo aduersario subire iudicium capitis. dispicit autem an non aggressus ualeat euincere. & ideò cunctatur, expectans ut dixi, daturus ne sit deus profundæ nec leui cogitationi fontem idoneum ad inundandum impetum regis Ægyptij, hoc est, ipsius affectuum. impetrat tamen gratiam. quippe uirtuti militans non cessat à bello, priusquam uideat prostratas uoluptates & defectas uiribus. quapropter non fugit Moses à Pharaone: alioqui nunquam reuerteretur: sed secedit, hoc est, inducias facit athletæ more paulum respirantis & recolligentis spiritum, donec accitis prudentiæ cæterarumq; uirtutum auxilijs, per sermones dei cum ualidissima potentia rem aggrediatur. Iacob autem, ut supplantator, compendiarijs artibus uirtutem adeptus sine puluere, alioqui non uocandus Israel mutato nomine, fugit Labanis negocia, id est colores, figuras, & in uniuersum corpora, quorum natura est ut mentem per sensibilia uulnerent. nam quia confligendo non poterat ea deuincere, modo uincat, mauult fugere, laudandus sanè hoc nomine. Cautos enim, ut inquit Moses, faciet filios prophetæ, non audaces, & rerum ad se minus

perti-

pertinentium cupidos. Noluit, inquit, aperire, Iacob Labani Syro quòd fugeret. & fugit tam ipse quàm omnia quæ iuris sui erant, transmissoq; amne perrexit contra montem Galaad.] Naturaliter enim montes ad cælandos fugitiuos sunt appositissimi, & ad non prodendos Labani pendenti à cogitationibus sensibilibus. quale est, si pulchritudine conspecta captus periclitaris ne offendas ad eam, fuge clam ab eius imaginatione, nihil amplius menti renuncians, hoc est caue mediteris eam & cogitatione repetas. Nam continuæ reminiscentiæ ueras formas imprimendo lædunt mentem & inuitam concitant. Atq; eadem est ratio sensuum omnium quicunque nos attrahunt ad aliquid. in his enim clancularia fuga saluti esse solet. cunctatio uero, enunciatio, dilatioq;, superat rationem & in seruitutem redigit. Quapropter caue anime ne unquam rem sensibilem à qua periculum imminet tibi ipse renuncies, ne'ue retractes eam, ne forte succumbens ei reddaris infelicissimus: fuge potius manumittens teipse, libertatem ferocem seruituti mansuetæ præferens. Sed cur nunc quasi Iacob nesciret Labanem Syrum esse loquitur sic: Noluit Iacob aperire Labani Syro. habet id quoq; rationem non prætereundam obiter. Syria sublimis interpretatur. itaq; Iacob mens exercita cum uidet affectum humilem, non cedit, reputans fore ut uincat egregie. Quando uero uidet sublimem & erecta ceruice tumidum, aufugit primùm ipse, mox singula eius exercitia, lectiones, meditationes, curationes, rerum honestarum memoria, continentia, officia, atq; ita traijcit rerum sensibilium fluuium, qui inundat & mergit ui affectuum animam, quo traiecto pergit ad altam ac sublimem rationem perfectæ uirtutis. perrexit enim ad montem Galaad, qui interpretatur migratio testimonij, postquam deus migrare fecit animam ab affectibus Labanicis, & autoritate sua confirmauit eam migrationem, ut conferentem ipsi ac perutilem, ut quæ eam ab humilibus uitijs & à terra se attollere non sinentibus adducat ad celsitudinem uirtutis & præminentiam. ideo qui sensus amat Laban, eosq; magis quàm mentem in actionibus suis sequitur, indignatur, persequitur, & increpat: Cur inscio me fugam moliris,] ac non potius manes in delicijs corporis, opinionibusq; quæ ad corpus pertinet, & res externas dijudicant? tu uero non contentus ab eis fugere, prædatus es meam quoq; prudentiam, Liam unà cum Rachele. nam hæ quandiu manserunt in anima, prudentiam gignebant in ea: nunc postquàm migrarunt, reliquerunt ibi ruditatem & ignorantiam. ideo addit, Cur furatus es res meas? id est furto subtraxisti. quam autem dicat, ipse indicabit addens: & abegisti filias meas tanquam captiuas: quod si indicasses mihi, prosecutus fuissem te.] Imo non fuisses prosecutus cum rebus tam aduersis & pugnantibus. nam si prosecutus fuisses reuera & liberasses animam, amouisses ab ea sonos omnes corporeos & sensibiles. sic enim intellectus liberatur à uitijs & sensibus. nunc ais quidem te liberam eam emittere. re autem ipsa fateris, quod detinueris eam in carcere. nam si eam cum instrumentis musicis, tympanis citharisq;, alijsq; singulorum sensuum uoluptatibus prosecutus fuisses, non uerè deduxisses. nec enim te solum ô Laban corporum colorumq; socie fugimus, sed etiam tua omnia, inter quæ

sensibiles quoque uoces actionibus affectuum consonant. meditati sumus enim, siquidem uirtutem exerceemus, meditationem necessariam, quam & Iacob ante nos, perdere corrumpereque deos alienos animæ, istos inquam deos fusiles, quos Moses ne faciamus uetuit. hi sunt uirtutes ac bonorum affectuum interitus, uitiij uero malorumque affectuum cõfirmatio. quod enim liquatur, semel dissolutum consistit denuo. nam sic legimus: Et dederunt ei omnes deos alienos quos habebant in suis manibus & inaures quæ erant in auribus suis: & defodit eas Iacob subter terebinthũ quæ est in Sicimis.] Hi sunt dij malorum hominum. at Iacob non dicitur hos accipere, sed defodere & abolere penitus. nam homo ciuilis nihil superfluum accipiet à malicia, sed è medio tollet clàm & defodiet. Sicut Abraham cum rex Sodomorum conaretur ei bruta reddere pro rationalibus equos pro uiris, negat se quicquam accepturum ex rebus illius: sed extensurum animæ actionem, quam figurate manum nominat, ad deum altissimum. nec enim accepturũ se quicquam suum à funiculo usque ad corrigiam caligæ, ne ille diceret prophetam à se ditatum: & ne ipse uideretur paupertatem cum uirtute coniunctam posthabuisse diuitijs. cælantur autem & asseruantur semper affectus in Sicimis: quę uox interpretatur succollatio. nam qui laborat ob uoluptates, libenter asseruator earum est. apud sapientem uero corrumpuntur & pereunt, non intra breue tempus, sed hodie, hoc est semper. nam æuum omne hodierno metimur. est enim totius temporis mensura diurnus ambitus. & ideo Iacob dat Iosepho Sicima tanquam portionem eximiam res corporeas sensibilesque, exercenti se in talibus Iudæ autem confessori, nõ dona, sed laudes hymnosque & cantiones quibus celebretur à suis fratribus. Cepit aũt Iacob Sicima non à deo, sed arcu gladioque suo, uerbis uim secandi repugnãdique habentibus. nam etiam secundarias res sapiens sibi subijcit: sed eas non asseruat, malens largiri natis ad talia. nõ uides quod nec deos acceperit, quã uis uisus accipere, sed defodit occultauitque, et aboleuit in omnia secula? Cui nam igitur animæ contigit defodere abolereque uitium, nisi cui deus apparuit, & quam ineffabilibus arcanis dignatus est? ait enim: Num cælare potero Abraham seruum meum, quæ gesturus sum? Euge seruator, quia tua facta ostendis desideranti res honestas animæ, & nihil clã operaris in ea. ideo ualet fugere maliciam, & cælare atque tegere, & interimere semper cupiditates noxias. Postquam declarauimus quomodo malus omnis exul sit, & abscondat se à deo, cõsideremus iam, ubi nam abscõdatur. In medio, inquit, arboris paradisi.] Hoc est in medio intellectu, qui et ipse est tanquã medius paradisi, uidelicet totius animæ. Nam quisquis à deo fugit, confugit ad seipsum. Cum enim duo sint intellectus, alter uniuersalis, qui est deus, alter suus cuiusque, quisquis à proprio fugit, confugit ad uniuersalem. Talis autem relicto intellectu proprio, fatetur, nihil esse intellectum humanum, ad deum omnia referens. contrà quisquis fugit à deo, negat eum causam ullius rei, sibi ipse quid facit tribuens. Multi enim multa loquuntur, quòd totus mundus suopte impetu feratur sine prouidentia: artes autem, studia, mores, leges, instituta priuata publicaque, ius commune hominum quo erga seinuicem, & erga bruta utuntur, humanæ tantum mentis esse inuenta.

Sed

Sed uides ô anima harum opinionum diuersitatem. altera relicto particulari intellectu ut generationi ac morti obnoxio, uerè ascribit illi uniuersali tam ingenito quàm incorruptibili omnia. econtra altera deum reijciens, eum qui ne seipsum quidem iuuare potest intellectum, per errorem trahit in auxilium. Ideoq; Moses pronunciat: Si fur parietis perfossor in ipso facto ictus moriatur, non imputatur cædes. quòd si exorto sole fur occisus sit, percussor quoq; morietur reus homicidij. nam si quis incolumem sanã rectamq; rationem pertundat dirumpatq;, quæ attestatur dei omnipotentiæ, & in hoc facto deprehendatur, scilicet perfregisse concidisseq; propriæ menti plus autoritatis quàm deo tribuendo, is fur est res alienas furtim subtrahens. deus enim omnia possidet. itaq; quisquis sibi aliquid tribuit, aliena usurpat: simulq; uulnus accipit grauissimum & insanabile, arrogantiam, cognatam ruditati & ignorantiæ. percussor autẽ securus fit. nec enim est alius quàm ipse percussus. sed sicut is qui seipse fricat, fricatur quoq;: & qui seipse extendit, extenditur quoq;: quippe qui tum agentis uim, tum patientis affectionem obtinet: sic is qui furatur res dei sibi ascribens, ab impietate simul atq; arrogantia discruciatur. talis utinam percussus moriatur, hoc est inefficax perpetuo maneat. minus enim peccare uidebitur. Nam uitium partim in habitu, partim in motu consideratur. Quod autem mouetur, iam ad effectum uergit, ideo peius quàm id, quod tantum est in habitu. ergo si talis cogitatio moriatur, quæ existimat se causam rerum, non deum, id est quiescat seq; compescat, nulla est cædis actio. nec enim sustulit uiuam opinionem illam quæ omnipotentiam deo tribuit. Quod si sol oriatur, id est clarus intellectus qui nobis inest, uideatur omnia dispicere præesseq; rebus omnibus, ita ut nihil ipsum lateat, reus erit, & talionem mortis feret ob uiuam opinionem quam sustulit, asserentem deum causam rerum omnium: cum ipse deprehendatur inefficax uereq; mortuus, & mortuę inanimis erroneæq; opinionis inuentor. Ideoq; sacra lex execratur eum qui ponit sculptile in abscondito, aut fusile opus manuum artificis: nimirũ prauas opiniones, quòd in deum qualitatis expertẽ cadat qualitas sicut in sculptilia: & quòd corruptibilis sit, sicut fusilia, ille incorruptibilis. Reponis ô cogitatio thesaurizasq; intra te, sed grauaris in medium proferre indoctas persuasiones quas didicisti apud ueritatis aduersarios. deprehenderis tamẽ proculdubio in graui morbo animæ, uidelicet ignorantia, cuius curationẽ non admittis. Quòd autem homo malus in illum uulgarem suum intellectum abscondatur, ueritatẽ fugiens, testis erit Moses, qui percussum Ægyptium defodit in sabulo, id est, conuicit eum qui se putabat regimen habere corporis, animam nihili faciens, & uoluptatem finem expetendum iudicãs. Cum enim animaduertisset laborem uidentis deum, impositũ ei à rege Ægypti, hoc est ab affectuum duce malicia, uidit hominem Ægyptiũ, humanam fragilemq; affectionem, quæ pulsabat cædebatq; uidentem. cumq; circumspexisset totam animam hac & illac, nec uidisset quenquam ibi stare præter uerum deum, cætera uero in agitatione iactationeq;, percussum conuictumq; uoluptatis amatorem defodit in intellectu uulgari & collectitio, nullam habente cognationem familiaritatem'ue, cum honesta-

te,

te. hic in seipsum abditur. at huic contrarius à seipso fugiens confugit ad deum rerum omnium. ideo dicit scriptura: Eduxit eum foras & dixit: Suspice in cælum, & dinumera stellas eius] quas uellemus quidem comprehẽdere numero & circumspicere, quippe cum simus amatores uirtutis insatiabiles: sed impossibile est nobis permetiri Dei diuitias. Nihilominus gratias agimus largitori, qui sic immisit in animam semina præclara splendida perpetuoq́ue uigentia, sicut stellas in cælum. non temere autem addit, Eduxit eũ foras. quis enim intrò educitur? sed fortasse quod dicit tale est, eduxit eũ in extimam regionem, non in aliquem externum locum, qui potest contineri ab alio. sicut enim in ædibus intimo conclaui matronali exterior est ea pars in qua uiri uersantur, item hac exterius atrium, inde uestibulũ, mox ianua: sic & in anima aliud alio potest esse exterius. itaq; intelligere debemus, mentem eductã esse in extima. Quid enim proderat, reliquisse corpus, & ad sensum confugere? quid sensui ualedicere, & rationi sese submittere? oportet enim ut qui mentem educturus est relinquat eam liberam, immunẽ ab omnibus corporeis necessitatibus. instrumẽtis sensitiuis, ratiocinationibus sophisticis persuasionibusq́ue, deniq; à seipsa. quapropter alibi gloriatur, dicens: Dominus deus cæli & deus terræ, qui desumpsit me de patre meo. Impossibile est enim habitantem in corpore & mortali genere, cum deo colloqui, sed cum solum quem deus eruit ex hoc carcere. quamobrem & Isaac ille gaudium animæ, meditaturus & priuatim acturus cum deo, egreditur relicto seipso menteq́ue propria. Egressus est, inquit, Isaac in campum ut mediraretur sub uesperam. Moses quoq; propheta dicit: cum egressus fuero ciuitatem, id est, animam (nam hæc quoq; est animantis ciuitas, mores legesq́ue præscribens) extendam manus] extẽdam & explicabo meas actiones deo, testem inspectoremq́ue singularum inuocando, cum malicia suopte ingenio quærat latebras. est autem explicari, uideri manifeste. cũ igitur anima in omnibus sermonibus ac operibus explicata fuerit & spectãdam se præbuerit, cessant uoces sensuũ, omnesq́ue infausti soni atq; turbulenti. inclamat eñ & ad seipsum uocat, uisibile quidẽ uisum, uox aũt auditũ, & uapor odoratũ, et in uniuersum sensibile quodq; suum sensum inuitat. hæc autẽ omnia quiescunt, cum egressa animę ciuitatem cogitatio, meditationes actionesq́ue suas refert ad deum. Sũt enim manus Mosis graues. nam cũ hominis mali actiones subuentaneæ leuesq́ue sint, merito sapientis graues habẽtur, immobiles inconcussæq́ue: ideoq́ue fulciuntur ab Aarone ratione, & ab Or lumine, quod nulla lux in rebus sit clarior quàm ueritas. Vult igitur scriptura figurate docere te, sapientis actiones necessariò fulciri ueritate rationeq́ue. & hæc est causa cur Aaron ad finem, hoc est perfectionem tendens, montem Or, id est lucem, ascendit. finis enim rationis ueritas est, quæ longius quàm ullum lumen splendorem suum emittit, in quam ratio conatur ingredi. Non uides quòd etiam acceptum à deo tabernaculum, id est sapientiam, sub cuius umbra sapiens habitat, fixit, firmauit, consolidauitq́ue, non in corpore, sed extra corpus? castris enim id facit simile, exercitui occupato armis & molestijs quas secum bellum trahit, cui non sit integrum pacem admittere. Et uocatum est tabernaculum testimonij] Sapientia testimonium habens à deo.

etenim

etenim omnis quærẽs dominum egrediebatur. Egregie. nam si quæris deũ anima, à teipsa egressa illum quære, donec enim manes in molibus corporeis aut mentis opinionibus, non es apta ad quærendas res diuinas, etiãsi præ te feras quærendi studium. an autem quærendo inuenturus sis deum, incertum est. multis enim non manifestat seipsum. Dices te simpliciter sedulo dare operam ut eum cognoscas. conducit sanè ad fruendum rebus bonis uel solum quærendi studium. semper enim appetitio rerum honestarum etiamsi ad metam non perueniat, tamen homines studiosos alacritate præoccupat. eodem modo malus fugiens uirtutem, & abscõdens se à deo, ad infirmum auxilium confugit mentem propriam. probus contra fugiens à seipso, uertit se ad cognitionẽ illius unius, uincens cursu certamineq́; omnium longe præstantissimo. Et uocauit dominus deus Adamum, & dixit ei, Vbi es?] Cur solus Adam uocatur, quamuis uxor unà lateat? dicendum igitur primum quid sibi uelit illa uox, Vbi es? quando mens redarguitur & ad mutationem trahitur, non solum ipsa uocatur, uerùm etiam omnes eius potentiæ. nam absq; suis potentijs mens ipsa nuda nihil esse inuenitur. ex ijs potentijs & sensus est, nimirum mulier. Vocatur ergo cum Adamo mente uxor quoq;, sensus scilicet: seorsum autem non uocatur. Quid ita? quia cum sit brutus per seipsum redargui non potest. nam nec uisus nec auditus, nec ullus alius sensus est docilis. proinde non potest res percipere: eo quod ei sola corpora discernendi facultatem opifex indidit. mens autem ipsa est quæ doctrinam admittit. quã de causa hanc, non sensum, deus uocat. quod autem dicit, ubi es? plures interpretationes recipit. unam, ut non interrogatio sit, sed affirmatio, ac si dicat In eo loco es, accẽtu graui Vbi proferens. putabas deum in paradiso deambulare, contineriq́; ab eo, disce hoc esse tuum accidens, & audi sententiam uerissimam ab eo cui cuncta sunt cognita, deum esse nusquam. nam ipse non continetur, sed uniuersa continet. quicquid autem in loco est, id contineri, nõ continere, necessariò sequitur. secundo modo dictum id perinde ualet ac si dicat, quò deuenisti ô anima, pro qualibus bonis qualia elegisti mala? à deo uocata ut fieres uirtutis particeps, uertis te ad uitium? & cum frui datum sit arbore uitę, id est, sapientia, saturata es ignorantia corruptioneq́;: quia maluisti mortis animæ infelicitatem, quàm ueræ uitę felicitatem. tertius modus est per interrogationem, ad quam responderi potest dupliciter. primum si quærenti ubi es, respondeatur nusquam. nullum enim locũ habet mali hominis anima, cui uel insistat uel insidat. ideo malus Græcis dicitur ἄτοπος. sic enim appellant malum cuius nusquam usus est. talis autem est homo inciuilis, fluctuans semper & agitatus, uagusq́; in morem incerti flatus, nullius omnino amicus constantis sententiæ: altera autem responsio talis esse potest, qua etiam Adã utitur. Vbi sim audi: ubi hi qui deum uidere non possunt, ubi qui deũ nõ audiũt, ubi qui ab autore omnium rerum uolunt se abscondere, ubi qui uirtutẽ fugiunt, ubi qui exuti sunt sapientia, ubi qui metuunt tremuntq́; præ infirmitate timiditateq́; animæ. cum enim dicit: Vocem tuã audiui in paradiso: & timui eo quod nudus essem, & abscõdi me.] omnia quæ modo memoraui dicit, sicut supra declarauimus prolixius. quãuis nudus non sit nũc Adam.

Feces

Fecerũt sibi perizomata, paulo ante dictum est: sed uult scriptura sic quoq; te docere, nuditatem nequaquam corporis hic intelligẽdam, sed iuxta quã mens nuda & uirtutis expers deprehenditur. Mulier, inquit, quam dedisti mecum, ipsa dedit mihi de arbore, & comedi.] Bene quod non dixit, mulier quam dedisti mihi, sed mecum. non enim mihi ut possessionem sensum dedisti, sed & ipsam siuisti solutam ac liberam, & quodammodo non subiectam decretis meis mãdatisq;. Quod si uoluerit mens imperare uisui ne uideat, nihilominus is subiectum suum uidebit. itidem auditus quotiescunq; uox illabetur, eam omnino percipiet, etiamsi mens cõtentiose interdicat ne audiat. odoratus quoq; uapores ad se uenientes olfaciet, etiamsi mens uelit obsistere. propterea deus non dedit sensum animali, sed cũ animali. cunctas autem res mens nostra cum sensu cognoscit, simulq; cum eo iudicat. Quale est quod uisus unà cum mente percipit rem uisibilem: & quãprimum oculus uidit corpus aliquod, mox mẽs rem uisam percipit esse nigram albã'ue, aut giluam uel puniceam, aut triangulam, quadrãgulam, rotundam'ue, aut quouis alio colore figura'ue præditã. item mox ut auditus à uoce ictus est, mens etiam præsto fit, uel hoc argumento, quod continuò uocem eam iudicat, exilis'ne an grandis sit, modulata'ne concinnaq;, an contra inconcinna, & aliena ab harmonicis legibus. idem licet obseruare in aliis sensibus. Quin & illud quàm apposite dictũ: ipsa mihi dedit de ligno. id enim quod ligneum sensibileq; inest in mente, nemo nisi sensus ei dat. Quis enim ei dedit cognoscere corpus aut albedinem, nisi uisus? quis ut uoces dignoscat, nisi auditus? quis ut uapores, nisi odoratus? quis ut sapores, nisi gustus? quis ut asperum à molli, nisi tactus? Recte igitur & uerissime dicit mens, ut corpora percipiam solus sensus mihi dedit. Et dixit deus mulieri, Quare hoc fecisti? quæ respondit: Serpens decepit me & comedi.] Aliud à sensu scitatur deus, aliud sensus respondet. De uiro enim interrogatus, non de hoc respondet, sed de seipso, fatendo se comesse, non comedendum præbuisse. Quid si per allegoriam soluamus quæstionem, & ostendamus mulierẽ recte ad interrogationem respondisse? consequitur enim necessario, ut postquam ipsa comedit, edat uir quoq;. Quoties enim sensus subiectum suũ appetens, satiatus imaginatione fuerit, confestim & mens accedit simulq; fruitur, quodammodo explens se cibo accepto ab eo. hoc est quod ait, Inuita marito dedi. nam ille, me contrectante subiectum meum, pro ingenio suo concitabili, imaginationem impressit sibi. Obserua autem quòd uir quidem ait mulierem sibi dedisse: mulier uero serpentem non dedisse, sed decepisse. Sensus enim proprium est dare, uoluptatis autem uariæ serpentinæq; fraudare ac decipere. Verbi gratia, album naturaliter nigrumq;, calidum & frigidum dat sensus menti, non decipiendo, sed ueraciter. Nam talia sunt hæc subiecta, qualis & inde procedens imaginatio, sicut plerique aiunt, qui minus accurate scrutantur physiologiam. At uoluptas non quale est subiectum, tale id agnoscit cogitatione: sed addit arte mendacium, rem inutilem transferens in ordinem utilium: sicut meretrices deformes uidere licet fucantes pingentesq; faciem, ut tegant suam deformitatem: & intemperantem pronum ad uentris uoluptates. hic meri copiam & cibo-
rum

rum apparatum amplectitur, tanquam rem bonam, lædens interim horum abusu tam corpus quàm animam. Rursum amatores uidere licet sæpe insanire in mulierculas aspectu turpissimas, uoluptate decipiente & tantum non percensente, quòd bona forma, bonus color, bona habitudo & membrorũ proportio his insit quę habent omnia contraria. itaq; uere pulchras in quarum forma nihil desideres cõtemnunt, illas uerò quas dixi depercũt. ergo omni uoluptati decipere est proprium: darc autẽ sensui. Nam illa circumuenit mentem seducitq;, non qualia sunt subiecta ostendens, sed qualia non sunt. at sensus planè sic offert corpora, ut sunt à natura facta, semotis technis fucisq;. Et dixit dominus deus serpenti: Quia hoc fecisti maledictus es inter omnes pecudes, & omnes bestias terræ. super pectus & uẽtrem tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semẽ tuum & semen illius. Ipse seruabit caput tuum, tu eius calcaneum.] Quam ob causam non expectata defensione execratur serpẽtem, cum iubeat alibi, audiri ambos inter quos res controuertitur, non præmature alteri credere? atqui uides quòd Adamo non credidit prius quàm mulieri, sed inuitat eam ad defensionem percõtando, quare hoc fecisti? at illa errasse se fatetur, deceptam à uoluptate serpentina & uaria. Quid igitur uetabat etiam muliere dicente, serpens me decepit, percontari ipsum deceperit'ne, potius quàm indicta inauditaq; causa execrari? Dicẽdum igitur quòd sensus nec inter bona nec inter mala censetur: cum sit medium quiddam sapienti stultoq; commune, & in stulto fiat malus, sicut contrà in sapiente bonus. Merito igitur quandoquidem naturam per se malam non habet, sed utriq; parti fauens & ad bonum & ad deterius propendet, non prius damnatur quàm confessus secutum se deteriora. at serpens uoluptas suopte ingenio mala est. eam ob rem in bono ne inuenitur quidẽ omnino, sed solus malus est eius particeps. itaq; iure optimo non permissam respondere execratur deus, utpote nullum semen uirtutis in se habentem, sed semper & ubiq; scelestam atq; reprehẽsibilem. Quapropter etiam illum Ir absq; causa manifesta malum nouit deus & interficit, uidelicet corpus molem nostram coriaceã. Ir enim coriaceus interpretatur. quem malum esse & insidiatorem animæ non ignorat, & insuper cadauer semper mortuum. Quid enim aliud unusquisq; nostrum facit, quàm quòd corpus suapte natura cadauerosum circumfert, excitante id & sine labore gestante anima: cuius robur si libet considera. uel robustissimus athleta nõ ualet breui tempore suam baiulare statuam: anima uero interdum usq; centesimum annum indefessa fert statuam hominis leuiter. non enim nunc eum interemit, sed iam inde à principio mortuum corpus factum est. Est autem suapte natura malum, ut dixi, & insidians animæ, sed coram solo deo, & si quis amicus deo. ait enim: coram domino malus Ir.] nam mens quando in sublimibus uersando initiatur domini mysterijs, malum & inimicum corpus iudicat. Quando autem absistit à scrutandis rebus diuinis, amicum sibi cognatum germanumq; existimat. confugit igitur ad ea quæ huic cara sunt. Quapropter athletæ anima differt ab anima philosophi. nam athleta omnia refert ad bonam corporis habitudinem, cui uel animam ipsam imperaret

deret, utpote amator corporis. at philosophus cum sit honestatis amator, curam gerit eius quæ in se uiuit animæ, neglecto mortuo corpore, nõ aliud spectans quàm nequid optima anima patiatur à colligato sibi malo cadauere. Vides quòd hunc Ir interficit non dominus, sed deus? non enim quatenus imperat & regnat liberam exercens potentiam, interficit corpus: sed quatenus bonitate humanitateq́ utitur. Nam deus bonitatis nomen est, ut scias quod etiam res inanimas non potentia, sed bonitate condidit, eadem quà animatas. oportebat enim quo magis elucerent meliora, etiam deteriora produci à potentia huius ipsius bonitatis summæ causæ, quæ deus est. Et quando ô anima uideberis tibi maxime cadauer baiulare? num quando initiaberis & præmijs coronisq́ dignaberis? tum certe amatrix eris dei non corporis. consequeris autem præmia, quando uxor tibi contigerit illa Iudæ sponsa Thamar, quæ interpretatur palma uictoriæ symbolum. argumento est, quòd quando eam ducit Ir, mox & malus inuenitur & interficitur. ait enim, Dedit Iudas uxorem primogenito suo Ir, nomine Thamar. & subdit: fuitq́ Ir malus coram domino, & interfecit eum deus.] Mens enim quando præmia uirtutis accipit, mulctatur morte istius cadauerosi corporis. Viden' ut & serpentem inauditum execratur? uoluptas enim est. & Ir absq́ causa manifesta interficit? est enim corpus. quod si consideres ô bone, inuenies deum fecisse in anima quasdam naturas reprehensibiles ex se obnoxiasq́, quasdam usq́quaq́ bonas & laudabiles, itidem sicut in stirpibus animalibusq́. an non uides quòd stirpium alias mites, utiles, salutiferas, creauit opifex? alias siluestres, noxias, morbiferas simul & mortiferas? & animalia similiter? ut hunc ipsum serpentem de quo nunc loquimur, animal suapte natura letiferum & factum ad perniciem. hoc sic afficit hominem, ut uoluptas animam. ideoq́ serpenti uoluptas assimilatur. ergo sicut uoluptatem & corpus deus nulla certa de causa odit: ita etiam naturas bonas absq́ manifestà causa extulit, nihil potius aut prius habens quàm ut eas laudaret. Nam si quis roget, cur Noe dicatur inuenisse gratiam coram domino deo, priusquam aliquid boni fecisset, quãtum quidem nos scire possumus, recte respondebimus, liquere quòd laudator sit creationis & generationis. Nam Noe interpretatur requies aut iustus. necesse est autem eum qui cessans à peccatis & iniquitatibus, requiescit in honestate & uiuit cum iustitia, gratiam inuenire apud deum. porrò inuenire gratiam, non id tantum significatum habet quod quidã usurpant, pro placere: sed & tale quid: Iustus quærens rerum naturam in hoc inuenit inuentum optimum, quòd gratia dei sint quæ sunt omnia. sibi enim creãdo gratificatus est nihil, quando illi nihil inde accessit. idcoq́ tantum gratiam profundere proprium est ei. Quærentibus igitur principium creaturæ recte respondebitur. bonitas & gratia dei, quam largitus est humano generi. nam munus, beneficium, gratia dei sunt omnia quę mundo continentur, & mũdus ipse insuper. Melchisedec quoq́ regem pacis, hoc est Salem (sic enim interpretatur) sacerdotem sibi constituit deus, non expresso eius aliquo merito, sed quia talem ipse fecerat, regem, pacatum, primum dignum suo sacerdotio. nominatur enim rex. rex autem aduersatur tyranno, quòd ille ius & ęquum, hic iniquitatem

tatem introducat in rempublicam. ergo tyrannica mens mandat mandata infesta tum animæ tum corpori ac noxia, magnasq; molestias inferentia, uitiosas actiones, & uoluptates quę nascuntur ex affectibus. altera uero mens est rex: quæ non imperat tantum, sed paret etiam: quando præcepta eius talia sunt, ut anima his adiuta ceu nauis per totam uitam prospere nauiget, gubernante illo bono peritoq; gubernatore: qui nō alius est quàm uera ratio. uocetur igitur tyrannus quidem, princeps belli: rex uerò, dux pacis Salem: offeratq; animæ alimenta plena lætitiæ gaudijq;. panes enim & uinum offert, quæ Ammanitæ Moabitæq; illi uidenti præbere noluerant. quam ob causam arcentur à cōcione cœtuq; diuino. Ammanitæ enim è genitrice sensualitate nati, & Moabitæ ex intellectu genitore, figuræ duæ sunt: per quas significantur qui res istas ab uniuersitate contentas pensitant, scilicet, intellectum sensumq;, deum autem non cogitant. Non ingredietur, inquit Moses, concionem domini, quia non occurrerunt nobis cum panibus & aqua, exeuntibus ex afflictionibus Aegypti.] cæterum Melchisedec pro aqua uinum offerat, potetq; ac confirmet animas, ut occupentur diuina ebrietate, quæ est omni sobrietate magis sobria. sacerdos enim est ratio, sortem habēs Entem ipsum, de quo sublimiter sentit, & admodum magnifice: est enim sacerdos altissimi. non quod alius sit non altissimus. nam deus cum sit unus, tum in cælo est supra, tum in terra infra, nec est ullus pręter ipsum. sed ut nō submisse humiliterq;, uerùm celsius sublimiusq; quàm de quauis materia sentiamus de deo, adhibet appellationē altissimi. Quid porrò boni fecerat Abraham, quando iussus est migrare procul patria cognationeq; & habitare terrā quam deus ipse dederit? ea uerò est ciuitas bona, ampla, felicissima. nam dona dei magna preciosaq; sunt. ueruntamen hæc quoq; figura fuit non contemnenda. interpretatur enim Abraham, pater sublimis, laudādus utroq; nomine. Mens enim quando nō herili more animam territat, sed paterno imperat, non indulgens ei suauia, sed uel inuitæ obtrudens utilia: omissisq; omnibus rebus humilibus & ad mortalia ducentibus sublimis immoratur contemplationi mundi eiusq; partium: atq; etiam altius ascēdens numen ipsum scrutatur eiusq; naturam propter immensum amorem scientiæ: non potest manere in decretis pristinis, sed cupit migrare ad meliora. nonnullos autem deus uel ante natiuitatem pulchre fingit disponitq;, destinans ad sortem optimam. annon uides quid de Isaac loquatur Abrahamo, ne speranti quidem ex se patre talem progeniem, atq; adeo ridenti promissionem dicentiq;, Ita'ne gignet homo centum annos natus, & Sarra nonagenaria pariet? sed annuit asseueratq; qui dicit: profectò Sarra uxor pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Isaac: & statuam testamētum meum cum eo testamentum sempiternum.] Quid igitur est cur hic antequam nasceretur laudatus sit? Quædam bona repræsentata iuuant, ut sanitas, sensuum integritas, opes si contingant, gloria. liceat enim hæc quoq; abusiuè bona dicere. quædam non solum cum adsunt, sed etiam promissa oraculo, qualis est lætitia, bonus affectus animæ. hæc enim non præsens tantum lætificando uim suam exerit, sed etiam sperata hominem præoccupat. habet enim hanc prærogatiuam. alia bona priuatam uim habent, læticia tum priuatim

exultat,tum publice.lætamur sanitate,libertate,honore, cæterisque bonis: ut proprie dicatur,nullum esse bonum non coniunctum cum lætitia. lętamur autem non præteritis solum bonis & præsentibus, sed & futuris quæ expectamus. ut quando speramus diuitias, imperium,laudem, morborum finē, uirium roborisque accesionem,scientiam successuram in locum ignorantię, gaudemus non mediocriter. ergo quoniam lætitia non præsens solum & spectata laxat exhilaratque animam,merito Isaac prius quàm nascerētur,nomine donoque magno donatus est. per hunc enim significatur animæ risus & gaudium atque lætitia. Rursum Iacob & Esau, illum principem, ducem & dominum, hunc obsequentem & seruum,priusquàm uterum exirent pronunciauit. Deus enim animatorum operum figulus egregie nouit quę ipse facit,etiam antequam perficiat, uires quoque quibus utentur in posterum, & in uniuersum quicquid actura passura'ue sunt. Cum enim anima de futuro sollicita Rebecca petit oraculum,respondet deus:Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex eo discedent: superabitque alter alterum, & maior minori seruiet.] sic enim deus comparauit, ut id quod brutū est deteriusque potiori seruiat: quod uero ciuilitate rationeque præstat, libertate fruatur atque principatu, nec solum cum utrunque absolutum est in anima, uerumetiam cum res adhuc est ambigua. prorsus enim uel leuis quæpiam aura uirtutis principatum & imperium,ne dum libertatem præ se fert: econtra qualiscunque indoles maliciæ,rationem uel nondum adulta in seruitutem redigit. Præterea quid sibi uoluit Iacob,cum Iosepho admouente duos filios suos, natu grandiorem Manassem,minorem Ephraim : decussatis brachijs iuniori dextram imposuit, sinistram uerò grandiori. moxque Iosepho grauiter id factum ferente,& putante patrem errasse imponendis manibus,dicit: Non erraui fili,sed sciens prudēsque facio quod facio. fiet hic quoque in populum, extollendus est hic quoque: sed frater eius iunior, maior futurus est.] Quid igitur dicendum? nisi quod duæ naturæ diuinitus in anima conditæ sunt, ualde necessariæ,memoria, reminiscentiaque. Quarum altera quicquid sensibus recens impressum est retinet,ne falli possit per ignorantiam.reminiscentiam uero utique præcedit obliuio, res surda cæcaque. hic quod antiquius est apparet deterius.id est memoria quàm reminiscentia: utcunque cohærēt nec separantur facile:nam qui primùm in artes introducimur, comprehendere speculationes earum statim non possumus.itaque quicquid obliuiscimur initio,rursum reminiscimur:donec iterum atque iterum reminiscendo,atque obliuiscendo,denuo confirmetur memoria.atque ita iunior hęc, utpote serius nata, conficitur ex reminiscentia. Figurate igitur Ephraim dicitur memoria. fertilitas enim interpretatur: quia tunc animæ discendi cupidæ contingit sua portio,quando in memoria confirmantur eius contemplationes. at Manasses reminiscentia dicitur,quasi translatus ex obliuione. qui autem obliuionem effugit, certe reminiscitur. itaque rectissime ille supplantator affectuum & meditator uirtutum Iacob dextram porrigit Ephraimo,id est, fertili memoriæ. secundas uero partes reminiscentiæ tribuit, scilicet ipsi Manassæ. Sic & Moses ex his qui pascha sacrificant priores laudat maxime, quòd traiectis fluminibus Ægypti perrexerunt, nec amplius ad ea reuersi

sunt;

sunt:posteriores uerò habet pro deterioribus. nam hi cursum suum retrorsum flexerunt, & quasi obliti rerum agendarum, rursum se accinxerunt, ut eas aggrederentur. at illi priores cursum tenuerunt perpetuum. itaque sacrificantibus pascha posterius assimilatur Manasses obliuionis filius: prioribus autem Ephraim fertilis. ideo & Beseleelem nominatim deus euocat, promittitque daturum se illi sapientiam & scientiam, & constituturum se illum opificem architectumque omnium quæ sunt in tabernaculo, hoc est animæ operum: quamuis nullum eius opus hactenus extaret laudabile. Dicendum igitur quod hanc quoque figuram deus impresit animæ, ceu probato nomismati. eam figuram quæ nam sit cognoscemus, si nominis interpretationem diligenter excusserimus. Beseleel interpretatur, in umbra deus. umbra uero dei uerbum eius est, quo tãquàm instrumento assumpto mundum creabat. hæc umbra & quasi effigies exemplar est alterum. sicut enim deus exemplum imaginis, quam umbram nunc uocauit, sic hæc imago fit aliorum exemplum: quemadmodum in principio legis significauit propheta, dicens: Et fecit deus hominem ad imaginem dei, quasi imago ipsa ad effigiem dei facta sit, homo uero ad eam imaginem quæ iam uicem exemplaris acceperat. Quis igitur accesserit character consideremus. Qui fuerunt prisci, quomodo numen intelleximus. ex his qui optime philosophari uisi sunt, dixerunt, quod ex mundo partibusque eius & harum innatis uiribus, deum ut causam animaduertimus. nam sicut si quis uideat domum affabre factam instructamque uestibulis, porticibus, aulis uirorum, mulierum conclauibus, & id genus cæteris, cogitatione percipiet artificem: nec enim sine arte opificeque putabit domum esse absolutam: quod & de ciuitate aut nauigio, & de quouis minore maiore'ue opere sentiendum est: ita sanè etiam quiuis ingressus ceu in maximam domum aut ciuitatem hũc mundum, conspicatus cælum in orbem uolui continereque omnia: erraticas uero fixasque stellas pariter moueri modulate summaque cum harmonia, ad utilitatem rerum uniuersarum: terram deinde meditullium sortitam, aquam aeremque late utrunque fusum suisque contentum terminis: ad hæc animalia tam mortalia quàm immortalia, stirpium fructuumque uarias species: certe ratiocinabitur hęc non sine perfectissima arte condita, sed fuisse esseque deum huius uniuersitatis opificem. Qui ita colligunt, per umbram deum percipiunt, animaduertentes artificem per ipsius opera. Sed est & alius perfectior puriorque intellectus, magnis mysterijs initiatus, qui non ex operibus causam cognoscit, quasi ex umbra solidum corpus: sed emergens supra creata omnia, manifeste increatum contemplatur, ut & ipsum per se comprehendat, & umbram eius: hoc est & uerbum eius, & mundum hunc uniuersum. hic est Moses ille, qui sic loquitur: Ostende mihi teipsum. manifeste te uideam. nolo mihi te ostendas per cælum, terram, aquam, aerem, aut quidquam creatum: nec in ulla re alia tanquam in speculo contempler tuam ideam, præter quàm in te deo. nam quæ in creaturis apparentiæ sunt dissipantur: quæ autem in increato, stabiles, firmæ sempiternæque permanent. Quamobrem Mosem uocauit, & loquutus est ei deus. Beseleelem item uocauit, sed non similiter: uerùm illum cognitionem dei percipien-

tem ex ipsa summa causa: hunc autem tanquam ex umbra ex creaturis opifi cem ratiocinatione colligentem. Quapropter inuenies tabernaculum & uasa eius omnia prius à Mose, deinde à Beseleele deliniata parataqꝫ. Moses enim exemplariorum est artifex, cæterum Beseleel imagines eorum exprimit. Nam Moses deo monitore utitur, qui dicit: Iuxta exemplar quod ostendi tibi in monte omnia facies: Beseleel autem Mose:& merito. Quia & Aaron,id est ratio, & Maria, hoc est sensus, insurgentes contra eum diserte audiunt: Si quis fuerit inter uos propheta domini, in uisione & in umbra apparebit ei deus, non manifeste. Mosi uero qui fidelis est in tota domo mea,ore ad os loquetur,non per ænigmata. Quoniam igitur duas naturas inuenimus creatas factas & elaboratas à deo, alteram ex seipsa noxiam, reprehensibilem,execrabilem,alteram utilem laudabilemqꝫ: illam notatã falso charactere,hanc uero probato: pulchram conuenientemqꝫ precationem unà cum Mose precabimur: ut nobis Deus aperiat suum thesaurum, sublime illud refertumqꝫ diuina luce uerbum,quod supra uocauit cælum.in quibus autem mala recõduntur occludat.sunt enim ut bonorum ita etiam malorum thesauri apud deũ:sicut habetur in magno cantico: Nónne ecce collecta sunt hæc apud me,& obsignata in thesauris meis,in die ultionis, quan do lapsus fuerit pes eorum.uides thesauros esse malorum?Et bonorum pri dem unicus. Quoniam enim deus unus, etiam thesaurus bonorum unus: multi uero malorum, quia & peccatores immenso numero. Sed hic quoqꝫ considera eius qui est bonitatem. bonorum quidem thesaurum aperit: contrà malorum claudit astringitqꝫ. est enim dei proprium bona offerre & preuenire nos liberalitate:mala uero non facile immittere. Moses uerò exaggerans etiam dei liberalitatem & gratificandi studium, nõ solum reliquo tempore ait thesauros malorũ obsignatos, sed & cum anima lapsa fuerit in uia rectę rationis,quando meritò pœna digna uideri poterat. ait enim in die ultionis obsignatos malorum thesauros: docẽte diuino eloquio, quòd ne in peccantes quidem confestim deus animaduertit, sed indulget tempus ad pœnitentiam & errati curationem. Et dixit dominus deus serpenti: Execratus tu inter omnes pecudes & omnes bestias terræ.] sicut lætitia iucunde nos afficiens,fausta ominatione digna est, ita execratione uoluptas malus affectus,quæ turbat terminos animæ, pro uirtutis studio amorem affectionum in ea generans.ait autem Moses in execrationibus,execratum esse qui transmouet terminos proximi. terminum enim & legem deus animæ præscripsit uirtutem,scilicet arborem uitæ.hunc transmouit,qui fixit terminum maliciæ,scilicet arborem mortis. Execrabilis ille quoqꝫ qui cęcum errare facit in uia. Facit & hoc uoluptas impia. est enim sensus naturaliter cæcus,quia brutus,quoniam quicquid rationale est,habet oculos, ideo ratione sola res comprehenduntur,sensu non item. per sensum enim sola imaginamur corpora. hunc cæcum sensum uoluptas fallit, quo minus res percipiat:siquidem uetat ne se ad mentem, à qua regi poterat, recipiat regaturqꝫ ab ea,seducens illum ad sensibilia,illiciensqꝫ suis operibus: ut cæcus sensus sequatur cæcum ducem,rem sensibilem. ibi mens cum ambos cæcos duces sequitur, impotens sui abit in præcipitium. alioqui consentaneum erat ordini

dini naturali, ut rationem compotem uisus sequerentur ea quæ cæca sunt. sic enim leuius ferrentur noxiæ res. nunc in eam fraudem inducitur anima, ut cogatur uti cæcis ducibus, decepta persuasáque mutare uirtutem uitio, & suo labore malum sibi quærere. prohibet autem & hanc permutationem sacra lex his uerbis: Non mutabis bonum malo. his de causis uoluptas fit execrabilis. nunc non alienum à proposito fuerit considerare quæ sit hæc maledictio. execratum esse ait inter omnes pecudes. ergo pecuinum quiddam brutumque sensus est. certe unusquisque sensus uoluptatem execratur, ut inimicissimam & infensissimam. est enim re uera hostis sensui. id inde colligitur, quòd saturati uoluptate immodica, nec uidere, nec audire, nec olfacere, nec gustare, nec tangere sincere possumus, sed his omnibus obscure atque debiliter afficimur. id quod patimur ea iam cessante: alioquin inter ipsum usum uoluptatis, omnino priuamur ui sensuum, ut non magis agant in res sensibiles, quàm si eis mulctati essemus. Et qui fieri potest, ut non merito sensus execretur uoluptatem à qua sic mulctatur? quæ præ omnibus quoque bestijs est execrabilis, præ omnibus inquam, affectibus animæ. His enim mens sauciatur & perditur. Cur igitur etiam alijs affectibus uidetur deterior? Quia propemodum omnibus est obnoxia, tanquam principium eorum fundamentumque. Nam & concupiscentia nascitur ex amore uoluptatis, & dolor existit per eius priuationem. timor quoque tum fit cum ueremur istius absentiam. itaque liquet omnes affectus apud uoluptatem habere suum receptaculum: & fortasse nulli usquam essent, ni uoluptate ceu fundamento niterentur. Super pectus & uentrem tuum gradieris] circa has enim partes stabulatur affectus hic, pectus uentremque. quando præsto est copia materiáque uoluptatis, circa uentrem & quæ sub uentre sita sunt. quando autem his caret, circa pectus, ubi sedes iræ est. amatores enim uoluptatum si his destituantur, irascuntur & exacerbatur. Inspiciamus rem diligentius. Tripartitam esse animam nostram, habereque partes, unam ratione præditam, alteram ad iram natam, tertiam ad concupiscentiam. has partes nonnulli philosophi potentijs tantummodo differre existimant, quidam locis etiam. hi rationali parti caput sedem attribuũt, reddentes causam, quod ibi sit rex, ubi satellitium. satellites autẽ mentis sensus collocatos in capite: proinde rex habitare ibi tanquam in arce probabiliter creditur. ijdem iram locãt in pectore: aiuntque hac de causa à natura munitam hanc partẽ densis ac ualidis ossibus, non secus ac strenuum militem instructum thorace ac clypeo, ad repellendos aduersarios. postremus locus assignatur concupiscentiæ, circa iecur & uentrem. hic enim uis hæc habitat, appetitus ratione carẽs. Quando igitur quæres ô anime, quam regionẽ uoluptas sortita sit, ne spectes capitis locum, qui rationis est. non inuenies enim. resistit enim huic affectui ratio, nec potest unà cohabitare: quod hac uincẽte uoluptas pessum eat: sicut e diuerso, dum uoluptas uincit, exulat ratio. proinde illã quære in pectore uentreque, ubi partes brutæ domicilium habent, ira cõcupiscentiáque. nam in his locis inuenitur & iudicium nostrũ, & affectus ipsi. non uetatur tamẽ mens relictis suis septis dare se deteriori. id fit quando in anima bellum exoritur, tunc necesse est in potestatem aduersæ partis deuenire rationem paci non

bello natam. itaqꝫ sacra lex gnara quantum possit utriusqꝫ affectionis impetus, uel irę, uel concupiscentiæ, compescit utrunqꝫ, aurigam gubernatoremqꝫ rationem his præficiens. ac primùm de ira, curaturus eam & sanaturus legislator, loquitur sic: Et impones super rationale iudiciorum, doctrinam & ueritatem: quæ erunt in pectore Aaron, quādo ingredietur sacrarium coram domino. id rationale est in nobis instrumentum uocis, hoc est sermo quo utimur. qui aut incōsiderate & improbatus emittitur, aut cum iudicio probatusqꝫ. hic scriptura uult nos cogitare de sermone discreto. ait enim rationale, non inexaminatum falsatumqꝫ, sed rationale iudiciorum, ac si dicas iudicatū examinatūqꝫ. huius probati sermonis duas ait esse uirtutes summas, doctrinā & ueritatem. recte sanè. nam præcipuus sermonis usus est, docere & manifestare aliquid, cum non possimus alioquin affectus animi exprimere, & quales sint ostendere. quæ res coegit nos ad signa uocalia confugere, nomina uerbaqꝫ, quæ utiqꝫ nota esse oportet, ut manifeste clareqꝫ percipiātur à proximo. secunda cura est ut uere enuncietur. quid enim prodest planam manifestamqꝫ elocutionem facere, si alioqui falsa sit. nam hoc modo fieri non potest quin auditor decipiatur cum suo magno incommodo, ruditate ignorantiaqꝫ. quid enim si monstrans puero A elementum, diserte clareqꝫ dicam id esse G, aut E monstrans dicam O? aut musicus rudimenta eius artis discenti harmoniam monstrans colorem dicat, aut colorem tonisticum dicat diatonicum: aut quæ summa est chorda dicat mediam, aut quæ coniuncta sunt dicat disiuncta. aut hyperbolæan dicat proslambanomenon? dicet fortasse dilucide aperteqꝫ at non uere: sed hac parte uitium admittet in sermone. quando autem utrumqꝫ, doctrinam simul & ueritatem adhibebit, sermonem faciet discenti utilem, usus ipse duabus eius uirtutibus quæ forsitan solæ sufficiunt. itaqꝫ propheta dicit sermonem iudicatum, habentem suas uirtutes, situm supra pectus, nimirum Aaronis, id est, supra iram, ut sic regatur primum à ratione, ne lædatur per suam imprudentiam: deinde à doctrina, à cuius consuetudine furor libenter abstinet. ideoqꝫ iratorum non solum cogitationes, sed & uerba, perturbatione confusioneqꝫ plena sunt. æquum igitur erat iræ confusionem per doctrinam corrigi, & per ueritatem insuper. nam & hoc iræ proprium est, quod facile fallitur fallitqꝫ. itaque iracundorum fermè nemo uerax est, utpote deuictus ebrietate animæ, non corporis. Hæc remedia deus huic parti parauit, sermonem cum doctrina ueritateqꝫ. nam hæc tria uim unam obtinent, si sermoni iungatur doctrina & ueritas, pręsentanea medicina iræ, morbi animæ grauissimi. Sed cuius nam est gestamen istud rationale? non meum nec uulgaris alicuius mentis, sed sacerdotalis pure sacrificantis, qualis Aaronis erat. ac ne huius quidem semper: nam sæpe mutatur: sed quando sine mutatione degit, quando ingreditur sacrarium, quando ratio simul intrat sanctæqꝫ sententiæ, quando his comitibus non destituitur. accidit tum plerunque ut mens penetret in sacras sanctas purasqꝫ opiniones, sed humanas, quales sunt de officijs, de benefactis, de legibus publice receptis, de uirtute quatenus homo potest eam assequi. atqui ne sic quidem dispositus aliquis idoneus est ad Rationale gestandum in pectore cum suis

uirtu-

uirtutibus: sed solus qui ingreditur coram domino: hoc est, qui propter deum facit omnia, nec ei præfert quicquã ipso inferius, inferioribus quoq; rebus tribuens quod æquum est, non tamen in eis immorans; sed recurrẽs ad cognitionem scientiam cultumq; illius unius. nam hominis sic dispositi uis irascibilis regetur & à ratione purgata puraq; à brutis affectibus, et à doctrina sanante obscuritatem confusionemq;, & à ueritate retegente mendacium. Ergò Aaron, ut alter Moses, exciso pectore, hoc est ira, non sinit eam efferri impetu absq; iudicio, ueritus nequando sibijpsi permissa, in equi morem exultans, totam proculcet animam: sed curat refrenatq; primum ratione, ut sub auriga optimo discat non admodum habenas contemnere: deinde & rationis uirtutibus, doctrina ueritateq;. si enim sic erudiatur ira, ut & rationi cedat ac doctrinæ, & non mẽtiri assuescat, tum seipsam liberabit ab efferuescentia nimia, tum animam totam reddet placidam. Verùm hic, ut dixi, non carens hoc affectu, conatur eum sanare iam dictis salutaribus remedijs. at Moses totam iram excidendam & resecandam censet ex anima, non moderationem affectuum, sed prorsus priuationem amans. attestatur his meis uerbis sanctißimum oraculum. Sumptũ, inquit, Moses pectusculum separauit ut offerret coram domino, de ariete cõsecrationis: & obtigit Mosi in portionem suam. ualde pulchre. illum enim uirtutis deiq; amatorẽ decebat considerata tota anima pectus desumere ex ea quod ad iracundiam pertinet, adimereq; id & abscidere, ut exacta parte bellaturiente, de cætero anima in pace degeret. aufertur autem non à quouis animali, sed ab ariete consecrationis. atqui & uitulus imolatus fuerat, sed hoc prætерito, uenit ad arietem. est enim animal natura cornupetum, iracundum & assultorium. quapropter & fabri machinarij plerunq; inter instrumenta oppugnationis utuntur arietibus. sic & in nobis arietinum, assultorium, indomitum quiddam est, id quod contentionem appetit. contentio uero materia est iracundiæ. & ideo contentiosiores quiq; in dissertationibus cæterisq; colloquijs ad iram mouentur. hoc igitur litigatricis contentiosæq; animę superfluum germen iracundum merito propheta execat: ut sterilis facta desinat noxias res parere, fiatq; inde portio cõueniens amatori uirtutis, nõ pectus aut ira, sed horum priuatio. hanc enim optimam portionem deus sapienti tribuit, posse affectiones excidere. uiden quomodo perfectus perfectã immunitatem ab affectibus semper meditatur? qui autem adhuc proficit Aaron, secundus ab illo, mediocriter, ut dixi, in eis se habet. nondum enim potest pectus & iram excidere. gestat tamen supra id aurigam cum agnatis rationis uirtutibus rationale, in quo doctrina est & ueritas. hanc differẽtiam manifestius etiam docebit nos his uerbis, dum ait: pectusculum enim superpositionis, & brachium ablationis accepi à filijs Israel, de uictimis quæ offerũtur pro salute uestra: & dedi hæc Aaroni eiusq; filijs. Vides quod hi non sunt cõtenti solo pectore, sed assumũt etiã brachiũ? Moses uerò accipit id sine brachio. cur ita? quia hic cũ sit perfectus, paruũ & humile nihil sapit, ac ne mediocriter quidẽ uult indulgere affectib. sed eos egregie omnes omnino excidit: atilli non admodũ uehemẽter ruũt ad repugnandũ eis, sed fœdus & inducias cũ eis faciũt, conditiones offerendo, quatenus cohiberi per

aurigam

aurigam debeant ab impetu nimio. est autem brachium etiam signum laboris & afflictionis. talis uerò debet esse curator ministerijs sanctorum, exercitijs ac labore occupatus. cæterum cui deus perfecta bona abundanter largitus est, sine labore agit. hoc autem minor reperitur atque imperfectior, qui labore parat uirtutem, quam sine labore & negocio Moses accepit à deo. Nam & labor ipse minor & uilior est quàm quies: sicut & imperfectum quàm perfectum, & à doctore quæsitum, quàm id quod per nos ipsi discimus. hæc causa est cur pectus accipiat Aaron cum brachio, Moses sine brachio. uocat autem pectusculum superpositionis ideo, quia super uim iræ debet imponi & ei præsidere ratio, quæ aurigæ more duriceruicē contumacemque equum dirigat. brachium autē non itidem superpositionis uocatur, sed ablationis, ob hanc causam: quia debet uirtutis studium non sibijpsi tribuere anima, sed auferre à se, & ad deum auctorem referre: confitendo non suis uiribus nec potentia honestatem acquisitam, sed illius munere, qui amorem eius indidit. nec pectusculum autem nec brachium sumitur, nisi de uictima pro salute, & merito id quidem. tunc enim anima seruatur, quando iram domat ratio, & ex labore non prouenit arrogantia, sed totum imputatur dei beneficentiæ. Quod autem non solum supra pectus, sed & supra uentrem ingrediatur uoluptas, iam dixi, declarauique maxime proprium eius locum esse uentrem. hic est enim uoluptatum fermè omnium receptaculum. nam hoc repleto uehemētes appetitus excitātur aliarū quoque uoluptatū. rursum uacuato, quietiores illæ redduntur cōpositioresque. ideoque dicit alibi: Quisquis super uentrem quadrupes graditur, & multos habet pedes, impurus est. talis autem est amator uoluptatis, semper super uentrem gradiēs, & eas quæ inde nascuntur uoluptates. cum repente autem supra uentrem coniunxit quadrupedem, non immerito. quatuor enim sunt affectus uoluptariorum, sicut egregius quidam liber docet. impurus igitur, tum qui una uoluptate fruitur, tum qui se uolutat in omnibus quatuor. his dictis uide iterum quo differat perfectus ab eo qui adhuc proficit. certe ut iam ante cōpertum est, perfectus excidit totam iram è contentiosa anima, reddens eam cicurem mansuetamque, pacatā mitemque per omnia tum uerbo tum opere. qui autem proficit, non ualet quidem hunc affectum excidere: gestat enim pectus: sed erudit eum rationis iudicio, habētis duas uirtutes, doctrinam & ueritatem. ita nunc quoque inuenietur, sapiens quidem perfecte uoluptates abijciēs & excutiens Moses. qui autem proficit, nō uniuersas: ut qui necessarias simplicesque admittit, curiosas & superfluas cauens tanquam additamēta inutilia. nam de Mose sic scriptura loquitur: Et uētrem atque pedes holocautomatis aqua abluit. Valde pulchre. Totam enim animā dignam quę offeratur deo, quia nihil reprehensibile nec inuita nec ultro admisit, sapiens sacrificat. qui autem ita est dispositus, totum uētrem eiusque uoluptates, cum alijs quæ inde nascuntur, eluit & repurgat à sordibus, non unam aliquam partem, sed in tantum ista contemnit, ut uel necessarios cibos potusque aspernetur, rerum diuinarum contemplatione se sustinens. Quapropter alibi de illo fertur testimonium: per quadraginta dies panem non comedit, nec aquam bibit, quando in monte dei oracula dei legislatoris audiebat. Nec contentus

tus uentri ualedixisse, pedes quoque purgat à sordibus, hoc est fulcra uoluptatis. sunt autem fulcra uoluptatis, res quæ gignunt eam. de proficiente enim dicitur, quòd intestina uentris & pedes abluat, non totum uentrem. non sufficit enim ad repellendam totam uoluptatem: satis est si auersetur eius interanea, id est auctaria: quæ uoluptarij dicunt esse quædam additamenta præcedentium uoluptatum, inuicta curiosa ministrorum gulæ popinariorumque, & affectuum irritamenta modum excedentium: quia ille ultro totam uentris uoluptatem ablegat, hic uero qui adhuc proficit, non nisi monitus. nam de sapiente sic scriptum est: Ventrem & pedes aqua lauat, iniussus & suaspontc. de sacrificiis uerò sic: intestina autem & pedes, non lauerunt, sed lauant: quod ualde caute dictum est. Oportet enim perfectum quidem suaspontc moueri ad uirtutis opera: eum uerò qui etiamnum meditatur, rationem monitricem sequi. cuius præceptis parere bonum est. Nec illud ignorandum, quod Moses totum uentrem, hoc est uētris repletionem reijciens, cæteros quoque affectus propemodum ablegat: dum legislator per unam partem de uniuerso manifeste docet: & de eo quod cætera continet docens, eadem opera subindicat de his quæ silentio prærerit: quandoquidem uentris repletione comprehenduntur reliqua, ceu fundamento aliorum affectuum. nullus enim eorum potest consistere, nisi uentre subnixus, quem basim omnium natura posuit. quapropter post præcedentem Liæ bonam progeniem, quando foetus ad animam pertinentes in Iuda, id est, confesione desiuerant, deus ut in posterum corporis etiam profectibus prospiceret, Ballam Rachelis ancillam uoluit uel ante heram suam parere. est autem Balla irrigatio. sciebat enim, quod nihil corporeū subsistere posit absque uentris rigatione: sed hic esse principatū regiminisque totius corporis, curæque tantum hoc agentis, ut uita sit incolumis. sed considerare oportet omnia uerba subtilius, quando nihil hic non accurate dictum esse inuenies. Moses pectusculum aufert, uentrem uero non aufert, sed tantum lauat. cur ita? quia perfectus sapiens irascendi uim totam potest excidere, alienatus ab ira: uentrem exccare nequaquam potest. Nam necessario cibo potuque uti natura cogitur, etiam si quis paucissimo contentus necessarium quoque contemnat & meditetur inediam. lauet igitur uentrem & repurget à condimentis impuris & superuacaneis. Hoc enim donum diuinitus oblatum uirtutis auido satis est. & ideo de animæ adulteratæ suspecta dicitur: quòd si relicto recto rationalique sermone, qui maritus legitimus eius est, deprehensa fuerit consuetudinem habere cum affectu polluente animam, disrumpetur eius uenter, id est, inexplebilis & insatiabilis erit uentris uoluptatibus ac concupiscentijs, nec unquam eis expleri poterit propter suam imprudentiam & institutionem pessimam: sed alijs super alias affluentibus, eodem affectu laborabit perpetuò. nam non paucos noui adeò uentris cupiditatibus deditos, ut, quamuis imminente aliquo negocio, reuocentur ad meracas compotationes aliaque similia, male enim conuenit corporeis molibus cum ingenuis animæ desiderijs. sed corpora tanquam uasa ad mensuram facta, nihil admittunt immodicum, quicquid superfluit eijcientia. at concupiscentia nunquam expletur, semper indiga,

nunquam

nunquam non fiticulosa. Et ideò ut consequẽs post diruptum uentrem additur femoris luxatio. nam affecta hoc pacto anima simul excidit recta ratio, cui est insita uis seminalis gignẽdi bonum aliquid. Quòd si, inquit, polluta nõn fuerit, non lędetur, & habebit liberorum liberos: uidelicet si ab affectibus impolluta pudicitiã seruauerit legitimo marito, qui sanã rectamq́ rationem significat: fœcundam habebit animam & fructiferam, progenitiuam prudentiæ, iustitiæ & cuiuscũq; uirtutis. ergo possumus deuincti corpore non uti necessarijs corpori? Est aliquis modus, uide quis. Is qui nos sacris initiat, pręcipit cuiuis à quo suum debitum exigit corpus, ut contentus sit necessarijs. Ante omnia locus, inquit, sit tibi extra castra, castra uocãs uirtutem, in quibus militat anima. nec enim in una sede morantur, prudentia, & corporis curandi necessitas. mox addit: Egredieris inde foras. quamobrem? quia non potest anima cohabitans cum prudentia, & contubernium habens cum sapientia, frui delicijs corporis. tunc enim diuinioribus alimentis nutritur, scilicet scientijs, propter quas carnem negligit. egressa enim sacratis uirtuti ossibus, tum demum uertitur ad hoc corpus grauãtes premen tesq́ materias. quomodo igitur his utendum? Paxillus, inquit, in zona tibi pẽdeat, quo cauum fodias. hoc est, præsto sit tibi ratio quæ affectum effodiat, astringens. affectus enim postulant nos accinctos esse, non uti cinctura laxiore. quapropter etiam de transitu per eos, qui pascha nominatur, pręceptum extat, quo monemur lumbos accingere, siue astringere cõcupiscentias. hic igitur paxillus, hoc est ratio, comitetur affectum, obstaturus ne se effundat. Sic enim fiet, ut solis contẽti necessarijs, abstineamus à superfluis: & uel in conuiuijs atq; parata rerum copia, quæ ad usum simul & luxum satis sit, rationem adhibeamus quæ nos tanquam scutum protegat: ut neq; ultra modum cibos lari more ingurgitemus, neq; nimio mero expleti, per ebrietatem in delirationẽ prolabamur. Nam ratio compescet refrenabitq́ procliuiorem talis affectionis impetum. ipse quidem sæpe hoc mihi usu uenisse memini. accedens enim ad indisciplinata conuiuia, cœnasq́; sumptuosas, nisi rationem mecum adduxissem, mancipabar rebus apparatis, abstractus à dominis immãsuetis, uidelicet qui spectatu, auditu, odoratu gustuq́; uoluptatem pariunt. Sed quoties accedo cum rationis delectu, iam non seruus fio sed dominus, & egregie uinco uictoriam honestissimam in certamine constantiæ temperantiæq́;, resistens opponensq́; me omnibus cupiditatibus quæ solent immoderatos pessundare. Fodies, inquit, paxillo, id est, prout tibi est ingenium procliue ad cibum, potum, aut ea quæ sub uentre sunt, ratione aperies & distingues, ut ubi discreueris, uerum cognoscas. tũc enim scies in horum nullo inesse bonum, sed necessarium tantum & utile. Mox addit: Operies turpitudinem tuam. admodum rectè. Adducenim ô anima rationem ad omnia, qua operitur, obumbratur, occultaturq́; omnis turpitudo carnis & affectuum. quicquid enim ratione caret turpe est, sicut decorum quicquid cum ratione coniunctum. itaq; uoluptatis amicus supra uentrem graditur: perfectus autem uentrem totum eluit: qui uero proficit, intestina. at qui adhuc in rudimentis hæret, foras exit, quãdo ad requisita uentris afferens rationem, cohibiturus est affectum: quod figurate paxillus

xillus significat. Recte quoq; additur: Gradieris supra pectus & supra uentrem.] Voluptas enim non est quiescentium & stātium, sed commotorum & perturbatione plenorum, & sicut flamma continue mouetur, ita cuiusdā flammæ more affectus hic in anima excitus, non finit eam quiescere. ideo reclamat his qui aiunt sedandi uim inesse in eo. quies enim ligno & cuiuis inanimato est propria, uoluptas uero aliena ab hoc genere, titillationē enim & conuulsionem quandam appetit: & interdum non quietem sed continuum uehemensq; exercitium postulat. Illud autem: Terram comedes omnibus diebus uitæ tuæ] apposite dictū est. nam corporalis uoluptatis alimenta terrena sunt. nec immeritò. Duo sunt ex quibus constamus, anima & corpus, hoc è terra factum, illa dei figmentum æthereum. Inspirauit enim in faciem eius spiritum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem. pulchre igitur conuenit ut factū è terra corpus cognatis alatur cibis quos terra producit: at illa ætheree naturæ portio, scilicet anima, habeat alimenta diuina æthereaq;, nam scientijs nutritur, nō cibo aut potu, quibus corpus indiget. Ali porrò animam non rebus terrestribus, sed cælestibus, testabitur amplius sacra scriptura: Ecce ego pluo uobis panes de cælo: egrediatur populus & colligat quæ sufficiunt in diem: ut tentem eum utrū ambulet in lege mea, an non.] Viden' alimenta animæ non terrena & corruptibilia, sed uerba quæ deus pluit de sublimi puraq; natura, quam nunc cælum nominauit? Egrediatur sanè populus & omnis cœtus animæ, incipiatq; colligere scientiā, nō aceruatim, sed quantū sufficit in diē. sic enim fiet primùm ut ne simul & semel exhauriantur immensæ opes gratiarū dei, sed exundent torrētis in morem. deinde ut quisq; sumpta mensura quæ sufficiat, reliquorum dispensationem permittat deo. qui uero uult omnia colligere, desperationem sibi parat & molestiam maximam. desperat enim, si nunc tantum, non etiam in posterum, sperat deum sibi pluiturum commoda: & infidelis est si non credit & nunc & semper gratiam copiose dandam his qui digni sunt: & demens est, si putat se posse inuito deo seruare quę collegerit. paruo enim momento eum qui securitatem constantiamq; mentis sibi arrogat per iactantiam, infirmum reddit incertumq; custodem rerum quas seruare sibi uidebatur. collige igitur ô anima quæ sufficiunt & conueniunt, ut neq; plus satis exuberent, neq; infra modum collecta inopiam afferant: ut iusta mensura utendo, nihil inique facias. meditantem enim te migrationem ab affectibus, & pascha immolantem oportet modicos profectus non nimios facere. Colligat, inquit, unusquisq; ex eo quantum sufficit ad uescendum. Ergo & in manna & in quolibet dono quod deus largitur nostro generi, decet contentum esse certa mensura certoq; numero, nec plura quàm pro capacitate sumere per auaritiam. colligat potius anima quātum quotidie sufficit, & custodiam bonorum suorum munificentissimo deo credat magis quàm sibi. id cur ita censeam, dicere nunc non alienum à proposito fuerit. Per diē lux intelligitur. Lux autem animæ est eruditio. multi igitur animæ lumina parauerunt sibi in noctem & tenebras, non in diem & lucē: qualia sunt prima rudimenta disciplinarum omnia, & encyclopædia quam uocant, ipsaq; philosophia propter delicias expetita & autoritatem apud principes. at ho-

mo ciuilis diurnum parat in diem,& lucem in lucem, & honestatē propter ipsam solam non propter quicquam aliud. ideoq; additur: ut tentem eos utrum ambulent in lege mea,an nō.] hoc enim dei lex iubet,uirtutem propter ipsam colere. itaq; studiosos uirtutis tanquā nummos examinat recta ratio,utrum uitium habeant,animæ bona referendo ad res exteras:an probæ monetæ sint, conseruando ea in sola anima. hi non terrenis cibis alūtur, sed scientijs cœlestibus: quod alijs etiam uerbis docet sacra scriptura, cum dicit: Mane quoq; ros iacuit per circuitum castrorum: & ecce in superficie terræ in solitudine tanquam corianum album in similitudinem pruinæ super terram. quod cum uidissent,dicebant alius ad alium,quid est hoc? ignorabant enim quid esset. quibus ait Moses:hic est panis quem dominus dedit ad uescendum: hic est sermo quem præcepit dominus.] Viden' cibum animæ qualis sit? uerbum dei continuum, rori simile, per circuitum totam complectens,& nullam partem eius expertem sui relinquens. hic sermo nō ubiq; apparet. sed ubi desertum est, uacuum uitijs & affectibus,estq; tenuis qui percipiatur & intelligatur,pellucidusq; ualde ac purus aspectu,& coriano similis. aiunt autem rei rusticæ periti, etiamsi semen hoc cōcidatur minutissime,singulas portiunculas & micas satas germinare, non secus quàm corianum solidum. Huiusmodi est etiam sermo dei: qui uel integer iuuare potest,uel quacunq; sui particula. Quid si κόρῃ,id est pupillæ oculi, similis dicitur? sicut enim hæc quamuis minima particula, uidet hos cœlestes orbes,& immensum mare,& aeris amplitudinem, præterea solis tam occidentis quàm orientis terminos:pari modo sermo quoq; diuinus cernit acutissime,qui sufficit inspiciendis rebus omnibus,per quem uidebuntur quæcunque digna spectatu. ideoq; album est manna. Quid enim fulgidius dei sermone aut radiantius? cuius participatione & aliæ res caliginem ac tenebras excutiunt, quæ appetunt lucem animarum. huic sermoni quiddam peculiare accidit, nam quando animam ad se aduocat, gelu excitat in omnibus rebus terrenis,corporeis,ac sensibilibus. ideo dicitur, tanquàm pruina super terram. Quoties enim homo deum uidens fugam meditatur ab affectibus, congelantur undæ, hoc est impetus ac moles eorum & iactantia. concreuerūt enim undæ in medio mari, ut transiret affectum Israel uidens deum. Itaque percontantur seinuicem animæ, quæ admiserunt quidem iam sermonem, sed non possum dicere quid nam sit. Nam sæpe perfusi dulcedine, saporem nescimus unde illa proficiscitur: & suaues odores olfaciendo, quinam sint ignoramus. Sic & anima sæpe gaudens non potest indicare causam suæ lætitiæ: sed docetur ab initiatore uateq; Mose dicente: Hic est panis, cibus quem dedit deus animabus: ut se pascant uerbo ipsius atque sermone. Nam hic est panis datus nobis ad uescendum, uidelicet uerbum hoc. Dicitur autem etiam in Deuteronomio: Et afflixit te presitq; fame, & cibauit te manna, quod tui patres ignorauerant, ut annūciem tibi, quod non solo pane uiuet homo, sed omni uerbo quod procedit ex ore dei.] afflictio ista propiciatio est. Nā per tales afflictiones nostris animabus ceu decimatis propicius redditur. Quoties enim spoliamur iucundis rebus, affligi uidemur: reuera autem sentimus deum propicium. Infligit nobis etiam

esu riem

esuriem, nō uirtutis, sed uitiosam illam & affectibus obnoxiam. Argumento est, quòd nutrit nos uerbo suo generalissimo. Interpretatur enim manna, quid hoc est, scilicet rerum generalissimum. Verbum quoq; dei superius est uniuerso mundo, antiquius generaliusq; creaturis omnibus. Eum sermonem patres ignorauerant, non illi ueri progenitores nostri, sed longæuitate cani, qui solent dicere, Da nobis ducem, & reuertamur ad Ægypti uitia. Audiat igitur anima uocem dei: quòd non solo pane uiuet homo factus ad imaginem, sed omni uerbo quod procedit ex ore dei. hoc est, & toto uerbo nutrietur, & eius partibus. per os enim sermo significatur. Porrò uerbum pars sermonis est. Nutritur autem perfectiorum quidem animà toto sermone: cæterum nos contenti essemus nutriri uel parte eius quapiā. Et illi quidem optant nutriri à sermone dei: Iacob uerò supra ipsum sermonem exerēs suum caput, ait se nutriri ab ipso deo. Sic autem loquitur: Deus qui nutrit me ab adolescentia mea usq; in præsentem diem, angelus qui eruit me è cunctis malis, benedicat his pueris. Pulcherrimus loquendi modus. nutritorem deum, non sermonem eius, existimat. Cæterum angelum eius, qui est sermo, tanquam morborum medicum: idq; admodum naturaliter. Pronunciat enim propheta, primaria quidem bona ex persona ipsius Qui est dari: secundaria uerò per angelos & sermones eius. secundaria uero sunt, quæ ad morborum sanationem pertinent. Proinde sic opinor: sanitatem meram quam nullus morbus præcessit in corpore, deum per semet solum largiri: liberationem autem à morbo etiam per artem & medicinam: dum sinit & à scientia, & ab artifice nos iuuari in speciem, ipse sanās uel per hæc, uel citra horum operam. Ad eundem quoq; modum se habet anima. bona & alimenta largitur ei per seipsum: per angelos uero & sermones, quicquid ad sanādos morbos pertinet. Has autem preces fudit patriarcha, reprehendens Ioseph illum administratorem reipublicæ ausum dicere: Enutriam te ibi. Dixerat enim, Properantes ascendite ad patrem meum, & nunciate ei, Hæc dicit, & reliqua. Descende ad me, & nequaquam maneas, & enutriam te ibi. Durabit enim fames per quinquennium. Reprehendens igitur admonensq; eum qui sibi sapiens uidebatur, inquit: O tu scito animæ cibum esse scientiam, quam non sermo sensibilis, sed deus largitur, qui nutrit à iuuentute primoq; flore usq; lucem extremam, ipse me replebit. Sed Iosepho idem accidit quod matri eius Racheli. nam & ipsa existimabat creaturam posse aliquid. quapropter dicit: Da mihi liberos. Sed supplantator similis sui dicet: Erras errore maximo. Nec enim ego pro deo tibi sum: qui solus potest aperire uuluas animarum, & eis inseminare uirtutes, ut grauidæ factæ res honestas pariant. Saltem sororem tuam Liam considera, & comperies à nulla creatura semen eam excepisse aut geniturani, sed ab ipso deo. Cum enim uidisset dominus Liam haberi odio, aperuit uuluam eius. Rachel autem erat sterilis. Ac rursum uide hic uirtutis exilitatem in opere. Deus uuluas aperit, benefacta in eis seminans. Vulua autem quæ uirtutem excepit à deo, non parit deo: nullius enim indiget Qui est: sed mihi Iacobo parit filios. nam propter me seminauit deus in uirtute forsitan, non propter seipsum. Igitur alius quidem maritus Liæ quiescens inueni-

tur,alius pater natorum ex Lia liberorum.maritus qui uuluam aperit:pater liberorum, qui hos gignere dicitur. Et inimicitias ponam inter te & inter mulierem.] Reuera uoluptas inimica est sensui,quamuis sunt qui putent amicissimam. Sed sicut adulatorem nemo amicum dixerit:est enim adulatio uitium amicitiæ:sic & uoluptatem si examines,inuenies adulterinam familiaritatem insinuantem se sensui. certe saturatis uoluptate omnes sensus luxātur.annon consideras istos uini amatores ebrios,quomodo uidētes non uideant,audientes non audiant,impotes etiam reliquorum sensuum. Fathiscit enim tunc instrumentum sensitiuum,quemadmodum intenditur in sobrijs, non iam surdos externe ictus excipiens, sed sonoros clarosq;, & ad mentem usq; penetrantes cum sonitu. Oportet enim ut hęc extremū ictum agnoscat, & characterem eius manifestum excipiat. Et obseruandum non dixisse Inimicitias ponā tibi & mulieri:sed inter te & mulierem. Cur? Quoniam in medio & tanquam confinio uoluptatis sensusq; hoc bellum nascitur.id amborum medium,cibus & potus est, aptum ad quæcunq; sensibilia huiusmodi, facultatem uoluptatis inducendæ habētia. his quoties se uoluptas ingurgitat,præsentaneam sensui noxam afferunt. Cęterum illud,inter te & inter semen eius,ipsum quoq; ratione physica dictum est.Nam omne semen est generationis principium.principium autem uoluptatis,nō affectus,sed bruta concitatio sensus quę per mentē fit. nam à mente uelut fonte quodam manant sensitiuæ potentiæ, præsertim iuxta doctrinam Mosis sanctissimi:qui ex Adamo factam narrat mulierem, ex mente sensum uidelicet.ergo sicut uoluptas se habet ad sensum,sic affectus ad mentem. unde sequitur ut quoniam illa duo inimica sunt inuicem, hæc quoq; sint hostilia. quod bellum nulli non liquet. itaq; superante mente, affectus nō sustinens intelligibiles & incorporeas res,profligatur. contrà quoties hic uincit malam uictoriam,cedit mēs,impos sui suarumq; actionum omnium. Proinde alibi dicitur, quod attollente manus Mose,præualebat Israel:demittente autem,præualebat Amalec.quibus uerbis hoc docemur,quod mens quando attollit seipsam supra mortalia,& sublimis fertur, uim concipit ut deum uideat,quod est Israel.quando uero neruos suos hæc remittit relaxatq;, mox affectus præualet,scilicet Amalec,qui interpretatur populus elingens.reuera enim absumit totam animam & abligurit, ne semē quidem aut scintillam uirtutis reliquam in ea faciens. quamobrem scriptum est: Principium gentium Amalec. quoniam in miscellaneam gentium conuenarum colluuiem consilio carētem affectus exercet dominationem atq; imperium. per hunc omne bellum excitatur in anima. Ergo quibus mentibus deus pacem largiri dignatur,in his pollicetur deleturum se sub cælo,memoriam Amalecitarum. Quod autem dicitur: Ipse seruabit caput tuum,tu seruabis eius calcaneum.] In uerbis barbarismum habet,in sensu bene dictum est. quomodo? reliquum reddēdum est de muliere. mulier aūt ipse non est, sed ipsa. Quid igitur dicendum? à sermone de muliere transitionem fecit ad semen eius & principium. principium autem sensus,intellectus,isq; masculus,de quo debet dici ipse,flectēdo de cætero uocem hanc similiter. Recte igitur ad uoluptatem inquit, Ipse intellectus seruabit tuum caput,et principale decretum:

tu

tu uero gressus eius & uestigia placitaq; quibus insistit, quę calcanei uocan tur per similitudinem. Vox autem seruare duo significat: unum, quasi custo dire & reponere: alterum, ac si dicas obseruare ut per dolum interimas. ne- cesse est autem mētem uel bonā uel malam esse. mala dici potest custos pro maq; uoluptatis: nam hac delectatur. bona uero inimica, expectans occasio nem tollendæ è medio per insidias. econtra uoluptas, insipientis plantā ser- uat: sapientis autem basim destruere conatur & subtrahere, existimans hūc sibi moliri perniciem: insipientem uero modis omnibus ipsius saluti cōsul- tum cupere. nihilominus quāuis uideatur supplantare decipereq; probum uirum, ipsa supplantabitur à Iacob exercitato luctis talibus. lucta, inquam, nō corporis, sed qua luctatur anima cū aduersarijs moribus, ipsam per affe- ctus uitiaq; oppugnātibus. nec prius dimittet plantam affectus aduersarij, quàm ille det manus, seq; supplantatū ac bis uictum fateatur, & in iure pri- mogeniturę & in benedictione. Iuste, inquit, inditū est ei nomen Iacob. iam enim iterū me supplantauit. olim ius primogenituræ mihi ademit, nunc in- tercepit meam benedictionem. antiquius autē ius malus quidem putat cor poris, bonus uerò animæ. sicut reuera est, non tempore sed potentia digni- tateq; potius, & uere prius, sicut & princeps in republica. principatum aūt anima habet in hac copula. ergo primatū obtinuit is qui altero uirtute po- tior fuerat, qui honor ipsi debebatur. nam & benedictionē accepit cum per fectis precibus. uanus autem est & suamēt existimatione sapiens qui dicit: meas benedictiones & ius meæ primogenituræ accepit. non enim tua ô tu accipit, sed tuis contraria. nam quæ tua, seruitio digna sunt, at quæ illius, do minio. tibi uerò etiam optanda apud sapientem seruitus, à quo monitus ca stigatusq; ignorantiam ac ruditatem pestes animæ exuas. nam inter faustas apprecationes pater sic tibi dicit: Fratri tuo seruies. sed non nunc. nec enim ferret te habenas detrectantem. sed ubi solueris iugū à ceruice tua: nimirum abiectis illis elatis spiritibus quos sumpsisti postq; teipsum subiugasti affe- ctuum uehiculo, aurigante insipientia. nunc quidem seruus es molestorum herorum & intolerabilium, qui non solent quenquam manumittere. quod si fugitiuus eos deserueris, excipiet te amator seruorū dominus cum certa spe futuræ libertatis, nec unquam exhibebit heris prioribus: utpote qui di- dicit apud Mosem præceptum decretumq; necessarium: Non trades domi no suo seruum qui ad te confugerit: habitabit tecum in loco quicūq; ei pla- cuerit. Sed tantisper dum tibi non libet aufugere, & mauis talium domino rum habenas perferendo indignum te seruitute sapientis facere, satis decla- ras mores tuos illiberales seruilesq;, cum dicis, ius meæ primogenituræ & meas benedictiones. sunt enim hæ uoces delapsorū in summā ignorātiam: quia soli deo competit hęc uox Meum. eius enim solius possessio est hęc re rum uniuersitas, attestante uel ipso cum dicit: Dona mea, munera mea. Ob- serua dona differre à muneribus. illa enim magnitudinem perfectorum bo norum præ se ferunt, quæ deus perfectis donat gratuita. hæc intra paruum modum contrahuntur, quorū participes fiunt generosi exercitatores profi cientes adhuc. ideo Abraham quoq; secutus dei uoluntatem, res suas à deo sibi concessas retinet: recusat autem equos regis Sodomorum, tanquā mer

cedes meretricum. Moses quoque res maximas & controuersias tractare dignatur, minores causas demandat cognoscendas iudicibus secundarijs. cęterum qui audet dicere suũ esse aliquid, sempiterna seruitute notabitur, sicut ille qui dicit: Contentus sum hero meo, uxore mea, meisque pueris. nõ cupio liber euadere. Recte quod seipse in seruitutem asserit. Qui enim potest esse non seruus dicendo: meus herus intellectus est dominus sui & in potestate propria: meus sensus sufficit ad discernenda corpora: mea sunt quæ ex his progignuntur, ex intellectu intelligibilia, è sensu sensibilia. in me situ est uel sentire uel intelligere. Sed non satis est ipsum suopte damnari testimonio, quin & dei percellitur sentẽtia, iussus certam æternamque seruitutem sustinere, aure perforata insuper, ne sermones uirtutis percipiat, utque in perpetuum intellectui sensibusque seruiat, malis dominis & inclementibus. Mulieri quoque dixit: Multiplicans multiplicabo dolores tuos & gemitus tuos.] Mulieris, hoc est sensus, proprius affectus est mœstitia, quam dolorem nominat. circa idem enim subiectum uersantur delectatio & tristitia. delectamur autem per sensus, proinde necessario per eosdem contristamur. sed bona purgataque mens minimum tristatur: quia talem sensus nõ admodum impetunt. in insipiente autem affectus superfluunt, quod nõ habeat in anima remedium, quo pestes à sensibus rebusque sensibilibus prouenientes arceat. sicut enim aliter pulsatur athleta quàm seruus: hic non reluctans, sed prębens se flagris submittensque: athleta uerò resistens, repugnans, & illatos ictus repellens: & aliter raditur homo, aliter pellis: hæc enim nihil aliud quàm pati cernitur: homo uerò & ipse uicissim agit nonnihil, cogestu se præbendo quo radatur facilius: ita irrationalis quidem homo mancipiorum more cedit alteri, & perfert tristitias tãquam heras intolerabiles, ne obtueri quidem in aduersas sustinens, ut qui nequit masculas ingenuasque cogitationes sibi cõtrahere. quo fit ut multitudo immẽsa dolorum ei per sensus ingeratur. contrà uir scientia præditus in modum athletæ potenter, robuste, fortiterque gradum inferens cõtra cuncta tristia magnos fert spiritus, ne uulneretur ab eis, sed repellat singula. Et ut puto posset iuueniliter exclamare cõtra dolorem illud ex tragœdia: Combure carnem hanc, concrema, repleto te Meo cruore. nam prius uel sidera Terram subibunt, terra uel scandet polum, Quàm mollis à me extorqueatur uox tibi. Sicut enim sensibus deus omnia tristia cumulate apposuit: ita probæ animę uberrimam bonarum rerum copiam largitus est. Quapropter de perfecto illo Abraham ad hũc modum loquitur: Per memetipsum iuraui, dicit dominus: quia fecisti uerbũ hoc, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me, omnino benedicẽs benedicam te, & multiplicans multiplicabo semen tuum, sicut stellas cęli, & sicut arenã quæ est in maris littore.] Recte iureiurando confirmauit pollicita, idque tali quale deum decebat. uides enim quod non per alium deus iurat: nihil enim illo præstantius: sed per seipsum qui est omnium optimus. Non defuerunt tamen qui negarent conuenire deo iusiurandum. id enim ad confirmãdam fidem assumitur. at deus solus fidelis est, & siquis amicus dei, sicut Moses dicitur fidelis in tota domo fuisse. & alioquin ipsa dei uerba iuramẽta sunt legesque diuinæ, & iura sacratissima. quod autem uim maximam habeant

argu-

argumento est, quod effectu non caret quicquid ille dixerit: id quod iurisiurandi est proprium. unde consequitur, omnes dei sermones esse iuramenta per effectus suos confirmata. Aiunt sane iusiurandum testimonium esse dei de re de qua ambigitur. quod si deus iurat, sibi ipsi fert testimoniũ, quæ res absurda uidetur. alium enim oportet esse qui testis est, aliũ cui perhibetur testimonium. Quid igitur dicendum? Primo non pugnare cum æquitate quod deus sibi ipsi testis est. Quis enim alius potest ei testis esse idoneus? deinde, quod ipse sibi est quicquid habetur in precio, cognatus, familiaris, amicus, uirtus, felicitas, beatitudo, scientia, intelligentia, principium, finis, totum, uniuersus, iudex, sententia, cõsilium, lex, actio, principatus. & alioquin etiam, modo hæc uerba Per meipsum iuraui, accipiamus ut debemus, nullũ erit à nugacitate sophistica periculum. uidẽdum ergo nũ dicat tale aliquid. nulla quantumuis sublimis creatura potest firme constanterq; de deo credere. nulli enim ostendit suam naturam, sed uoluit omnibus generibus esse inuisibilem. Quis enim potest de uniuersorum causa certò definire, sit ne incorporea, careat'ne qualitate, an non careat: aut certe de essentia, qualitate, motu eius, atq; habitudine? sed solus de seipso asseuerabit, quandoquidem solus uere suam naturam pernouit. solus igitur deus idoneus est qui primũ de seipso certo pronunciet, deinde de suis etiam operibus. itaq; merito iurauit per seipsum, fidem sibi ipsi astruens, quod nullus alius poterat. ideo censendi sunt impij qui se aiunt per deum iurare. nemo enim per eum iurat ut oportet, quia nemo potest naturam eius cognoscere: imò bonũ est si uel nomen eius noscimus, hoc est uerbum quo interpretante innotuit. Hoc enim nobis imperfectis deus est, sapiẽtibus aũt perfectisq; ille primus. Certe Moses admiratus illius ingeniti summam excellentiã, dicit: Et per nomẽ eius iurabis, non per illum ipsum, satis enim est per genitum fidẽ astrui, & testimonium habere à uerbo dei. Cæterum deus ipse sibi fides sit, testimoniũq; certissimum. Quod autem legitur, quia fecisti uerbum hoc, pietatẽ significat. Rectum est enim omnia propter deum facere: quem propter nec dilecto filio parcimus, uirtuti uidelicet, felicitatem hanc cedentes ipsi autori, dignum existimantes ut progenies nostra dei possessio fiat potius quàm ullius creaturæ. Pulchre & illud dictum: Benedicens benedicam.] Multa enim benè dicenda quidam faciunt, sed non in hoc ut benedicantur. nam & malus officia quædam facit, sed non officiose. et ebriosus furensq; interdum sobria loquitur facitq;, sed non mente sobria. & pueri admodum infantuli non ex rationali habitudine (nondum enim rationẽ à natura didicerunt) multa tamẽ tum dicũt tum faciunt quæ ratione præditi. Vult aũt legislator sapientẽ nõ per occasionẽ & facile fortuitoq; rationalẽ uideri, sed ex habitudine dispositioneq; rationali. ergo quasi non satis sit infortunato sensui abundare multis doloribus, additur, & gemitibus. Est aũt gemitus dolor intensus atq; uehemens. nã sæpe tristamur non gementes: sed quoties ingemiscimus, ualde moleste inũdamur obruimurq; doloribus. Est aũt duplex gemitus: alter eorum qui cupientes appetentesq; iniquitatem nõ fiũt eius compotes: & hic malus est. alter pœnitentium & grauiter ferentium anteactam uitam dicentiumq;: ô nos miseros, quantum temporis exegimus laborãtes morbo insi-

 pientiæ,

pientiæ,& occupati ftudijs iniuftitiæ. Qui gemitus nunquã accidit nifi defuncto in anima rege Ægypti, hoc eft impia uoluptariaq; cõfuetudine. Nã poft multos dies illos mortuus eft rex Ægyptiorũ. moxq; poft mortuam maliciam ingemifcit uicem fuam uidẽs deum. Ingemuerũt enim filij Ifrael à corporeis & Ægyptiacis operibus. Quandoquidẽ q; diu uiuit & regnat in nobis cõfuetudo amica uoluptatũ, perfuadet animę ut peccatis fuis delectetur ac gaudeat: quę mox mortuo rege tali gemit: & exclamat ad dñm fupplicans ne mutetur iterũ, ne'ue ad abfolutam perfectionem non perueniat. Multis enim animabus pœnitentiam expetentibus non concefsit deus, fed tanq; æftu refluo abreptæ funt retrorfum: quemadmodum & Lot uxor in faxũ uerfa eft propter adamata Sodoma, & quia ad ingeniũ, in qualia deus animaduerterat, reuerfa fuit. Cęterũ in pręfenti contextu fubiũgitur: Afcendiffe clamorẽ populi ad deum: quod gratię diuinę teftimoniũ eft. nifi enim ille potentia fua fupplicationẽ ad fe attraxiffet, nunquam hęc afcẽdiffet: hoc eft non extuliffet fe incipiendo in altũ crefcere, fugiendoq; humilitatem rerum terrenarũ, Ideo dicit in fequentibus: Ecce clamor filiorum Ifrael uenit ad me.] Egregie fignificat perueniffe ad deum preces fupplicũ: quę nõ perueniffent, nifi bonus effet qui eas euocat, atq; etiam ultro inuitat quafdã animas. Veniam ad te & benedicã te. Videte quãta fit fummæ illius caufæ gratia non expectantis noftrã procraftinationem, fed infigni beneficio pręoccupantis animã. nam hæc dei uox oraculũ eft. nam fi mentẽ fubierit cogitatio de deo, cõfeftim accepta benedictione fanatur ab omnibus infirmitatibus. at fentiẽdi uis femper dolet gemitq;, & cum doloribus triftitijsq; parit fenfum: ficut ipfa fcriptura dicit: In dolorib. paries filios. ex uifu enim uifio nafcitur, ex auditu auditio, ex guftu guftatio, & in uniuerfum ex ui fentiendi ipfa fenfus actio: fed non fine magna moleftia in infipiẽte unumquodq; horum fit. nam hic molefte uidet, audit, guftat, olfacit, & quocũq; fenfu utitur. E contra uirtutẽ inuenies cum ingẽti gaudio geftare uterum: & bonum partum cum rifu ac animi tranquillitate parere, & fœtum hinc utriq; parenti hilaritatẽ afferre. nam quod fapiens gaudens & nõ dolens gignat, his uerbis teftatur diuinũ eloquium: Et dixit deus ad Abrahã: Sarra uxor tua non uocabitur pofthac Sara, fed Sarra nomen eius erit. Benedicã ei, & dabo tibi ex ea filium. mox addit. Et procidit Abrahã in faciem fuam, & rifit fic cogitans: Num cẽtenario nafcetur filius? & Sarra exactis annis nonaginta nũ pariet? Hic certe apparet q; gaudeat rideatq;, quia geniturus eft fortunatum illum Ifaac, teftante inibi propheta: Defierant Sarrę fieri muliebria, rifitq; intra fe cogitans: Nunquam hactenus cõtigit mihi tanta felicitas. Sed dominus meus, dei uerbum, fenior eft: quem poffe hoc neceffe eft, & decet nos polliceti credere. Quin & partus ipfe rifus eft ac gaudiũ. fic enim Ifaac interpretatur. Doleat igitur fenfus, uirtus cõtra perpetuo gaudeat. Poftq; enim nata eft felicitas, mater fibi placẽs dicit: Rifum fecit mihi dominus. nã quicũq; rem audierit, mihi gratulabitur. Itaq; quotquot eftis initiati, expanfis auribus accipite myfteria facratifsima. Rifus eft gaudium. Fecit perinde ualet ac genuit. ex quibus uerbis colligitur hęc fentẽtia, Ifaacum genuit dominus. nam ipfe eft perfectæ naturę genitor, femen iaciens in animas, & felicitatem

citatem generans. Et ad uirum tuum,inquit,conuersio tua.] Duo sunt uiri sensuu,alter legitimus,alter adulter. nam uiri more uisibile mouet uisum, uox auditum,sapor gustum:idem de cęteris quoque intelligitur.per hęc brutus sensus conuersus attractusque uenit in potestatem alienam. sic pulchritudo uisum in seruitutem suam redigit,sic suauis sapor gustum,sic reliqua sensibilia suum quodque sensum. Considera liguritorem quomodo seruit condimentis coquorum atque cupediariorum: eum qui propensus est ad cantum,quomodo deuinciatur à cithara tibiaque, uel à docto cantore. at sensus qui se uertit ad intellectum uirum suum legitimum,ingentem utilitatem ex eo percipit. Videamus igitur deinceps quid & de ipso intellectu narretur, moto præter rectam rationem. Ad Adam autem dixit deus: Quia audisti uocem uxoris tuæ, & comedisti de arbore de qua præceperam tibi ne comederes,maledicta terra in operibus tuis.] Nihil inutilius quàm audiri sensum ab intellectu,& nō contrà potius. Debet enim semper præesse melior, subesse deterior. At intellectus sensu est melior. Ergo sicut auriga regēte, & iumenta habenis qua placet flectente currus procedit:illis uero contumaciter frenum mordentibus,& auriga transuersus fertur,& iumenta interdum impetu suo rapiuntur in cœnum,cursu prorsus aberrante:& sicut nauis recte nauigat,donec gubernator clauum tenēs eam dirigit: periclitatur uerò quando uento reflante mare totum occupatur à fluctibus:ad eundem modum quando animæ auriga gubernatorque intellectus imperium totius animalis tenet,tanquam magistratus in ciuitate,uita prosperatur: quando uero brutus sensus primatum occupat,confusio uehemens sequitur, haud secus quàm dominis oppressis à suis seruitijs. tunc enim, si uera fatenda sunt, intellectus accensus deflagrat,sensibus flammam nutrientibus, & sensibilia in eam congerentibus. Quale incendiū per sensus excitatum Moses quoque indicat uerbis his: Et mulieres amplius etiā accenderunt ignē in Moab.] Hæc uox interpretatur Ex patre. Pater noster intellectus est. Tunc, inquit, dicent ænigmatistæ: uenite in Esebon, ut ædificetur & exornetur ciuitas Seon. Quoniam ignis exiuit ex Esebon,flamma è ciuitate Seon:& deuorauit usque Moab,& deleuit columnas Arnō. Væ tibi Moab, perijt Chamos. Venditi sunt filij eorum ut seruirent: & filiæ eorum captiuæ adductæ sunt regi Amorræorum Seon,& semen eorum peribit ab Esebon usque Debon, & mulieres amplius etiam accenderunt ignem in Moab.] Esebon interpretatur cogitationes. Hæ autem sunt ænigmata,plenæ obscuritate. Considera cogitationem medici:uacuabo ægrotū,nutriā,remedijs curabo diætaque, secabo,uram cauteribus. sed sæpe natura & absque his sanauit,& cum his interemit,ut medici cogitationes nihil aliud quàm somnia sint inuentæ,plena obscuritatis & ænigmatum. Rursum agricola dicit:Semina iaciam, plantabo, crescent plantæ,ferent fructus,qui nō solum ad usum proficient necessariū, sed ad copiā etiam sufficient. Post has cogitationes aut flāma repentina,aut procella,aut imber continuus,corrupit omnia. Interdum fructus responderunt operæ,sed nihil iuuerunt eum qui sic cogitauerat,morte præuentū, & frustra sibi fructus laboris pollicitum. Proinde optimū fuerit deo credere, nō incertis cogitatiōibus cōiecturisque fallacibus. Abrahā ille deo credidit,

&

& iustus reputatus est. Moses item præest populo, cum testimonio quòd sit fidelis in tota domo. Quòd si credemus proprijs cogitationibus, ædificabimus exornabimusq́ꝫ ciuitatem corrumpētis ueritatem intellectus. Seō enim interpretatur corrumpens. Quamobrem experrectus qui somniauerat, inuenit quod omnes motus processusq́ꝫ insipientis sint mera insomnia nihil ueritatis habentia. nam ipse intellectus somnium esse cōuincitur: quia certissimum est deo credere, & fallitur qui credit uanis cogitationibus. irrationalis autem impetus exiēs proficiscitur utroq́ꝫ, & ad cogitationes, & ad intellectum qui corrumpit ueritatem. Ideo dicit scriptura: Ignis exiuit ex Esebon, flamma è ciuitate Seon.] Alienum enim à ratione credere uel cogitationibus probabilibus, uel intellectui corrumpenti ueritatem. deuorat tamen etiam usq́ꝫ Moab, id est usq́ꝫ intellectum. quem enim alium quàm miserum intellectum falsa opinio decipit? Deuorat, depascitq́ꝫ atq́ꝫ etiam deglutit columnas quæ sunt in eo, hoc est, particulares concupiscentias, quæ tanquàm in columna impressæ insculptæq́ꝫ sunt. Arnon autem sunt hæ columnæ, quod interpretatur lux eorum, quoniam una quæq́ꝫ res in cogitatione illustratur, mox incipit deplorare arrogantem suiq́ꝫ amantem intellectum: Væ tibi Moab ciuitas.] Si enim attendis ænigmata, quæ tibi insidiantur uerisimili specie, amisisti ueritatem, populus Chamos, hoc est populus tuus & potētia, inuētus est cæcus & orbatus luminibus. Chamos enim interpretatur, quasi palpatio: quod uisu carētis est propriū, horū filij quidē sunt particulares cogitatiōes exules: sententiæ uero tanq́ꝫ filiæ, quæ captiuæ adducū tur regi Amorræorū, hoc est doctori loquentiū: quia Amorræi interpretātur loquētes, qui garrulū populū significāt. horū imperator sophista est, callidus ad inueniendū sermonū artificiū: cuius loquacitate decipiūtur qui trāscendūt ueritatis terminū. Seō igitur corrūpens rectā ueritatis regulā interiturus est unà cū suo semine: & Esebon ænigmata illa sophistica usq́ꝫ Debō, quod intelligitur iudicatio ualde accommodate. nam uerisimilia probabiliaq́ꝫ non habent ueritatis scientiam, sed iudicium & controuersiam, contentionemq́ꝫ litigiosam ac peruicacē, & reliqua his similia. nec satis erant intellectui suæ propriæ pestes intelligibiles, sed & mulieres amplius etiā accēderunt ignē, scilicet sensus, excitato in eum incēdio maximo. animaduerte quale sit quod dicitur. plerunq́ꝫ noctu cessantib. omnib. sensibus, de multis uarijsq́ꝫ reb. cogitatiōes incōsistentes nobis incidūt, dū anima haud quiescēs à motu perpetuo infinitas mutationes recipit. ad eā corrūpendā sufficiebāt uel quę ex ipsa gignūtur: nūc etiā sensuū turba inuexit in eā morborū ingētē multitudinē, ex rebus uisibilib. ex uocibus, ex saporibus, ex uaporib. qui odoratu percipiūtur: quę flāma ab his reb. excitata magis animā populatur, q́ꝫ ea quæ in ipsa innascitur absq́ꝫ ministerio instrumentorū sensitiuorū. Ex his mulieribus una est uxor Petephrę qui culinę Pharaonis pręerat. is quomodo uxorē habeat cū sit eunuchus dispiciendū. nā si uerba legis tractētur allegorice, offeret se hic dubitationis species. Eunuchus em̄ iste & coquorū præfectus, uidelicet mēs quę nō simplicibus tantū, sed etiā superfluis utitur uoluptatibus, eunuchus uocatur sterilis sapientiæ, cum sit eunuchus non alterius quàm dissipatoris bonorum Pharaonis. quandoquidem diuersa


ratione

ratione optanda res uideri poteſt eunuchum fieri, ſi queat anima noſtra eui tato uitio affectus dediſcere. Quapropter & Ioſeph figura temperātiæ, uoluptati dicenti, Dormi mecum, & cum ſis homo, humano more fruere uitæ delicijs, contradicit his uerbis: Peccarem in deum amatorem uirtutis, ſi uoluptatis amator fierem. Malum eſt hoc opus. Et hactenus quidē uelitatur, mox ſtrenue repugnat, quando in domū ſuam ingreſſa anima, uiribus collectis indicit bellum rebus corporeis, & ſua propria ut ad animam attinentia operatur opera, non in ædibus Ioſephi, nec in Petephræ, ſed domi. Nec additur cuius domi, ut allegoriā perſpicias, eam agere ſua negocia. hæc domus eſt anima, ad quam ille recurrit relictis rebus externis, ut quæ internæ dicuntur ibi fiant. continentis autem opera an non per dei uoluntatem exiſtunt? nulla enim aderat alia cogitatio ex his quæ ſolēt uerſari in anima. nec tamen deſinit uoluptas iugum quaſſare, ſed apprehenſo pallio iterat illud ſuum, Dormi mecum. Protegitur autem uita cibo potuq́ꝫ, ſicut corpus ueſtimentis. Sic igitur illa loquitur: Cur recuſas uoluptatem, ſine qua non potes uiuere? ecce teneo quæ illam faciunt, & pernego te poſſe ſubſiſtere, niſi utaris rebus talibus. ſed quid ad hæc reſpondet uir temperans? Si ſeruiendum eſt, inquit, affectui propter eius cauſam materiam, extra affectum me proripiam. Relicto enim in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras.] Dicat aliquis, & quis intrò egreditur? Nonne multi? an non ſunt quidā qui fugiendo ſacrilegium furati ſunt ex priuatis ædibus? qui temperantes manibus à patre, pulſarunt alios? hi egrediuntur quidem unum peccatum, ſed ingrediuntur aliud. atqui oportet ut perfecte temperans peccata fugiat omnia, maiora minoraq́ꝫ, & in nullo prorſus deprehendatur. Sed Ioſeph ut homo iuuenis, qui non poſſet cum Ægyptio corpore, ſcilicet uoluptate, contendendo ſperare uictoriam, mauult fugere. Phinees autem ſacerdos zelo dei correptus, non fuga ſibi ſalutem quæſiuit, ſed arrepto ſiromaſte, hoc eſt ratione cum zelo coniuncta, non deſiſtit prius quàm transfigat Madianitidem, ſcilicet naturam occultātem ſe in diuino choro: idq́ꝫ per uuluā ipſius, ne unquam poſſit inde oriri ſtirps aut ſemen maliciæ. Quapropter exciſa inſipientia, duplex accipit anima præmium, pacem atq́ꝫ ſacerdotium, cognata germanaq́ꝫ bona. Talis igitur mulier audienda non eſt: loquor de ſenſu illo ſcelerato. quoniam & obſtetricibus bene fecit deus, quòd mandato diſſipatoris Pharaonis neglecto, maſculos in uita conſeruabant: quos ille interemptos uolebat, amator totius ſexus fœminei: ſummam autem illam Cauſam neſciens, dicendo, Non noui eum. Sed alia mulier eſt audienda, qualis Sarra fuit, id eſt princeps uirtus: cui ſapiens ille Abrahā paret monenti quæ monere debebat. nam antea cum is nondum perfectus, necdum mutato nomine aſtrologiæ daret operam: ſciens eū non poſſe gignere ex uirtute perfecta, conſulit ut quærat ſobolem ex ancilla, hoc eſt ex encyclopædia, uidelicet Agar, quæ uox inquilinam ſignificat. Qui enim meditatur in uirtute perfecta domicilium habere, prius quàm inter ciues eius aſcribatur, inquilinum agit in diſciplinis encyclicis, ut his adiutus ad perfectam uirtutem ſinatur euadere. deinde cum uxor uiderit eum perfectum iamq́ꝫ ad gignēdum idoneum, quamuis ille gratus erga diſciplinas per quas uirtuti commendatus

tus fuerat, graue putat eis remittere nūcium, oraculo diuino mitigabitur dicente: Omnia quæcunq; monuerit Sarra, audi uocem eius.] Vnicuiq; nostrum lex esto, quicquid uirtuti placet. nam si omnia quæcunq; monet uirtus audire uoluerimus, felices erimus. Illud autem: Et comedisti de arbore de qua præceperam tibi ne comederes,] perinde est ac si diceret: consensisti maliciæ quam debueras totis uiribus repellere, propterea maledicta, nō tu, sed terra in operibus tuis. Quæ causa? Serpens ille uoluptas, elatio bruta animæ. hæc ex seipsa maledicta, soli utiq; malo accidit, cæterum bono nemini. At Adam intellectus est constitutus in medio, qui iam melior inuenitur, iam deterior: quatenus enim intellectus est, nec boni nec mali naturam habet: sed uirtute uitioq; in melius deterius' ue mutari solet. merito igitur non ipse maledictus suopte ingenio: ut qui nec uitiū est, nec uitiosa actio: sed terra maledicta est in eius operibus. nam actiones totius animæ, quam terram uocauit, reprehēsibiles culpabilesq; sunt, ut quisq; agit singulas. & ideo adiungit: In doloribus comedes ex ea.] hoc est frueris anima cum molestia. Laboriose enim quiuis malus per omnem uitam anima sua utitur, nullā habens causam lætitiæ, ad quam gignendam nata est iustitia prudentiaq; cæteræq; sodales harum uirtutes. Ergo spinas & tribulos producet tibi.] Quid enim aliud nascitur in anima insipientis, nisi affectus pungentes eam uulnerantesq;? quos figurate spinas uocauit, in quos brutus impetus primos incurrit, & in eorum ordinem receptus, res animæ populatur ac corrūpit incendio. Sic enim loquitur scriptura: Quod si egressus ignis inuenerit spinas, & latius uagatus exusserit aream, aut spicas, aut campū, luet is qui ignem accendit.] Viden quod ignis egressus, scilicet brutus impetus, non accendit spinas, sed inuenit? Cum enim pronus sit ad quærendos affectus, quæ desiderabat inuenit. & his inuētis exurit ista tria: uirtutem perfectam, profectum, & bonam indolem. Virtutem comparauit areæ. sicut enim huc fructus comportatur, sic res honestæ in sapientis animam. spicis autem profectum: quia utrumq; imperfectum, tendens ad finem suum. deniq; campo bonam indolem, quod hæc capax sit uirtutis seminum. singulares autē uocauit tribulos: quia terni sunt, annumeratis causis eorū & effectibus, ut uoluptas, uolupe, delectari: concupiscentia, concupiscitiuum, ipsum concupiscere: molestia, molestum, ipsum molestari: timor, terribile, ipsum timere. Et comedes herbam agri in sudore uultus tui.] Herbam uocat panē per synonymiam, rem eandem. herba bruti cibus est. brutus uero malus, cui execta est recta ratio. bruti quoq; sensus sunt, quamuis partes animæ. at mens cupida sensibilium, per brutos sensus ea non sine labore ac sudore appetit. Est enim perquam erumnosa molestaq; insipientis uita, consectantis abligurientisq; quicquid uoluptatem parit, & effectus quoscunq; maliciæ. Et quousq; tandem? Donec reuertaris in terram ex qua sumptus es.] Nūc uero an non in terrenis inconsistentibusq; censetur, ex quo reliquit cælestem sapientiam? Considerandum est igitur quonā reuertatur. fortasse quod dicit, tale quiddam est: quod insipiens mēs auersatur quidem semper rectam rationem: desumpta est autem non è sublimi natura, sed de humiliore terrenaq; materia. Est autem eadem siue maneat siue moueatur, & eadem appetit,

tit. Ideo addit: Terra es, & in terram reuerteris] Quod idem est cum antedictis. Præterea significat hoc quoqꝫ: Principium tuum & finis unum idemqꝫ est. Inchoatus es ex corruptibilibus terræ corporibus, finies rursum in illa, peracta interim uitæ uia, non publica, sed aspera, sentibus tribulisqꝫ ad pungendum lacerandumqꝫ natis obsita.

PHILONIS IVDAEI DE CHERVBIM ET FLAMMEO GLADIO, ET DE CAIN. QVI PRIMVS ex homine procreatus est.



T expulit Adamū, & collocauit ante paradisum uoluptatis: & cōstituit Cherubim & flāmeum gladium uersatilem ad custodiendam uiam ligni uitæ.] Nunc dicit expulsum, quem modo emissum dixerat, nō temerè ponens hæc uocabula, sed sciens quàm apposite ad res proprieqꝫ disponat ea. Qui emittitur, redire non uetatur: quem autem deus expellit, is æterno damnatur exilio. Nam ei qui nondum ualde tenetur à malicia, datur reditus tanquam in patriam, ad uirtutem unde exciderat. eum uero qui uehementer obnoxius morbo insanabili premitur, necesse est ferre sua mala, in omne æuum sine fine damnatum in loca impiorum, ut sustineat merum continuumqꝫ infortunium. Quandoquidem & Agar, per quam indifferens disciplina encyclicas ducens choreas intelligitur, uidemus bis quidem exisse à principe uirtute Sarra, sed semel tantum reuersam per eandem uiam. quæ primum quidem ultro profuga, non expulsa, reducitur, occurrente angelo, id est dei uerbo, in domum herilem. Iterum autem omnino expellitur, reditura nunquam, Causa autem & prioris fugæ, & posterioris æterni exilij reddenda est. Priusquam nomina mutarentur, hoc est priusquam heriles animæ in meliorem figuram transformarentur, dum Abram erat adhuc pater sublimis, circa cælestes orbes occupatus sideralemqꝫ scientiam, quæ est præstantissima pars mathematicæ ad naturæ contemplationē pertinens: Sarra uero principatus meus (sic enim hoc nomē interpretatur) nondum generalis uirtus euaserat: genus autem omne est incorruptibile: sed iuxta particulares speciales qꝫ istas censebatur, ut prudentiam quæ in me est, item fortitudinem, temperātiam, iustitiam: quæ sunt corruptibiles sicut ego ipse qui sum earum domicilium: tunc Agar, illa inquam indifferens disciplina encyclica, etiam si tetricum istud uitæ genus, quam uirtutis sectatores degunt, conetur effugere, reuertitur tamen ad relictos dominos, nondum ualentes ad generale illud incorruptibileqꝫ fastigium uirtutis pertingere: cuius uel medium tenere satis est, priusquam ad summum euaditur. At cum Abraham ex naturæ scrutatore factus sapiens & amator dei, nomine quoqꝫ mutato præ se fert patrem electum soni: sic enim interpretatur: nam clare so-

nat sermo, cuius pater est intellectus compos uirtutis: Sara uero pro principatu meo fit Sarra, quæ uox significat principem: quod perinde est atque fieri è speciali corruptibilique uirtutem generalem & incorruptibilem: exoritur uero & Isaac ille felicitatis filius: desinentibusque muliebribus, & emortuis affectibus, succedit gaudium: puer quoque non pueriles sed diuinos lusus sectatur non absque uirtute: tunc expelluntur illa rudimenta disciplinarum, quæ nomine Agaris signantur, expellitur simul sophista filius, cui nomē Ismael. exulabunt autem in æternum, ipso deo confirmante exilij sententiam, dum iubet sapientem obedire dictis Sarræ. Diserte enim dicit: Ejice ancillam cum filio. Virtuti autem parere decet, præsertim autori talis sententiæ: quia perfectissimæ naturæ à mediocribus habitibus plurimum differunt: & sapientia alienissima est à sophistica. nam hæc circa paraturam credibilium uersatur, quibus falsas opiniones & perniciosas astruat. Sapientia uero per meditationem ueritatis, cum utilibus cogitationibus adfert rectæ rationis scientiam. Quid igitur mirum si Adami quoque intellectum occupatū imprudentia morbo insanabili, omnino deus expulit è uirtutum regione nunquam rediturum? quādo & omnem sophistam, & matrem eius disciplinam istorum rudimentorum profligat & expellit à sapiēte & sapientia, quibus Abraham & Sarram facit nomina. Tunc & flāmeus gladius & Cherubim contra paradisum collocantur. Dicitur aūt contra esse, uel quod inimicū & infestū est, uel quod iudicandum, ut reus coram iudice: uel quod cognatū, quando collationis causa & diligentioris considerationis aliud ponitur contra aliud, sicut pictores fictoresque tabulas statuasque ad exemplaria conferunt. exēplum contrariorum infestorum est in Cain, quando dicitur: Exiuit à facie dei, & habitauit in terra Naid contra Edem. Interpretatur autem Naid cōmotio, Edem deliciæ. illud maliciæ concutientis animam signum, hoc uirtutis priuationem affectuum afferentis & delicias, non illum pruritum uoluptatis affectionis brutissimæ, sed magna cum facilitate gaudium tranquillum expersque laborum. Necesse est autem ut ab imaginatione dei digressa cogitatio, cui bonum commodumque erat fulciri, nauis in salo iactatæ more, uentis inter se confligentibus, ultro citroque feratur, patriam domumque nacta agitationem: quod quidem maxime pugnat cum firmitate animæ, quam cōciliat gaudium, Edem nominatum. Oppositionis autem quæ fit propter iudiciū, exemplum habetur de muliere suspecta adulterij. Statuet, inquit, sacerdos mulierem contra dominum, & reteget caput eius.] Hæc quid sibi uelint explicabimus. Quod fieri debet, sæpe fit nō ut debet: & quod non est officiū, interdum fit officiose. Quale est cum depositum redditur, nō bono animo, sed aut in detrimentum accipientis, aut insidiose: ut comparata semel fide occasio captetur abnegandi maius depositum: tunc officium non officiose fit. E diuerso quoties ægroto nō dicit uera medicus, purgaturus eum aut secturus aut usturus propter ipsius utilitatem, ne forte metu doloris fugiat medicinam, aut ob imbecillitatem linquatur animo: item quoties sapiens mendacio fallit hostem propter salutem suæ patriæ: ueritus ne si uera prodat, uires addat aduersarijs, inofficiosam rem facit officiose. Ideoque præcipit Moses: Iuste iusta exequere.] Quasi etiam iniuste proferatur iusta sententia, si bonus

animus nō adſit iudici. Ergo quoniam quicquid dicimus aut facimus liquet omnibus, animus autem quo dicimus quæ dicimus & facimus quę facimus ignotus eſt, nec compertum habetur ſit ne ſanus purusq́, an pollutus morbis uarijs: quòd nemo natus queat occultas cogitationes perſpicere, ſed ſolus deus, atteſtante Moſe dicenteq́, Occulta domino deo, aperta creaturis nota eſſe: præcipitur ſacræ diuinęq́ rationi, ut animam contra deum ſtatuat reuelato capite, hoc eſt retecto præcipuo decreto animi, quod quaſi caput cæterorum ſit, nudataq́ ſententia cum qua conſueuimus, ut in conſpectu acerrimo dei iudicis incorrupti examinata, aut coarguatur faſtuoſæ ſimulationis tãquam nummus improbus: aut immunis ab omni malicia diluat obiectas calumnias, freta teſte qui ſolus poteſt nudam animam inſpicere. Contrarium igitur quod iudiciale diximus, tale eſt. Illud uerò quòd attinet ad ſimilia & quodammodo familiaria, de ſapientiſsimo illo Abraham dicitur: Adhuc, inquit, ſtabat contra dominum. moxq́ argumentum familiaritatis ſubiungitur: quòd accedens alloquitur eum. Nam alieno abſcedere ſemouériq́, familiari uerò proprius accedere conuenit. ſtare autem immutabilemq́ obtinere mentem, prope ad diuinam potentiam accedit. quia in deum immutabilitas, in creaturam mutabilitas naturaliter competit. Si quis igitur natiuam ſuam procliuitatem amore ſcientiæ refrenãs, cogit eam ſtare, deo iam propinquus agnoſcat felicitatem ſuam. Cæterum Cherubim & igneo gladio contra paradiſum habitatio conuenienter aſsignatur, non tanquam hoſtibus locum oppugnaturis, ſed tanquam familiariſsimis amiciſsimisq́: ut ex aſpectu contemplationeq́ mutua nunquam intermiſſa, innaſcatur utriſque potentijs deſiderium mutuum, aſpirante his uolucrem cæleſtemq́ cupidinem deo benigniſsimo. Quid autem per illa Cherubim & uerſatilem gladium igneum ſubindicetur, iam conſideremus. Quid ſi hic totius cæli circumferentiam cogitari uult? nam cæleſtes orbes habent motus inter ſe contrarios: quorum alter dextrorſum fert fixa ſidera, alter ſiniſtrorſum erratica. ſed extimus ille orbis fixarum ſtellarum unus eſt, qui ab oriente ad occidentem uoluitur: interiores autem ſeptem, erraticarum uidelicet, quorum curſus ſimul coactus & uoluntarius, duos motus habet inter ſe contrarios. coactus quidem qualis fixorum ſiderum, quæ quotidie uidemus ab oriente in occidentem tendere: proprius autem à ueſpertinis cæli partibus ad matutinas: qui uariat tempora circuitus, & ad idem ſignum reditus ſeptem ſiderũ, quòd quædam ex his decurrant pariter, ſol, lucifer, & quem ſtilbontem nominant. Tres enim hi pari celeritate ſunt. Quędam uerò impariter, ſic tamen ut certam proportionem reſpectumq́ ſeruent & inter ſe inuicem, & ad illa tria reliqua. atq́ ita intelligitur alterum è duobus Cherubim extima illa uniuerſi cæli circumferentia, in qua eodem ſemper modo diuinas reuera choreas fixæ ſtellæ agitant, nunquam deſerentes ordinem, quem pater conditorq́ tenere eas in mundo uoluit. Alterum uerò interior orbis, quem ab initio ſeptifidum fecit opifex, diſtinctum in ſeptem certis proportionibus inter ſe reſpõdentes circulos, quibus ſuus cuiq́ planeta inſertus eſt: quibus tamen opifex non commiſit habenas, ueritus ne male regerent, ſed uniuerſas à ſeipſo pendere uoluit, ratus ſic maxime concinnum motum fore. Quicquid

enim cum deo fit, merito laudandum est: sicut quicquid sine deo, uituperandum. Hic unus modus est quo Cherubim intelliguntur allegorice. Caeterum de gladio uersatili & igneo sic intelligendum, ita significari motum eorũ & uniuersi caeli perpetuum. Quid aũt si & aliter haec accipiantur: ut duo Cherubim significent utrumque hemisphaerium. aiunt enim ea habere obuersas in se inuicem facies, arcam propitiatoriam utrinque spectantia: quandoquidẽ & hemisphaeria ex aduerso spectant se inuicem, prona in terrã sitam in uniuersi meditullio, per quod etiam dipescũtur. at illa sola omniũ mundi partium firmiter stans, appositissime à priscis ἑστία, seu uesta nominata est: ut circum aliquid stabiliter fixum utriusque semiorbis cõcinnissima fieret circumuolutio: igneus uerò gladius solem significet. nam cum sit gladius flãmeus, nihil est eo currente uelocius, adeò ut una die circum totum mundum rotetur. Quin & doctius quiddam audisse memini à mea anima, quę nonnunquam diuino spiritu correpta, solet ne sibi quidem nota prodere oracula: quod, si reminisci potero, dicam. Dicebat autem mihi: secũdum unicum illum uerũ deum esse duas supremas primariasque potestates, bonitatem & potentiam. & bonitate quidem uniuersa esse condita: potẽtia uerò, creaturas omnes gubernari. Tertium uerò conciliatorem amborũ medium esse sermonẽ siue rationem. Hoc enim sermone deum & bonum esse & principem. itaque harũ duarum potestatũ, principatus bonitatisque, haec Cherubim esse symbola: sermonis autem flãmeum gladium. uelocissimus enim & calidus sermo est, praesertim Causę illius summę: quia & tempore pręuenit omnia, & ante omnia intelligitur, & elucet in rebus omnibus. Proinde utriusque Cherubim ô mens formã excipe non adulterinam, ut de Causae summę bonitate ac principatu euidenter edocta, fructum felicem capias. mox enim cognosces immortalium illarũ potentiarum coniunctionẽ cõtemperationemque: quatenus deus bonus est, elucere nihilominus maiestate: quatenus princeps, eminente hic quoque bonitate: ut uirtutes quę inde nascuntur acquiras, humanitatem pietatemque: neque prosperitate insolescens, memor illius maiestatis regiae: neque in aduersitatib. desperans, affulgente spe meliorum, per bonitatẽ magni benignique dei. Igneus autẽ ideo gladius dicitur, quia requiritur hic unà cum actionibus sermo feruens & igneus, qui nunquam moueri desinit, properans semper expetendo bona, fugiendoque contraria. Annõ uides quod & sapiens ille Abrahã quando incepit iuxta deum metiri omnia, nihil creaturę tribuens, accipit ad ignei gladij similitudinẽ ignem & gladium, resecare ac exurere quicquid mortale habebat cupiens, ut expedita cogitatione sublimis ad deum euolaret? At Balaam ille, id est uanus populus, inducitur inermis desertorque militiae, imperitus belli quo anima sibi parat sciẽtiam. sic enim alloquitur asinã, hoc est brutum uitae propositum, cui omnis insipiens insidet: Si gladium haberem, iam te transfixissem. Gratia maxima conditori, qui sciens imprudentiae rabiem, non dedit tanquam furenti gladium, uerborum facultatẽ, ne quoscunque obuios magna clade conficeret. Sed qualis Balaam, talis unusquisque nõ perpurgatus, semper inaniter culpat, negociatoriã puta, aut rusticã, aut aliã quamuis facultatem uictus parandi: donec fausta omnia contingunt, gaudens uectatione haerensque iumẽto, nec putans bonum cõmodumque interquiesceret:

quin

quin & monẽtes ut desistat & imponat modum suis cupiditatibus, propter futuri temporis incertitudinem,inuidos appellat,negans eos monere bono animo. Vbi uerò accidit inconsulta infelicitas, eosdem ipsos ut bonos uates miratur,quibus nemo melius futura conijciat: culpam autẽ calamitatis auertit in artes innoxias, agriculturam, negociationem, aliáue studia, in quibus lucri causa uersatus fuerat. Illæ uerò quamuis uocis instrumentis careant, re ipsa erumpunt in clamorem longe clariorem quàm qui per linguam fit, dicentes:Annon,ô sycophanta nos sumus illæ,quibus tanquam iumentis insidebas elata ceruice? nósne contumacia nostra in præsentem calamitatem te coniecimus? Vide resistentem ex aduerso dei sermonem armatum, qui solet bonũ malumq́; definire.non uides? quid igitur nunc nos culpas,quas prius dum res ex sentẽtia succedebant, non accusasti? eramus enim eædẽ,ac nè tantillum quidem mutatæ sumus. tu uerò corrupto iudicio fine ratione turbaris atq; trepidas.si enim ab initio persuasum habuisses,quod nõ studia quęcunq; bonorum malorumq́; causa sint, sed qui est ad clauum gubernator rerum omniũ sermo dei, facilius hos casus ferres, nósq; calumniari desineres, nec ascriberes nobis quę non sunt in nostra potestate.Ille si inimicitijs depositis, & tristibus tuis cogitationibus dispulsis, pacatam uitam tibi promiserit, hilaris gaudensq́; manum nobis inijciet quæ semper nostri sumus similes.Cæterum nos neq; fauore tuo inflamur,neq; iram tuam magnifacimus. Sumus enim nobis cõsciæ, quod nec bonorum nec malorum causa,sicut tu suspicaris,sumus.nisi forte mari quoq; uel prosperas nauigationes imputas uel fortuita naufragia,& non potius uẽtorum diuersitatibus,nunc molliter, nunc uehementissimo impetu spirantium.Cum enim omnis aqua suapte natura quieta sit,quoties secundus uẽtus à puppi aspirat, omni rudente moto, plenis uelis naues in portum inferuntur: quoties aũt repente aduersus à prora incubuit, multam iactationem ac strepitum excitat, interdum etiam subuertit nauigium:& tamen innoxio mari crimẽ hoc ingeritur, cum satis appareat remissione uehementiaq́; uentorum aut fluctus aut tranquillitatem fieri. Atq; ita iam satis declaratum existimo,quod natura quę rationem auxiliatricem ualidissimam homini addidit,eum qui hac potest uti, felicem merito reddidit,ut uere rationalem:eum uerò qui non potest,brutum atq; miserrimum. Adam uerò cognouit uxorem suam, quę concepit & peperit Cain filium,dicens:Possedi hominẽ per deum.& apposuit parere Abel fratrẽ eius.] Quorum uirtuti legislator testimonium reddidit, eos non inducit uxores suas cognoscere,ut Abraham, Isaac, Iacob, Mosem, & siquis eorum similis. Quoniã enim diximus per mulierẽ figurate sensum intelligi,alienatione autem à sensu & à corpore comparatur scientia,à sapientię amatoribus sensum potius improbari q̃ eligi ostendetur. & fortasse non immerito. quæ enim cum his conuenerunt in matrimoniũ,uerbo sunt uxores, re autem uirtutes. Sarra princeps & dux. Rebeca constantia in honestis. Lia fatigata propter continuatã exercitationem,quam deuitat auersaturq́; omnis insipiens. Sephora uerò Mosis coniunx,à terra sursum in cœlum currens,& diuinas illic felicesq́; naturas considerans.uocatur autem auicula. Cęterum ut uirtutum conceptus partusq́; edisseramus, superstitiosi discedant obturatis auribus.

diuina enim mysteria tradimus his qui talibus sacris digne initiati sunt: hoc est, qui ueram & minime fucatam pietatem colunt cum modestia. illos autem haudquaquam ad hæc sacra admittimus qui tenentur morbo insanabili, fastu uerborum, & nominum copia, & præstigijs ethnicis, his tantum rebus sanctitatem metientes non alijs. Exordiemur autem hæc mysteria sic. Vir cum muliere, homo masculus cum homine fœmina liberorum procreandorum causa iunguntur naturaliter. cum uirtutibus uerò quæ multa perfecta pariunt, non est fas mortalem uirum congredi: quæ tamen nisi à quopiam alio genituram excipiant, ex seipsis nunquam erunt grauidæ. Quis igitur his honesta indit semina, nisi omnium pater, ingenitus deus, ipse gignens uniuersa? hic igitur seminat, moxque genimen suum proprium quod seminauit, elargitur. nihil enim sibijpsi gignit, cum nulla re opus habeat: sed omnia in usum accipientium. nunc adducam horum testem idoneum Mosem illum sanctissimum. Sarram enim inducit tunc prægnantem, quando deus eam solitariam inspicit. parere autem hanc non ei qui ipsam inspexit, sed studioso sapientiæ, qui nominatur Abraham. id apertius docet in Lia, dicens uuluam eius apertam à deo: quod uiri est proprium. at illa post conceptionem peperit, non deo qui solus ipse sibi sufficit: sed Iacob illi qui laborem propter honestatem suscipit. atque ita fit ut uirtus à summa illa Causa concipiat semina, pariat autem unicuipiam è suis amatoribus, quem sibi ex omni procorum numero selegerit. Rursum sapientissimo Isaac deum rogante, ex rogato perseuerantia quæ uocatur Rebeca concipit. at absque supplicatione & precibus uolucrem illam sublimemque uirtutē Sepphoram Moses assumens, inuenit ex nullo mortali grauidam. hæc ô mystæ purgati aures, tanquam uere sacramenta animis uestris percipite, non effutienda apud quenquam profanum: recondite hæc intra uos & tanquam thesaurum seruate, in quo non aurum argentumque res corruptibiles sitę sunt, sed uerarum possessionum pulcherrima, nimirum de Causa illa summa, de uirtute, deque fœtu ex ambobus nato scientia. quod si in aliquem initiatum incideritis, urgete eum precibus, ne forte uos cælet aliquod recentius mysterium, donec illud extorqueatis. Ego enim quamuis apud amicū dei Mosen magnis initiatus mysterijs, tamen quia rursum Ieremia propheta cōspecto, cognoui eum nō solum tenere mysteria, sed posse docere quoque, non grauatus sum scholam eius frequentare. ille uerò utpote diuino plenus spiritu, oraculum quoddam edidit ex persona dei sic ad placidissimam uirtutem loquentis: Nónne tanquā domum me nominasti, & patrem, & uirum uirginitatis tuæ? manifestissime docens, quod deus & domus sit, incorporearum idearum incorporeus locus: & uniuersorum pater, ut qui ea genuit: & sapientię uir, semen felicitatis in usum mortalium iaciēs in bonam terram uirginem. Decet enim impollutam, intactam puramque & uere uirginē naturam cum deo colloqui, longe diuerso modo quàm apud nos fit. homo enim quando liberos sibi quærit, ex uirginibus reddit mulieres. at deus quando incipit cum anima habere consuetudinem, eam quæ modo mulier fuerat, restituit in uirginitatem pristinam: quandoquidem sublatis degenerib. & minime uirilibus cupiditatibus quibus effœminata fuerat, generosas & integras uirtutes in earum locum substituit

tuit. Sarræ igitur non antè consuescet, quàm illi desinant omnia muliebria, ita ut reuertatur in pristinum castarum uirginum ordinem. fieri tamē potest ut & uirginis anima lasciuis affectibus polluta deturpetur, ideo firmū certumque manet oraculum, quod dicit deum uirum non uirginis, hæc enim mutabilis & mortalis est, sed uirginitatis, scilicet ideæ, quæ semper est sui similis. cum enim generatio & corruptio naturæ ordine cadat in res mortales; illæ archetypæ potentiæ istarum rerum fictrices particularium, immortalitatē sua sorte adeptæ sunt. Et non decebit deum qui est ingenitus & immutabilis, uirtutum immortalium semper uirginum ideas seminare in uirginē transformatam ex muliere? Cur igitur ô anima cum debeas in dei domo uirginitatē seruare, & scientiam complecti, his neglectis sensum complecteris effœminantem te & pollucntem? itaque paries partum totum uitiosum ac perniciosum; illum fratricidam execratum Cain, possessionem non possidēdam. uocatur enim Cain possessio. Cæterū mirari posset aliquis narrationis modum, quo sæpe in multis legislator utitur præter uulgatam cōsuetudinem. Postquam enim dixit de terrigenis, narraturus de primo nato ex hominibus, de quo hactenus nihil omnino dixerat: quasi iam sępe eum nominasset, ac nō nunc primum insereret eius nomen suis uerbis, peperit Cain illum, inquit. Quēnam ô scriptor, de quo antea nihil uel paruum uel magnū significasti? atqui non ignoras conuenientē dispositionem nominum. certe procedēte sermone, de eadem persona dicturus es: cognouit Adam Euam uxorē suam, & peperit filium, uocauitque nomen eius Seth. An non igitur multo magis oportebat loquendo de primogenito, qui erat principium successiuę generationis hominum, primo sexū recens nati declarasse quod erat mas. deinde proprium nomen adiungere, puta Cain, aut quodcunque. quoniā igitur non quasi nesciēs quomodo nomina ponenda sint, in mentione Cain uidetur discessisse à consuetudine, considerandum quam ob causam sic nominarit natos è primis parentibus, obiter magis quàm modo quo solemus narrare impositionem nominum. est autem, quantum equidem conijcere possum, causa hæc. Reliquum uulgus hominū nomina imponit rebus diuersa ab ipsis rebus: ut aliud ipsæ sint, aliud sonent earum uocabula: apud Mosen uerò nominū impositiones manifestissime res ipsas indicāt, ut res necessario in nomē abeat sine ulla differentia. Quod dico disces clarius ex subiecto exemplo. Quādo intellectus (uocetur hic Adam) incidens in sensum per quem uiuere uidentur animalia (uocetur hæc Eua) cupidine uictus cōgreditur: illa uerò concipit tanquam cassibus & uenatur naturaliter externa sensibilia, per oculos colorem, per aures uocem, per nares uaporem, saporem per gustus instrumenta, per totum corpus quæ tanguntur: tunc prægnans facta mox parturit, paritque maximū animæ malum arrogantiam. arrogat enim sibi ceu proprias possessiones, quicquid uidit, quicquid audiuit, quicquid gustauit, quicquid olfecit, quicquid tetigit, credens se horū omnium inuētricem & artificem. id aūt ei non absque ratione accidit. erat enim fortasse aliquando tempus quando intellectui nihil erat cum sensu negotij, neque habebat sensum, multum remotus à rebus istis gregalibus & unà uersari solitis, ipse similis solitarijs animalibus in secessu degentibus. tunc sanè cum seorsum censeretur, non tangebat corpus,

ut qui careret instrumento quo externa captaret, sed erat cæcus & impotes; non sicut uulgò nominant cum uident orbatum oculis: hic enim uno sensu priuatus, reliquis abunde fruitur: ille autem omnib. sensitiuis potentijs mutilatus, reuera impotens erat dimidiò animæ mulctatus, egenus uirium quæ natæ sunt ad apprehendenda corpora, misera portio separata à sua cognata, carens sensitiuis instrumentis, quibus uice scipionis uacillans sustentaretur. quapropter multis tenebris pressos habens oculos, nihil cernere poterat. carebat enim sensu per quem res dignosceret. Volens igitur deus non solum incorporearum rerum, sed & solidorum corporũ comprehensionem ei præbere, expleuit totam animam, iam ante factæ portioni attexens alterã, quam nominauit appellatiue quidem mulierẽ, proprie uerò Euam, sensum subindicans. quæ ut primum nata est, per singulas sui partes ceu per quędam foramina magnam uim lucis infudit, quæ intellectum subintraret: atq; ita caligine depulsa effecit, ut clarè manifesteq; uideret naturas corporum tanq; dominus. ille uerò quasi post noctem solis splẽdore perfusus fulgido, aut è profundo somno excitus, aut quasi cæcus repente uisu recepto, intuebatur omnes simul creaturas, cælum, terram, aquam, aerem, stirpes, animãtes, habitus earũ, qualitates, uires, sexus, affectus, motus, actiones, efficacias, mutationes, corruptiones: & quædam uidebat, quædã audiebat, quædam gustabat, quędam tangebat: ad alia procliuior, scilicet uoluptatem afferentia, ab alijs alienior, ut dolorem inducẽtibus. Ergo cum circumspexisset circa se omnia, contemplatus seipsum suamq; potentiam, ausus est gloriari sicut aliquando Alexander rex Macedo, nam & illum aiunt, cum uellet ex Europa bellum inferre Asiæ, opportuno inter utramq; loco stantem, lustratis aspectu circa se omnib. dixisse, & hæc & hæc mea sunt, puerili plebeiaq; leuitate animi, non pro maiestate regia. sed lõge antea intellectus sensitiuam uim nactus, & per eam potitus omnib. ideis corporis, repletus irratiõali fastu intumuit, ut omnia se possidere crederet, alios nihil omnino. Hunc in nobis morẽ exprimens Moses, addidit Cain possessionẽ interpretari, stultitiæ uel potius impietatis plenum. Cum enim debuisset dei possessionem omnia credere, suam existimare maluit, ne sui quidem satis compos, imò ne suam quidem sciẽs essentiam. Attamen confidit sensibus tanq; idoneis ad captanda externa sensibilia. Dicat igitur quomodo oculis, auribus, aliòue sensu nõ errare poterit. atqui necesse est his singulos nostrum labi fallíq; continue, etiamsi nobis contingãt horum instrumẽta absolutissima. Naturales enim noxas & errorem inuitis sese ingerentem omnino effugere difficile, atq; adeò impossibile, cum infinita falsas opiniones excitãtia sint & in nobis & circa nos & extra nos, passim in uniuerso mortali genere occurrẽtia. Ergo insanit cum suam possessionem existimat omnia, quanquam sibi erecta ceruice placet. Sicut Iacob opinor ualde risit Labanem addictum qualitatibus, ipse magis contemplator naturæ expertis qualitatum, quando ille ausus est dicere: Filiæ meæ & filij mei & pecora mea, & omnia quæcunq; uides, mea sunt, & filiarum mearum. Nam iste ad singulas uoces illud meum accinens, non desinit de seipso loqui magnifice. Ita'ne filias (sunt hæ artes scientiæq; animæ) tuas ais esse filias? Dic quomodo? annõ primum ab intellectu eas edoctus habes? deinde sic natus

es ut eas sicut cætera possis amittere, uel propter aliarum curarum magnitudinem oblitus, uel propter diuturnas molestasq; infirmitates corporis, uel propter destinatum senibus morbum incurabilem, ipsum senium, uel propter infinita alia, quorum iniri non potest numerus. Quid filios (hi sunt particulares ratiocinationes animæ) cùm tuos ais, sobriúsne es an insanis cũ tali opinione? certe atra bilis, deliratio, mentis alienatio, coniecturæ incertæ, & imaginationes rerum fallaces, inanesq; quædam cogitationes somniorum similes quibus uelimus nolimus distrahimur, adhęc coalitus animę morbus obliuio, multaq; præterea, non sinunt te esse firmum rerum dominum, & declarant, omnia esse alterius, nõ tua. Quid de pecoribus? quæ sunt sensus. brutum enim quiddam & pecuinum sensus est. hæccine audes tua dicere? amabò cum secus uides, secius audis plerũq;, interdum falsos succos dulces esse iudicans, & cõtrà dulces amaros; & per omnes sensus sæpius falleris q̃ recte iudicas, non erubescis? sed tanquam nunquam errares ulla ui aut actione animæ; superbia fastuq; intumescis? Quod si mutatus ad meliorẽ ut decet mentem redieris, dices à deo possideri omnia non à te, cogitationes, scientias, artes, contemplationes, particulares ratiocinationes, sensus, operationes animæ quas uel cum his operatur uel sine his. Quod si perges absq; pędagogo magistroq; uiuere, per totam ætatem feres graues dominas, arrogãtias, concupiscentias, uoluptates, iniustitias, imprudentias, falsas opiniones. Dicit enim: Si respondeat seruus, Contẽtus sum domino meo & uxore mea cõmunibus'q; liberis, nolo esse posthac liber: adductus ad tribunal dei, iudicante ipso ferenteq; sententiã, habebit quod postulauit, perforata primum auricula, ne exaudiat dei uerba de libertate animæ. Est enim hominis reiecti uelut è sacro certamine reprobatiq;, & planè puerilis cogitationis, iactare amorẽ domini, & intellectum habere pro hero atq; benefactore, iactare itèm amorem sensus, eumq; inter præcipua sua bona possessionesq; censere, natosq; inde pueros: ex intellectu cogitationes, ratiocinationes, coniecturas, cõsilia: ex sensu, uisum, auditum, gustum, odoratum, tactumq;, & communem sentiendi uim. Necesse tamẽ est his adductum nullo teneri libertatis desiderio. nam per horum fugam abalienationemq; potimur immunitate. rursus alius quidam præter charitatis affectum etiam insaniã præ se ferens sic loquitur: Quod si quis rapuerit, tanquam de proprijs certabo, & per uim recipiã. Persequendo enim, inquit, comprehendam, diuidam spolia, explebo animam meam, & interficiam gladio meo, & præualebit manus mea. Hunc libenter sic compellarem: Nescis fatue, quod quisquis natus putat se persecutorem, alium persecutorem habet. morbus enim, senectus, mors, aliaq; turba uolentium nolentiumq; malorũ unũquemq; nostrum exagitat, circũagit atq; persequitur: & qui se putat prehẽdisse tenereq;, cõprehensus tenetur. Nec deest qui prędam sperans, & eius portiones sibi pollicẽs, pręda fit ipse redactus in alienã potestatem, esuriem pro saturitate: & seruitutẽ pro dominatione admittẽs in suã animã, & interemptus dum aliũ uult interficere, & prorsus omnia passus quę intentabat alijs. erat enim iste reuera omnis rationis & naturę aduersarius, omnia quę sunt agẽtis usurpãs sibi, patiẽdi prorsus immemor, quasi extra omnem aleam positus. Sic enim infensus loquitur: Persequendo

compre-

cōprehendam. Quis igitur possit esse infestior animæ hostis, quàm qui per iactantiam quæ dei sunt sibi usurpat? certe deo proprium est facere, nec fas est id ulli creaturæ ascribere. proprium autem creaturæ pati. quod quisquis ut peculiare necessariumq́ꝫ præceperit animo, facile feret casus uel grauissimos. contrà si alienum à se putarit, oppressus mole intolerabili, Sisyphiam pœnam sustinebit, ne caput quidem ualens attollere, sed ab omni occurrente aduersitate obtorto collo abreptus, præbensq́ꝫ se cuiq́ꝫ obnoxium propter degeneres effœminatosq́ꝫ affectus animæ. Debuerat enim sufferre atq́ꝫ resistere, & obfirmare mentem cōmunitam septámq́ꝫ suis potentissimis uirtutibus, fortitudine ac tolerantia. Quemadmodum igitur tonderi duplex est, alterum genus præbens se & accommodans, alterum tantùm sustinens: pecus enim aut tergus aut uellus nihil ipsum agens, sed patiens solummodo tondetur ab alio: homo uerò adiutans tonsorem gestuq́ꝫ se accommodans, & agens simul atq́ꝫ patiens: ità tundi quoq́ꝫ aliter uerberoni seruo accidit uapulanti meritò, aut ingenuo propter maleficium in rota extenso, aut inanimæ rei cuipiam: tunduntur enim lapides, ligna, aurum, argentum, aliæq́ꝫ materiæ, quas fabri in suis officinis aut concidunt aut dilatant in laminas. Aliter autem athletæ pugilatu certanti, aut pancratio amore coronarum & uictoriæ. hic enim illatas plagas utraq́ꝫ manu discutit, & ceruice huc illuc reducta ictus euitat: nōnunquam erectus in summos pedum digitos & attollens se, aut contra submittens atq́ꝫ contrahens, eludit frustraturq́ꝫ aduersarium, quasi cum umbra pugnantem: mancipium uerò aut ferrum nihil agens inuicem, iniuriam omnem sustinet ad uoluntatem alterius. talem igitur affectum nunquam in corpus admittamus, multo minus in animam: sed potius illum contrarium, quandoquidem mortalem pati necesse est: ne tanquā effœminati, fracti dissolutiq́ꝫ ante tempus deficiamus per imbecillitatem uirtutum animæ, sed robusti neruos mentis, possimus impēdentia mala leuiora reddere. Quoniam igitur satis declaratum est, neminem mortalem habere ullius rei stabile certumq́ꝫ dominium: quos autem uulgus dominos uocat, opinione magis q̄ reuera esse dominos: & necessum est ut subditum ac seruum, ita rectorem in hoc uniuerso esse ac dominū: reuera princeps ac imperator unus deus habendus est, quem decet hæc uox: Omnes res meæ sunt. Videamus nunc q̄ magnifice diuineq́ꝫ de his scriptura loquatur: Omnia, inquit, mea sunt. Hæc autem sunt dona, munera, oblationes, quas, inquit, mihi offeretis semper in meis festis diebus. Valde aperte docēs, quod in rebus aliꝗ mediocri gratia dignæ sunt, quæ uocantur munera: aliæ maiore, quæ uocantur dona propriè: aliæ sunt eius generis, ut nōn solum fructus proferant uirtutum, uerumetiam totæ refertæ sint aptis ad uescēdum fructibus, quibus solis anima contemplatrix alitur. Hæc quicunq́ꝫ didicit, potestq́ꝫ conseruare in mente atq́ꝫ custodire, irreprehensibile pulcherrimumq́ꝫ sacrificium offeret deo, scilicet fidem, idq́ꝫ non in festis istis mortalium. habet enim sua festa, decreto nixus summe necessario philosophiæ sodalibus. est autem hoc: Solus deus uere festum agit. solus em̄ gaudet, lætatur, hilaritate paceq́ꝫ fruitur ab omni bello semotissima. Præterea timoris expers, nihil cum malis habens cōmercij, nemini cedit, non dolet, non lassatur, plenus felicitate sincerissima. ipsius

natura

natura perfectissima, imò ipse fastigium est extremaq́ linea felicitatis ac perfectio, non egens alio per quem fiat melior, sed ultro omnibus particularia bona ceu è fonte impartiens. Nam quæ in mundo sunt bona, nõ essent talia, ni ad archetypi illius uere boni, ingeniti, beati incorruptibilisq́ similitudinem facta fuissent. & ideo sabbatum, quod interpretatur quies, dei esse Moses dicit in multis legis locis, non hominum, attingens philosophiam necessariã. Quod enim in rebus quiescit, si uera fateri oportet, nihil præter deum est. Requiem autem non ocium uoco: est enim suopte ingenio actiua Causa illa omnium, nunquam desinens à faciendis rebus pulcherrimis: sed operationem illam quę sine labore fatigationeq́ fit cum facilitate maxima. Solem enim & lunam & uniuersum cælum mundumq́, cum non sint sui iuris & in potestate propria, & moueantur feranturq́ continue, fas est dicere laborare: cuius laboris argumentum liquidissimum extat in annuis horarum siue temporũ quatuor uicibus. Nam & ea quæ in cælo sunt amplissima suos motus uariant, iam septentrionales, iam austrinos, iam alios atq́ alios cursus facientia: aer quoq́ frigus æstum & omnimodam admittens temperiem, ex suis affectionibus laborare deprehenditur: quoniam generalissima mutationis causa est fatigatio. Stultum autem esset de terrestribus aquaticisq́ prolixius agere, memorando uniuersales particularesq́ horum mutationes. hæc enim uerisimile est multo magis quàm sublimia illa imbecillitati obnoxia, ut quæ multum ultimæ istius terrenæ essentiæ habeant. Ergo quoniam quę mutantur propter fatigationem mutari solent, deus autem mutari uertiq́ non potest, naturam habet infatigabilem. quod uero non debilitatur, etiam si faciat omnia, id in æternum non desinit quiescere. Itaq́ soli deo maxime proprium est requiescere. Demonstraui autem, etiam festum agere ipsi conuenire. Solius igitur summæ Causæ & festa sunt & sabbata, hominum autem nullius omnino. I si libet contemplare celebritates nostras cantatissimas. omittantur quæ apud barbaras simul & Græcas nationes per occasionem figmentorum fabulosorum aliæ aliâs instituteę sunt, in nullum alium finem quàm uanitatem pompofam fastuosamq́. uix enim tota ætas hominis sufficerit ad diligenter excutiendas inconsistentias quæ insunt singulis. de præstantioribus tantum pauca pro ratione temporis libet dicere. In omni festo nostro & celebritate quæ miramur sunt hæc: securitas, remissio, quies ab inferendis iniurijs, ebrietas, potatio, comessatio, deliciæ, oblectamenta, patentes ianuæ, pernoctationes, indecentes uoluptates, quotidianæ nuptiæ, insolentiæ, exercitium intemperantiæ, insipientiæ meditatio, studia turpitudinis, honestatis pernicies, nocturnæ excitationes ad cupiditates inexplebiles, somnus diurnus, quando uigilandi tempus est, naturæ ordinis peruersio. tunc uirtus ridetur ut noxia, uitium tanquam utile rapitur. tunc in contemptu sunt quæ oportet facere: quæ uerò non oportet, in precio. tunc musica, philosophia, & omnis eruditio, diuinæ animæ diuina res uera simulacra tenent silentium. at istæ artes quæ suis lenocinijs uentri & his quæ sub uentre sunt uoluptatem conciliant, ostentant suam facundiam. hæc sunt festa istorum qui se felices dicũt. quorum turpitudo quamdiu intra priuatos parietes locaq́ profana cõtinetur, minus peccare mihi uidẽtur: ubi

ubi uerò torrentis in morem populans omnia, uel in sacratissima templa irrumpit, quicquid in his sanctum est sternit continuo, faciens profana sacrificia, uictimas absq; litatione, preces irritas, profana item mysteria simul & orgia, pietatem sanctitatemq; fucatam & adulterinam, castitatem impurã, ueritatem falsatam, cultum dei superstitiosum. adhæc corpora quidem abluuntur lauacris & purificationibus: affectiones uerò animæ quibus uita sordidatur, nec uolunt nec curant eluere. Et ut candidati templa subeant dãt operam, diligenter emaculatis amicti uestibus: mentem uerò maculosam in ipsa sacraria penitissima inferre non uerentur. Item si quam pecudẽ animaduertant parum integro corpore, ejiciunt extra purificatum aspersione tẽpli spacium, nec patiuntur adduci ad altaria, quãuis inuita & per uim mulctata sint parte aliqua corporis: ipsi consauciati animas morbis grauibus, quos eis inflixit impotens malicia, uel potius mutilati castratiq; mẽbris præcipuis, prudentia, fortitudine, iustitia, alijsq; quarum humana natura capax est uirtutibus, & admissis sponte noxis, tamen audent sacris operari, rati oculum dei tantum externa inspectare adiutum luce solari, non etiam occulta æque atq; aperta conspicere, ut qui intra semet lucem habeat. eius enim Qui est oculus luce aliena non eget ut res percipiat: sed cum ipse sit splendor archetypus, infinitos emittit radios, quorum nullus est sensibilis, omnes autem intelligibiles. & ideo solus intelligibilis deus eis utitur, ex genitis uerò nemo. Quod enim genitum, id sensibile: intelligibilis uerò natura sensu non percipitur. ergo quoniam inuisibiliter subit has nostras animas, paremus ibi locum ita ut decet futurum dei habitaculum. quod nisi fecerimus, clam migrabit in aliã domum, quæ uidebitur ædificata melius. si enim quoties reges excipiendi sunt, magnificentius excolimus ædes proprias, nihil negligẽdo quod ad ornatum pertineat, sed omnia benigne ac liberaliter adhibemus ut hospitium quàm iucundissimum respondeat dignitati hospitis: regi regũ & huius uniuersi mundi rectori deo, comitatis atq; humanitatis causa dignato suã creaturam inuisere, & à summo cælo ad terram ut generi humano beneficia sua conferret degresso, qualem tandem domum oportet instrui? Absit enim ut lapideam ligneamue, quod uel dictu nefas est. Nam etiamsi tota terra aurũ, aut siquid auro preciosius, repente fieret, moxq; per opificum artes in porticus, uestibula, aulas, areas, ædesq; sacras impenderetur, ne scabellum quidẽ eius pedibus posset fieri. dignum tamen eo domicilium anima est, modo sit idonea. Ergo quia domum in terris animam inuisibilem inuisibilis dei dicimus, recte legitimeq; loquimur. quæ ut fiat firma & ornatissima, fundamenta eius iaciantur, generosa indoles & institutio, quibus uirtutes honestæq; actiones superstruantur. Eius ædificij prima ornamenta sunto præexercitamentorum ad encyclopædiam pertinentium tractatio. Nam bonam indolem sequitur sedulitas & memoria: institutionem uero discẽdi facilitas & attentio, quasi quædam radices arboris, à qua mites fructus in futurum expectãtur, sine quibus absolui mentem est impossibile. Cæterum ex uirtutibus earumq; actionibus munimẽtum firmum atq; securum accedit ædificio, ut quicquid animã ab honestate dimouere alienareq; conatur, nihil cõtra tantam munitionem ualeat efficere. à disciplinis autem encyclicis pendet totus

ornatus

ornatus animæ,quæ sunt quasi quædam dealbationes,picturæ,tabellę,mar moratæ incrustationes,quibus non parietes solum,sed & pauimenta ornã-tur,& id genus alia,nihil ad firmitatem conferentia,sed tantũ ad delectatio-nem inhabitãtium. Eodem modo & encyclopædia totam animalem domũ illustrat ornamentis uarijs. grammatica quidem dum poetarũ scrutatur car mina,& priscorum gesta cõsectatur in historijs. geometria uerò pro portio ne æqualitatem afferens:& quicquid in nobis enorme,immodicum,incon-cinnũ est,per rhythmos,mensuras modulosq; musicæ ciuilis recurans. Rhe torica autem uerborum grauitatem examinãs,& quibusuis rebus elocutio-nem accommodans, pronunciationemq; ac uim mouendorum affectuum: præterea laudationes cæterasq; uoluptates, quas facunda sonoraq; lingua excitare solet adhibens. Tali domo instructa apud mortale genus, bene spe-randum est terrestribus omnibus,expectandumq; fore ut in eam descendãt diuinæ potentiæ. illæ uerò cælitus leges iuraq; ferentes aduenient,ut eã cõ-secrent dedicentq;,iuxta iussa atq; uoluntatem patris ipsarum. Deinde com municata mensa uictuq; cum animabus uirtutum amatricibus, seminant in eis felicem progeniem:sicut & sapienti illi Abraham gratiam hospitij retule runt perfectissimam,Isaac filium. nihil enim purificatam mentem maiore af ficit lætitia,quàm quòd dominium habet, quem agnoscit regem rerum om-nium. Nam seruire deo, maxima est gloriatio,nõ modo libertate maior, sed & diuitijs,& principatu,& omnibus rebus quas mortales mirantur precio sior. Eius autem qui Est potentiam uere testatur oraculum illud: Et terram non addices in perpetuum:mea enim est uniuersa: quoniam aduenæ & in-quilini uos estis corã me. An non manifestissime docet,ius possessionis om nium rerum pertinere ad deum, usum uero solũ ad creaturã? Nihil, inquit, in perpetuum cuiquam creaturæ uenditur,quandoquidem unus est domi-nus,totius creaturæ possessor proprius ac perpetuus. utendas enim conces sit deus creaturas omnes omnibus, ut qui nullum indiuiduum perfectũ fe-cit,quod non utiq; opus habeat alio:ut propter ea quæ cupit,accedat neces sario ad illud quod exhibere potest, & illud uicissim ad hoc, & utrunq; ad alterum. sic enim futurum erat per huiusmodi commercia, ut in lyræ morẽ quæ constat è tonis dissimilibus, in communem conuenirent consonantiã, dum mutuũ dant & accipiunt,atq; ita omnia permutantur omnibus ad uni uersi mundi complementum. Conuenit enim animatis cum inanimis, bru-tis cum rationalibus, stirpibus cum hominibus. feris cum pecudibus,immã suetis cum cicuribus,masculo cum fœmella,& uicissim cum mare fœminæ: & ut compendio dicam,terrenis cum aquatilibus,his cum aeriuagis, uolu-cribus cum prædictis generibus. ad hæc terra amat cælum, hoc uicissim ter ram,aer aquam,aqua uentum:mediæ naturæ se inuicem & extremas, extre mæ medias & se inuicem:hyems certe æstatem,æstas hyemem,uer utranq;, sicut hoc ipsum amore autumnum prosequitur, ita ut singula singulis cara sint,&(ut uerbo dicam)omnia omnibus,propter usum mutuum,ut uniuer sum hoc cuius partes ista sunt,absolutum opus existat,dignum mundi opi-fice. sic igitur his compositis sibi omnium uindicauit dominium: usumfru-ctum uero distribuit suis subditis,ut seipsis uterentur,& alij alijs inuicẽ.uti-

mur enim & nobisipsis,& omnibus quæ circa nos sunt.Equidem constitutus ex anima & corpore,qui mentem,rationem,sensum habere uideor,nihil horum meum peculiare inuenio.ubi enim erat meum corpus antequã nascerer?quò discessurũ post obitũ? ubi sunt quæ aliquid uidentur ætatum differentiæ?ubi infans,puellus,puer,ephebus,adolescentulus,uestitus prima lanugine,iuuenis,perfectus uir? Vnde uenit anima,quò discessura? quã diu nobiscum habitatura?quænã eius essentia?possumus'ne dicere, quando eã accepimus?ante natiuitatẽ?sed tum nondũ eramus.post mortẽ?sed tum nõ erimus.Concretę'ne sunt corporibus?at sic deuoluemur ad rediuiuas natiuitates.an non sunt?certe nunc cum uiuimus imperata facimus magis quã imperamus,& noscimur magis quã noscimus. nouit enim nos ipsa nobis incognita, & mandata dat quæ exequi necessum est quasi famulos dña: & ubi nos relinquere uoluerit ac migrare ad suum illum principẽ, desertũ destituet hoc in quo uiuimus domiciliũ: & retinere si uoluerimus, elabetur. Habet enim naturam tenuium partium,ut nullam ansam præbeat corpori. Quid intellectus qui in me habitat,fallax coniector,erroneus æstimator,delirans,stultescens,demẽs interdum in excessu & atra bili & longo senio? At sermo mihi peculiaris est,aut uocis instrumenta?Nõne ad quemuis morbum lingua deficit?nonne uel eloquentissimum os obturatur?Nonne multi expectatione mali alicuius attoniti nequeũt hiscere?Atqui ne sensus quidem dominus cõperior,& bonum si non seruus,ab eo per uim tractus,ad colores,ad figuras, ad uoces,ad odores,ad sapores,ad cætera corpora. Per quæ omnia liquere satis puto,nos alienis uti possessionibus,nec gloriam possidendo,nec diuitias,nec honores,nec imperia,nec aliud quicquã uel corpori uel animæ proprium,imò ne uitam quidem. usumfructum habemus solum:quod si agnosceremus,curaremus tanquam res dei, prçcogitantes morem esse domini recipere sua quandocunq; ipsi uisum fuerit. Sic enim adẽptas ferremus leuius. Nunc plerinq; omnes dum existimant hęc sua esse ac propria,priuati quopiã eorum & egentes mox opprimuntur mœstitia. Est igitur nõ solum uerum, sed etiam ad consolationem utilissimũ, credere mundum hunc & quæcunq; continet,esse creatoris ita possessiones sicut opera.sed hæc quoq; opera sua elargitur dominus,quod his opus nõ habeat.qui autem his utitur, nõ possidet ea:quia herus unus omniũ & dñs est,qui rectissime dicit:Mea est uniuersa terra:ac si diceret:omnis creatura mea est:uos aũt aduenæ & inquilini coram me.Collati enim oẽs mortales alij ad alios,indigenæ censentur & patricij,æquo iure utẽtes & paribus munijs.Quod si ad deũ conferantur, pro inquilinis erunt & aduenis. nam unusquisq; nostrum tanquã in nouam ciuitatem uenit in mundũ hunc,cuius ante natiuitatẽ ius nõ habuerat: postquam aũt uenit,inquilinus est, donec asignatũ sibi uitæ tempus exantlauerit. Simulq; introducitur dogma sapiẽtissimũ,quod solus dñs deus ciuis est:omnis aũt creatura inquilina & aduena.qui uerò dicũtur ciues, per abusum nominis magis quã uerè sic appellantur. donum aũt gratuitum sufficit sapientibus uiris ad solum ciuẽ deum collatis,quòd in aduenarum et inquilinorum ordinẽ recepti sunt: quoniã insipientiũ nemo aduena aut inquilinus in dei ciuitate inuenitur,sed oẽs inde exulant:sicut pro sententia superius pronun

ciatum

ciatum est: Venditione, inquit, non uendetur terra: nec addidit à quo nō uē detur, ut hoc ipsum quod silctur, ad scientiam proficiat initiato physiologię mysterijs. Inuenies igitur, si omnes consideres, eos quoq; uendere magis q̄ donare, qui gratis largiri dicuntur: & quos putamus gratuito accipere, eos reuera emere. Nam qui dando captant laudem aut honorem, dum quærunt reddi sibi gratiam, specioso donationis nomine uenditionē prætexunt: quā do & uenditores suarum rerum solent accipere preciū. Qui uero admittentes dona, cogitant reddere, & prima quaq; occasione reddunt, idē quod emptores faciunt. Nam illi ut accipere norunt, ita & reddere. At deus non uenditor est, æquum precium rebus suis statuens, sed donator omnium, perennes gratiarum fontes profundens, nullam permutationem cupiens. Nā nec ipse indiget, nec quisquam natus potest accepta rependere. Ergo quādoquidem omnium confessione omnia dei possessio sunt, quod tum rationib. uerissimis tum testimonijs certissimis euincitur: attestantur enim oracula quæ Moses in sacras literas retulit: improbandus est intellectus, qui quod ex coitu cum sensu natum est, suam peculiarem possessionem ratus, uocauit Cain, dixitq;: Possedi hominem per deum.] Hic quoq; falsus. at quamobrē falsus? Quia deus causa est non instrumentum. At quod nascitur, per instrumētum quidem, sed utiq; ex causa producitur. Nam ut gignatur aliquid, multa oportet concurrere: à quo, ex quo, per quod, propter quod. à quo, causa est: ex quo, materia: per quod, instrumentum: propter quod, finis. Agedū enim, si quis roget, domus & urbs quæuis ut condatur, quot'nam res oportet prę sto esse: nonne opificem, lapides ligna'q;, & instrumēta? quid igitur aliud est opifex q̄ causa à quo? quid lapides ligna'q;, q̄ materia ex qua fit ædificium? quid instrumenta, nisi per quæ? iam propter quid nisi tectū & securitatem, quæ causa finalis est. transi nunc à priuatis ædificijs ad illam domum siue urbem maximam, id est mundum, & hanc quoq; similiter considera, inuenies autorem eius deum, à quo factus est: materiam uero iiij elementa ex quibus temperatus est: instrumentum porro uerbum dei per quod est conditus: cæterum finalem causam cur conderetur, benignitatē ipsius opificis. sic decernunt amatores ueritatis, & studiosi ueræ sanæ'q; scientiæ. illi uero qui aiūt se per deum acquisiuisse aliquid, eum qui autor est, instrumentū esse putant, id uero quod instrumentum est, putant esse autorē. s. intellectū humanum. eadē sane ratione recte Ioseph quoq; coārguitur, dicens per deū cōtingere somniorū intelligentiā. debuerat enim dixisse à deo ut autore, explicationē obscurorū discussionē'q; conuenientē fieri. nos enim instrumēta sumus operationū particulariū, qui iam intendimur, iam remittimur. artifex uero qui pulsat uires tum corporis tum animæ, à quo mouentur omnia. eos igitur qui rerū differentias nō possunt discernere, ut indoctos, debemus denuo docere: eos uero qui cōtentiose cōfundunt significatorū ordinē, tanquā litium cupidos fugere. cæterum eos qui singulas uoces examinādo suum cuiq; locum conuenientē sciunt attribuere, laudare decet ut exercētes se in uera sinceraq; philosophia. proinde Moses populū timentē ne forte ab illo pessimo persecutore deleretur ad internecionē sic alloquitur: State & uidete salutē à dn̄o, quā faciet uobis: docēs q̄ nō per deū, sed à deo ut autore salutē cōsequi....

PHILONIS IUDAEI DE SACRIFICIIS ABELIS ET CAINI.



T appoſuit parere fratrẽ eius.] Appoſitio unius, ſubtractio eſt alterius, ſicut particularum in arithmetica, ſic ratiocinationum in anima. proinde ſi Abel apponi dicitur, Cain ſubtrahi cenſendus eſt. Ne autem uerborum nouitas multis obſcuritatem afferat, philoſophiam quæ hic ſubeſt diligenter quãtum potero conabor excutere. Duas opiniones eſſe conſtat contrarias inter ſe pugnantesq́. altera menti nos permittit aſcribere omnia, ut autori cogitandi, ſentiendi, mouendi, ſiſtendi. altera deũ ſequitur, cuius ſumus opificium. prioris illius figura eſt Cain, qui interpretatur poſſeſsio, eo φ ſibi uideatur poſsidere omnia: poſterioris uerò Abel, refertur enim ad Deum. ambas igitur opiniones partitur una anima: quas mox natas diſcerni ſepararíq; neceſſum eſt: quandoquidem tam infenſas inter ſe habitare unà non eſt poſsibile. Ergo quãdiu anima pium illud dogma, ſcilicet Abelem nõ peperit, amator ſui Cain cohabitabat cum ea. poſtq̃ aũt illa confeſsionẽ ſummæ illius cauſæ peperit, mentẽ quæ ſibi ſapiens uidetur nõ magni faciebat amplius. id euidentius apparebit in eo φ tolerantiæ Rebeccæ redditũ eſt oraculo. hæc enim ubi duas inter ſe pugnãtes naturas boni maliq́; concepit, & de utraq; multũ diuq́; cogitauit monitu prudentiæ, tãdem ſubſultãtes animaduertens, & iam ceu uelitantes prælude̅tesq́; futuro prælio, ſupplex deum rogabat: dignaretur docere quid hoc mali eſſet, quodue huius remediũ. Qui ſic reſpõdit: Duæ gẽtes in utero tuo ſunt. nã accidẽs hoc natiuitatem boni maliq́; ſignificat. Verùm & duo populi è uentre tuo diſcedent. Hoc remedium eſt, ut diſcedãt ſeparẽturq́; ab inuicẽ, nec amplius ſimul habitent. ergo poſtq̃ deus bonum dogma Abelem appoſuit animæ, ſubtraxit ei opinionẽ abſurdã. ſ. Cain. nã & Abrahã relictis mortalibus apponitur ad dei populũ, fruẽs immortalitate, & factus ſimilis angelis. nã angeli exercitus dei ſunt, incorporeæ feliceſq; animæ. Iacob quoq; ille uirtutis meditator eodẽ modo apponitur ad melius, qñ reliquit deterius. at Iſaac ſe ipſo præceptore ſcientiã adeptus relinquit quidẽ & ipſe quicquid corporale attextũ fuerat eius animæ: apponitur aũt & cõſors fit nõ, ut priores, quos dixi, populo, ſed generi, ſicut Moſes ait. genus eñ unũ eſt illud ſummũ, populus aũt multitudo nominatur. quotquot igitur per cognitionẽ diſciplinarũ proficiẽdo perfecti ſunt, apponũtur ad ſortẽ pluriũ. nec eñ paruus numerus eſt eorũ qui ex auditu & doctrina diſcunt, quos nominauit populũ. qui uerò humana doctrina relicta, ingeniũ deo doctori excolendũ cõmiſerũt, ſine labore ſcientiã aſſecuti, migrãt ad incorruptibile genus & perfectiſsimũ, accipiẽtes ſortẽ meliorẽ q̃ in natiuitate, in quorũ Iſaac cenſetur ſodalitio. ſignificat aũt & alium talẽ intellectũ immortalẽ. Sunt etiã aliqui quos deus altius

tius promouet,& euolātes super omnes species omniaq; genera prope seipsum collocat,sicut Mosi quoq; dicit: Tu uero hic sta mecū. itaq; moriturus non deficit nec apponitur sicut priores, utpote nec appositionē nec subtractionē admittens,sed ex uerbi illius causalis autoritate migrat,per quod universus mundus est conditus:ut discas quod sapientem illum eodē quo mundum honore deus dignatus est,per uerbum quo cōdidit omnia, perfectum uirum ad se traducendo à terrestribus. Quin & cum in terrenis eo utebatur negotijs,non principis aut regis cōmunem aliquā uirtutē indidit ei,per quā is exerceret potestatē in affectus animæ:sed deū eum cōstituit,totam corporis regionē ducēq; eius intellectū subijciens ei iubēsq; seruire.inquit enim:Do te deum Pharaoni.in deum aūt nec subtractio cadit nec appositio,cū sit plenus & semper sibijpsi par.ideoq; nemo sepulchrū eius scire dicitur. quis eī est idoneus ut cogitatione cōprehendat migrationē perfectæ animæ ad cū qui est?equidē opinor ne ipsam quidē,cui migrare cōtigit,scisse quanto meliora sortiretur,quippe quæ tum correpta erat numine.nā deus cū alicui benefacit,non utitur eius consilio: sed inexpectata beneficia solet porrigere liberaliter. Tale quiddam est apponere deū natiuitatē boni ad perfectā mentem.id bonū sanctitas est,cuius nomē Abel. Et factus est Abel pastor pecorū,Cain aūt operabatur terrā.]Cur quamuis maiorem natu Cain dixerat, nunc transponit ordinē,iunioris prius mentionē faciens in ostendendo uitę proposito?erat enim probabile,grādiorem prius aggressum agriculturā,ac tum demum iuniorem suscepisse curam pecorū. at Moses nō uerisimilia credibiliaq;,sed meram ueritatem consectatur: & quando cum deo colloquēs libere negat se uerbis pollere,hoc fortasse dicit, non esse sibi studium uerborum probabilium:idq; accidisse sibi heri & nudiustertius, ex quo deus incepit cum ipso colloqui tanq; cum famulo.Nam qui in huius uitæ tempestatē iactationēq; inciderunt,necesse habent rapi huc illuc,nullam firmā tenentes scientiam,sed pendentes à uerisimilibus ac probabilibus. Dei uerò cultorē decet adhærere ueritati, & uerborū coniecturaliū fabulositatibus extremū uale dicere. Quæ igitur est in præsenti quæstione ueritas?uirtutē à uitio antiquitate quidē superari,uiribus aūt ac dignitate præpollere,ergo quādo de amborū natiuitate agitur,Cain procurrat prior:quando uerò cōferuntur & examinātur utriusq; studia,Abel pręcedat.nā à prima statim natiuitate et ab ipsis fascijs, usq; dū iuuenilis ætas affectuū flāma deferueat extinguaturq;, anima collactaneas habet,imprudētiam,intēperantiā,iniustitiā,metū,ignauiam,aliasq; cognatas pestes,quarum singulæ educantur augenturq; à nutrice & uictus ratione,per mores atq; leges pietati quidem infestas, superstitionē uerò impietatis germanā adstruentes inducentesq;. ubi uerò quis pubertatem ingressus est,& affectuum concutientiū morbus se remisit,tanquā uentis cessantibus incipit in tranquillitate degere,uix tandē constabilitus in uirtutis firmitudine,quæ continuò sibi succedentem quassationem,grauissimum animæ morbum mitigauit. atq; ita uitio iuxta tēporis prærogatiuā fit antiquius. iuxta dignitatē uerò,honorē atq; gloriā, uirtus est potior: cuius rei legislator ipse testis fide dignus est.cū enim induxisset Esau illū cui nomē est ab imprudentia,antiquiorē,natu minori,nomē habenti ab honesto exer

citio tribuit prærogatiuā generis. at ille non prius eam statuit accipere, φ, sicut in certamine, aduersarius deuictus magnus porrigat, præmia coronāq; cedens ei qui bellum sine inducijs caduceatoribusq; gerit cū affectibus. Cōcessit enim, inquit, ius primogenituræ Iacobo, nimirū fassus, φ quę uim habent primatus & uirtutis sunt præmia, nullius mali sunt, sed amatoris sapiētiæ: sicut tibia lyraq; & cætera instrumenta musica solius sunt musici. de hoc autem dogmate extat etiam lex scripta admodum pulchre atq; utiliter: Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alterā exosam, genuerintq; ei liberos tam exosa φ dilecta: & fuerit filius exosæ primogenitus: quacunq; die uoluerit substantiam inter filios diuidere, non poterit filium dilectę facere primogenitum, & præferre filio exosæ: sed filium exosæ agnoscet primogenitum: dabitq; ei de his quæ habuerit cuncta duplicia. iste est enim principium liberorum eius, & huic ius primogenitorū debetur.] Cognosce ô anima, & disce quæ'nam sit ista exosa, & quis'nam iste filius exosæ, moxq; scies quòd alteri nemini, sed huic soli debetur ius primogenitorum. Nam duę cū singulis nobis cohabitant uxores, inimicæ infestæq; sibi inuicem, animalem domum replentes æmulationis contentionibus. Harum alteram diligimus, quam putamus mansuetam, mitem, amicissimam nobis & familiarissimam. hæc uocatur uoluptas. Alteram uerò odimus, rati efferam, immitem immansuetamq;, & nobis infensissimam. hæc uirtus nominatur. sed illius formosæ & modis omnibus expetitæ uoluptatis magna mysteria quis ignorat mortalium? eorum uerò thesaurorum qui penes uirtutem sunt bonitatē magnitudinemq;, quis eloqui pro dignitate ualeat? norunt qui sunt eorū iam participes, discent etiam quibus natura est propitia, uocati ad conuiuium, in quo non uenter expletur uoluptatibus corpus incrassantibus: sed in quo mēs pasta & choreas ductans cū uirtutibus, gaudens libensq; hilaritate perfruitur. propterea quod dudū dixi, uera bona ex seipsis naturaliter uocem mittere etiāsi sileant, nunc omitto, nec loquar de eis prolixius. nam nec sol nec luna opus habent interprete, qui nos doceat, ab altero interdiu, ab altera noctu mundū uniuersum illustrari: sed ipso splendore fidem uel absq; teste faciunt oculis, certioribus φ sunt aures rerum iudicib. Quid autē in uirtute nos maxime offendat difficultatis specie, nūc libere proloquar. nā hoc imaginationem quandam primo cōgressu nobis incutit, cum metu difficultatis coniunctā: sed assuetudo rem ostendit esse iucundā, cuius utilitatem ratio mox indicat. cæterū labor, inter præcipua bona numerandus, bellum cum uoluptate gerit perpetuū. hunc enim, si uerū dicendū est, omnis felicitatis omnisq; uirtutis principium hominibus deus declarauit, sine quo nihil honestum apud mortales esse inuenies. nā sicut sine luce uidere nō possumus, quia nec colores nec oculi ad uidendū sufficiunt: hanc enim ceu uinculū natura præparauit, quo coaptaretur colori oculus: nā in tenebris neuter suā uim exerit: Eodē modo animæ oculus, nullā uirtutis actionē potest attrectare, nisi à labore ceu luce adiutus. hic enim inter mentē & bonum quod mens desiderat medius, illud una ex parte, hanc ex altera trahens ad se, utraq; manu amicitiam concordiamq; conciliat, atq; ita bona perfecta efficit. opta tibi bonū quodlibet, inuenies eius possessionē labore parari cōfirmariq;. pietas quoq; & san

ctitas bona sunt,sed nisi deum colamus non possunt nobis contingere. cul-
tus autem hic cum pertinaci labore coniunctus est. prudētia,fortitudo, iusti
cia,pulchræ omnes & inter perfecta bona censendæ, non facile obueniunt.
Atq; utinam uel assidua cura parari posint. Non possunt instrumenta ani-
mæ ferre familiaritatem cum uirtute & deo,tanquam intēsam uehemē-
temq; harmoniam:proinde remissa laxataq; sæpius,tanquā à summis artib.
descendunt ad medias. Superest tamen magnus labor uel in medijs. conside
ra studiosos omnes artium quas alij encyclias alij liberales nominant: consi
dera agricolas & qui uictum quacunq; ratione quæritāt: hi nec interdiu nec
noctu curis sunt uacui:sed semper & ubiq;, ut uulgus loquitur, manib. pedi
busq; & omnibus uiribus laborare non desinunt, adeo ut immoriantur ple
runq; suis negotijs. Sed sicut quia animā conantur reddere sibi propitiā, ne-
cessariò colunt uirtutes animæ:ita qui cupiunt frui prospera ualetudine cor
poris, curare debent sanitatē & id genus uires eius cæteras: quas certe curāt
irrequietis laboribus, qui solliciti sunt de potentijs ex quibus contemperati
sunt. Vides igitur omnia bona è labore tanquam radice pullulare, quæ ne-
gligere haud unquam sustineas:alioqui non senties te cum eo cumulum bo
norum negligere. Nam rector cæli mundiq; & habet & præbet bona qui-
buscunq; uult magna cum facilitate:& qui tantam mundi molem sine labo-
re iam olim absoluit, ne nunc quidem in eodem statu eam continere desinit:
quippe cui non defatigari maxime conuenit. Mortali autem nemini adipi-
sci bona sine labore datum est:ut sic quoq; eminentē dei felicitatē prædice-
mus. equidē existimo laboris cibiq; eandē esse uim. Nā sicut à cibo tota uita
pendet unà cum suis actionibus & affectionib. ita etiā à labore pendet quic
quid in rebus bonum est. ergo quemadmodum qui uitā sibi prorogare cu-
piunt, alimenta non negligunt:ita quotquot quæ bona sunt cōcupiscunt, la
borem magnifaciāt. sicut enim cibus se habet ad uitā, sic labor ad honestatē:
qui cum sit unicus, caue illū posthabeas, ut per eum potiaris bonis simul om
nibus. atq; ita quamuis ætate iunior, habeberis grandior, & iure primogeni
torum dignior. q; si usq; proficiens ad finem perueneris, nō solum quæ pri-
mogenito debentur, sed uniuersam suā substantiā pater tibi largietur, sicut
Iacob illi supplantanti bases affectuum, qui accepta beneficia confitendo di
cit: Misertus est mei Deus, & adsunt mihi omnia, dogma nobis erudiendis
proferens. omnia enim in Dei miseratione sita sunt. id quod ex institutione
Abrahā aui sui didicit, qui sapiētissimo Isaac dedit sua bona omnia, nihil ex
his reliquū faciens spurijs nec recta stirpe prognatis, sed ex una alteraq; con
cubina cogitationibus: quibus ut paruis parua dona dat, nā bona eius, scili-
cet perfectę uirtutes, solius legitimi perfectiq; filij possessio sunt. medij uerò
generis officia uel imperfectis conueniunt, qui usq; ad liberales disciplinas
progressi sunt, quæ ad Agar & Cheturam pertinent: quarum illa inquilinā,
hæc suffitum significat. nam qui soli encyclopædię dat operā, inquilinus nō
ciuis est sapientiæ. tanquam suaueolentiam quandam aspirans animæ per
hanc contemplationem. atqui cibis non odoribus ei ad sanitatem opus est.
odoratus uerò minister gustui, tanquam rei prægustator, à natura datus di-
citur rerum architecta omnium. atqui prępositorum maior q; subiectorum

ſemper ratio habenda eſt,& indigenarum ſcientiarum potius ꝗ inquilinarum.His auditis intellectus auerſatus uoluptatem adiūgit ſe uirtuti, ubi pulchritudinem eius non fucatam,ſed genuinam & quę ſanctitatem deceat animaduertit:ac tum demum fit paſtor pecorum,uidelicet brutarum uiriū animæ,atq; etiam auriga gubernatorq́;,non ſinēs eas ferri errabundas nullo ordine,carentes duce ac præpoſito:ne quaſi in orbitate quadā deſtitutæ tutoribus & auxilio priuatæ,non aberrēt ſolum,ſed & pereant.ergo exercitator ille ſui,conueniens uirtuti opus aggreſſus eſt,cum ſuſtinuit paſcere Labanis pecora,intenti in colores formasq; & inanima utiq; corpora, ac ne hęc quidem omnia,ſed reſidua.id autem quid eſt?duplex brutorum genus eſt. alterum deſtitutum ratione iudicandi,quales dementes uocamus.alterum in totum ratione priuatum:quales brutæ animantes ſunt.illos igitur irrationales impetus,uires,inquam,rationis expertes,filij Labanis iter trium dierum ſecedendo curant:quæ figura eſt uirtutis per omnem uitā derelictæ.Tripartitum enim tempus eſt,diuiſum in præteritum,præſens atq; futurū. Alio modo dicuntur irrationalia,quæ non recta modo,ſed omni prorſus ratione carent,quo in numero ſunt pecora:quę exercitator ille cura ſua dignabitur,ſic cogitans,ea peccare non malicioſo animo,ſed per ignorantiam ex praua inſtitutione contractam.Ergo ignorātia leue malum quod inuitis obrepit,facile habet remedium,diſciplinam uidelicet.Calliditas autem morbus animę uoluntarius,ægre uel potius nunquam ſanatur & repellitur.itaq; à ſapientiſſimo patre docti filij,etiamſi in diſsipatorem bonorum Pharaonem inciderint,qui uidetur rex animalis noſcentis diſcrimina,nihil perculſi apparatu regio,fatentur ſe paſtores pecorum:nec tantum ſe, uerùm patres quoq; ſuos. atqui alius uix principatum potentiamq́; ita iactaret,ut hi uiri uitam paſtoriciam. Si quis tamen rem pro dignitate ualeat expēdere,maius regno eſt hoc negotium,poſſe tanquā ciuitatem aut regionem,corpus ſenſusq; & uentris uentriq; ſubiectarum partiū uoluptates, cæterosq; affectus,& linguā aliaq; ex quibus conſtamus,nunc moderari conſtanter atq; fortiter,nunc æquanimiter in uiam ducere.oportet enim ſicut aurigam ſubiugalibus nunc remittere habenas,nunc in terga retrahere, quoties plus ſatis efferūtur impetu & rectorem parum audiunt.proinde admiror Moſem legiferum, qui præclaram exiſtimans artem paſtorum,ipſe tractauit hoc negocium.Præfuit enim Iothoris gregibus dicam an dogmatibus,abducens ea à uulgaribus reipub. ſtudijs in ſolitudinem in qua nulla fit iniuria.ducebat enim pecora in deſertum.unde ſequitur ut omnis paſtor pecorum abominatio ſit Ægyptijs. Rectā enim rationē gubernare ſolitā ac pręcipere odit omnis amator affectuū: ſicut deterrimus quiſq; puer odit præceptores ac pædagogos,& omnē bonum monitorē caſtigatorēq;.At Moſes ait ſe abominationes Ægypti ſacrificaturū Deo,ſcilicet uirtutes immaculatas decētiſsimasq; hoſtias, quas abominatur omnis inſipiēs. Itaq; merito Abel qui quicquid optimū eſt refert ad Deū,paſtor uocatur:Cain aūt qui ad ſeipſum & intellectū propriū,terrę operarius. Quid uerò ſit terrā operari,in præcedentib. libris declarauimus. Et factū eſt poſt aliquot dies, obtulit Cain de fructu terræ donū domino.] Duplex ſeipſum amantis crimen. Vnum quod poſt aliquot dies,non continuo

tinuo gratias egit deo: alterum quod de fructu obtulit, nō de primo fructu, quas uocamus primitias deriuatiuo nomine. utriusq; rei causam scrutemur, prius eam quę pręcedit ordine. oportet eos qui boni aliquid faciūt prouolare ante alios, & incūctanter amoliri impedimenta omnia. Est aūt optimū opus summi illius primarijq; boni, placatio sine cessatione dilationeq;. ideo pręceptū extat: Si uoueris uotū, non cunctaberis id reddere. Votū igitur est petitio boni alicuius à deo: mandatū aūt, ut uoti cōpos coronā offerat deo, nō sibi, idq; sine mora si fieri potest. in hac re qui peccant, alij per beneficiorū obliuionē gratiarū actione se priuāt qua nihil preciosius. alij uerò per nimiā arrogantiā seipsos autores bonorū suorum existimant, non illū uerū autorē rerū omniū. Tertij leuius peccant, q; proximi, grauius tamen q; primi. hi sua bona referunt quidē ad autorē deum, sed aiunt se suo merito ea consequi. esse enim se prudentes, fortes, tēperantes, iustos, & ideò dignos censendos diuina gratia. Horū singulis resistit sacra scriptura, ac primò illum qui abolita memoria indulget obliuioni his uerbis alloquitur: Heus tu, caue ne edendo saturatus, & extructas pulchras ædes inhabitans, auctusq; gregibus pecorū & armentis boum, argentoq; & auro ac cæteris bonis tibi affluentibus, exalteris corde obliuiscarisq; domini dei tui. Quando igitur nō obliuisceris tui? Quando nō obliuisceris tui ipsius. memor enim propriæ conditionis q; sis prorsus nihili, memineris & immensæ dei præcellentiæ qua uniuersa supereminet. Illū uerò qui seipsum causam suorū bonorū putat, sic castigat scriptura: Caue dicas, inquit, robur meū, aut fortitudo manus meę parauit mihi hāc potentiā: sed memor memineris domini dei tui, qui dedit tibi uires ad parandam potentiā. at ille seipsum dignū credēs accepto beneficio, patiatur se admoneri hoc oraculo: Non propter iusticiā tuā, nec propter sanctitatē cordis tui, intras in terrā hanc ut eam sorte possideas: sed primùm propter iniquitatem harū gentiū inferente ijs deo perniciē: deinde ut cōfirmetur testamentū illud quod iurauit nostris patribus. testamentū aūt dei figurate dicūtur eius gratiæ. nec est fas ut ille quicq; imperfectū largiatur. itaq; integra absolutaq; sunt dona ingeniti omnia. integra aūt in rebus uirtus est, & huius actiones. ergo si de medio sustulerimus obliuionē, ingratitudinē, amorē sui, & horum matrē arrogantiā, non amplius cunctando amittemus germanū cultum dei, sed præcurremus creaturas cæteras, & priusquā salutemus ullam rem mortalem, compellabimus dominū, parati eius imparata exequi. nam & Abraham properans celeriter & cum magna alacritate accurrens iubet uirtutem Sarram festinare & fermentare tres mensuras similæ, facereq; subcinericios, quando deus ipse comitatus duabus supremis potentijs, principatu bonitateq;, ipse unus ille medius triplicem imaginationem operabatur in uisiua anima. quarum singulas metiri haud licet (incircunscriptus enim deus & incircūscriptæ eius potentiæ) sed ipsę metiuntur omnia. bonitas eius mensura bonorū est: potentia, mensura subditorum. ipse uerò imperator mensura est omnium rerum corporearum incorporearumq;. ideo hæ potentiæ, regulæ præceptiq; rationem obtinentes erga cæteras, metiuntur & appendunt reliqua omnia. has tres mensuras bonū est fermentari quodammodo cōmisceriq; in anima, ut persuasa esse summū deum, qui super potentias suas eminet, & uel

& uel sine illis uel in illis apparet, recipiat characteres potentiæ eius beneficentiæq;, & initietur perfectissimis mysterijs, quæ ut diuina nemini proloquatur facile: sed seruans ea recondita, & tenens silentium, fruatur eis in abscondito. scriptura enim subcinericiorum quos encryphias uocant meminit, quia cælari debet sacer ac mysticus sermo de Ingenito eiusq; potentijs: quandoquidem diuinorum orgiorum depositum seruare non cuiusuis est. nam incontinentis animæ fluenta per os linguamq; emanantia, inundant aures omnium. harum quæ capaciores lacunas habent, libenter seruant quod infunditur. aliæ uerò propter angustias foraminum rigari nequeunt. quod autem superebullit effusum in parũ capacia, passim diffluit: ut quæ prius cælabantur fluitẽt in superficie, & in modũ uilis cœni res preciosissimę pessum abeant. quamobrẽ placet mihi consiliũ eorum, qui ante magna mysteria initiant minoribus. Coxerũt enim pastam suam quam extulerant ex Ægypto, ut fierent azymi subcinericij, id est ferum crudumq; affectũ subegerunt, tanquam cibum coquendo maturandoq;: modum aũt coquẽdi & mutandi in melius, qui per diuinã quandam morã fit, nõ prodiderũt sermone, sed in occultis suis reposuerũt, nõ elati initiatione, sed sine iactatione submittentes se humiliantesq;. Accingamus igitur & expediamus nos ad agendas omnipotenti gratias, reddendũq; illi sine mora honorẽ debitũ. pręceptũ est eñ trãseuntibus ab affectu ad uirtutum meditationẽ, ut accincti lumbos pascha celebrent, expediti ad ministrandum: & induti calceamenta, quibus carneã molem ratione contineant, stentq; recti firmatis pedibus: & disciplinã habentes uirgam in manibus, ad dirigenda citra errorẽ omnia uitę negocia: postremo iubentur properando cibum edere, quia pascha, creaturę mortalis transitus ad deum dicitur: & ualde conuenienter. nullum enim bonum est, quod nõ dei sit & diuinũ. id igitur celeriter quære ô anima, quemadmodum ille meditator Iacob: qui rogatus à patre, Quid hoc est quod citò inuenisti fili? qua si dogma respondet: Quod dedit dominus deus corã me: quippe qui longa experientia doctus norat, quod quicquid innatũ est animæ, longo usu confirmatur: sicut fit cum artes earumq; præcepta traduntur discentibus. Non possunt enim præceptores, quẽadmodũ qui in uas infundunt, implere mentem eorũ qui introducuntur. Sed quando fons sapientiæ deus scientias tradit humano generi, sine mora hoc facit & ex tempore. tum uerò homines discipuli facti eius qui solus est sapiens, summa celeritate quod quærebant inueniunt. est autem præcipua uirtus discipulorum, dare operam ut perfectũ doctorem ipsi quoq; perfectè imitentur. atqui præceptor ille omni tempore celerior est, quia ne tum quidem ab eo adiutus est cum creabat omnia, & ipsum etiã simul cum mundo extitit. adhuc enim loquente deo facta sunt omnia, nec intercessit ulla mora temporis. imò si licet uerius dogma attingere, dictum & factũ idem est. uerbo certe etiam apud mortales nihil est mobilius. præcedentem enim mentis conceptum celeritate assequitur nominum uerborumq; uolubilitas. ergo sicut riuorũ perenniũ fluenta cursu irrequieto feruntur, sequentibus aquis præcedentes impellentibus: ita sermonis semel cœpti exundantia, mentẽ omniũ quę nobis insunt mobilissimam, & uolucrib. naturis parẽ, currendo assequitur. igitur sicut ingenitus ille præuenit omnia

omnia genita:ita ingeniti ſermo ſermonē creaturæ pręcurrit,nubila etiā pręteruolans,ſicut ipſe libere loquitur dicēs:Ecce uidebis ꝙ apprehēdet te ſermo meus:quaſi nihil ſit quod dei ſermonē poſsit effugere.ꝙ ſi ſermo præuenit,multo magis ipſe qui loquitur,ſicut alibi teſtatur,dicens ſic:Ego ſteti ibi prius ꝙ̃ tu.quo ſignificat ſe ſubſtitiſſe ante omne ꝙ factū eſt: qui & hic & illic eſt,& alibi & ubiq;,implēs ꝙ̃ late patent omnia, & nihil relinquēs ipſo uacuū.non enim dicit.Ego ſteti & illic, ſed nunc quoq; tibi præſens ſto illic eodē tēpore,nō motu ambulatorio, ut alterū locū occupās relinquā alterū, ſed mouendo me tenore eodē.faciunt igitur ſuū officiū obedientes filij, qui naturā patris imitādo, incūctanter cū omni feſtinatiōe quod bonū eſt agūt, qui nihil pulchrius facere poſſunt,ꝙ̃ quòd honorāt deū ſine dilatiōe.at diſſipator Pharao,nō ualens imaginatione percipere uirtutes carentes tēpore, nimirū orbatus animæ oculis.quibus ſolis naturæ cōprehendūtur incorporeæ,ne iuuari quidē ex tempore ſuſtinuit:ſed cū inanimatis opinionibus, ranis inquā premeretur,ſonum ſtrepitūq; inanē & omni re uacuum emittentibus,dicente Moſe:Præſcribe tēpus quo pro te tuiſq; famulis precer ut ranę tollantur è medio,cum debuiſſet in tanta neceſsitate conſtitutus dicere: iam nunc precare:maluit differre dicens, Cras:ut per omnia retineret impietatis teneritudinē.Idem accidit omnibus fermè dubitatoribus,etiāſi nō exprimatur eis cōfeſsio.nam quotieſcunq; aliquid eis accidit pręter animi ſententiā, homines qui ne antea quidē firmiter ſeruatori crediderāt,ad creaturas auxilij gratia confugiunt,medicos,herbas,pharmacorum cōpoſitiones, dięta accuratam,cæteraq; omnia mortalium auxilia. Quibus ſi quis dicat: confugite ô miſeri ad illum unicum medicum morborum animę,omiſsis iſtis quę à corruptibili creatura petitis falſi nominis auxilijs:rident & cauillantur reclamantes:In craſtinum iſta:quaſi ne præſentaneam quidem malorū depulſionē petituri à Deo ſupplices.ſed quādo nihil humanæ opis proficit,& uel Pæonia remedia officiunt:tum demum penitus deſtituti cōſilio,nullū aliun de ſperantes auxilium,infelices uolentes nolentes,uix ſero ad Deum qui ſolus ſeruare poteſt ſe recipiūt.ille nō ignarus parum ualere quæ extorta ſunt, non omnibus pariter eſt facilis,ſed his in quos bene collocatur beneficium. Ergo omnis cogitatio quæ ſua putat eſſe omnia,deo ſe præferēs (hoc enim ex his uerbis POST ALIQVOT DIES intelligitur)ſciat ſe impietatis reā apud ſacras literas, Hactenus ſatis dictum ſit de primo Caini crimine. ſecundū tale fuit.Cur de fructibus,& non de primis fructibus offert primitias?fortaſſe hanc ob cauſam, ut primatum creaturæ det,ſecundarium honorē reddat numini.Sicut enim ſunt quidam qui animæ præferunt corpus,ſeruū dominæ: eodem modo ſunt qui creaturam magis honorant quàm creatorem,contra mandatum legiſlatoris,iubentis primitias de primis fructibus terræ inferri in domum Dei,& non conuerti in uſum proprium.iuſtum enim eſt, motus animæ primos uel ſua ui uel ordine,deo dedicari autorē eū cōfitendo. Qui primi ſunt ordine,ſunt illi qui ſtatim à natiuitate nobis obuenerūt, cibus, incrementū, uiſus,auditus,guſtus,odoratus, tactus, ſermo, intellectus,partes animæ,partes corporis,uires harū, in uniuerſum motus & habitus qui ſecūdū naturā ſunt.quos aūt ſua dignitate uiq; primos dixi,ſunt benefacta,uirtu

tes,

tes,uirtutum actiones.ex his igitur iustum est offerri primitias.primitiæ uero sunt,sermo ex sincero animo emissus cũ gratiarũ actione. is diuiditur in suas sectiones,sicut lyra diuiditur,& cætera instrumenta musica.in his enim soni & singuli per se apti sunt,& ad alium concentũ maxime accõmodi:sicut & in grãmatica ex elementis ea quæ uocãtur uocalia,quæ tũ per se sonãt, tum alijs coniuncta integrã uocem efficiunt. cæterũ natura quæ multas potentias in nobis uel sensitiuas uel intellectiuas fabricauit, & cuiq; peculiare aliquod opus assignauit:ac rursum omnes eas coaptauit per proportiones concinnitate qua respondent inter se inuicem, iure felix prædicari potest & ob uniuersas & ob singulas. quapropter cum offeres sacrificium de primis fructibus,ita diuide sicut docet sacra scriptura:primum ut sint uirentes,inde tosti,deinde concisi,postremo comminuti. uirentes recẽtesq; ideo: quia homines illos antiquum fabulosumq; tempus amantes, celerẽ aũt & nulli tempori obnoxiã dei potentiã non intelligentes,docet:admonẽs ut noua,recẽtia pubentiaq; sumant bono animo,ne priscis innutriti fabulositatibus quæ multis ætatib. ad decipiendos mortales sunt ceu per manus traditæ,imbuãtur falsis opinionibus:sed à Deo nunquam senescente semperq; iuuene noua recentiaq; bona copiose accipiendo,discant credere nõ esse quicq; uetus apud eum,aut omnino præteritum, sed subsistens absq; tempore nascẽsq;: quapropter etiã alio in loco scriptura inquit:A facie cani surges,& honorabis faciẽ senioris:quasi plurimũ intersit inter utrũq;. Canũ enim dicit tẽpus illud ociosum,à quo surgere migrareq; oportet eos qui declinant opinionẽ istã innumeros fallentẽ,quod tẽpus habeat naturã faciendi aliquid.Seniorẽ aũt eum qui honore,præmio dignitateq; præfertur cæteris,cuius probatio amico dei Mosi cõmittitur.Quos tu nosti,inquit,hi sunt.nẽpe quod hic nihil iuuenile admitteret,seniora & summo honore digna dogmata amare so litus.Prodest tamen si non ad parandã perfectam uirtutẽ,certe ad curã reip. nosse opiniones priscas & Ogygias, audireq; antiquitatis pulcherrima faci nora,quæ historici, & omne genus poetarum prodiderunt ætati suæ ad posteritatis memoriã. Sed quando ex improuiso nil tale sperantibus, repẽtina lux affulserat sapientiæ quam per se quisq; dicit,quæ patentem animæ oculum penetrãs ex auditoribus reddit spectatores scientiæ,celerrimũ sensum, uisum præ tardissimo auditu in mentẽ inserens:tunc frustrã fuerit sermonibus aures exercere.ideo dicitur: Comedetis uetera & uetera ueterũ: sed & uetera ex persona iuuenũ efferetis:quasi canæ propter tempus disciplinæ recusandæ non sint,dum & scriptis sapientũ damus operã, & narrationib. priscarũ rerum sententiarumq; libenter interfumus, & scitari nõ grauamur de superioribus ætatibus,quando nihil ignorare est res iucundissima.Cũ autẽ deus in animam indit noua germina per se docilis sapientiæ,quæ ex præceptoribus didicimus cõtrahenda circũscribendaq; sunt,subducentia se ultro & effluẽtia.scholarẽ enim dei,siue familiarẽ,siue discipulũ, seu quocũq; alio libet hunc appellare nomine,impossibile est tolerare præceptiunculas mortaliũ.Sit preterea nouæ animæ maturitas tosta, hoc est tanq; aurũ sermone efficaci examinata.examinatę aũt probatęq; signũ est soliditas.sicut enim uirentiũ spicarũ fructus torretur ut deponat molliciẽ,q fieri non potest absq; ignis

ignis ministerio: eodem modo nouum conatũ tendentium ad maturitatem uirtutis oportet potẽte irrefragabiliq; sermone duratũ solidumq; reddere. solet enim sermo in anima speculationes nõ solum ad maturitatem coquere ne sint fluidę, sed & irrationalium affectionum impetũ labefacere. saltem me ditatorem Iacob coquentẽ aspice, quando Esau mox deficere inuenitur. fundamentum enim seipsos amantium, uitium & affectus est: quo fulti si id sibi subduci uiderint, non immerito neruos roburq; amittũt. Sit autem is sermo non confusus, sed in sua frusta diuisus. nam sic cõcisa χιδρα uocantur. in omnibus enim rebus ordo melior est q̃ perturbatio, praesertim in sermone currente uelocissime. diuidendus est igitur in praecipua capita ut uocant, & addendus suus apparatus singulis, exemplum bonorũ sagittariorum imitãdo, qui scopo aliquo sibi proposito, conãtur omnia tela in eum defigere. scopo enim summariũ illud capitulum, telis eius apparatus assimilatur. atq; ita sermo, quo nihil praestantius discimus, apte concinneq; contexitur. etenim bracteas auri cõcidit legislator in fila, ad contexẽdã quaedam sua opera firmius. Ad eundem modum sermo quouis auro pretiosior, ex uariegationib. innumerisq; ideis laudabiliter absoluitur, quando usq; ad exigua capitula concisus formam alicuius inuenti accipit, additis demonstrationibus, tanq; apte contextis staminibus. siquidẽ pari modo praecipitur ut holocautoma detracto tergore membratim concidatur, ut primum anima absq; tegminib. quae ei uanae falsaeq; opiniones circũdant, nuda appareat: deinde diuisiones conuenientes recipiat. integrum enim quiddam & unum uirtus est, quae in species suas diuiditur, prudẽtiam, temperantiam, iustitiam, fortitudinem: ut cognitis singularum differentijs ultro eam colamus, & per partes & integram. Consideremus autem quomodo animam assuefaciamus, ne solidis & indigestis imaginationibus turbata decipiatur: sed ut diuisiones rerum faciẽdo singulas introspiciat & scrutetur cum omni diligentia. assumemus etiam sermonem qui non inordinato impetu ruẽdo obscuritatem faciat, sed partitus in sua capita, singulorumq; horum demonstrationes, tanq; animal ex perfectis membris compactum pulchre congruat. oportet autẽ, si uolumus usum harum rerum in nobis cõfirmari, exercere has meditariq; assidue: quia non perseuerare in coeptis scientijs, perinde est ac si gustato cibo potuq;, non detur ad satietatem edere. ergo post concisa pulchre cõuenit cõminuta facere; hoc est post diuisionem immorari in inuentis terendo tempus diutius. nam exercitatio cõtinua scientiã confirmat, sicut ignorãtiam inexercitatio. innumeri igitur dum grauantur in certamen descendere, genuinam uim perdiderunt: quos non sunt imitati qui animam alebant prophetia, significata mannę nomine. Nam hi molebant, conterebantq; eam faciẽdo subcinericios, uolentes singuli caelestem illum uirtutis sermonem cõminuere quo firmius hęreret in animo. ergo ubi uirentia ad maturitatem, tosta ignito irrefragabiliq; sermone, cõcisa diuisaq; in rerum partes, deniq; cõminuta per tractationem meditationemq; inuentorum approbaueris, ex sententia dei sacrificium primi fructus offeres, optimi & ante alios prognati ex anima. attamen etiamsi ipsi tardemus, ille nõ cunctatur idoneos uel ante oblationem sibi assumere. Assumã, inquit, uos mihi populum, & ero deus uester, & uos eritis mihi po-

pulus.ego sum dominus.Hæc sunt Caini crimina, post aliquot dies offeren tis sacrificium.cæterũ Abel obtulit ei nec eadem,nec eodem modo, sed pro inanimis animata,pro iunioribus & secundarijs grandiora & primaria, pro deterioribus integra atq; pinguiora. nam de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum sacrificasse dicitur,iuxta præceptum sacratissimũ.est autem tale. Et erit, inquit, cum introduxerit te deus Chananæorum in terram eorum, sicut iurauit patribus tuis: dabo tibi eam, & sumes omne quod aperit uuluam generis masculini de armentis & gregibus tuis, ut offeras domino. omne aperiens uuluã asini,permutabis oue. sin autem non permutaueris,redimes ipsum.] Quod aperit uuluam,donum Abelis est primogenitũ,quod quando & quomodo offerendum sit quære. certe aptissimum tempus est, quando inducit te deus in fluctuantem sermonem, terram Chananæorum, non quomodocunq;,sed quemadmodum iurauit ipse:nõ ut fluctuationem huc illuc iactatus,& nusquam consistẽs sustineas,sed ut ab ea desistens in serenitate ac tranquillitate degas,& ad uirtutem tanquam in stationem tutissimam,aut portum delatus stabiliaris firmiter. Dum autem dicit,Deum iurare,dispiciendum an uere hoc ei conueniẽs pronuncietur:quoniam plurimis uidetur non esse proprium.Iusiurandum enim intelligitur testimonium dei de re ambigua. deo autem nihil est incertum aut dubium, qui etiam alios in cognitionem ueritatis dignatur introducere. ipsi certe nullo teste opus est. nec enim est alius deus huic honore par.ne quid dicã de teste, quod in quantum testimonium exhibet,maior est eo cui datur testimonium.alter enim opis indiget,alter opem fert.at quod opem fert, fide dignius est eo quod hac indiget.sed nihil est præstantius summo illo rerum autore,quia ne conferendum quidem quicq̃, imò neq; paulo deterius, sed toto genere demissum infra deum inuenitur quicquid est. & homines ut fides ipsis habeatur ad iusiurandum confugiunt.deus uel simpliciter loquẽs fide dignus est. itaq; uerba eius,quantum ad certitudinem,nil à iuramento differunt. ita fit ut sententiæ nostræ fides ex iureiurando accedat, ipsi uerò iuramento ex deo. non enim propter hoc deo creditur,sed hoc per deum confirmatur.cur igitur uati nostro uisum est iurantem eum introducere? ut infirmitatem creaturę coargueret,& conuictã consolaretur.non potest enim anima nostra semper in promptu habere præcipuam illam de deo sententiam, non esse eum homini similem,ut transcendamus quicquid prędicatur de homine:sed quia maxima ex parte affines sumus rerum mortalium, & præter eas nil cogitare possumus, neq; proprios morbos egredi: sed induti rebus mortalibus tanq̃ cochleæ, eisq; harum in morem inuoluti, easdem de illo beato immortaliq; quas de nobis opiniones habemus, uerbis quidem negantes deum humana forma præditum, re autem ab impietate quorundam, qui affectus ei tribuunt non alieni,utcunq; tergiuersamur:ideo manus,pedes,introitum,exitum,odium, alienationem,auersationẽ,iram ei affingimus, affectus nihil ad autorẽ illum summum pertinentes: in quibus & iusiurandum est, quo subleuatur nostra infirmitas.Si dederit tibi deus quæuis,ait Moses ponẽs terminos. illo enim non dante non habebis:quoniam omnia in eius potestate sunt, externa bona,corpus,sensus,ratio,intellectus,& omnium actiones atq; essentiæ.nec tu

solus

solus,sed & mundus hic: à quo quicquid auelles & separabis, hoc alienum inuenies.etenim terram,aquam,aerem,cælum,stellas animalium stirpiumq; tum mortalium tum immortaliũ ideas omnes ut res suas possidet.itaq; quicquid ex his adduxeris pro uictima, deo suas res offeres non tuas. Et uide q̃ pius,qui de his, quæ acceperat sumpsit. non totum offert quantum sibi donatum est.plurimas enim res nobis natura conuenientes humano generi donauit,quarum expers est ipsa omnium:ut generationẽ ipsa ingenita, alimentum quo ipsa non indiget,corpus instrumentale quod ipsa non potest assumere,incessum,uisum,auditum,cibos nunc ingerere,nunc digestos egerere, uaporum discernere diuersitates,uerba promere,ridere. insunt nobis & alia permulta ad usus quotidianos necessaria. Verum hæc aliquis indifferentia dixerit,quæ uero ex confesso bona sunt, inesse naturæ. age igitur examinemus ea quoq; quæ ut uera bona admiramur,quę omnia optamus nobis ob uenire suo tempore,& adepti uidemur felicissimi. Quis ignorat quod carere senio morteq; habetur inter humana bona præstantissimum, quæ neutra ad naturam pertinent, quamuis expertem mortis & senij. Et quid mirum si ingenitum illud bonis uti non dignatur,quando & creatura ipsa,secundum idearum in quas diuiditur differentias,dissimiles uirtutes expetit. itaq; nulla inter uiros & mulieres æmulatio est de his quę sunt alterutris propria:sed mulieres non abstinentes studijs uirilibus, uiraginum subibunt infamiam: uiri uero androgynorum,si tractent exercitia muliebria. Quid quod nõnullas uirtutes natura ita discreuit,ut nulla cura possint cõmunicari? & ideo seminare gignereq;,quæ propria uiri uirtus est,non adest mulieri.sicut fœcunditas pariendi,muliebre bonum,non cadit in uirorum naturam. itaq; ne illa quidem quæ insunt hominibus,de deo dicuntur proprie, sed per quendam abusum nominum quo infirmitati nostræ succurritur. quamobrem aufer ô anima,quicquid est genitum,mortale,mutabile, profanum, quando de deo ingenito,incorruptibili,immutabili, sancto, soloq; beato cogitas. cæterum omne masculinũ aperiens uuluam sacrificari domino,ualde naturæ est consentaneum. sicut enim mulieribus ad pariẽdos fœtus peculiarem partem natura dedit uuluam: ita ad generationem actionum assignauit in anima uim, per quam intellectus multa concipiat,parturiat, deniq; pariat etiam. cõmenta autem quæ pariuntur, partim mascula partim fœminea sunt, sicut animalia. fœmineus fœtus animæ malicia est & affectio, quibus effœminamur in omnibus studijs. masculus autem, uirtus & immunitas ab affectibus, quæ duo nos confirmant & excitant. ex his quicquid ad uirile contuberniũ pertinet deo consecrandum:quicquid ad conclaue muliebre, nobis attribuendum.& ideo præcipitur, Omne aperiens uuluam masculinum domino.addit etiam: Omne aperiens uuluam de armentis & gregibus tuis. Postquam dixit de principalis animæ partis fœtibus,incipit docere de brutę partis progenie.hæc ad sensus pertinet, quos confert propheta cum armentis & gregibus,cicuribus mansuetisq;, ut qui sub pastorum cura degunt. quæ enim libera sinuntur, destituta cicuratore efferantur. at quæ præfectos habent caprarios, bubulcos, pastores, iuxta quodq; genus animantium, ea mansuescunt necessario.proinde & sensuum genus suapte natura uel mãsuetum uel

immansuetum est. immansuetum quidem quando contempto regimine intellectus ceu bubulci, fertur sine ratione ad sensibilia. mansuetum uerò, quādo obsequenter cedens præstantiori animæ parti rationi, ab ea gubernatur & regitur. quicquid igitur uidet, audit, & in uniuersum sentit, iuxta intellectus monita, totum masculum atq; perfectum est, quia bene se habent singula. Quicquid autem sine præfecto: corpus nostrum, tanquam ciuitatem magistratu carentem perducit ad interitum. Rursum ex sensibus aliquos intellectum sequentes, qui necessariò potiores sunt, ad deum referre oportet: contumaces uerò imputandi nobis sunt, qui temere impetu eorum rapimur. Nec tantum à iam dictis, sed & à fermento toto præceptum est particulam desumere. Et erit quādo comedetis de fructibus terræ, auferetis particulam separatam domino. De primitijs fermenti panum uestrorum, particulam auferetis ei. sicut partem de area, sic separabitis id. Fermentum istud proprie, si uerum fatendum est, nos ipsi sumus, congestis & commixtis plurimis essentijs, ut ex his absolueremur. frigidum enim cum calido, & aridum cum humido, potestates contrarias cōmixtas & contemperatas animalium opifex in unum redigens, unumquemq; nostrum fecit ex ea congerie, quæ intelligitur fermenti nomine: cuius primariæ duæ partes anima & corpus. primitiæ deo consecrandæ sunt. sunt autem primitiæ, sancti & ad uirtutem pertinentes motus partis utriusq;, ideo conferuntur cum area. ergo sicut in area triticum hordeumq; & id genus alia seorsum separantur, aristæ uerò & paleæ & huiusmodi quisquiliæ dissipantur aliò: ita etiam apud nos alia sunt optima, utilia, ueros cibos præbentia, per quæ recta uita perficitur, quæ quidem offerenda deo sunt: alia uerò parum diuina relinquenda uelut reiectamenta mortali generi. ab his tamen auferendæ particulæ. sunt item potentiæ totæ puræ à malicia, quas diuidendo mutilare nefas est, similes non diuidendis uictimis, scilicet holocautomatis: quarum manifestū exemplum Isaac, qui more uictimæ duci iussus est, nulla corruptibili affectione olæsus. alibi quoq; dicitur: Munera mea, dona mea, sacrificia mea seruabitis offerenda mihi in diebus festis, nihil adimendo neq; diuidendo, sed plena integra perfectaq; adducendo. Festum enim animæ est perfecte lętari uirtutibus. est autem perfecta læticia expers morborum humano generi accidentium. tali festo solus sapiens fruitur, prætерea nemo. nam anima quę nullum affectum aut uitium gustarit inuenitur rarissime. Reddita igitur ratione de partibus animæ, tum rectrice tum subdita, quid'ue sit in utraq; masculinum aut fœmininum, consequenter docet de corpore. Sciens enim certo quod absq; labore & cura non est possibile adipisci progeniem masculam, dicit deinceps: Omne aperiens uuluam asini, permutabis oue: ac si dicat: omnem laborem permutabis profectu. Laborem enim asinus significat animal patiens: profectum uerò ouis, sicut uox Græca προβατον indicat. submouemur autem his, ne segnes simus in studijs artium cæterorumq; quæ meditatione discimus, sed accuratissime præparata mente subsistamus fortiter aduersus omnem lassitudinem, demusq; operā ne labor coniunctus sit cum negligentia: & ut usq; proficiendo ad gloriosum finem perueniamus. propter profectum enim labor sustinendus est. quod si te tolerante laboris difficultatem, ingenium tuum

nihilo

nihilo reddatur melius, repugnetque profectui, desiste & quiesce. Durum enim est aduersari naturæ. ideo additur: Quod si non permutaueris, redimes id. hoc est, si non poteris profectu mutare laborem, noli laborare. hoc enim redemptio significat, liberare animam ab inani cura & inutili. hæc autem non de uirtutibus dico, sed de his artibus quæ medij sunt generis, deque alijs necessarijs ad curam corporis, & ad externa bona quærenda. nam labor qui propter uera bona & perfectam honestatem suscipitur, etiamsi ad scopum non perueniat, per seipsum ad sectatores suos iuuandos sufficit. uirtute autem excepta quicquid non absoluitur, nullam affert utilitatem. quemadmodum in animalibus si caput adimas pereunt cætera omnia. Caput autem negotiorum est finis eorum: quo adhibito uiuunt quodammodo: moriuntur autem mutilata si illud præcidere uolueris. itaque & athletæ qui non possunt reportare uictoriam semper succumbentes, ab incepto desistant: & si quis negotiator aut nauclerus maria sulcans infortunatus est, mutata uitæ ratione quiescat: & quotquot medijs artibus studendo, propter ingenium durius non ualent eas assequi, laudem merebuntur si desinant. non enim propter exercitium exercemus talia, sed propter scopum ad quem ea referuntur. ergo si forte ingenium in eodem uestigio hærens nolit se promouere ad meliora, ne frustra contendamus. quod si ab eo iuuabimur, primitijs honoribusque deum colamus, quibus anima redimitur, & exempta iminium herorum dominio in libertatem asseritur. Moses enim fatetur, Leuitas qui pro primogenitis cultores facti sunt eius qui solus colendus est, redemptionem esse cæterorum omnium. Ego, inquit, tuli Leuitas de medio filiorum Israel, ut redimerentur eis: eruntque mihi Leuitæ. meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi primogenita in terra Ægypti: sanctificaui mihi quicquid primum nascitur in Israel. ratio quæ ad deum confugit suppliciter, nominatur Leuita. Hunc è meditullio & principali animæ parte desumptum, electum & in sortem suam receptum, portione quæ maiori natu debetur dignatus est: ut inde satis liqueat, Rubim quidem Iacobi, Leui autem Israelis esse primogenitum: quorum ille tempore, hic dignitate ac potentia ius primogenitorum sibi uendicat. Iacob enim cum laborem & profectum significet, principium est bonæ indolis, quæ in Rubim intelligitur. contemplationis autem quæ solum sapientem deum intuetur, iuxta nomen Israelis, fons est illum colere propenso animo: quem cultum Leuita significat. ergo sicut Esau iuris primogenitorum hæres Iacob inuenitur, studio uitiorum uicto à labore honesto: ita & bono ingenio præditi Rubim primatum ætatis Leui perfectæ uirtuti deditus auferet. cuius perfectionis signū manifestius, quod ad deum confugit relictis ad quæ natus fuerat negotijs. hæ sunt illę proprię mercedes quibus anima libertatis auida redimitur. quid autem si hic quoque dogma introducitur ualde necessarium? quod omnis sapiens stulti est redemptio mercesque, ne minimo quidem tempore duraturi, nisi ille misericordia sua prouidentiaque impulsus incolumitati eius prospiceret: sicut medicus ægroto, morbis eius resistens, & aut mitiores reddens, aut omnino tollens, nisi tanta sit morbi uis & contumacia, ut longe curationem superet. tunc enim pereundum est corpori, quando in ea bilance immensum præ-

grauantibus malis, bonorum ediuerso nullum pondus est. ubi si inuenta esset quinquagenaria ratio, iuxta quam anima seruituti exempta in totum libera pronunciatur, aut aliquis sequentium numerorum quos ille sapiens Abraham enumerat, descendens usque denarium eruditioni peculiarem numerum, non perisset mēs tam ignobiliter? conandum tamen est ut etiam certo perdendos à suis uitijs seruemus quantum possumus, imitando bonos medicos: qui quamuis uideant haud posse ægrum à se seruari, tamen libenter omnem curationem admouent, ne per ipsorum negligentiam uideatur res non successisse ex sententia. quod si uel minima sanitatis scintilla se ostenderit, ea diligentissime sicut in foco accendenda est. sperandum enim fore ut uita prorogata mutetur in melius, magisque sibi in posterum à lapsu caueat. Equidem quando aliquem bonum uirum habitantem in aliqua domo aut urbe uideo, & domum & urbem illam beatam prædico, ratus tum præsentem felicitatem ei mansuram perpetuo, tum absentem expectandam cumulatiorem, deo ultra modū mensuramque diuitias suas in gratiam dignorū etiam in indignos profundere solito. quibus quia ne senescant precari mihi non licet, precor uitam longissimā, existimans tam diuturnam felicitatem fore hominibus, quàm longum illis uitæ tempus contigerit. proinde audita morte alicuius eorum, magna tristitia magnoque dolore afficior, non tam ipsorum uicem dolens quàm superstitum. illos enim naturæ ordine necessario manet is exitus, ut post uitam feliciter exactā gloriosa mors eos excipiat. istis uerò destitutis magna potentique manu qua protecti antea fuerant, suorum malorū sensus imminet: nisi natura tanque in arbore de qua maturi fructus defluūt, alios recentes substituat, quibus alantur fruanturque quibuscunque datum est. quemadmodum igitur ciuitatum certissimum munimētum uiri fortes sunt: ita in uniuscuiusque nostrum ciuitate, quæ constat ex anima & corpore, pro firmissimo propugnaculo sunt cogitationes amicæ prudentiæ: quas legislator per trāslationem uocat mercedem redemptorum & primogenitos, ex causis iam ante dictis. propterea ciuitates quoque Leuitarū immunes semper fore ait: quia dei cultor libertate sempiterna fruitur, iuxta continuas mutationes animæ nunquā non mobilis, sanationes recipiens alias super alias. quod enim ait immunes non semel, sed in perpetuū, ita intelligere debemus, semper eas mutari, uerùm semper in integrum restitui: quando mutatio à natura mortali est eis indita: libertas uerò deo curante superuenit. Illud quoque non obiter considerandum uidetur, cur nam ciuitates Leuitarum concessæ sint profugis, ut cum sacratis uiris profani omnium existimatione cohabitarent. hi sunt qui non sponte cædem fecerunt. primum igitur dicēdum quod consentit cum modo dicto, bonū uirum mali esse redemptionem. itaque merito peccatores ad sacerdotes ueniunt, ut purificentur. deinde, à Leuitis ideo admitti profugos, quia & ipsi potentia sunt profugi. quemadmodum enim illi pelluntur procul patria: sic & isti reliquerunt liberos, parentes, germanos, quicquid familiarissimū est & charissimum, ut pro mortali sorte immortalem inuenirent. hoc tantum interest, quod illi nolentes exulant ob facinus quod nolentes admisere: isti uolentes profugiunt rerum optimarum amore: & quod illis Leuitæ sunt refugium, Leuitis autem præses rerū omnium:

ut

ut imperfecti quidem legem habeant sacram scripturam, isti uerò deum cui consecrati sunt. Præterea qui non sponte cædem fecerunt, ideo easdem cum Leuitis ciuitates ad incolendum sortiti sunt, quia & isti propter cædem factam priuilegium consecuti sunt. cum enim anima parum sibi constans ad illum Ægyptium deum corpus tanquã ad aurum honorandum se conuertit: tunc sacri sermones omnes sua sponte correptis telis, id est, eruditis demonstrationibus, ductu imperioq́ summi pontificis ac uatis amici deo Mosis quem sibi præfecerant, bellum acerrimũ pro pietate susceperunt, nec prius destiterunt, q̃ debellatis omnium aduersariorum dogmatibus. itaq; merito idem acceperunt domicilium, qui eadem quãuis non eodem modo fecerãt. Est & alia non incelebris ut inter secreta ratio, deponenda penes aures seniorum, obturatis interim iuniorum auribus. Ex dei potẽtijs optimis omnibus una cæteris honore par, quæ ad legumlationem pertinet (nam ipse summus legislator est, fons legũ, cæterorumq́ legislatorum particularium) bifariam potest diuidi. prioris partis minister Leuita est: omnibus enim ritibus fungitur, qui referũtur ad perfectum sacerdotium, per quod assurgit ad deum genus humanum, eiq; familiare redditur, siue per holocautomata, siue per sacrificia quæ pro salute fiunt, aut pro peccatis quorum pœnitet. Alterius autem partis quæ ad pœnas noxijs infligendas spectat, ministri fiunt, qui cædem committunt absq; animi proposito, attestãte Mose: Nolens, inquit, fecit, sed deus tradidit eum in manus eius. Itaq; huius manibus pro instrumẽto usus est: & qui inuisibiliter per eas operatus est, alter est ipse quoq; inuisibilis. Cohabitent igitur duo famuli, executores duarum legislatoriæ potentiæ partium: eius quæ ad beneficia pertinet, Leuita: eius quæ ad pœnarum exactionem, is qui nolens interfecit. quod autem ait: die qua percussi omne primogenitum Ægypti, sanctificaui mihi omne primogenitum Israelis: non debemus suspicari, illo tantũmodo tempore, quo magna illa plaga Ægyptij percussi sunt, primogenitorũ interitu, sanctificata esse Israelis primogenita: sed & olim & nunc & posthac & semper hoc contingere potest in anima, quando quod in cæco affectu præcipuum est extinguitur, deo tunc acute discernente antiquiorem honoratioremq́ sobolem quam sibi sanctificet. exitus enim è uitio introitum in uirtutem efficit: sicut ecõtra, decedente hac uitium succedit uelut ex insidijs. certe uix exiuerat Iacob, cum in mentem omnium capacem Esau ingressus est, pro uirtutis formulis impressurus, si ualeat, characteres maliciæ. uerùm non potuit hoc efficere: supplantabitur enim & hæreditate fraudabitur à sapiente illo nesciens, propellente iniuriã prius quàm eam accipiat. Offert autem hic noster primitias non solum de primogenitis, sed & de eorum adipibus, ostendens quod quicquid in anima hilare, pingue, salubre, gratiosum, totum debeamus deo cedere. Equidem tria uideo in sacrificiorum ordinatione præcipi, ut offerantur præ cæteris uictimæ partibus adeps, renes, fibra iecoris, de quibus suo loco dicemus: nusquam cerebrum, nusquam cor, quæ ante alia consecrari oportebat, si legislator principatum agnouisset in horum altero. Quid si admodum pie consideratẽq; hæc in fidelem dei aram non intulit? quia principalis illa uis singulis temporis momentis uel ad melius uel ad deterius mutabilis non manet eodẽ loco,

quandoquidem & ipsa nunc probatæ nunc damnatæ monetæ censetur. quamobrem locum rerum adeò inter se pugnantium capacem, honestatis & turpitudinis, neutram excludentem & parem honorem tribuentem utrique, non minus impurum quàm purum legislator iudicās, ab altari dei amouit. quod enim turpe idem profanum est: profanum uerò, omnino inconsecrabile. & hoc est cur principalis uis à sacris arcetur. cui si accedat certum iudicium, tum demum perpurgatis omnibus partibus, immaculata, impollutaq; tota adolebitur. hæc enim est lex holocautomatum, ut præter recrementa ciborum & tergus, quæ corporalis infirmitatis non maliciæ sunt indicia, nihil residuum relinquatur ex creatura. cætera quæ animam reddunt omnibus membris integram, integra super altare numinis exurantur.

PHILONIS IVDAEI DE EO QVOD DETERIVS POTIORI INSIDIARI SOLEAT.



T dixit Cain ad Abel fratrē suum: Trāseamus in campum. Et factū est cum essent in cāpo, insurrexit Cain contra Abel fratrem suum, & occidit eum.] Quod Cain sibi uoluit, tale est. prouocatum Abelem ad disputationē induxit, ut uerisimilibus probabilibusq; sophismatib. eum expugnatum caperet. campum em̄ in quem uocatur, signum certaminis ac pugnæ dicimus, ex manifestis coniecturam de incertis sumēdo. uidemus enim pleraq; certamina tam belli quàm pacis tempore in campis peragi. in pace gymnici athletæ stadia & campos quærunt adiacentes uijs publicis: nec in bello mos est pedestria equestriaq; prælia in tumulis cōmittere: sic enim propter loca impedita utrinq; maiora detrimēta hostes acciperent inferrentq; sibi inuicem. Huius rei argumentum est maximum meditator ille scientiæ contrariam ei debellans ignorantiam, quando irrationales animæ potentias quodammodo compescens castigāsq; in campo cernitur. Accersiuit em̄ Iacob Rachelē Liamq; in campū ubi greges erant: manifeste docens per campum contentionem significari. accitis autē dixit, Video uultum patris uestri non esse erga me sicut heri & nudiustertius. deus autem patris mei erat mecum.] Atqui ideo (dixerit aliquis) Laban erga te male affectus est, quia deus tibi fauet. nam in quacunq; anima externum istud sensibile honoratur tanq; bonum maximū: in ea ratio ciuilis non inuenitur: in qua autem deus obambulat, in ea bonum externum sensibile non relinquitur, quod in nomine Labā intelligimus. & quotquot rationis profectu sicut patriarcha ornātur, irrationales animæ impetus per doctrinā traducunt in melius, campū ad hoc eligendo ut locū idoneum. Dicitur enim Iosepho, Nónne fratres tui pascunt oues in Sichē? ueni, mittā te ad eos. quo respondente,

Præsto sum, ait. Vade & uide si sani sunt fratres tui & pecora, & renuncia mihi. Et misit eum de ualle Chebron, & uenit in Sichem, inuenitq; eum homo errantem in campo, & interrogauit quid quæreret. at ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges. Dixitq; ei homo, Recesserũt de loco hoc. audiui eñ eos dicẽtes, Eamus in Dothaim.] Ergo quòd in campo irrationales suas potentias compescant, satis liquet ex his quæ diximus. Ioseph autem mittitur ad eos, quia patris disciplinam austeriorem ferre non potest, ut discat apud indulgẽtiores præceptores, quid utile, quid'ue faciendum sit. Vtitur enim dogmate è diuersis contexto admodum multiplici atq; uario. ideoq; tunicam uariegatam ei factam, dicit legislator, quæ significat labyrinthosi & inexplicabilis dogmatis introductorem: qui rerum pub. instituta magis quàm ueritatem respiciens inter philosophandum, tria genera bonorum, externa, corporis, animæ, totis naturis inter se disiuncta, in unum contrahit: cum debuisset suum cuiq; pretium reddere, & quantum uniuersa ualeant ostendere, & illud integrum uerum plenariumq; bonum ex omnibus his compositum. ista uerò ex quibus hoc compingitur, partes aut elementa bonorum esse, non autem perfecta bona. Et sicut nec ignis, nec terra, nec unum aliquod ex quatuor, ex quibus constat hæc rerum uniuersitas, mundus est, sed elementorum in unum congressus & contemperatio: pari modo felicitatem nec in externis bonis proprie, nec in corporis, nec in animæ seorsum examinari: hęc enim singula uelut partes quędam & elementa sunt: sed in omnium simul congerie. pro hac igitur opinione, ut meliorem discat mittitur ad uiros qui solum honestum esse bonum existimant, quod animæ, in quantum animæ, est proprium: corporis uerò bona quæ uocantur, lucra tantum esse, non etiam uera bona persuasum habent. Ecce quid dicat: Fratres tui pascunt, & imperant omnibus brutis sui partibus, in Sichem: quod interpretatur humerus, laborem tolerantiæ significans. nam uirtutis amatores baiulant sarcinas maximas, affectum erga corpus & uoluptatem corporis, præterea certamen aduersus externa bona delectationesq; quæ inde proueniunt. Ades dum igitur, mittam te ad eos, hoc est, accitus accede ad mentem, sponte facto impetu ad meliora discenda. hactenus certe tibi places quasi ueram illam disciplinam adeptus. quamuis enim nondum hoc apud te statueris, paratum te ais denuo discere, dicens, Præsto sum. quo uerbo mihi uideris temeritatem facilitatemq; tuam aperire potius quàm ad disciplinas capessendas animi promptitudinem. argumento est, quod inueniet te paulo post uerus homo errantem in uia, non erraturum si sano proposito iusses ad exercendum te. atqui adhortatio parentis nullam necessitatem tibi imponit, ut uoluntarius & tuopte iussu transeas ad meliora studia. ait enim, Profectus uide, dispice, considera, & accuratissime speculare totum negotium. oportet enim te prius scire quid sit illud cui laborem impensurus es, atq; ita ad eius studium accedere. certe postquam prospexeris, & totum intuitum per omnia circumtuleris, insuper examina illos quoq; qui uersantur iam in eo exercitio, sani ne sint dum hoc agunt, an insaniant, quemadmodum uoluptatis amatores arbitrantur, cauillis eos incessentes subsannantesq;. Et caue ne putans te satis animaduertisse, sanos hos medita-

meditatores pronuncies prius quàm patri renunciaueris omnia. nam sententiæ nuper incipientium discere, sunt inconstantes & infirmæ: sicut eorũ qui iam profecerunt, firmæ: quorum imitari oportet constantiam. hoc modo ô anime si scrutaberis cogitationes sacras immissas diuinitus, itemq; leges deo charorum hominum, nunquam cogeris aliquid indignum earũ celsitudine admittere. nam hoc ipsum de quo nũc uerba facimus, quomodo posset admittere quisquam recte sapiens? Tantámne fuisse ministrorum seruulorúmue inopiam in familia Iacob possidentis opes regias, ut filium in agrum longinquum mitteret, renunciaturũ de cæterorum liberorũ ualetudine, atq; etiam pecorum? auus eius, præter captiuorum turbam quos abduxit oppressis nouem regibus, supra trecentos uernas habuerat. ex his facultatibus eius nihil procedente tempore diminutum est: imò cõtinuis prosperitatibus auctiora facta sunt omnia. & in tanta famulicij copia, filium charissimum mittendum duxit propter negotium quod uel uilissimum mãcipium expedisset facile? sed uides quod & locus unde missus fuit curiose proditur in sacris literis, tãtum non retrahens nos certissimis notis à iam dicto intellectu. è ualle Chebron, inquit quæ figurate corpus nostrũ significat: quia comparatũ, & quasi amicitia societateq; coniunctum est cum anima. hoc cauas ualles habet sensuum, magnas lacunas capaces omnium quę sunt extra nos sensibilium. hęc certe qualitates affatim ingerunt, & per istas lacunas infundendo in mẽtem, inundant eam atq; demergunt. quamobrem in lege de lepra, quoties in domo cauitates ad luridum rufum'ue colorem tendentes apparuerint, decretũ est: ut exemptis lapidibus in quibus tale quid extiterit, reponãtur in eorum locum alij, id est, quando diuersæ qualitates, quas effecerunt uoluptates harumq; germanæ concupiscentiæ, degrauatam depressamq; animam seipsa humiliorem cauioremq; reddiderint, tollantur sermones qui causa fuere infirmitatis, & loco eorum salubres substituantur, per educationem eruditionem'ue rectam ac legitimam. pater igitur uidẽs Iosephum totum demersum in cõualles cauas sensuum corporis, euocat eum ut ex his cauernis progressus attrahat liberiorem auram fortitudinis, eorum frequentans sodalitium, qui hanc olim meditati, nunc docere possunt etiam. at ille profectum se putans errare deprehenditur. Inuenit, inquit, homo eum errantem in campo: declarans quod non labor per se, uerùm coniunctus cum arte res bona sit. sicut enim nec musicam iratis musis, nec grammaticam illiterate, nec (ut compendio dicam) artem quamuis ruditer aut peruerse, sed artificiose unamquanq; tractare conuenit: ita nec prudentiam callide, nec temperantiam sordide illiberaliterq;, nec fortitudinem temerarie, nec superstitiose pietatem, nec inscienter ullam aliam uirtutis scientiam. deuia enim hæc cuncta sunt confessione omnium. & ideo lex iubet iuste iusta exequi: ut iustitiam & quamuis uirtutem tractemus cognatis eius, non aduersis, operibus. Ergo si uideris aliquem cibos potusq; serius accipientem, aut lauacrum unctionem ue recusantem, aut negligentem operimenta corporis, aut humi cubantem malo'ue tecto utentem, & postea sibi placentem ob hanc temperantiam, miseratus eius errorem, ostende ueram uiam temperantiæ: nam quæ hactenus exercuit, inutiles uexationes sunt, fame, alijsq; afflictionibus;
&

& corpus opprimētes & animā. Item si quis aspersionib. purificationibusq́ utens, mentē quidem suam sordidat, corpus uerò facit nitidius: aut si quis abundans diuitijs extruit templum sumptu magnifico, & indesinenter hecatombas immolat, ædemq́ à se dedicatā ornat pretiosis donarijs, nō parcens auro argētoq́ nec artibus has materias superantib. ne is quidem piorū ascribitur numero. aberrauit em̄ à uia pietatis, in cęremonijs sanctitatē collocās, & dona dans ei qui his nō capitur, nec unq́ talia accipit, & adulās ei cui pal pari non potest: quia cultu uero delectatur, cum anima solum & unicū sacrificium offert, nempe ueritatem: adulterinum aūt auersatur, quales sunt ostentationes opum externarū. Cęterum hominis qui hunc in campo errantē inuenit, negant quidam indicatū nomen proprium, ipsi quodāmodo errātes, quia non possunt rectam uiam negotiorū uidere dilucide. nam nisi haberēt excæcatos animæ oculos, non ignorassent, quod eius qui reuera est homo conuenientissimū & maxime proprium nomen hoc ipsum est Homo, discerta & rationalis mētis familiarissima appellatio. is homo in cuiusq́ anima habitans, aliquando princeps & rex inuenitur, aliquando iudex & remunerator huius uitæ certaminū: interdum uerò testis accusatorisq́ persona assumpta, occulte nos intus redarguit, ne hiscere quidem sinens, sed cohibens refrenansq́ conscientiæ habenis cursum linguæ impotentem cōtumacemq́. Is redargutor percontabatur hanc animam, dum eam errare uideret: Quid quęris? num prudentiam? cur igitur uadis ad uafriciem? Num temperantiā? atqui ad parcitatē ducit hæc semita. num fortitudinem? hac ad audaciam iter est. sed forsan pietatem adire cupis. hæc uia ducit ad superstitionē. quod si dicat se scientiæ sermones quærere, & desiderare ut germanos huius generis, non statim ei credēdum est. non enim simpliciter rogat ubi pascunt, sed ubi ποιμένουσι, id est, regunt. nam qui pascunt, alimenta ista sensibilia omnia, præbent bruto & insatiabili sensuum pecori, per quę fit ut impotes nostri & infortunati fiamus. at quì regunt, principum & moderatorū utendo potentia, quicquid efferatum est mansuefaciunt, sedantes cupiditatū magnitudinem. proinde si quæsisset ueros meditatores uirtutis, quæsisset apud reges, nō inter pincernas aut obsonatores coquosq́. nam hi uoluptates instruunt, quas moderantur reguntq́ illi alteri. ideo recte respondet qui errorē animaduertit homo, Recesserunt hinc: ostendens molem istam corpoream: docensq́ quod omnes qui propter uirtutem parandam laborē perferunt, relicto terrestri loco ad sublimia consideranda se contulerunt, nullum secum trahētes morbum corporeum. ait enim se audisse dicētes: Eamus in Dothaim: quod interpretatur derelictio sufficiens: docetq́ summopere, non mediocriter relinquenda quæ non prosunt uirtutē affectantibus: sicut & Sarram deseruerunt muliebria. sunt aūt affectiones naturaliter fœmininæ: quæ ut nos derelinquant, debemus operam dare masculinæ formę delectationibus. Ergo in campo, id est, in contentione uerborum inuenitur Ioseph errabundus, & dogmatis introductor ad rempub. instituta respicientis magis quàm ad ueritatem. sunt autem quidam certatores, qui propter eximiam corporis habitudinem tergiuersantibus aduersarijs, potiti sunt coronis sine certamine & citra iactum pulueris, cedentibus illis primatum ob robur incomparabile. talem

talem uim assecutus Isaac parte sui diuinissima, mente scilicet, egreditur quidem in campum, sed nullum inuenturus æmulum, omnib. athletis ei se submittentibus propter ingentem naturæ eius præstantiam. uult tamē aliquantum secedere, & solitarius colloqui cum deo comite, in rectā uiam inducente ipsius animam. est autem manifestissimum argumētum, quod nemo mortalis colloquatur cum Israel. Rebeca, hoc est patientia, unum uidēs & solius imaginationem concipiens, sciscitatur ex puero: Quis est hic homo qui uenit in occursum nobis? anima enim in honestate perseuerans potest quidem sapientiam per se docilem comprehendere, cognominatum Isaac: nondum tamen potest uidere deum autorem eius sapientiæ. ideo puer confirmans non posse eum comprehendi sine forma uisibili colloquentem inuisibiliter, ait, Ipse est dominus meus: solum Isaac ostendens. nec enim decuisset si duo apparuissent unum ostendere: sed nesciebat eum qui monstrari non poterat, ut omnibus mediocribus inuisibilem. Atq; ita satis declaratum arbitror, campum in quem Cain Abelem inuitat, contentionem atq; dimicationem significare. restat quærendum, qua de re disceptatum sit, postquā foras progressi sunt: an satis apparet quod de contrarijs & inter se pugnantibus opinionibus? Abelis enim ad deum referentis omnia, pium dogma: Cain uerò sibi attribuentis (interpretatur enim possessio) arrogans. cæterum qui seipsos amant, quando cum uirtutis amatoribus nudati unctiq; in certamen descendunt, non prius desinunt eos urgere pancratio, quàm aut herbam porrigere cogant aut in totum opprimant. omnem enim (ut est in prouerbio) mouent lapidē, dicentes: an non domus animæ corpus est? quin igitur hāc domum, ne collabatur, curamus? an non oculus & aures & reliquus iste chorus, sensuum animæ tanquam satellites & amici sunt? ergo socios atq; amicos non æque ac nosipsos honorabimus? Quid uoluptates, delicias, totiusq; uitę oblectamenta, mortuis ne aut nondum natis, an potius uiuentibus natura condidit? diuitias quoq;, præclaram existimationem, honores, magistratus, & id genus alia cur non quæramus, per quę non solum securam, sed & felicem uitam acquirimus? cuius rei uita testis est: nam qui amatores uirtutis uocantur, inglorij propemodum omnes, contemptibiles, humiles, egeni, subditis uel potius seruis uiliores, sordidati, luridi, cadauerosi, inediam famemq; ipso uultu præ se ferentes, morbidi, mortem meditantur. ediuerso qui sui curam gerunt, celebrati, diuites, principes, laudati, honorati, sani, pingues, ualidi, delicato uictui uoluptatiq; assueti, laboris nescij, delicijs tota uita fruuntur, per omnes sensus in animam illabentibus. atq; ita prolixo isto uerborum cursu uincere uidentur non detritos in sophisticis sermonibus. in causa autem est, non fortitudo istorum qui superiores euadunt, sed aduersariorum hac parte imbecillitas. nam uirtutis cultores, partim in anima sola honestum thesaurum sibi reposuerunt, in actionibus laudandis uersati, ne in somnis quidem operati uerborum præstigijs: partim utroq; pollere uisi sunt, tum animi consilijs rectis, factisq; similibus, tum artificiosis sermonibus. Hos posteriores decet contentiosis istis se opponere, quibus facile est eorum petulantem loquacitatem retundere. priores autem illi nequaquam tuto idem tētauerint. qui enim possent nudi armatis ex æquo resistere, quando etiā instructi cum

ris male comparantur. Noster igitur Abel artes eloquentię non didicit, contentus mente pernosse quæ bona sunt: ideo debuerat recusare in campū descendere, & prouocationem inimici contemnere. tergiuersari enim præstat quàm uinci. quam cunctationem inimici appellant timiditatem, amici uerò securitatem. satius autem est neglectis aduersarijs, fidem amicis habere út ueridicis. Ideo uides quòd Moses illos in Ægypto, id est corpore, ueneficos: liceat enim mihi eos sic uocare, sicut mulieres dicimus ueneficas, & sexui uocem accommodare: illos, inquam, in Ægypto sophistas ueneficos, recusat concertatores sibi dari & aduersarios: quia sophismatū artibus decipulisq; mores boni inficiuntur atq; corrumpuntur: negans se eloquentem: ac si dicat, non esse sibi ingeniū docile ad orationū uerisimilium, coniecturaliumq; rhetoricam: deinde asseuerans se non tantum infacundum, sed prorsus mutum: non quemadmodum brutas animātes mutas uocare solemus, sed quia dedignatus per instrumenta uocis uti sonoro sermone, contētus est impressas animo habere imagines ueræ sapientiæ, quæ est fallacis sophisticæ aduersaria. Nec prius in Ægyptum proficiscitur, conflicturus cum eius regionis sophistis, quàm egregie meditatus differendi facultatem, omnes elocutionis ideas cōmonstrante absoluenteq; deo, per impositionem manuum Aaronis, quem Mosis fratrem, solet os & interpretem et prophetam appellare. Omnia enim hæc sermoni accidunt, qui frater mentis est. Nam fons sermonum mens est, unde ceu ex ore fontis uerba promanant: quia omnes sermones ex hoc, sicut fluenta riuorum è terra, profunduntur in propatulum. idem & interpres est conceptorum in mente consiliorum: idem & uates diuinatorq; ex inuisibilibus adytis oracula prodere non desinens. Sic igitur resistendum est contra contentiosos assertores dogmatum. exercitati enim per uarias sermonum species, nō succumbemus per imperitiam sophisticorum luctaminum: sed insurgendo in aduersos obfirmatis passibus, facile artificiosas eorum petitiones eluctabimur. illi uerò semel deprehensi, uidebuntur ludicram digladiationem ostentare, non concertandi uim. nam & illi uulgò dicti sciamachi, laudātur ob gesticulationem solitariam & agilitatem manuū, sed ualde improbantur in serio certamine. quòd si quis exornatus animam uirtutibus omnibus artes eloquentiæ non exercuit, quiescat, securitatem habiturus silentij præmium. alioqui si ut Abel descendet in certamen sophisticum, priusquam se obfirmarit concidet. sicut enim medicorum quidam gnari curationis omnium ferme uitiorum, morborum languorumq;, nullius eorum rationem ueram aut uerisimilem possunt reddere: alij contrà uehementer facundi, signorum & causarum remediorumq; ex quibus ars constat interpretes optimi, in tractandis ægrotorum corporibus sunt ignauissimi, ne minimum quidem remedium adhibere idonei: ita qui se exercent in operib. sapientiæ plerunq; uerba negligunt: qui uerò dicendi artes callent, nullam bonam disciplinam habent reconditam. hos igitur infreni lingua fretos insolenter efferri mirandum non est, ostentantes quam semper exercuerunt insolentiam. Sed illos spectandos suaserim, qui tanquam medici callent rationem sanandi morbos pestesq; animæ, donec deus etiam interpretem optimum instruxerit, imbre suo perfusis fontibus & illi sapienti indicatis. conuenientius

nientius igitur fuiffet, Abelem pietate falutari uirtute præditum domi fe continere, & litigiofam contentiofamq; pugnaturientis prouocationem cōtemnere, imitatum Rebeccæ patientiam: quæ auditis minis Efau maliciæ fodalis, fuafit uirtutis meditatori Iacob ut fecederet, caueretq; infidias, donec mifer ille fuam rabiem remiferit: eft enim intolleràbilis comminatio, quam intētat fratri, dicens: Appropinquet dies luctus patris mei. Optat enim tantùm ut illa creatura expers affectuum, uidelicet Ifaac, qui oraculū accepit, non defcenfurum fe in Ægyptum, in irrationalem affectum incidat, uoluptatis puta aut doloris aut cuiufcunq; perturbationis mucrone uulnerata: fignificās quod alter imperfectior & laboriofe proficiens, non uulnus folū, fed & interitum accipiat. attamē bonus deus nec inuulnerabile genus expugnari ab affectione finet: nec uirtutis exercitū in poteftatē furentis cædēq; fpirantis tradet. & ideo quod fequitur: Infurrexit Cain in Abelē fratrē fuū, & interfecit ipfum, prima quidē fpecie Abelem occifum fubindicat: fin autē diligentius rem expendas, ipfum Cain à feipfo. proinde fic legendū: Infurrexit Cain & occidit feipfum, non alterum. & merito quidem. anima enim quæ ex feipfa tollit dogma pium & uirtutis amicum, uirtuti eft mortua. itaq; Abel, quod uix credas, interemptus uiuit. exemptus enim ex infipientis mente, uiuit in deo uitam felicifsimam. atteftatur nobis diuinum oraculum, quod uociferari eum ait diferte, & clamore prodere quæ à malo focio paffus eft, alioquin fi non amplius erat, quomodo loqui poterat? ita eft profecto, fapiens qui uidetur uita mortali defunctus, immortalem uiuit. malus autē uiuens in uitijs, quantum ad felicem illam uitam eft mortuus. nam difiuncta animalia & in uniuerfum corpora, alia pati, alia agere, pofsibile eft ac facile. quando enim pater pulfat caftigās filium, aut magifter familiarem, alius eft qui pulfat, quàm qui pulfatur. quæ uerò coniuncta reperiuntur ea parte quę tum agit tum patitur, his ipfis utrunq; accidit eodem tempore. certe quādo athleta feipfum fricat exercendi gratia, utiq; fricatur: ficut qui femetipfum fauciat, mutilatur atq; interficitur. Sed quorfum hæc? quod anima cum fit una non ex difiunctis rebus, fed ex coniunctis, neceffariò patitur quod uidetur agere, ficut nunc quoq; planum eft. Putans enim fe fuftuliffe dogma deo charifsimum, feipfam interemit. Teftis eft Lamech impij Cain progenies, qui fic fuas uxores alloquitur, duas inconfultas fententias: Virum occidi in uulnus mihi, & iuuenem in cicatricem mihi. Liquet enim quòd fi quis fortitudinis rationem occidit, feipfum contrario morbo timiditatis uulnerat: & fi quis pubefcentem uim in ipfa honeftorum meditatione tollit, plagas & magna flagra cum non mediocri dedecore fibijpfi infert, Dicit tamen patientia, quo fublato profectu meditationeq;, non unā folam prolem amittet, fed & alias, orbitatem in uniuerfum denuncians. Sicut autem qui bonum uirum lædit, declaratus eft feipfum mulctare: ita qui cedit præftantioribus, quamuis dicatur illis præftare beneficium, re uera de feipfo bene meretur. teftis eft his meis dictis ipfa natura, & leges huic confentaneæ. Diferte enim præcipiunt fic: Honora patrem & matrem, ut bene tibi fiat. Non his qui honorantur inquit, fed tibi. nam fiue intellectum ut patrem huius concreti, fiue fenfum ut matrem honorauerimus, ipfi ab eis recipiemus beneficium.

honoramus

honoramus autem intellectum, non iucunda ei præbendo sed utilia, ea sunt quæcunque à uirtute proueniunt. cæterum sensui honorem habemus, quando cohibemus eius impetū ad res sensibiles, & refrenamus per intellectum, gubernatorem aurigamque potentiarū quæ nobis insunt irrationalium. Ergo si honor quem dixi, utrique habeatur, sensui ac intellectui, necessum est me qui utroque utor, affici beneficijs. Pari modo si rationem longe ab intellectu sensuque abducens, patrem creatorem mundi, matremque sapientiam eius per quam condita sunt omnia, honore dignaberis, ipse beneficium accipies, nullius enim indiget, nec plenus ille deus, nec illa summa perfectissimaque scientia. quo fit ut qui hos colunt, non eis quippe nulla re indigentibus, sed sibi prosint maxime. nam scientia equos canes'ue curandi, ipsis animalibus utilis, parat eis necessaria: ni faciat, discessura ab officio. at pietas ad cuius curam pertinet deum colere, nefas est ut dicatur aliquid cōferre quo iuuetur deus. nihil enim est quod eum adiuuet rei nullius indigū: nec in rebus quicquam est quod se potiorem iuuare queat, sed ediuerso cuncta indesinenter iuuantur ab ipso. Itaque dum pietatem dicimus esse erga deum obsequium, intelligendum est tale quoddam ministerium, quale serui præstant dominis, impigre iussa peragendo. sed hoc interest, quod domini quidem indigent ministerio, deus autem non indiget. itaque illis quidem prodest ministerium, ad hunc nihil inde redit, præter uoluntatem pietatis indicem. nihil enim in hoc domino inuenitur quod profectū accessionemque recipiat, cum omnia iam inde ab initio sint optima. uerùm ipsis maxima prouenit utilitas, qui in eius familiaritatem se insinuant. hactenus dictum sit de his, qui se putant alijs bene aut male facere. compertum enim est eos utrunque sibi ipsos facere. pergamus scrutari sequentia. uidelicet scitationem hanc: Vbi est Abel frater tuus? ad quam respondet, Nescio. num custos fratris mei sum ego?] Quærendum igitur an proprie de deo dici possit, eum scitari. nam qui percontatur, de his quæ ignorat interrogat, quærens responsum ut cognoscat quæ nesciuerat. at huic percontatori nota sunt omnia, non pręsentia tantum & pręterita, sed futura etiam. Quid igitur opus habet responso nihil profuturo ad ampliorem scientiam? Proinde dicendum, quæ istiusmodi sunt non habere talem naturam ut de summo autore prædicari possint proprie: sed sicut qui non mentitur potest mendacium dicere, ita qui non interrogat, potest interrogationem proloqui. Cur igitur, dixerit fortasse aliquis, produntur talia? ut anima responsura, apud seipsam pensitet, quid recte secus'ue pronunciet, absque ullo alio uel suffragatore uel aduersario. nam & cum sapientem illum rogat: ubi habes uirtutem: Abrahamum inquam de Sarra: non ignarus rogat, sed ut responsum eliciat, per quod ille auferat cum laude coniunctum testimonium. Sic enim respondisse dicitur: Eccam in tabernaculo, hoc est in anima. Quam igitur laudem hoc responsum continet? Ecce, inquit, apud me ipsum uirtutem habeo repositam ceu rem preciosissimam, & ideo iam nunc felix sum. Quod enim ex uirtute percipimus, felicitas est. ut non frustra eam possideamus. Vti autem ea non possum, ni tu demisso cælitus semine facias eam grauidam: atque illa Isaac pariat, felicitatis progeniem. Intelligo autem felicitatem, uirtutis perfectæ in uita perfecta usum. Ideo propositum hoc eius ap-

probans, promittit implenda mature quæ postulat. Huic igitur sua responsio laudem attulit, fasso ne uirtutem quidem absq; diuino fauore idoneam per se ad aliquem iuuandum. At Caino merito affert uituperium, neganti se scire ubi sit qui dolo ipsius occisus fuit. Videtur enim responso hoc uelle fallere, quasi non perspicientem omnia, ac non iam ante prǽuidentem decipiendi uoluntatem in eo. Nefarius autē & alienus à populo dei est, quisquis putat aliquid latere eius oculum. At iste addit etiam iuuenilem uocē: Nunquid custos fratris mei sum ego? Miseram profecto uitam acturus erat, si te custodem tanti boni natura constituisset. An non uides quòd sanctorum asseruationem ac custodiam non quibusuis legislator, sed sacratas mentes habentibus Leuitis committit? quibus non satis digna sors terra, aqua, aer, cęlum insuper & totus mundus uisa est, sed solus horū opifex: ad quem confugerunt supplices, facti eius ueri famuli, amorem erga suum dominū declarantes per cōtinuum ministerium, & per impigram rerum sibi creditarum custodiam. ac ne his quidem supplicibus licuit omnibus esse custodes rerum sacrarum, sed tantum sortitis numerū quinquagenariū, annunciantē remisionē libertatemq;, & restitutionē in possesiones pristinas. Hæc est, inquit, lex Leuitarum. A uigintiquinq; annis ingredietur ut ministret in tabernaculo testimonij: & à quinquagesimo anno ministrare cessabit, succedente fratre in ministerium. Ipse autem custodiet custodias, opera uerò non operabitur.] Ergo dimidium perfectionis habentem (perfecta enim ratio quinquagenaria, cuius dimidium uigintiquinq;) operari permittit, & sancta facere, approbātem se operibus: est autem principium, teste antiquo prouerbio, totius dimidium: cæterum perfectum, non iam laborare, sed quæ per exercitationem laboremq; acquisiuit, custodire. Absit enim ut eorum sim meditator, quę mox seruare non liceat. Ergo exercitatio mediocritas est, non perfectio. Fit enim non in perfectis quidem animis, sed tamen ad fastigium tendentibus. At custodiæ perfectum officium, memoriæ mandare contemplatiua exercitia sanctorum, scilicet fideli custodi pulchrum scientiæ depositum: quę sola contemnit obliuionis casses multiplices. Itaq; memorem eorum quę didicit, recte custodem appellat. Hic autem prius quàm exerceretur, alterius docentis erat discipulus. Factus autem ad custodiam idoneus, ascitus iam in docētium dignitatem ac ordinem, fratrem ad ministeria suæ doctrinæ substituit, hoc est sermonem suum enunciatiuum. Dicitur enim quòd ministrabit frater eius. Itaq; probi uiri mens, custos ac proma conda est uirtutis dogmatum. frater uerò eius sermo ministrabit, eruditionis cupidis enarrans sapientiæ contemplationes & dogmata. Ideoq; Moses benedicens Leui, post alia mirāda infert hoc quoq;: Custodiuit eloquia tua, & testamentum tuum seruauit. Ac mox: Manifestabunt iustificationes tuas Iacob, & legem tuam Israel. Ergo satis docet, & eloquiorū & testamēti dei probum uirum custodem esse. quin & iustificationum legumq; interpretem ac doctorem optimum eūdem indicat: quando interpretatio per cognatum instrumentum, uocale uidelicet, peragitur: custodia uerò circa mentem examinatur, quę est magnum conditorium à natura fabricatum, facile capax cogitationum omnium quibus uel corpora uel res comprehendimus. Profuisset sane amatori sui Caino, si Abe-

lem custodisset. Si enim seruasset eum, consideratam & mediocrem uitam si bi acquisisset, non explens se mera malicia. Et dixit deus: Quid fecisti? uox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.] Illud quid fecisti. & indignatio= nem præ se fert ob sceleratum facinus, & irrisionem putantis dolo patratum homicidium. Indignatio propter malefici propositum oritur, quod bonum tollere uoluit: irrisio uero, quia putans se insidiari potiori, sibi magis quàm il li struxit insidias. Viuit enim, ut iam ante dixi, qui mortuus existimatur, quã doquidem comperitur etiam deum supplex alloqui. At is qui superstes ui= detur, animæ morte perijt, exclusus à uirtute, propter quam solam uita di= gnus esse potuerat. Itaq; dicere, Quid fecisti? idem ualet quod, Nihil effici= sti. Nam neq; ille sophista Balaam, id est, uanum uulgus contrariarum opi= nionum & inter se pugnantiũ, uolens execrari probos & lædere, quicquam ualuit, deo maledictionem uertẽte in benedictionem, ut & uafriciem iniusti redargueret, & se uirtutis amicum ostenderet. Solent autem pleriq; omnes sophistæ aduersarias habere suasmetipsorum facultates, dum uerba eorum cogitationibus, & consilia uerbis resistunt, haud ullo consensu intercedente. Deliniunt enim nostras aures dissẽrẽdo quàm socialis res sit iustitia, quan tum omnibus conferat temperantia, quantopere probetur fortitudo, quàm ingens capiatur ex pietate utilitas, quàm salubres uirtutes cæteræ: econtra iniustitiam esse rem impacatam, intemperantiam morbiferam, impietatem nefariam, reliquam maliciam perniciosam: & tamen cõtraria dictis suis sape= re non desinunt. sed post decantatas laudes prudentiæ, temperantiæ, iusti= tię, pietatisq;, tum maxime desipiunt, lasciuiunt, iniuste impieq; se gerunt: & ut uerbo dicam, deprehenduntur omne fas iusq; confundere ac subuertere. Quos merito uerbis quibus ad Cain deus utitur, appellet quispiam: Quid fecistis? quid uobisipsis profuistis? quam utilitatem anima uestra percepit ex tot istis de uirtute sermonibus? quid in uestra uita magnum paruum ue correxistis? an non potius ueras criminationes contra uosipsos protulistis, qui probando bona & uerbis philosophando, interpretes quidem fuistis fa cundissimi, & tamẽ cõuincimini turpissime tum sapere tum uiuere? annõ in animabus uestris omne bonũ emortuum est, incandescentibus uitijs? quam obrem nemo uestrum superstes est. Sicut enim post obitũ musici cuiuspiam aut grammatici musica grammaticaq; horum cum ipsis perijt, sed ideæ ma= nent harum artium, duraturæ unà cum mundo in perpetuum, iuxta quas præsentes posteriq; fient musici ac grãmatici: ita etiam singulorum pruden= tia, temperantia, fortitudo, iustitia, aut in uniuersum sapientia si tollatur, nihi lominus in huius uniuersi natura immortali prudentia immortalis & uirtus omnis incorruptibilis insculpta est, iuxta quam & nunc probi censentur, & erunt in posterum. nisi forte etiam homine aliquo particulari mortuo sequi dicemus mortem humanitatis, quam genus ne an ideam, an conceptum, an aliud quid uocare oporteat, uiderint quibus studium est proprietates nomi num perquirere. Vnus signatorius annulus sæpe post expressas innumeras formas, easq; interdum unà cum suis subiectis abolitas, tamen in sua natura illæsus perseuerat. Et non putamus uirtutes, etiamsi omnes characteres ab eis impressi in studiosorũ animas, per prauã uitæ rationem aut aliam quam=

nis causam euanuerint, in perpetuum conseruaturas naturam suam incorruptibilem nulliq; unquam fato obnoxiam? ideo rudes disciplinarum, qui nesciunt differentias inter totum & partes, inter genera & species, inter ea quæ cõmuni censentur nomine, omnia confundunt cõmiscentq; cum omnibus. Proinde omnis sui amans cognominatus Cain, discat cognominem Abelis à se occisum esse, speciem, indiuiduum, delineatam ad exemplar effigiem, nõ ipsum archetypum, non genus, non ideam, quæ cum sint incorruptibilia, putat cõmori cum animalibus. In hunc aliquis iure cauilletur: Quid fecisti infelix? nónne opinio pia, quam tibi uideris sustulisse, uiuit apud deum: tu uerò tui homicida factus es, occiso per insidias eo, qui solus bene uiuendi tibi autor esse poterat. Cæterùm quæ sequuntur multum habent uel uenustatis in elocutione, uel grauitatis reconditæ in sentẽtia: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Quorum uerborum magniloquentia nota est omnibus initiatis eloquentiæ, intellectum uerò eorum, quantum poterimus considerabimus. ac primum de sanguine. Multis enim in locis lex essentiam animæ pronunciat sanguinẽ, loquens diserte: Nam anima omnis carnis sanguis est. Sed quando primũ absoluta cæli terræq; ac mediorum elementorũ fabrica hominem fingebat conditor animalium, dicitur inspirasse in faciem eius spiritum uitæ, eumq; factum animam uitæ: iam tum docente nos scriptura, spiritum esse animæ essentiam. Solet autem illa mox ab initio argumentorũ diligenter memorare singula, æquum censens ut sequentia concinant cum præcedentibus. proinde qui iam spiritum essentiam animæ dixerat, non diceret nunc eam sanguinem eximium in corpore, ni respexisset generale quiddam ualde necessariũ. Quid igitur dicendum? singuli nostrũ, sicut ratio numerorum postulat, duo sumus per accidens, animal simul & homo. horũ utrunq; cognatã uim sortitũ est in anima. altera uitalis est qua uiuimus: altera rationalis, per quam sumus rationis participes. uitalem habẽt & bruta, rationali carent. regũtur aũt à deo, qui rationis fons est antiquissimus. ergo uis illa quæ nobis cõmunis cum brutis est, essentiam accepit sanguinem. at illa quæ à rationali fonte demanat, spiritus est, non aer motus, sed character quidã & effigies diuinæ potentiæ, quam nomine proprio Moses uocat imaginẽ: significans quod archetypũ rationalis naturæ deus est, homo uerò imago seu effigies: nõ illud geminæ naturæ animal, sed quod est in anima præstantissimũ, quod uocatur mẽs & ratio. ideo carnis quidem animã dicit sanguinẽ, sciens carnium naturam à mente diuersam, sed uitæ sicut totum reliquũ nostrũ corpus participem. hominis aũt animam nominat hominem, nõ hoc ex utroq; concretum, ut dixi, sed illud diuinũ opificium, quo ratiocinamur, cuius radices conditor in cælum usq; protendit, & ad extremã illam fixarum quas uocant stellarũ religauit circumferentiam. solam enim in terris cælestẽ plantam fecit hominem, cæterarũ in terra defixit capita: omnes enim humi caput habent: soli homini sublime dedit, ut alimenta cælitus incorruptibilia quærat, non terrena ista corruptioni obnoxia. quapropter corporis nostri partẽ insensatissimã, longe à ratione secretã, pedes ceu radices ad terrã applicuit. sensus aũt mentis satellites, & hãc ipsam, longissime à terra iussit habitare, & ad ætheris cæliq; nunq; interituros alligauit ambitus. nõ est igitur cur nos Mosi familia-

familiares dubitemus, quomodo homo cognitionē inuisibilis dei adeptus sit. causam em̄ oraculo doctus ipse nobis exposuit. loquitur enim in hāc sententiam. Creator nullam animā in corpore fecit idoneam per seipsam uidere suum opificē. cæterū cum animaduerteret utilissimā creaturæ fore hanc cognitionem, si modo ei cōtingeret (hic enim felicitatis finis est) superne inspirauit nōnihil de suo numine. quod inuisibile in inuisibilem animā suum characterē impressit, ut ne terrestris quidē regio sine dei esset imagine. Ceterum archetypū illud intantum carebat omni specie, ut ne imago quidē eius esset uisibilis: expressa tamen ad suum exemplar, nō mortales, sed immortales cogitationes concipiebat. Qui enim poterat mortalis natura manere simul & peregrinari, aut huc illucq̧ inspicere, aut mare quidem totū nauibus, terram uerò usq̧ extremos fines perlustrare itineribus, aut mores legesq̧ aut in uniuersum res & corpora pernoscere? aut præter ista terrena sublimia quoq̧ cōprehendere, aerem cum suis mutationibus, proprietates temporum, & quæ quotānis statæ nouationes accidūt? aut quomodo à terra in cælū subuolare per aerem, atq̧ ibi scrutari cælestes naturas quomodo se habeāt, quomodo moueantur, quis motus eorū finis quòd ue initiū, qua cognatione subinuicem aut uniuerso coniunctæ sunt. adhæc artes scientiasq̧ inuenire, quæ uel ad res externas, uel ad animæ corporisq̧ profectū attinēt, aliaq̧ infinita tractare quorū nec naturā nec numerū comprehendere fuerit facile. sola enim ex his quę nobis insunt mēs, ut omniū ocyssima, etiā tempus ipsum quo ista fieri uidentur, precurrit & prçoccupat, inuisibilibus uiribus sine tempore et uniuersum hoc & partes eius harumq̧ causas contrectando. iam uerò nō solum terræ marisq̧, uerum & aeris cæliq̧ terminos attingens, nc hic quidem consistit, mundū rata indesinentis sui cursus modicum esse terminū. ulterius etiam prouolās, incomprehensibilē dei naturā appetit, cupiens hanc quoq̧, si queat, comprehendere. & quomodo credibile uidetur, tam exiguam mentem humanā, membranula cerebri aut corde, haud amplis spacijs inclusam, tantam cæli mundiq̧ magnitudinē capere, nisi illius diuinæ felicisq̧ animæ portiuncula esset indiuisibilis? nihil em̄ quod diuinū est abscinditur, sed tantum protenditur. quamobrem consors eius quæ in hoc uniuerso est perfectionis, quando mundum cogitat, extēdit se q̄ late patet usq̧ eius terminos, nec tamen abrumpitur. Est enim uis ipsius extensilis & ductilis. Hæc igitur compendio de animæ essentia dicta sint: nunc consequens est ut subdamus quid sit clamare uocem sanguinis. Animæ nostræ pars quædam muta, quædam uocalis est. bruta quidem muta, uocalis uerò quatenus ratione prędita, qua sola deus noscitur. reliquis enim partib. nec deum nec intelligibile quicquam comprehēdere possumus. Vitalis igitur facultatis in sanguine constitutæ, præcipua quædam portio uoce sermoneq̧ honoris causa donata est, non hoc qui per os linguamq̧ profluit, sed fonte ipso, ex quo per prolationem ceu lacunæ quædam sermonum repleri possunt. Fons autem hic mens est, per quā ad illum Qui est, interpellationes & occlamationes iam sponte, iam inuiti eiaculamur. ille uerò ut bonus ac propitius non auersatur supplices, præsertim quando ingemescentes ob Ægyptios affectus & opera, sincere ac sine fuco exclamant. tunc em̄ Moses ait uerba eorū ad deum ascendere:

illum uerò exaudientem liberare à malis instãtibus. hæc autem omnia fieri, quando rex Ægypti moritur, quod certe mirandum uidetur: probabile em̃ erat, defuncto tyranno lętari gauderec̨ quotquot premebantur tyrannide: qui tamen tunc dicuntur gemere. nam post multos dies mortuus est rex Ægypti, & ingemuerunt filij Israel. Verba hæc ut sonant rationem non habẽt: quod si insitas in animabus facultates introspicias, pulchre hæc cohærere inuenies. quando enim dissipator ille honestarum opinionum Pharao in nobis uiguescit, & sanus uidetur, si tamen quisquam malus sanus esse recte dicitur, uoluptatem amplectimur eliminata temperantia. quãdo uerò amissa potestate quodammodo moritur qui stulte petulanterc̨ uiuendi causa fuerat, à sobria uita illustrati ingemiscimus & deploramus ætatẽ anteactam, quod uirtute uoluptati posthabita mortalem uitã immortali anteposuimus. tum uerò lex miserata lamentationes continuas, clementer admittit animas supplices, & calamitatem depellit, incussam eis ab Ægyptijs affectibus. Cæterum Caino pœnitentiam non recipienti propter immanitatẽ sceleris fratricidij, execrationes infliguntur conuenientissimæ. primum, Nunc, inquit, maledictus es tu super terram.] declarans quod dudum, non nunc quando cædem patrauit, scelestus & maledictus est, iam inde ex quo cepit cædis consilium, uoluntate pro facto æstimata. dum em̃ turpia cogitamus uel sola mentis imaginatione, iam rei sumus cogitationis. potest em̃ etiam inuita anima mutari. dum uerò ad cõsilium accedit facinus, reum fit & cõsilium. nam peccatũ à nolente admissum, hac maxime ratione dignoscitur. Maledictam autem fore mentem non ab alio quàm à terra pronunciat. Grauissimæ em̃ eius calamitates in unoquoq; à terrestribus causis proueniunt. Corpus certe aut morbo correptum, accedẽtibus ex ipso malis alijs, languore iactationec̨ occupatur: aut nimio usu uoluptatis impinguatum uires hebetiores reddidit. & sunt sua cuic̨ sensui detrimenta, in quæ potest incidere. Aut enim forma conspecta telis Cupidinis aliquis sauciatur affectus permolesti: aut morte propinqui audita succumbit mœstitiæ. Gustus quoq; nonnunq̃ dejcit, aut insuauibus excruciatum saporibus, aut grauatũ suauium multitudine. Nam libidinis œstrum memorare quid attinet? quę ciuitates integras regionesc̨ & magnos terrę tractus dedit exitio, sicut testãtur omnes propemodũ poetæ atq; historici. Modum autem quo mens in terra maledicitur, addit dicẽs: Quæ aperuit os suum, ut susciperet sanguinem fratris sui.] Graue est enim aperiri dilataric̨ ora sensuum, ut sensibilia more fluminis exundantis infundantur, obice nullo repellente uiolentum impetum. Tunc enim mens tantis undis obruta in profundum mergitur, ut ne innatare quidem possit, aut saltem caput exerere. Verum oportet singulis istis uti nõ quomodocunq;, sed ad optima quæq;. Potest uisus oẽs colores formasc̨ uidere, sed uideat quæ luce non tenebris digna sunt. Potest & auris omnes uoces recipere, sed nõnullas sinat prętereuehi. Plurima em̃ homines loquuntur coniuncta cum turpitudine. Nec quia gustum natura dedit tibi, ô inflate, ideo lari more quęuis insatiabiliter ingere. Nam plerunq; non solum è prauis alimentis, sed & è nimijs, grauis morbus & cruciabilis nascitur. Nec quia membra accepisti genitalia conseruandæ uniuersitatis causa, ideo stupra & adulteria cæteric̨ incesti

cesti coitus sectādi sunt: sed hi tantummodo qui legitime humanum genus proseminant. Nec quia linguam & os & instrumenta uocis sortitus es, statim effare uel secretissima. Prodest enim nonnunquam silentium. Mea certe sententia qui didicerunt loqui, etiam silere didicerunt, cum utrunque eiusdem facultatis sit. at qui narrant quæ non decet, non eloquentiam ostentant, sed silendi impotentiam. Ideo studemus unumquodque os de quibus diximus, obligare non rumpendis temperantiæ uinculis. Quotquot enim nullis cohibentur uinculis, ut alibi Moses ait, impura sunt: quasi causa infelicitatis sit, laxari & hiare soluique partes animæ. Contrà constringi easdem & in unum conduci, ad rectam uitæ rationem conferat. Merito igitur ille impius numinis contemptor Cain maledicitur: qui apertis cauernis huius concreti rebus externis inhiauit omnibus, præ insatiabilitate petens eas accipere in perniciem Abel, id est amici deo dogmatis. Ideo terram operabitur, non agricola erit. Omnis enim agricola est artifex, quoniā ars & agricultura. multi autem è uulgo terræ operarij, sine peritia tractantes uictus causa hæc ministeria. hi operando sæpe damnum dant, ni præfectum habeāt: & si quid recte operantur, fortuito non ratione bene faciunt. at quæ aguntur ex agriculturæ scientia, omnia necessario sunt utilia. Quamobrem legislator Noe iusto artem agriculturæ tribuit, docens quòd in morem agricolæ boni uir bonus è siluestri genere stirpes, quæcunque noxiæ sunt ab affectibus aut uitijs plantatæ, excidit: quæ uerò infrugiferæ quidem, possunt tamen uice maceriæ sepem animæ præstare munitissimam, eas sinit. rursum omnes quæ mites sunt, diuerso modo non eodem curat, alias deputans, alijs inserens, aliarum incrementum ad proceritatē adiuuans, alias in breuitatem contrahēs. iam uerò uitem luxuriantem conspicatus deflectit in terram propagines, scrobes faciens, ac mox terrā aggerens denuo. at illæ quæ modo partes fuerant, iam integræ, & è filiabus matres factæ, naturalem etiā matrem senectute exuūt. postquam enim desiit nutrimentū in plures fœtus, quippe iam ad sibijpsis quærēdum maturos, minutatim distribuere, quæ prius hanc ob causam famelica uix saturabatur, iam ut pinguefacta repubescit. aliū quendā uidere memini, qui mitis arboris, sed parū generosæ, quod supra terrā extabat præsecuit, ut à radice prominerct modicū: desumptoque ab alia generosa bono surculo, ad medullam eam parte una derasit. extantem autem illam à radice non profunde incidit: sed rima tantū facta, derasum surculum in eam inseruit. ex quibus ambobus unitis arboris unius natura prouenit, utraque parem utilitatem reddente alteri. nam radices nutriunt insitum ramum nec sinunt arescere. at ille uberes fructus reponit pro nutricationis gratia. Sunt & alia innumera opera artis agriculturæ, quæ nunc memorare superuacaneum fuerit. hæc enim in hoc tantum prolixius diximus, ut appareat discrimen inter operarium terræ & agricolam. Certe quiuis malus terrenum corpus eiusque cognatos sensus & ista externa sensibilia operari sine arte non desinit, lædens interim animam suam miseram: quam tum lędit, cum uidetur maxime prodesse corpori suo. At bonus, ut peritus rei rusticæ, omnem materiam certa ratione tractat ex artis pręscripto. & quoties indomiti sensus ad externa sensibilia contumaci feruntur impetu, adhibita machina quapiam in hoc artificiose parata, cohibentur facilę

cile. Cum uerò in anima crudus affectus eam concutiens exoritur, pruritus aut titillationes uoluptarias aut cõcupiſcẽtias, aut ediuerſo morſus tædiũq; mœſtitiæ uel pauoris afferens, pręparato remedio ſalutari mitigatur. atq; etiam ſi quod ſerpiginoſum uitium longius producitur, cãcro depaſcenti corpora ſimile, id quoq; ſermone ſcite adhibito reſecatur. & in hũc modũ quicquid ſilueſtre eſt ad mitiorem cultum reducitur. Cæterum frugiferæ uirtutum plantæ primũ progerminant ſtudia, quæ mox fructus honeſtarũ actionum ſequitur. his animæ agricultura incrementum addit, & quantum in ſe eſt, immortales facit ſua induſtria. Liquet igitur agricolam eſſe bonum, terrę uerò operarium malum: cui terram exercenti utinam ex illo terreno roboris aliquid accederet, ac non deperiret aliquid ex eo quod habuerat. dicitur enĩ de ea, Non apponet uires ſuas tibi tradere. Et qualis eſſet homo, qui edens ſemper bibensq; nunquam expleretur? aut eas quæ ſub uentre ſunt uoluptates alias ſuper alias cumulans, tamen recentem ſemper libidinem afferret ad coitum? nam indigentia ſolet imbecillitatem inducere, ſicut firmitatem ſatietas. Verum quando in copia rerũ coniungitur inſatiabilitas cum magna intemperantia, id demũ fames eſt. miſeri uerò qui mole referti, quantum ad cupiditates ſunt adhuc inanes & ſitiunt. Sed de amatoribus ſcientię in cantico magno uates ait: quòd eos aſcendere fecit ſuper uim terræ, & cibauit agrorum germina. Scilicet impius finem non aſſequitur, ut magis doleat, dum ui res decedunt magis quàm accedũt eius actionibus. Qui autem uirtuti dant operã, ſuperiores omnibus rebus terrenis ac mortalibus, è ſublimi deſpiciũt earũ potentiam, quippe in aſcẽſu ducem ſecuti deum, qui etiam pubertatem agrorum ad uſum fructum eis porrigit, uirtutes agris, & illarum fructus horum fructibus aſsimilans. Naſcitur enim ex prudentia ſapere, ex temperantia ſobrium eſſe, è pietate deum colere, & ex unaquaq; cæterarum uirtutum ſua cuiuſq; actio. Hæ ſunt cibi animę proprie, quæ idonea eſt ad ſugendum, ſicut legiſlator loquitur, Mel è petra, & oleum è ſolido ſaxo: petrã ſolidam & infrangibilem indicans ſapientiam dei, nutricem baiulam educatricemq; deſiderantium uitam incorruptibilem. Hæc enim tanquam mater eorum quæ mundo continentur, ex ſeipſa cibos præbet ſuis fœtibus. ſed non omnia diuino alimento digna habentur: uerum ea modo quæ non degenerem prę ſe ferunt indolem. nam pleraq; pereunt inedia uirtutis, grauiore morbo ac miſeriore quàm cibi potuſq; inopia. Labitur autem diuinę ſapientię fons nunc leniore fluxu placidioreq;, nunc uehemẽtiore curſu maioreq; impetu. Quando igitur ſenſim deſcendit, dulceſcit mellis in morem: quando uerò celeriter confertimq; labitur, fit tanquam oleum illuſtrandæ animæ. Hanc petram propheta uocat alibi mãna per ſynonymiam, antiquiſsimum illud dei uerbum: qua appellatione intelligitur quiddam generaliſsimum: unde fiunt duæ placentulæ, condita melle altera, altera oleo, id eſt, educationes duæ ualde ſimiles, & ſtudio dignę, initio dulcedinem inſtillantes contemplationum quæ inſunt ſciẽtijs: mox & lucem fulgidiſsimam accendentes in his qui non faſtidioſe deguſtant, ſed firmiter conſtanterq; retinent ea quorum tenentur deſiderio. Hi ſunt, ut dixi, qui aſcendunt ſuper uim terræ. Cæterum impio Caino ne terra quidem quicquam confert ad agilitatem, quamuis nihil prę-

ter eam tractanti aliud. Proinde consequenter gemens tremensque super terram inuenitur, id est mœrore timoreque confectus. Talis est infelicis uita, cui è quatuor affectibus contigerunt qui molestiores sunt, timor & dolor, quorum synonyma sunt tremor & gemitus. Huiusmodi enim homini necessum est aut adesse aut imminere mali aliquid. Itaque futuri expectatio timorem gignit, præsentis usus mœstitiam. Sed qui uirtutem sectatur, delicijs huic conuenientibus fruitur. Aut enim acquirit bonum, aut acquiret postea. & habere quidem, affert gaudium, rem preciosissimam: expectatio uerò habendi, spem quæ est alimentum animarum uirtutem amantium: propter quam semouemus pigritiam, quotquot suapte promptitudine properamus ad honesta opera. Certe quęcunque anima concipit prolē masculam, scilicet iustum propositum, ab hac excluduntur omnia tristia. Testis erit natiuitas Noe, qui interpretatur solidus, de quo dicitur: Hic cessare faciet nos ab operibus nostris, & à laboribus manuum nostrarum, & à terra cui maledixit dominus deus. Sic enim natura comparatum est, ut iustitia primum quietem pro labore inducat, quicquid est in confinio uirtutis & uitij susque deque faciens, diuitias, principatum, gloriam, honores, & quæcunque horum germana sunt, circa quæ plurimū humanum genus satagit. Deinde mœrores tollat, quos nobis nostræ actiones conciliant. Moses enim non, ut impij quidam, deum autorem malorū ait, sed nostras manus, figurate nostros conatus subindicans, & spontaneas cogitationes procliues ad deterius. Postremū est cessare à terra cui maledixit dominus deus. Hæc autem est malicia, insipientium animabus insita, cuius tanquam morbi grauissimi aberuncationem iustus inuenit, iustitiam adeptus cum tota sua familia. utique quādo id genus mala depelluntur, homo repletur gaudio sicut Sarra. ait enim: Risum mihi fecit dominus. & addit: nam quicūque audierit, gratulabitur mihi. Opifex est eñ deus boni risus & gaudij: itaque Isaac nō uulgariter genitus, sed operāte deo credendus est. Nam si risus Isaac intelligitur, risus autem factor est deus iuxta uerax Sarrę testimonium, etiam pater Isaac potest dici rectissime. Huius appellationis etiam sapiens ille Abraham fit particeps, cui gaudium proles sapientiæ, tristitiam excidens donatum est. Ergo si quis idoneus est audire poeticā, id est faciēdi rationem qua deus utitur, & ipse gaudet necessario, & gratulatur his qui habuerant audiendi desiderium. In hac nullum figmētum fabulosum inuenies, sed ueritatis formas omnes expressas integre: imò ne metra quidē ac rhythmos & carmina aures per musicam oblectantia: sed opera naturę absolutissima, propriam quandam concinnitatē habentia. Sicut aūt mens ad audiendum apta gaudet his dei poematis: sic & sermo concinens mētis cogitationibus & quodāmodo adhærens, necessario gaudet. id docebit manifeste oraculum Mosi sapientissimo redditū in hanc sententiam: Ecce Aaron frater tuus Leuita. scio quòd loquetur ipse tibi. ecce ipse egredietur in occursum tibi: uidēsque te lætabitur intra seipsum. Opifex ait se scire, quòd sermo, qui mētis est frater, loquetur. Fecit eñ eum tanque instrumentū totius huius ex quo cōcreti sumus, uocē articulatam. Hic sermo mihi, tibi, omnibus hominibus, sonat, profert, interpretatur cogitata, & prior exit occursurus his quæ mens ratiocinatur. Nam quādo mēs excita in aliquid sibi familiare sumit impetū,

aut

aut intus cōmota à seipsa, aut receptis à rebus externis formis aliquibus eximijs, concipit & parturit cogitationes: quas uolens parere non potest, donec per linguam cęteraq́ instrumenta suá, uox eas excipiens, obstetricis more producat in lucem. hæc uox cogitationes elucidat. nam sicut ea quæ in tenebris abdita sunt cælantur, donec lux affulgens ea indicet: ad eundem modū cogitationes mens recondit in loco inuisibili, donec uox lucis more cunctas retegat. quapropter ualde pulchre dictum est, quod egreditur sermo in occursum cogitationibus, & accurrit eas complecti cupiens, indicandi desiderio. Nam quisq; sui operis est cupidissimus. Sermonis autem proprium est dicere, ad quod suapte natura properat. Gaudet autem & lætatur quando ceu illustratus peruidet & comprehēdit intellectum rei quæ declaratur. Tunc enim complexus eam interpretatur optime. Proinde quicunq; inter dicendum non recte tenent cogitata, ut uerbosos ac loquaces auersamur, quia longas sed inanes atq; adeo inanimes ut proprie dicam orationes consarciūt. Horum igitur sermo ut indecorus merito gemit: econtra necessario gaudet qui re bene considerata sufficienter instructus ad conceptus animi proloquendos accedit: id quod omnibus fermè notum puto per quotidianam experientiam. quando enim probe cognitum tenemus de quo disserimus, lætus gaudensq; sermo abundat dilucidis & proprijs uocabulis, quibus copiose, expedite, inoffense, atq; etiam diserte ac efficaciter repræsentat quicquid docere uult. quando autem diuersis cogitationibus distracti nil certi comprehendimus, sermo quoq; delirat, & improprie loquitur, destitutus aptis uerbis & conuenientibus. Quapropter tum ipse tædio laborat errabundus & subinde impingens: tum auditoribus adeò non persuadet, ut molestus etiam sit auribus. Attamen nec omnis sermo, nec cogitatis occurrat omnibus: sed perfectus Aaron perfectissimi Mosis cogitationibus. Alioquin quid opus erat postquam dixit, Ecce Aaron frater tuus, addere Leuita, nisi ut doceret quod soli Leuitæ & sacerdoti & bono sermoni conuenit proferre cogitata quæ sint perfectæ animæ germina. Nam mali uiri sermo nūquam interpretari potest diuina dogmata. pulchritudinem enim eorum suis deturparet contaminationibus. econtra neq; bonus impudica turpiáue proferet: sed semper sanctas narrationes sacri sanctiq; sermones facient. Fertur in quadā optime instituta ciuitate morē esse hunc, ut quoties aliquis impuræ uitæ ciuis sententiam uult proferre ad senatum aut populum, non sinatur per seipsum hoc facere, sed à magistratu cogatur eam apud aliquem honestū uirum deponere. Qui mox assurgens promit quod audiuit, silente interim altero: & quæ tum primū didicit quāuis aliena profert, autorē cōmenti uix in auditorū spectatorúmue habēs numero. adeò ne beneficiū quidem ab iniustis quidam dignantur accipere, quod existiment hanc utilitatem corrūpi admixto dedecore. quod & Moses sacratissimus docere uidetur. nam tale quiddam est quòd Aaron Leuita occurrit fratri suo Mosi, quo uiso gaudet in seipso. Illa autem uerba, In seipso gaudere, præter iam dictum dogma indicāt & aliud magis ad remp. pertinens, ostēdente legislatore germanum & maxime propriū hominis gaudiū. propriū enim nec ē pecuniarū possessionúmue copia, nec ē splendore glorię, nec ex ullo omnino inanimato infirmoq;

moq; opere, quod per seipsum est corruptibile, potest contingere. imò nec è robore agilitateq; corporis aut cæteris id genus dotibus, quæ uel cum pessimo quoq; communes sunt, & habentibus se nonnunquam perniciem attulerunt ineuitabilem. quoniã igitur in solis animæ bonis pura & minime adulterina inuenitur lętitia, in seipso utiq; gaudet omnis sapiens, nõ in his quę circa se habet: in seipso enim habet mẽtis uirtutes, quas nobis placere æquũ est: circa se uerò bonam habitudinem corporis & externarum rerum copiã, propter quas non est quod nobis placeamus. Ergo quoniam quantũ potuimus declarauimus ueracissimi Mosis testimonio, sapientis propriũ esse gaudium, ostendemus spem quoq; in hunc maxime competere, teste eodem, sic enim loquitur de Seth filio cui nomẽ Enos, quod interpretatur spes: hic primus sperauit inuocare nomẽ domini dei. Rectè uerò enim homini quid magis potest esse proprium q̃ spes & expectatio possessionis bonorum accipiendorum à solo munificentissimo deo: quod genus solũ, si uera fateri uolumus, proprie hominum est: tanquam hi qui nõ sperant in deum, extra naturam rationalem censeantur. Ideo cum dixisset de Enos, hic sperauit inuocare nomen domini dei, diserte infert, Hic est liber generationis hominum proborum. scriptum est enim in dei libro, solum bene sperantem esse hominem. itaq; per contrarium qui desperat non est homo. ergo concretum hoc nostrum definitur, animal rationale, mortale. sed eius quem Moses cẽset hominem affectiones animæ sperant in eum Qui est, uerum deũ. Proinde boni uiri felicem sortem nacti spem atq; gaudium, aut habeant aut certe expectent bona. mali uerò, quorum Cain est sodalis, in mœrore timoreq; degentes, præsentia imminentia'ue mala miserrimam portionem possideãt, gemẽtes ob molestias quas habent præ manibus, præ metu autem ingruentiũ trementes horrentesq;. uerum de his hactenus dictum sit, scrutemur iam sequẽtia. Dixitq; Cain ad dominum: Maior est culpa mea quàm ut remittatur.] Hoc quale sit per similia declarabitur. Si nauem mari iactatam gubernator deserat, an non necessum est eam nauigationem aberrare? item si quadrigas auriga in Circensib. annõ necessum est eas turbatas ferri cursu deuio? Quid ciuitas si destituatur magistratibus aut legibus? sunt aũt & leges dubio procul pro magistratibus. non'ne carẽs magistratibus legibusq; ciuitas illa malis opprimetur maximis? Atqui natura comparatum est, corpus absente anima, animam absente ratione, rationem destitutam uirtute, interire funditus. Quod si hæc singula rebus destitutis nocent tantopere, quantam miseriam in à deo destitutis agnoscimus? quos ille auersatus tanquam desertores ordinis, exterminauit procul à sanctissimis suis legibus, indignos sua prouidẽtia habitos. In uniuersum enim scire oportet, quod qui præstantioris ope destituitur, fit obnoxius maximis culpis & criminibus. quando enim dices imperitum artis lædi maxime? non'ne quando à scientia omnino deseritur? quando uero indoctum & ualde ineruditum? non'ne quando à doctrina & disciplina derelinquitur? quid insipientes quando infelices pronunciamus potissime? non'ne quando omnino repelluntur à prudentia? quando uerò intemperantes & iniustos? non'ne cum à temperantia iustitiaq; damnantur exilio perpetuo? quando uerò impios? non'ne quãdo pietas eos à sacris suis exclu

dit?ideo arbitror eos qui non omnino sunt inexpiabiles, optare puniri potius quam dimitti.nam hęc missio facile subuertet eos,ceu male saburatas naues carentes gubernatoris prouidentia,animaduersio uerò ad correctionē profuerit.Aut non sunt potiores qui sub pædagogis educantur,quam qui peccantes à nullis cohibentur castigatoribus?non meliores itidē qui sub magistris discunt artes,quam qui quoties aberrant obiurgātur à nemine?uel felicius proficiunt qui sine curatore degunt,quam qui parentes à natura institutores sibi addictos deo fortunante nacti sunt?sin minus,saltem secundarios præfectos adepti,quos orbitatis miseratio conciliare solet,in omnibus commoditatibus genitores minus desiderant?Ergo quicunque peccatorum sumus nobis conscij,precemur deum ut puniat nos potius quam incastigatos prætereat.pręteritos enim non ipse propicius in seruitutem suam uindicabit, sed inclementis geniturae seruos faciet. quod si ut benignus clementer leniterque puniat, errata nostra corriget,sermonē suum castigatorē immittens in nostrā animā,per quē pudore admissorū incusso, ipsam in sanitatē restituat. Propterea legislator ait,quicquid in animo suo precata fuerit uidua et expulsa,manere ipsam, deum enim uirū & patrem uniuersorū semen geniturāque omnib. præbētem iuste dicemus.mentē uerò eiectam deo uiduam, quę aut geniturā diuinā nō excepit,aut exceptam data opera abortum fecit. Quamobrem quicquid statuerit,contra seipsam statuet,idque omnino immedicabile. Quomodo enim euitari potest malum, quod contra seipsam pronunciat creatura inconstans & ad omnem occasionem mobilis,ascribens sibi uirtutes creatoris?quarum una est qua citra controuersiam rigideque definit singula. Quapropter nō solum uiduabitur à scientia,sed expelletur etiam.quod sic intelligitur. Anima uidua,nondum tamen expulsa ex honestate,potest per quandā tolerantiam cum recta legitimaque ratione redire in gratiam.quæ autem semel seiuncta fecit diuortium,ut irreconciliabilis in omne æuum reiecta est,amissa potestate reuertendi ad pristinum domicilium. Hactenus de his uerbis, Maior est culpa mea quam ut remittatur:dispiciamus sequentia. Ecce eijcies me,inquit, hodie à facie terræ,& à facie tua abscondar.] Quid ais bone uir?ita'ne etiam eiectus è tota terra absconderis?at quomodo?poteris'ne uiuere?an ignoras quod animalib.natura,nō eadem sed diuersa loca incolenda distribuit?mare piscibus & omni aquatico generi,terram terrestribus omnibus.homo autē utique iuxta corporis tēperamentū animal terrenū est. propterea quicquid migrat è suis regionibus,& uelut in alienas trāsfertur,exanimatur facile:terrestria si mergantur in aquam,aquatica si in terrā expellantur.proinde si eijciaris è terra cum sis homo, quò te uertes? natabis'ne in aqua more aquatiliū?atqui mersus mox exanimaberis.sed forte sumptis alis sublimis euolans per aerē uagari conaberis,è terrestri factus uolucris?fac si potes,muta characterem quem tibi semel impressit deus.sed haudquaquam poteris.Quāto enim sublimius teipsum extuleris,tanto citius grauioreque casu ad terrā proprium tibi locum relaberis. Ita'ne homo aut ulla creatura potest se à deo abscondere?quo'nam ab eo qui nusquam non est,qui prospicit usque omnes terminos, qui uniuersa replet sua præsentia, à quo nihil uel minutissimū deseritur? Et quid mirum si nulla creatura latere potest eum Qui est, quando ne materia-

lia

lia quidem principia cuiquam licet effugere, sed necessum est ut euitato u-no incidat in aliud. Vtinam igitur opifex arte qua fecit in utroque elemento degentia, huius quoque animalis ubiubi uicturi fecisset miraculum, ut à natiua grauitate terreni aquaticique ponderis in aerem ignemque se posset attollere: ac rursum post consuetudinem cum sublimibus, si migrationem inde requireret, locum loco mutaret contrario. Sed debuit utique in una aliqua mũdi parte consistere, quandoquidem in omnes excurrere non poterat: & alioquin etiam opifex nihil ei præterea reliquum fecerat, absumptis in mundum quatuor elementis, ut ex perfectis partibus absolutissimum opus hoc uniuersum redderet. Ergo cum totum opus Dei nemini liceat effugere, an non multo minus autorem eius & rectorem effugere poterit? nemo igitur hæc uerba nõ examinata facile admittens, è sua simplicitate legem æstimet: sed introspectis latentibus significationibus, discernat id quod manifestum est. Quid si uerba ista, Si eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, sic intelligantur: si non præbes mihi bona terræ, ne cælestia quidem accipio. si non datur frui uoluptatibus, ne uirtutem quidem desidero. si non impartiris humana bona, diuina quoque tibi habeto. nam apud nos necessaria, cara, & uerè germana bona sunt hæc: edere, bibere, uestiri, per uisum frui colorum uarietatibus, per aures oblectari omnigenis sonorum concentibus, per nares exhilarari suauibus uaporum fragrantijs, uentris & eorum quæ sub uentre sunt ad satietatem expleri uoluptatibus, aurum argẽtumque non negligere, honores principatusque & quicquid ad gloriam facit conquirere. prudentiam uerò, fortitudinem, iustitiam, res tetricas, & uitæ molestiam afferentes, missas faciamus. quòd si libet eis uti, non ut bonis perfectis utendum est, sed ut causis bonorum. ò ridiculum caput. Ergo priuatus his lucris corporeis in conspectum Dei non uenies? at ego tibi dico, uenies omnino, etiamsi priuatus fueris. solutus enim duris tum corporis tum rerum corporearum uinculis, imaginaberis illum sapientem Abraham. Viden ut relinquens terram, cognationem, ædes paternas, sensum, rationem, incipit occurrere eius Qui est potentijs? postquàm enim totam domum egressus est, ait lex uisum ei Deum: docens quòd manifestè apparet extricato rebus mortalibus, & recurrenti ad incorpoream huius corporis animã. Ideo Moses accepto suo tabernaculo, extra castra id figit, longe semotum à corporali exercitu. hoc enim solo modo sperat se fore supplicem cultoremque perfectum cælestis numinis. & ait id uocatum tabernaculum testimonij, ualde caute, ut tabernaculum eius Qui est sit, non uocetur tantummodo. ex uirtutibus enim ea quæ Dei est uere est, constans ex essentia. quoniã & Deus solus stat in essentia: quam ob causam necessario de seipso dicit: Ego sum Qui sum: ac si quicquid post eum est, non per essentiam sit, sed sola opinione hominum. Mosis autem tabernaculum figuratè humanam uirtutẽ significans, appellatione non ipsa re dignabitur, cum sit imago diuini illius tabernaculi. huc accedit quod & Moses quando in Deum Pharaonis constituitur, nõ reuera factus est Deus, sed tantum existimatione creditus. Deum enim dantem quidem scio & largientem, dari uerò non intelligo. Dicitur autem in sacris libris, Do te Deum Pharaoni, patiente qui datur non agente. Is autem

Qui uere est, actiuus necessario non passiuus intelligitur. Quid igitur ex his colligimus? quod sapiens dicitur quidem Deus insipientis, reuera autẽ non est Deus, sicut nec adulterinus stater est stater. idem collatus cum eo Qui uere est, homo Dei reperietur: cum insipiente uero si conferatur, Deus imaginatione existimationeq́ uidebitur, non ueritate ac essentia. quid igitur nugaris dicens, Si me ejcies à terra & te, abscondar. imò si te à terreno arcuero, manifeste ostendam meam imaginem. argumento est, quod à facie Dei migrabis: post migrationem autem nihilominus terrenum corpus inhabitabis. Dicit enim rursum: Exiuit Cain à facie Dei, & habitauit in terra.] Itaque non eiectus à terra absconderis ab eo Qui est, sed eum deuitans in terram cõfugisti, locum mortalẽ, imò nec omnis qui inuenerit te occidet, quẽadmodum sophisticaris. nam quicquid inuenitur, utiq́ ab alterutro inuenitur, aut simili aut dissimili: simili cognatoq́ iuxta communionem omnium familiaritatemq́: dissimili uerò iuxta diuersitatem contrariam. simile igitur conseruare studet sui simile: dissimile uerò perimere solet sui dissimile. Sciat ergo & Cain & quisquis alius uafer est, quod non à quouis occurrente interficietur: sed malefactores quidem germanorum cognatorumq́ uitiorum æmulatione custodes eius erunt & satellites. qui uero prudẽtiam cæterasq́ uirtutes exercent, tanquam infensissimum hostem tollent si poterũt. In uniuersum enim & res & corpora à familiaribus amicisq́ seruantur, ab alienis uero & infestis interimuntur. Quapropter oraculum contra fictã hanc Caini simplicitatem ferens testimonium ait: non ita sentis ut loqueris. Ais quod quicunq́ artis tuæ palæstras inuenerit, interficiet. nosti autẽ quod non quiuis ex innumeris qui inter tua censentur auxilia, sed solus uirtutis amicus, tecum gerit bellum sine inducijs. Qui, inquit, occiderit Cain, septem mulctas dissoluet.] Id quam rationem ad dictas interpretationes habeat non uideo, quod septem mulctas dissoluet. nam nec dixit quæ septem, nec mulctæ modum, nec dissoluendi. itaq́ existimandum est omnia talia figurate latenterq́ significare aliquid. Quid si tale quiddam docere uult? quod irrationale est in anima in septem partes diuiditur, uisum, odoratum, auditum, gustũ, tactum, sermonem, genituram. octauum intellectum horum ducem si quis uelut Cainum interimat, simul & illa septem dissoluet. robore enim mentis ualido confirmantur hæc omnia, & cum eiusdẽ imbecillitate deficiunt. perfecta autem corruptio quam inducit uitium, perfectam dissolutionem accipit. septem autem illa in sapientis animo incontaminata puraq́ & proinde honore digna inueniuntur: in insipientis contrà impura pollutaq́, & ut dixi mulctata, hoc est mulcta digna & supplicio. Quando igitur aqua terram purgare statuit opifex, uoluitq́ animam purgari ab ineffabilibus iniquitatibus, eluereq́ & abstergere maculas per sacram purificationem, hortatur eũ quem reperit iustum, qui nõ est oppressus à diluuio, ut inducat in arcam, id est hoc corpus uas animæ, ex omnibus pecudibus mundis septenas, masculum & fœminam: æquum censens ut bona ratio puris utatur omnibus partibus irrationalibus. Et quod hic legislator definiuit, necessario contingit omnibus sapientibus. habent enim purificatum uisum, examinatum auditum & sensus cæteros. habent sermonem quoq́ immaculatum, & appeti-

tus

ſtus Veneris non illegitimos. ſingula autem horum ſeptem, partim maſculus ſunt, partim fœmina. Quoniam enim aut quieſcunt aut mouentur, quieſcunt quidem per ſomnium, mouentur autem uigilantia iam & agētia: quicquid habitum habēs quieſcit, ut paſsioni obnoxium uocatur fœmina. quod uero præditum motu actuq; animaduertitur agere, maſculum nominatur. atq; ita in ſapiente hæc ſeptem ſpectantur pura, contrà in malo mulctata omnia. Quantam enim putas multitudinem quotidie à ſuis oculis, uelut à tranſfugis, proditam coloribus figuriſq;, & his quæ uidere nefas eſt? quantā ab auribus omnes ſonos conſectantibus? quantā ab odoratus guſtuſq; inſtrumentis attractis per uapores uarietateſq; cæteras plurimas. Taceo multitudinem eorum quos infrenis linguæ fluxus irreuocabilis perdidit, aut libidines œſtro ſuo impotenter concitos. Plenæ ciuitates, plenus eſt orbis terræ quàm late patet malis talibus, quæ humano generi uel in media pace acre cōtinuumq; bellum inferunt tum priuatim tum publice. propterea uidētur mihi qui non omnino rudes ſunt, malle cæcitatem quàm uidere quæ nō decet: malle ſurditatem quàm audire ſermones pernicioſos: linguam quoq; libenter amiſſuri, ne proloquantur quæ cælanda ſunt. Certe fertur quoſdā ſapientes, cùm in rota cruciarentur ad extorquenda ſecreta, præmordiſſe linguam ſuam, & ita grauiorem cruciatum rependiſſe tortoribus, dum eos uoti fecerunt impotes. Caſtrari utiq; melius eſt, quàm tranſuerſum abripi libidinum illicitarum rabie. Quæ omnia in calamitates pernicioſas animam mergētia, merito extrema pœna ſequitur. Additur deinceps, Poſuit dominus deus in Cain ſignum, ut non interficeret eum quiſquis inueniſſet.] Quod autem ſignum, non declarauit, quamuis ſolitus ſingularum rerum naturam per ſigna indicare: ſicut in rebus Ægyptijs dum uirgam mutat in ſerpētem, & manum Moſis in niuis ſpeciem, & fluuium in ſanguinem. An forte hoc ipſum ſignum eſt appoſitum Caino ne interficeretur, quòd nunquam interfectus eſt. nuſquam enim in lege de nece eius narrat, ſubindicans quod ſicut illa fabuloſa Scylla, immortale malum eſt inſipientia, quæ nunquam in totū emoritur, & tamen nunquam non moritur. Atq; utinam fieret contrarium, ut ſemel è medio tollerentur omnia: nunc perpetuo repullulātia, immortali morbo affligunt quoſcunq; aliquando corripuerunt.

PHILONIS IVDAEI
DE AGRICVLTVRA.



Coepitq; Noe homo agricola eſſe, & plantauit uineam, & bibit de uino, & inebriatus eſt in domo ſua.] Vulgus hominū rerum naturas ignorans, etiam in nominibus eis imponendis erret oportet. nam qui eas uelut per anatomiam conſiderant, facile aſſequuntur appellationes earum proprias: qui autem res tractant confuſius, non tam exquiſitas. Moſes uerò in tanta rerum peri-

tia. nominibus rectifsimis aptifsimisq; & mire perspicuis uti consueuit: proinde sæpe in libris legum diuinarum inuenimus rebus conuenire nomina: quod uel in præsenti capite liquet, in quo iustus ille Noe agricola inducitur. Et cui non ad iudicandum procliuiori uideri poffet idem agricultura, quod facultas operaria? atqui duo hæc adeo non sunt eadem, quantumuis coniuncta, ut sint etiam pugnantia. poffunt enim & imperiti laborare in re rustica: agricolæ autem nomen ipsum peritiæ fidem astruit, quod uidetur ei propter artem suam inditum. præterea cogitandum illud quoq;, terræ operarium finem unicum spectare mercedem (sunt enim pleriq; mercenarij) non solicitum quàm bene operetur. agricola uerò non parcit impensis, modo posit uel agellum emere, uel ita rem administrare, ut reprehensionem peritorum effugiat. nullum enim aliud lucrum quærit, quàm ut ex annuis prouētibus fructum percipiat. itaq; dat operam ut syluestres arbores traducat ad mitius ingenium, mitium uerò incrementum industria sua promoueat, & si quæ præ alimento nimio luxuriant, putatione coerceat: alias uerò contractiores nouis stolonum, accefsionibus amplificet. adhæc generosas plantas in multos ramos se diffundentes propaget, paratis circum non admodum profundis scrobibus: parum frugiferas autem insitis in earum stirpes & unitis præstantioribus, ad meliorem frugem reducat. quādoquidem sic homines quoq; faciunt, adoptiuos filios in alienas gentes propter uirtutem asciscendo, in quibus constanter perseuerent. ita & rusticus radicitus excidit plurimas iam effœtas, quæ intercipiendo succos magnum damnum in proximo sitis afferunt. circa huiusmodi enim negocia uersatur ars curatrix stirpium è terra nascentium. Nunc ad peritiam agriculturæ, qua excoluntur animæ, considerandam nos uertamus. hæc ante omnia curat ne quid seminet plantet'ue, quod sit sterile: sed omnia mitia fructiferaq; relatura fructum annuum moderatori homini. hunc enim natura principem animalium stirpiumq; & omnium rerum mortalium cōstituit. homo autem in unoquoq; nostrum quis alius esse potest quàm intellectus, qui solet satorum plantarumq; fructus colligere. Quoniam autem infantibus lac nutrimentum est, adultis quæ è frumento coquuntur, animæ quoq; suum lac debetur in ætate tenera, uidelicet liberalis musicæ rudimenta: sicut uiros perfectum alimētum decet, ut instituantur in prudentia, temperantia, cæterisq; uirtutibus. hæc enim sata plantataq; in mente ex præscripto artis rusticæ de qua loquimur, egregios fructus ferent, & actiones laudabiles. simulq; quotquot affectionum uitiorumq; plantæ in altum pullulant, ferētes fructus letiferos, succidantur ut nihil fiat reliquum, unde noua rursum peccatorum prorumpāt germina. quod si qua nec utiles fructus feret neq; noxios, excidentur tales, non tamen absumentur, sed uertentur in usum cui competūt, aut in uallum ad munitionem castrorū, aut ad septum oppidi, quod sit pro mœnibus. sic enim præcipitur: Omne quod non fert fructum cibo utilem excides, & facies inde uallum oppido, si quis tibi bellū inferat. Huiusmodi arbores sunt similes doctrinis contemplationem solam habentibus, inter quas recensenda est medicina ista ociosa, non coniuncta cum actionibus ægros incolumitati restituentibus: & rhetoricæ genus causidicum mercenariumq;, non in

quærendo iure occupatum, sed dolo captans assensum auditorum. huc accedunt & dialecticæ geometricęq; partes, quæ momēti nihil ad morum correctionem afferunt, sed intellectum solum acuunt, ne hebetior sit ad singula de quibus ambigitur: sed diuidendo distinguendoq; proprietates singulorum discernat à cōmunibus qualitatibus. certe philosophiæ rationem tripli cem priscos aiunt agro assimilasse, ita ut naturalem arboribus stirpibusq; facerent similem, moralem uerò fructibus, propter quos sunt arbores: deniq; rationalem sepi & maceriæ. Quemadmodum enim maceria fructus plantasq; agri conseruat, arcens irrumpendi nocendiq; cupidos, ita & rationalis pars philosophiæ præsidium munitissimum est reliquarum duarum, moralis atq; naturalis. cum enim duplices & ambiguas dictiones explicat, & sophismatum persuasibilem speciem dissoluit, & probabilem deceptionem maximam perniciosissimamq; escam animæ tollit è medio, adhibitis sermonibus disertis & monstrationibus indubitatis, tanquam ceram leuigatam intellectum parat ad excipiendos physiologiæ moralisq; disciplinæ characteres ualde probos ac integros. Hæc sunt quæ animæ agricultura profitetur: effodiam arbores omnes imprudentiæ, intemperantiæ, timiditatis, iniustitiæ: excidam & uoluptatis, concupiscentiæ, iræ, furorisq; ac similium passionum stirpes, etiamsi se ad cælum extulerint: aduram & radices earum, immisso penitus in terram incendio, ne qua pars, imò ne quod uestigium, ne ulla umbra fiat reliqua. & hæc quidem auferam. inseram autem, primùm in puerilis ætatis animas surculos, quorum fructus ipsas enutriet. sunt autem hi. scribendi legendiq; certa industria, eorum quæ apud sapientes poetas habentur diligens scrutatio, geometria, oratoriæ facultatis meditatio, & uniuersa liberalis musica. in iuueniles uerò ac uiriles iam meliores perfectioresque, prudentiæ plantam, fortitudinis, temperantiæ, iustitiæ, omnisq; uirtutis. quod si quid ad syluestrem quam uocant musam pertinens nullum quidem uescum fructum afferat, possit tamen quæ ad cibū prosunt munire conseruareq;, hoc quoq; reponam. non propter ipsum, sed quia natum est ad necessariarum utiliumq; rerum ministeriū. ideo sapientissimus uates huic quidem iusto animæ agriculturam ut congruentem assignat, dicens: Cœpit Noe homo agricola esse: de Cain uerò ait, Erat operās terram. & paulò post quando in fratricidij facinore deprehenditur, dicitur: maledictus tu à terrā quæ aperuit os suum ut acciperet sanguinem fratris tui de manu tua, qua operaberis terram, & non apponet tibi dare fructus suos.] Quomodo manifestius ostendi posset, quod terræ operatiū non agricolam legislator existimat malū uirū, q̄ nunc ostensum est? nec tamen suspicari debemus de homine qui manibus pedibusq; & cæteris corporis uiribus ad opus est ualidus, aut de mōtana planáue terra sermonē hic fieri, sed de uniuscuiusq; nostrum potentijs. nam mali anima circa nihil aliud occupari solet, q̄ circa terrēnum istud corpus & cunctas eius uoluptates. proinde uulgus hominū obeundo uarios tractus usq; extrema terræ, mare quoq; trāijciende, & sinus eius penetrando, nullamq; huius uniuersitatis partem imperscrutatam relinquendo, semper & ubiq; ista colligit, quæ ad cumulandam uoluptatē faciūt. nam sicut piscatores retia demittūt interdum longissima, in medio complexi ma

gnum maris spacium, ut quamplurimos pisces inclusos ac uelut obsidione cinctos capiant: eodem modo maxima pars hominum, non in sinum aliquē maris, sed in totam aquæ, terræ, aerisq; naturam, omnicapientia ut poetæ loquuntur, lina extendens, omnia ubiq; ad uoluptatis usum inuncat & attrahit. etenim terræ metalla perquirunt, uasta maria traijciunt, omnia belli pacisq; exercent negocia, materiam copiosam ceu reginæ uoluptati parantes: quippe non initiati agricultura animæ, quæ seminans plantasq; uirtutes, fructum uitam beatam decerpit ex eis. qui autem exercent & tractant quæ carni grata sunt, lutum maceratum, fictilem statuam, animæ carcerem, quem illa à natiuitate ad extremum diem ceu cadauerosum onus circumferre cogitur, colunt magno studio. Hæc est differentia inter agriculturam & operationem terræ, itemq; inter agricolam & operarium. nunc considerandū ne in dictis rebus aliæ quoq; sint cognatæ species, quæ sub nominum communione occultent differentias. sunt autem quas quęrendo inuenimus duę, de quibus differemus quantū poterimus. ergo sicut agricolam & operatorem terræ, quamuis idem uidebantur, tamen allegorias excutiendo longe diuersos reperimus, ita rursus pastorem & pecuarium. legislator enim iam pecuariæ, iam pastoralis artis meminit: quas appellationes lector parum curiosus fortasse putaret æquiuocas, significantes idem studium. atqui res ipsæ multum differunt, si spectentur singularum officia. quamuis enim pecorum magistris consuetudo uulgaris utramq; uocem applicat, at non & intellectui curatori animæ utraq; conuenit. malus enim si sit, pecuarius gregis præfectus uocabitur: contrà si bonus & uirtutis amans, pastor nominabitur. id iam clarius faciam. Natura unicuiq; nostrum cognatas addidit pecudes, ex una radice animæ duabus uelut stirpibus pullulantibus. quarum altera integra indiuisaq; intellectus appellatur: altera ab imo in septem ramos diuiditur, in quinq; sensus, & duo instrumenta uocis genituræq;. quæ multitudo tota bruta comparatur pecori: & quia numerosa est, iuxta naturæ legem operam ductoris necessariam postulat. quoties igitur imperitus regēdi sed diues seipsum præficit, plurimorum malorum causa fit pecori. nam ipse necessaria copiose suggerit: at illud in tanta copia ciborum nimia saturitate petulans redditur. saturitatis enim germana proles est petulantia. per eam petulantiā saltitant, & contempto rectore uagantur, soluuntq; stipatum antea gregis ordinem. atque ita ductor desertus, ex præfecto priuatus fit, discursans satagensq; si forte posit denuo in unum compellere. & cum uidet se operam perdere, gemit ac flet, damnans suam facilitatem, & culpam in seipsum referens. Ad eundem modum pecus sensuum, quando intellectus supine se gerit & ignauiter, auide saturatum copia rerum sensibilium ceruicem iactat & subsultat, impingens in omnia uisui patentia, uel quæ uidere nefas est: auribus quoq; uoces recipiens insatiabiliter, sitiendo semper ob curiositatem, interdum delectans se obtrectationibus parum liberalibus. Quid enim aliud credimus quotidie per totum orbem tot milia spectatorum in theatra contrahere? homines enim uicti spectaculorum & fabularum cupidine, infrenes tum oculis tum auribus, consectantur citharistas citharœdosq;, præterea saltatoribus cæterisq; mimis inhiant, propter gestus mo-

tusq;

tusq; ac status effœminatos: atque ita factiones theatricas instaurant. securi cæterarum rerum priuatarum publicarumq;, totam uitam in huiusmodi spectaculis cōterentes miseri. Alij autem his etiam miseriores infelicioresq; sunt, qui gustum tanquam è uinculis exoluerunt. qui mox in omnes cibos potusq; facto impetu, ex iam apparatis carpit quodlibet, immanem famem habens absentium: ut etiam cum uentris sentinam expleuerit, concupiscentia tamen auida & inanis etiam tum circumspiciat, ne quid reliquum oculos fugerit, ut hoc quoq; more ignis omniuori abliguriat. hanc uentris diluuiē pedisequa à natura addita comitatur libido coitus, furore ac œstro pertinaci concita, & molestissimam rabiem afferens. cum enim è multis condimentis potuq; meraciore contracta crapula grauantur homines, non sunt amplius sui compotes: sed properantes ad amatorios concubitus comessabundi oberrant ianuis, donec deferuente despumatoq; affectu possint quiescere, cui rei prospiciens natura uidetur uentri subiecisse instrumēta coitus: qui saturitatem solet sequi, & tum demum agere suum negociū. Hos igitur qui tali pecori affatim præbent quicquid desiderat, pecuarios uocabimus. ediuerso pastores dicemus illos qui delectu rerum necessariarum habito, quæ commodissimæ sunt has ei præbent, recisa & amputata inutili superfluaq; copia, quæ non minus nocet quàm inopia: quiq; modis omnibus prouidēt ne grex neglectus in morbos incidat: imò uota etiam faciunt ne qua externa calamitas ingruat. in primis autem curam adhibent ne grex uagabundus dispergatur, metum intentando castigatorem non obtemperantibus rationi, & animaduersione utendo continua, mediocri quidem in errata sanabilia, seuera autem si his accedat contumacia. Quamuis enim abominandæ uideantur, plurimum tamen prosunt pœnæ insipientibus, quemadmodum medicinæ silua corporeo morbo laborantibus. Hæc sunt pastorum studia, qui uoluptati noxiæ insuauem utilitatem præferunt. Tanta certe curæ pastoralis honestas creditur & utilitas, ut poetarum gens reges soleat uocare pastores populi: sicut legislator sapientes dignatur hoc nomine, qui soli ueri reges sunt. introducit enim eos præfectos tanquam gregis omnium hominum qui affectu bruto rapiuntur: & ideo Iacob etiā ille meditatione perfectionem assequutus, pastor est in eius literis. pascit enim hic Labanis pecora, scilicet insipientis animæ, quæ nihil bonū arbitratur præter ea quæ uidet sentitq;, coloribus umbrisq; fallacib. seruiliter dedita. Labā enim interpretatur dealbatio. Moses quoq; sapientissimus hominū censetur in pastorū numero. Hic enim pastor intelligitur mētis præferētis fastū ueritati, quæ bona uideri q̄ esse mauult. Iothor enim superfluus interpretatur. superfluus autē fastus est, ad inducendū in rectam uitā errorē ascitus, qui est in causa ut aliud apud alias ciuitates ius habeatur, nō apud omnes id quod iustū est. quippe qui naturale perpetuumq; ius ne in somnis quidem unquam uidit. Dicitur enim Mosem pastorē fuisse pecorū Iothor sacerdotis Madiā. Idem precatur ne cuiuis grex (sic uocat totū uulgus animarū) cōmittatur: sed ut bonum pastorem habeat, cauentē ipsi ab omnibus insipientiæ, iniustitiæ, cęterorumq; uitiorum laqueis, inducentē uerò in eruditionis uirtutumq; reliquarum dogmata; Dispiciat, inquit, dominus deus spirituū & omnis carnis hominem

huic

huic cœtui. Deinde post pauca uerba subinfert: Et non erit cœtus domini tanquam oues quibus pastor deest. Sanctum profecto uotum, ne sine curatore præfectoq; sinatur unicuiq; nostrum cognatus grex: ut ne in deterrimam malæ reipublicæ speciem ochlocratiam, quæ ex optima democratia deprauatur, prolapsi, tumultibus & intestinis seditionibus agitemur in perpetuum. certe non sola magistratuum penuria parit morbum ochlocratiæ, sed & exortus iniusti alicuius uiolentiq; principis. tyrannus enim suapte natura inimicus, ciuitatibus quidem homo: corpori autem & animæ ac utriusque negocijs, intellectus ille ferox, qui arcem in unoquoq; communijt. Officiunt autem non hæ solæ dominationes, uerum & nimis æquanimes principatus præfecturæq;. benignitas enim res est contemptibilis, utrisq; tum principibus tum subditis noxia: illis dum contempti subiectis, nec priuatim nec publice ualent quicquam recte constituere, interdum etiam principatu se abdicare coguntur: his uero dum ex continuo magistratuum contemptu negligentiores facti, magnum morbum arrogantiam sibi contrahũt, ut merito hi à pecudibus, illi à pecuarijs nihil differre iudicandi sint. nã illi sunt autores oblectandi se rerum copia. hi non ferendo saturitatem, uertunt se ad petulãtiam. Oportet autem sicut caprarium, aut bubulcum, aut opilionem, aut in commune pastorem, intellectum nostrum præesse, semper utilitatem pecoris uoluptati præferentem. cæterum prouidentia Dei prima & prope sola causa est, ne partes animæ rectore careant: sed pastorem adipiscantur omnino bonum & inculpabilem, quo pręposito impossibile sit dispergi quę intellectus colligit. necessum est enim eodem omnia cõparere ordine, unius nutum spectantia: quandoquidẽ nihil est molestius quàm parere multis imperatoribus. at pastoris officium res est tam præclara, ut nõ regibus solis & sapientibus uiris, & animis perfecte purificatis, sed & Deo rectori omnium iuste tribuatur. id quod non aliquis è uulgo confirmabit, sed propheta cui nos decet credere, qui sacros hymnos conscripsit. Sic enim loquitur: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. idem pro se quisq; dicat. nam tale carmen omnem amicum dei meditari conuenit. sed præcipue mundum hunc id decet. nam sicut quẽdam gregem, terram, aquam, aerem, ignem, & quicquid in his continetur uel stirpium, uel animalium, mortalium diuinorumq;: adhæc cæli naturam, solis ac lunæ circuitus, reuolutiones cæterorum siderum choreasq; concinnissimas, tanquam pastor ac rex deus regit iure legeq;, præfecto his recto sermone primogenito filio, qui curam sacri huius gregis tanq; magnus prorex in se recipiat. dictum est enim alicubi: Ecce ego sum, mittam angelum meum ante faciem tuam, ut custodiat te in uia. Dicat igitur & uniuersus mundus, maximus perfectissimusq; ueri Dei grex: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. dicat unusquisq; priuatim idem hoc, non uoce per os linguamq; fluente, ad breue aeris pertingente spacium: sed illo peramplo mentis sono, perueniente usq; ad extremos orbis terminos. impossibile est enim deesse commodũ aliquod ubi Deus præsidet, solitus plena perfectaq; bona largiri rebus omnibus. Quin & ad æqualitatem pulcherrime hortatur modo dictum canticum. reuera enim qui omnia cætera habere uidetur, sed grauatim fert unius dominiũ, inops & pauper est. quod si qua à deo pa-

scitur anima, hoc uno soloq́ contenta ex quo pendent omnia, rei nullius omnino est indiga, non cæcas diuitias respiciens, sed quę oportet acute cernens & magni faciens. huius omnes discipuli uehementem perpetuumq́ amorem conceperunt: & ideo contempta pecuaria, excoluerũt pastoralem scientiam. Argumento est Ioseph, circa corpus & nouas opiniones semper occupatus: qui naturæ brutæ præesse cum imperio nescit (seniores enim ad magistratus legitimos gerendos uocari mos est: hic autem semper ætatẽ bene fert etiam in annis senilibus) sed nutrire augereq́ hãc solitus, putat se posse uirtutis quoq́ amatores ad se pellicere, ut ad bruta inanimaq́ cõuersi, uacare non possint rationalis animæ studijs. ait enim: Si rex (id est intellectus corporeæ regionis rex) percontabitur quodnam sit uestrum negocium, respondete: uiri pecuarij sumus. Hoc audito indignantur non immerito, cum sint proceres, iuberi se profiteri subditorum ordinẽ. Nam qui sensibus per sensibilia subministrant alimentorum copiam, serui fiunt eorum quos alũt, tanquam dominis quotidie tributum pendentes necessarium. contrà principes sunt qui hos regunt, & refrenant insatiabilem eorum impetum quo rapiuntur ad superuacanea. Ac primum quidem & si non libenter hoc uerbũ audiant, silebunt, intempestiuum rati apud negligentes auditores differere de differentia curæ pecuariæ pastoralisq́ scientiæ. Sed cum iterum inciderit eadem contentio, resistent totis uiribus, nec prius quàm uincant remittẽt contentionem, præ se ferentes liberale ingenium, atq́ adeo generosum & principatu dignissimum. proinde rogãte rege, quodnam est uestrum negocium, respondebunt: pastores sumus, sicut & patres nostri. An non uidetur hac professione non minus sibi placere, q̃ rex ipse cum quo loquuntur, sibi placet tanto imperio: quando nõ solum sibimetipsis hoc uitæ genus suopte testimonio uindicãt, sed & suis patribus, quasi omni studio curaq́ dignissimum: atqui si de caprarũ ouium'ue cura sermo esset, poterat eos pudere uerum fateri, dum fugiunt ignominiam. nam ingloria humiliaq́ uidentur hęc apud eos qui fortunatiores sunt quàm prudentiores, apud reges præcipue. Cæterum Ægyptiorum gens innatam & insignem habet iactantiam, ut uel modica felicitatis aura aspirante irrideat fastidiatq́ plebeiorum hominũ in uictu parando studium & diligentiã. Quoniam autem animæ potẽtias tum rationales tum brutas considerare est propositum, merito se iactabunt qui si bi sunt cõscij quod possint brutas compescere, ascitis in auxilium rationalibus. Quod si quis inuidus et criminator incusando eos dicat: qui fit igitur ut pastoralem artem exercentes, & cognati gregis curam ac regimen professi, in Ægyptum, corporis eiusq́ affectionum regionem, appellere induxeritis animum, & non in quamcunq́ aliam: huic respondendum est libere, Inquilini ut essemus, non inhabitatores perpetui, uenimus. re uera enim omnis sapientis anima cælum habet patriam, in terra peregrinatur: & sapientiæ domum existimat suam, corporis uerò alienam, cuius inquilina sibi uidetur. ergo quando intellectus receptum in suam administrationem gregem animæ iuxta naturæ magistræ leges constanter regit, probatum eum reddit & ualde laudabilem: uituperabilem uerò, quando non legitime eum tractat, sed securè negligẽterq́. ideo merito ille quidem regis nomẽ sustinebit, pastor ap-

pellatus

pellatus, hic uerò popinarij, pecuarius uocatus, & uoraci pecori cibos parare solitus. atq; ita quid agricola ab operatore terrę, quid itē pastor à pecuario differat, satis accurate demonstratum est. restat tertium quiddam modò dictis cognatum, de quo iam loquemur. equitem ab insessore multū differre arbitrandū est, non solum hominē uectatum animali hinnibili ab alio similiter uectato homine, sed etiam rationē à ratione. ergo qui sine equestri arte ascēdit, dici debet insessor, qui se cōmisit iumēto lasciuo, à quo abripiatur quocunq; ipsum detulerit impetus, & nō praecauendo uoraginosos terrae hiatus, aut fossam aliquam profundiorem, uiolento cursu unà cum equo praecipitetur submergaturq;. ediuerso eques ante omnia frenū in os indit, deinde in tergum insilit, & quamuis ferri uideatur, reuera tamen circūagit eum à quo gestatur tanq; gubernator. nam & ille uidetur ferri à naue quam gubernat, sed si uerè pronuncies, ipse deducit eam ad portus optatos. caeterū quando sonipes bene iter carpit habenis obtēperans, palpum & laudem refert ab equite. quando autem fertur iusto concitatius, cohibetur quo minus properet. quod si pergat contumacius, reducto freno cogitur ceruicē reflectere atq; gradum sistere. scuticis quoq; ac calcaribus continetur in officio ne subsultet lasciuiens, & alijs modis quibus domitores utūtur contra ferociam. nec mirum uideri debet. ascendente enim equite simul ars equestris ascendit: ut iam duo periti insideant, atq; ita unum subiectum imperitum animal moderentur facile. iam omisso hinnitore uectoreq;, tuam, si libet animā considera. inuenies enim inter partes eius & equos & aurigam ascensorem, sicut & extra te. Equi sunt furor & concupiscentia, ille mas, haec foemina: ideoq; ille ut mas gestit elata ceruice libertatem appetēs: haec uerò seruilior & callidior domum dèpascit ac deuorat, ut foemina. insessor autem & auriga unus est, nempe intellectus: sed auriga tunc, quando ascendit cum prudētia: quando autem cum imprudentia, insessor est. imprudens igitur prae imperitia non potest habenas retinere, sed patitur elabi è manibus. at iumenta habenis libera temere discurrunt nullo ordine. sessor uerò prae imbecillitate sustinere se non ualens decidit: & laceris genibus, manibus, facieq; male mulctatus miser deflet suum infortunium. nonnunquam autem pedibus in curru haerens raptatur supinus, & tractum in orbita caput ceruicem humerosq; ambos consauciatur. deinde huc illucq; distractus & illisus omnibus passim obiacentibus, miserrimo genere mortis extinguitur. Et huic quidē talis exitus obuenit. currus autem iam leuior & uiolente quassatus, ubi in solum inaequale inciderit facile frangitur, ut instaurari non possit & compingi denuo. iumenta aūt omni retinaculo liberata cōcitantur & efferātur, nec prius desinunt currere quàm collabantur, aut in aliquam rupem delata ipsa quoq; intereant. atq; ita currus animae unà cum uectore totus perit per aurigae inscitiam. Tales igitur equos uectoresq; arte carentes tolli praestat, ut uirtus maneat incolumis. Cadente enim imprudentia, stare prudentiam necessum est. ideo Moses inter praecepta tradit: Si egressus fueris in bellum contra inimicos tuos, & uideris equum insessoremq; & maiorem multitudinem hostium, noli timere, quia dominus deus tecum est. Furorem enim & concupiscentiam, & in uniuersum affectiones omnes, atq; etiam cogitatio-

nes

nes quæ his singulis tanquam equis insident, etiamsi uideantur fretæ inexpugnabili robore, contemni oportere ab his qui proteguntur magni regis potentia, semper & ubique pro ipsis decertante: exercitus autem dei, uirtutes sunt, propugnatrices piarum animarum: quas ubi uiderint deuictum aduersarium, conuenit pulcherrimũ decentissimumque hymnũ canere datori uictoriæ deo: ita ut duo chori, alter è uirili, alter è muliebri cõclaui, è diuerso stãtes alterius carminibus sibi respondeãt. Ductabat autem uirorum chorum Moses, intellectus perfectus: mulierum uerò Maria, sensus purificatus. Iustum enim est intelligibiliter sensibiliterque deo hymnos laudationesque sine dilatione dici, & utrumque instrumentũ concinne pulsari, tam intellectum quàm sensum, in solius seruatoris honorem ac gratiarum actionem. illud certe littorale carmen canunt omnes uiri, non tamen mente cæca, sed cernente acute, Mose præcentore: canunt & mulieres ad ueritatem lectissimæ, uirtutum ciuitati ascriptæ, Maria carmen præeunte. hymnus autem idem à choris ambobus canitur, epodon mirabilem habens, quem decantari bonum est. Sic autem se habet. Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est. equum & insessorem proiecit in mare. Meliorem enim perfectioremque uictoriam inuenire non licet, quàm qua uincitur petulantium quadrupedum ceruicosorumque agmen ualidum, hoc est uitiorum & affectuum. sunt enim uitia genere quatuor, & affectus totidem. cum quibus & inscensor eorum intellectus, uirtutis osor & amans affectuum, collapsus interit, qui prius uoluptatibus, iniurijs, uafràmentis, rapinis, fraudibus, similibusque iumentis delectabatur. Pulcherrime igitur legislator inter præcepta docet, ne princeps eligatur equorum altor, parum idoneum ratus ad principatum, quisquis in uoluptates & concupiscentias & amores impotentes insaniens, tanquam infrenis ac contumax equus œstro suo agitur. Dicit enim sic: Non poteris constituere supra te hominem exterum, quia frater tuus non est: propterea non multiplicabit sibi ipsi equitatum, nec auertet in Ægyptum populum. Itaque nemo altor equorum ad principatum natus est, si sacro Mosi credimus. atqui dicat aliquis, magnam esse potentiam regis in equitatu, non minorem quàm in pedestribus copijs & naualibus, nonnunquam uerò utiliorem etiam, præsertim ubi sine dilatione celeritate expedita opus est, temporibus moram non ferentibus, sed ipsum momentum occasionis urgentibus: ut cunctatio non damnum solum, sed & cladem illatura uideatur, occasione tanquam nube prætervolante. Huic respondebimus, nullum, bone uir, præsidium legislator noster à principe submouet, neque copias eius parte aliqua mutilat, imò quantum fieri potest augere conatur, ut robore multitudineque freti socij, facile profligẽt aduersam aciem. Quis enim alius sic uel insidias collocare, uel aciem struere, uel legiones distribuere, easque tribunis centurionibusque assignare, ut res postulat, nunc pluribus, nunc paucioribus nouit, adhæc præcepta rei militaris tradere præmonstrareque, ut hic noster confirmata longo usu peritia? Sed nunc non facit uerba de isto equitatu, qualem principes solent colligere ad infestandos hostes tuendosque socios necessarium: sed de eo qui animæ inest, bruto, immoderato, inobedienteque impetu, quem refrenare utilius fuerit, ne quando populum suum uniuersum in Ægyptum corporis re-

gionem auertat, & uoluptatum affectuumq; magis quàm uirtutum delicis amatorē reddat: quandoquidem necessum est ut qui equitatu pollet, eumq; auget, uiam quæ in Ægyptum fert, ut uates inquit, ingrediatur. Cùm enim animam tanquam nauem ab utroq; latere, intellectu sensuq;, uiolentæ procellæ affectuum iniquitatumq; reluctantem inundant elatæ altius: tunc credibile est fore ut intellectus obrutus subsidat mergaturq;. profundum autem in quod mergitur, corpus est, quod cum Ægypto confertur. Caue igitur ne unquam huiusmodi equis alendis studeas. nam & qui diuersum genus tractant, ipsi quoq; uituperandi sunt. & quid ni? apud quos bruta iumenta honorantur, quorum ex ædibus equorum greges semper saturi procedunt, hominum uerò eos deducentium nemini uel sportula succurrit inopiæ solamen, uel leue aliquod munusculum. & tamen hi minus peccant. cur sores enim equos alendo, aiunt se sacra certamina & quæ passim aguntur celebritates ornare, & uoluptati oblectamētoq; esse spectatoribus, atq; etiam multis præbere exercendi se materiam. nam qui cupiditatem uincendi animalibus indunt, propter honoris amorem & æmulationem uirtutis, indesinenti adhortatione alacritateq; usi labores libenter sufferunt, nec prius desistunt ab officio, quàm ad finem optatum perueniant. Verum isti prætextus quærunt. alteri ne defensionem quidem ullam habent qua peccatum suum tueantur, qui uectari iubent insessorem intellectum imperitum artis equestris, cōmittentes cum uitio & affectui quadrupedi. Quod si aurigādi artem ediscas melius mediterisq;, ut iam tibi uidearis ad regendos equos idoneus, tum demum ascende & habenas arripe. Sic enim nec illis salientibus excussus cum laceratione corporis mouebis risum spectatoribus alieno malo gaudentibus, nec incursu obuiorum insequentiúmue inimicorum capieris: hos celeritate longe à tergo relinquēs, illos uerò secure uitans per scientiam. Merito igitur Moses uictoriale carmen canēs ob insessorum interitum, salutem nihilominus precatur equitibus. Nam hi possunt iniecto brutis potētijs freno, cohibere nimium cursus eorum impetum. Quid igitur prædicetur dicamus. Fiat, inquit, Dan serpens in uia insidians in semita, mordens equi calcaneum: & cadet eques retrorsum, salutem expectans à domino. Nunc uideamus quid subindicet hæc precatio. Dan interpretatur iudiciū. ideo uim animæ scrutantem, examinantem, discernentem, & quodammodo iudicantem singula draconi assimilat. Est autem hoc animal agilitate uarium, & cum primis callidum, paratumq; ad uim, quod se facile possit tueri à lacessentibus: non illi uitam amāti, de uitaq; consulenti simile, quod Eua propterea uulgari lingua solet uocari: sed illi serpenti quem Moses ex ære fabricauit, quem quotquot intuebantur morsi à uenenatis bestijs, interituri alioquin, euasisse mortem dicuntur. Portentosa quidem ista uidentur, draco humana uerba proloquens, & uaframentis mores innocentissimos circumueniens, & persuasibilibus argumentis mulierem decipiens, ac rursum alijs solo aspectu salutem afferens. Verum in his quæ latentem sensum continēt, quicquid fabulæ speciem præ se fert è medio tollitur, atq; ita comperitur manifestaria ueritas. itaq; illum mulieris insidiatorem serpentem, à sensu & uita carnium pendentem, uoluptatem esse dicimus, repētem sinuosis orbibus, non ualentem

se

se attollere, semperq́ iacentem, ad sola terrena bona pronam, foueas quęrentem in corpore, uelut scrobes hiatusq́, & in quouis sensu stabulantem, hominis consiliariam, meliori contradicentem, ueneficis & uix ullum doloris sensum afferentibus morsibus conantem interficere: Mosaicum uero serpentem fortitudinem, affectionem uoluptati aduersariam: quapropter e solidiore materia, scilicet ære factus inducitur, hanc fortitudinis speciem quisquis bene considerauerit, etiamsi forte fortuna prius à ueneficijs uoluptatis morsus fuerit, necesse est eum uiuere. nam illa quidem intentat animæ mortem ineuitabilem, at fortitudo sanitatem incolumitatemq́ porrigit. Est enim pręsentissimum intemperantiæ remedium temperantia. Omni autem sapienti honestas amica est, & eadem utiq́ salutaris. Itaq́ cum Moses precatur Dani ut serpens fiat, non similem illi Euæ serpenti fieri precatur. nam preces solent bona petere. Fortitudo certe ad bonorum genus pertinet, & immortalitatem confert bonum perfectissimum: sicut uoluptatis malum affert extremum mortis supplicium. ideo dicit: Fiat Dan sicut serpens, non alibi potius quàm in uia. nam intemperantia gulaq́; & quicquid immodicæ inexplebilesq́ uoluptates per externarum copiarum usum pariunt, non sinit animam per latam regiamq́ uiam tendere, sed ducẽs eam in barathra & uoragines, donec præcipitetur in interitum. Soli autem qui à fortitudine, temperantia, cæterisq́ uirtutibus se diuelli non patiuntur, declinant deuitantq́ omnia lubrica. Apertissime igitur dixit adhærere uiæ rectæ temperantiam, quandoquidem aduersaria huius intemperantia solet in deuijs agere. Illud autem, insidens semitam, tale aliquid significat, quantum equidem intelligo. Semita siue callis est, uia hominibus, iumentis, plaustrisq́ communis. hanc aiunt uoluptati esse opportunissimam: quia in ea mox à natali die senectutem extremam usq́ gradiuntur inambulantq́, & per ocium securitatemq́ immorantur, non tam homines quàm animalium alia genera. Nam ne unum quidem est quod non inescatum à uoluptate trahatur, & implicetur eius multiplicibus casibus, quos sine noxa pertransire ingens labor est. At prudentiæ, temperantiæ, cæterorumq́ uirtutũ uię, si non inaccessę, certe minime tritæ sunt. Exiguus enim per has euntium est numerus, qui germanam philosophiæ rationem sectantur, cum sola honestate habentes consuetudinem, contemptis cæteris rebus in uniuersum omnibus. hanc igitur serpens hic non semel insidet: sed tanta est contentio curaq́ fortitudinis, ut nullam nõ occasionem captet obturandi uoluptatis scaturigines, à qua ceu perenni fonte manant mala omnia. propterea serpens ille seductor Euæ inducitur cædis hominũ auidus: sic enim ait execratio, Ipse tuum caput seruabit, tu eius calcaneum: at serpens Dan de quo nunc loquimur, equini non humani admorsor calcanei. alter enim ille uoluptatem figurate significans, ut iam demonstratũ est, homini, hoc est uniuscuiusq́ nostrum cogitationi struit insidias. corrumpit enim mentem uoluptatis usus nimius. at hic Danis serpens, cum sit imago potentissimæ uirtutis fortitudinis, equum mordebit, per quem subindicatur affectus & uitium: quibus temperantia nunquam non meditatur perniciem. his admorsis & in genu prolapsis, eques, inquit, cadet. Quod autẽ sub hoc ænigmate latet, tale quiddam est. huc contendendũ esse tanq́ ad rem egregiam;

ut nemo nostrũ patiatur mentẽ suam uectari ab affectu aut uitio: sed si quan do cogatur aliquem ascendere, det operam ut quàmprimum uel desiliat uel decidat. tales enim lapsus inclitam uictoriam afferunt. ideo quidam è priscis prouocatus ad conuitiandi certamen, In hoc quidem, inquit, nunquam descendero, in quo uictor uicto fit deterior. Ergo tu quoq; quisquis es noli unquam cum malis contendere, & primus esse in huiusmodi certaminibus: sed ante omnia, si fieri potest, cura ut fugias. Quod si quando maiore ui coactus fueris in certamen descẽdere, ne te uinci pudeat. sic enim demum, si uincaris, uictor euades, quando in hoc genere uictor uincitur. Nec expectes dum aduersarium aut præco uicisse pronunciet, aut certaminis præses coronet: sed ipse accedito palmam porrigens, atq; etiam, si libet, coronas lemniscatas imponito: ipse uictorem magna intrepidaq; uoce pronunciato in hanc formulam: In hoc concupiscentiæ, furoris, intemperantiæ, insipientiæ iniustitiæq; proposito certamine, spectatores uosq; certaminis præsides, equidẽ uictus sum, uicit autem iste. & in tantũ uicit, ut ne nos quidem inuideamus eius aduersarij. Ergo certaminum istorum haudquaquam sacrorum præmia cedenda sunt quibuslibet alijs. eorum autem quæ uere sacra dicũtur, ipse coronas accipito. Caue autem sacra putes certamina, quæ instaurantur post triẽnium à quibusdam ciuitatibus, multa milia hominum in theatra ad hoc ipsum facta recipiẽtibus. in his enim aut luctator cõcertatorẽ pronũ supinúmue sternens, aut pancratiasta ualidus, à nulla ui sibi temperans, primam laudem occupat. nec desunt qui postq; utroq; pugno inferri morem occalluerunt, in caput faciemq; inuadunt, & his probe contusis in cætera quoq; membra sæuiunt: aut uice uersa plagas recipiendo mulctãtur naso uel auriculis. Et post hæc tam immania coronas præmiaq; petunt. Nam reliqua certamina cursorum quinquertionumq; nemo sapiens non rideat, hoc agentium ut saltus sit quàm longissimus, & spacia dimetientium, contendentiumq; de pernicitate: quos non solum grandiores animantes ceruus aut caprea, sed uel minimus catellus aut lepusculus, non admodum properans, ipse absq; respiratione currentes summo conatu, à tergo tamen relinquet. ex his certaminibus nullum prorsus sacrum est, etiamsi contra testentur omnes homines, mox deprehendendi in falso testimonio. Nam ipsi talium admiratores, leges tulerunt contra uiolentiam, & iniuriam inferenti in corpus pœnam talionis sanxerunt, constitutis etiam iudicibus, qui de talibus causis decernerent. & quo modo æquum uideri potest, ut qui ulciscuntur factas priuatim iniurias, nec impunitas sinũt, ijdem in celebritatibus tantaq; spectatorum frequentia, coronas talium facinorum patratoribus & alia quædam per præconem statuant præmia? Cum enim de eadem persona, de eodem facto, duæ diuersæ feruntur sententiæ, necessum est iniquam esse alterutram. Ambas enim æquas aut iniquas haberi non est possibile. Vtrum igitur horum laudatis omnes uno consensu? an non eum puniri qui prior infert iniuriam? ergo merito damnantur quicunq; dissentiunt. At ex sacris nihil improbari debet, quorum tanta est existimatio publica. Ergo solum olympiacum certamen iuste dicitur sacrum, non istud quod ad Elim celebratur, sed quod est propositum de parandis diuinis uereq; olympijs uirtutibus. in hoc quibus sunt in-

firmissima

firmissima corpora, sed animæ ualidissimæ, nomen dant. Deinde exuti unāquisq; agunt quicquid possunt uel arte uel uiribus, nihil sibi ad summum conatum facientes reliquum modo assequantur uictoriam. & hi quidem facile uincunt aduersarios: sed inter ipsos rursum de primatu oritur contentio: Nō enim idem omnibus modus est uictoriæ: sed omnes honore digni, prostratis inimicis tam infensis, & grauibus. Maxima tamen admirationē meretur inter hos precipuus, cui nō debemus inuidere prima premia. Ceteri secūdis contenti sint & tertijs. Nam de uirtute paranda hic certatur: in qua si nō datur tenere fastigium, uel in medio satis utilitatis capitur. & sunt qui hanc possessionem certiorem existimant, inuidiæ cessa petenti minus obnoxiam. Proinde ualde docte dictum est illud memoria dignum, Cadet eques: ut si quis excidat à malis, bonis innixus assurgat, sed eo quod sequitur magis etiā docemur, non prorsum, sed retrorsum esse cadendum, quia relinqui à uitijs affectionibusq; semper fuit utile. in honestis enim rebus properatiōe, in turpibus tarditate opus est: & rursum, ad illas quidem accedere, ab his abesse quàm longissime: quando quo quisq; remotior est à prauis affectibus, eo maneat sanior. Quamobrem ait eum sanitatem expectare à Deo, ut quantum discedit ab iniusticia, tantum ad iuste agendum properet. Hactenus satis de equo insessoreq;, de pastore & pecuario, de terram operante & agricōla, tum quæ singulas has copulas perquirentibus inueniantur differentiæ. Nunc ad ea quæ deinceps sequuntur aduertamus animum. Cupidum uirtutis inducit non omnino peritum agriculturæ animæ, sed tantum rudimentis eius exercitum, dicens sic: Cœpit Noe homo agricola esse. principium autem, iuxta uetus prouerbium, dimidium totius est: & altero dimidio abest à fine, quod nisi accedat, etiam incepisse res magnas sæpe obfuit: nam & scelesti aliquando quod non ferrent cruciatus animi, cœperūt de meliore uitæ ratione cogitare, sed nequicquam. Sic enim usu uenit, ut qui ad finem non peruenerunt, obruti occurrentium malorum cumulo, relinquant bonum illud propositū. ideo cum Cain putaret se gratas obtulisse uictimas, non litasse admonitus est oraculo. nec enim sacra perfectaq; immolasse. Est autem oraculum tale: Non si recte obtuleris, sed ni recte diuiseris. Rectum igitur est honor dei: quod autem non diuiditur, non rectum. huius rei quæ sit ratio uideamus. Sunt qui pietatem in eo collocent, quòd Deum autorem aiunt rerum omnium, bonarum atq; contrariarū: quos sic licet alloqui. hæc opinio uestra partim laudabilis est, partim uituperabilis. Laudabilis, quia miratur eum qui solus honoré dignus est: uituperāda, quòd nihil distinguit aut diuidit. debueratis enim non commiscere confunderéq; omnia, dum asseritis eum autorem omnium: sed cum distinctione, tātum bonarum rerum causam in eum referre. absurdum enim est, de sacerdotibus quidem solicitū esse ut integro sint corpore, itemq; de uictimis, ut nulla prorsus ne minima quidem contactæ sint labecula, adhibitis etiam ad hanc curam aruspicibus, sicut à quibusdam appellantur, ut sine uitio noxáq; ad aram admoueantur immolandæ pecudes: opiniones autem de deo confusas esse in singulorum animis, nec ulla rationis discerni regula. Non uides quod camelum animal impurum esse lex pronunciat: quia ruminat quidem, sed non diuidit ungu-

lam? atqui si causam hanc ita ut sonat consideremus, non uideo quam rationem habeat: quod si introspiciamus penitius, apparebit ratio. Quemadmodum enim quodlibet ruminans cibum semel deuoratum & rursum sub dentes reuocatum atterit: sic anima cuiuscunque disciplinarum studiosi postquam per aures recepit contemplatione dignum aliquid, obliuioni hoc non tradit, sed per ocium secum ipsa retractat singula, & cuncta sibi reducit in memoriam. Memoria porrò non quæuis bona est, sed ea sola quæ rerum bonarum meminit. malarum enim non obliuisci nocet maxime. Quamobrē ad perfectionem requiritur diuisa ungula, ut ui reminiscendi bifariā diuisa, sermo per os, & ipsum inter cętera naturaliter diuisum, fluens, labia distinguat. simulque damnosam memoriam ab utili. Imò ne diuisa quidem ungula sine ruminatione uidetur quicquam utilitatis afferre. Quid enim prodest naturas rerū ab ipsis exordijs diuidere, uel usque minutissimas minutias, & non in seipso idem facere, nec sui partes diuisas habere, sicut quidam non incongrue solent nominare indiuidua. Hoc enim sagacitatis & argutissimę solertię fuerit argumentum euidens: cæterum nullam utilitatem ad rectam honestamque uitam attulerit. Proinde in quotidianis dissertationibus ubique sophistarum uulgus aures fortuito confluentium atterit, dum magna subtilitate uoces ambiguas explicat, atque etiam res multiplices, quæ succurrunt in memoriam, easque dijudicat. An' non alij scriptarum uocum elementa partiuntur in muta & uocalia? alij rursum orationem in tria suprema genera? scilicet nomen, uerbum, coniunctionem. item musici suam scientiam in rhythmum, in partem, in melos? rursum partem in chromaticam, enharmoniam diatonicamque speciem, & in diatessaron, diapente, diapason, cōiunctas disiunctasque melodias? sic geometræ in duas maxime generales lineas, rectam & circumferētiam? sic artifices alij suam quisque scientiam in uarias species, à primis usque nouissimas? quibus accinit & totus chorus philosophantium, more suo differens, quòd ea quæ sunt partim sunt corporea, partim incorporea. & alia animata, alia inanimata. quædam bruta, quædā rationalia. pars mortalia, pars immortalia. ex mortalibus aliud mas, aliud fœmina, quæ hominis est diuisio. rursum è prædicamentis quædam esse perfecta, quædam imperfecta. & ex perfectis quædam interrogationes, percontationes, precationes, iuramēta, cæterasque speciatim in his distinctionibus descriptas differentias. rursum quædam quę dialectici solent nominare axiomata, & ex his quædam simplicia, quædam non simplicia. rursum è non simplicibus quædam coniuncta, quædam adiuncta maius minus'ue, & insuper quædam disiuncta, aliaque huiusmodi. quædam uera, & falsa, & incerta, possibilia & impossibilia: quædam corruptibilia & incorruptibilia, necessaria & non necessaria, expedita & impedita, & his cognata cætera. Rursum imperfectorum aliæ sunt diuisiones in prædicabilia, quæ uocantur, & contingentia, & alia quędam his minutiora. Sed quamuis intellectus seipso acutior factus, tanquam medicus corporum, sic ipse naturarum anatomiam exerceat, nihil inde ad uirtutū lucrabitur: diuidet ille quidem ungulā, distinguere discernereque ualens singula: non ruminabit tamen, ut iuuetur hoc cibo per reminiscentiam, deposita per cōmanducationē eius asperitate quam ex animæ peccatis contraxerat, conciliatque esurie ad facilius deglu-

deglutienda quæ iterum contrita sunt. proinde plurimi sophistæ quos uocant magnam admirationem consecuti apud populos, qui totum fermè orbem peragrarunt, gratiosi hospites facundiam diligentiamq́ue suam ostentantes, deuicti affectibus consenuerunt, & uitam in his contriuerunt, nihilo hac parte potiores uilissimis è uulgo hominib. ideo rectissime sophistas sic uiuētes legislator noster confert cum suibus, qui nulla re pura, sed turbida, cœnosa turpiq́ue uita se oblectāt ad saturitatem usq́ue. ait enim suem esse impurū animal, quia diuidit quidem ungulam, non ruminat tamen: sicut camelum propter causam contrariam, ruminantem non bifidum ungula. Cæterum quæcunq́ue animalia utrumq́ue hoc habent, pura pronunciantur merito, quando utramq́ue iam dictam absurditatem effugerunt. propositum enim sine memoria, meditatione, iugiq́ue tractatione rerum bonarū, bonum imperfectum est. quod si alterum accedat ad alterum, ita demū absoluitur. hanc perfectionem formidant hostes animæ, quibus non amplius insurgere contra eum ualentibus uera pax obtinetur. at quibus semiperfecta inabsolutaq́ue sapientia contigit, infirmiores sunt quàm ut possint se peccatorum longo tempore confirmatorum opponere cohortibus. Quamobrem quando instante bello delectus habetur, non omnis iuuētus uocatur, etiamsi ultroneam contra hostes operam alacriter offerat: sed iubentur pleriq́ue domū redire, ut exercitatione continua tantum sibi roboris militaris peritiæq́ue comparent, quantum olim satis futurum sit ad extorquendam hostib. uictoriam. ideo quando bellum est pro foribus, in hāc formā per cornicularios edicitur: Quis est homo qui ędificauit domū nouam & non dedicauit eam? uadat & reuertatur in domū suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo dedicet eam. Quis est homo qui plantauit uineam, & nondum exhilaratus est ex ea? uadat & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo exhilaretur ex ea. Quis despondit uxorem, & non accepit eam, uadat & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. Atqui dixerit aliquis: Cur, ô mirande uir, non potius hos præ cæteris in bellum emittis & aciem, qui uxores, domos, uineas habent, alijsq́ue possessionib. sunt locupletes: pro quib. tuto retinendis pericula uel grauissima tolerabunt facile? nam isti quibus nihil tale est, cum nullum habeant pignus uirtutis necessarium, non eadem utentur industria. An hoc te mouet, ne forte qui nondum perceperunt fructum è suis possessionib. ne in posterū quidem percipiant? at quę potest esse bello uictis è suis prędijs utilitas? Sed non uincentur. mulctabuntur igitur ob desertam militiam. Nam his delicatis domi manentibus, necesse est hostes fortes bellatores, nō solum sine sanguine, sed & sine puluere uincere. Sed non deerit aliorum sociorum multitudo, qui pro his quoq́ue depugnent fortiter. Atqui primo absurdum est aliena industria fortunaq́ue niti, præsertim ubi de uastitate patriæ, deq́ue libertate populi priuatim publiceq́ue periculum imminet, cum possint in laboris partem illi quoq́ue recipi, non ualetudine aduersa, nec ætate parum integra impediti, nec ullo infortunio. Proinde nihil æquius aut magis decorum, quàm ut sumptis armis progrediantur in primam aciem, obiectisq́ue ante alios socios clypeis, fortiter pugnando propulsent periculū. Alioquin nónne proditionis atq́ue inhumanitatis reos

se declarabunt, si reliquis pugnantibus pro republica, ipsi tractabunt domestica negotia? & illis pro aliena salute decertantibus, isti ne pro se quidem arma capient? illi inediam, dura humi cubilia, cæteraq; tum animi tum corporis incommoda libenter perferent cupidine uictoriæ: isti dealbando & nugis ornando surdos parietes, aut agri fructus decerpentes, canentesq; ad torcular, aut desponsas uirgines nunc primum deducentes in thalamum, quasi hoc tempus nuptias postulet, uiuent suauiter? bonum sanè est curare domesticos parietes, reditus colligere, conuiuari, potare, indulgere genio, nouam nuptam anum (ut uulgaris iocus est) ducere: uerùm hæc pacis sunt negotia. Nunc integro bello & feruente ut cum maxime, ita'ne non pater, non frater, non gentilis ullus aut cognatus in militiam profectus est, sed una totam familiam occupauit timiditas? dices decertare cognatos innumeros. His igitur de uita periclitantibus, delicati isti ac molliculi quas non efferatissimas feras immanitate superant? dicent: durum est pati alios in nostra bona sine labore succedere. An'non durius uiuos etiamnum ab hoste pelli possessionibus, quàm defunctos eas amicis cognatisq; legitimis successoribus cedere? tantum inter utrumq; interest, ut stulta sit collatio. Atqui potest fieri, ut isti detrectatores militiæ, non solum bona hæc amittant, sed ipsi quoq; ueniant in potestatem hostium. illis uerò pro salute reipublicæ defunctis, etiamsi nullum adhuc fructum perceperunt è suis prædijs, solatium contingat ex reputatione hæredum successorumq; quos non alios cuperent. In uerbis quidem legis hæc & alia multa controuersa sunt: sed ne quis peruersè callidus plura in eam inquirere audeat, recurramus ad allegoriam & dicamus: primùm iubere legem, ut quisquis bonorū possessionem sibi comparat, curet fructus etiam inde percipere, quando uirtutis felicitas in perfecto usū consistit, per quam contingit uitæ incolumitas. deinde non de domo hic, aut uinea, aut sponsa uerba fieri, ut eā procus abducat, aut plantator uindemiet, expressisq; uuis mustū degustans se exhilaret, aut alius extractum à se domum inhabitet; sed de animæ potentijs, per quas initia, profectus, perfectionesq; contingunt in actionibus laudabilibus. Harum principia fermè ad procos attinent. sicut enim procus nōdum est uir, erit tamen eodē modo quicunq; bona indole præditus, generosam castamq; uirginem ducturum se sperat eruditionem, moxq; procum eius agit. profectus autem ad plantatorem possunt referri. sicut enim huius cura est incrementum stirpium: ita discendi studiosus dat operam ut prudentiæ contemplationes augeantur plurimū. postremo perfectiones ad ædificium domus absolutę, sed nondum consolidatæ. omnibus autem his tam perfectis quàm incipientib. & proficientibus conducit uitam sine contentione agere, & abstinere à sophistarum dimicationibus, turbulentam litem ad subuertendam adulterandamq; ueritatem semper meditantibus. quia ueritas pacem amat, quam isti prosequuntur odio. quòd si descenderint in hoc certamen homines simplices cum peritissimis, omnino succumbent: incipiens, quia imperitus: proficiens, quia imperfectus, perfectus autē, quia nondum exercitatus in uirtute. oportet aūt sicut incrustationes paulatim hæréscunt & cōsolidantur: ita perfectorū animas cōfirmatas, alijs super alias meditationibus assuescere ne gra-

bu dimoueantur. Quibus aũt id non contigit, apud philosophos in sapientum nomen subrepsisse dicũtur. aiunt enim esse impossibile, ut qui in sapientia plurimum promouerunt, & ad eius euaserunt fastigium, suam perfectionem nouerint. negant enim fieri posse ut qui ad finem peruenit, statim se peruenisse intelligat: sed confinium tenere ignorantiam, non illam procul remotam à sciẽtia, uerùm aliam propinquam, parum distantem à ianua. quò postquam aliquis se peruenisse intelligit, simulq; uires aduersariorũ, potest contra contentiosam sophistarum aciem subsistere. sperandum enim est de talis uiri uictoria. quisquis autem nondum præteruectus ignorantiam euasit ad lucem scientiæ, cum domi se continere consultius fuerit: hoc est non descendere in certamen de rebus nondum sibi satis cognitis: sed quiescere potius. qui uerò per arrogantiam in luctam prosilit, petitiones aduersariorum cauere nesciens, ab eis præoccupabitur, & mulctabitur morte scientiæ, grauiore quàm est uulgaris hæc animam à corpore dirimẽs. sed hic exitus meritò manet deceptos à sophismatibus. cum enim non possunt solutiones inuenire, mendacijs tanquam ueritati credendo amittunt uitam scientię: quod accidit & his qui se sinunt decipi ab adulatoribus. nam horum anima sana & uerax, per morbidam subuertitur & expellitur amicitiam. proinde consultum est, ne huiusmodi certaminibus se cõmittant qui discere incipiunt, cum imperiti sint: similiter & proficiẽtes, cum imperfecti sint. nec non qui tum primum perficiuntur, quia perfectionem suam adhuc ignorant. quod si non pareant huic consilio, alius, inquit, homo domum eius habitabit, uineam possidebit, uxorem ducet. quod perinde est ac si diceret, hæ iam dictæ potentiæ, studij, profectus, perfectionis deficient nunquam, sed aliàs alios homines accedendo uersabuntur cum eis, migrãtes ex anima in animã, similes signaculis (nam & hæc post impressam ceræ formã nihilo deteriora permanent) etiãsi contingat impressos characteres uobiscum interire. cum enim sint immortales, innumeris ante uos familiaritate sua pepererũt gloriam: quos expertæ sunt, non sicut uos propter periculorũ contemptũ auersari suam cõsuetudinem, sed ultro ad se accedere, & securitati suæ prospicere. proinde si quis uirtutis amicus est, optet in se plantari bona omnia, & existere in sua anima, quemadmodum in statua tabulaq; perfectissima, quicquid ad decentem proportionem attinet: id secum reputans, esse innumerabiles qui captent eadem: quibus natura ipso præterito donabit omnia, felicitatem discendi, profectũ perfectionemq;. sed satius fuerit ipsum ante illos elucere, & concessas sibi diuinitus gratias in tuto reponere, potius quàm obijcere hostib. auidis ceu prædam paratissimam. ergo parua utilitas est principij quod iusto fine non obsignatur. sæpe tamen etiam perfecti quidam pro imperfectis sunt habiti. eo quod suapte alacritate, non dei benignitate profecisse sibi uisi sunt. qua opinione iuueniliter inflati, & in immensum elati, è sublimi delati ad infimũ barathrum interierunt. Si domum, inquit, nouam ędificaueris, & feceris in tecto coronulã, caue habearis autor necis in domo tua, si quis inde prolapsus deciderit. grauissimũ est enim ab honore dei prolapsum decidere, sibimetipsi coronam usurpando, & ciuilem necem patrando. suam enim animam interficit, quisquis honorat quod nihil est, strues sibi stultæ eruditionis ædificiũ.

nam

nam eruditio non senescit. quapropter nouam uocat eius domum. nam alias res tempus absumit. hæc autem etiamsi procedat in tempus longissimum, florem ætatis non amittit, uirenti semper specie hilaris, & agilis assidua consuetudine. Aliubi quoque inter præcepta extat hortatio, ut affluente rerum copia, non nobis eam ascribamus, sed memores simus dei qui largitur uim & robur ad agendum. hic igitur finis felicitatis est, illa uerò principia. itaque si quis obliuiscitur huius finis, ne partis quidem rebus bene frui poterit. Verùm isti sponte per amorem sui labuntur, dum grauantur deum, qui solus amari à seipso meretur, ut perfectissimus, fateri autorem bonorum omnium. Sunt etiam qui omnem pietatis rudentem mouendo celeri nauigatione conati sunt in portum eius appellere, & iam proximi, iamque sperantes inuehi, repente ex aduerso procella coorta, tum demum à recto cursu repulsi sunt, frustrati tot nauigationis commodis. Horum iactationi quis male precaretur? quando inuitis quod remoraretur accidit. Quis igitur assimilabitur his, nisi qui magnum, ut uocant, uotum uouit? Si quis, inquit, subito coram eo mortuus fuerit, confestim polluetur caput uoti eius, & radetur. Deinde post pauca subinfert: Dies autem priores irriti fient, quoniam pollutum est caput uoti eius. utraque uox, subito & confestim, indicat non uoluntariam mutationem animæ. Nam in peccatis uoluntarijs opus est tempore consultandi, ubi, quando, quomodo aggredienda sint. Quæ autem inuiti admittimus, repente, ex improuiso, momento (ut ita loquar) temporis ingruunt. Est enim perdifficile, ceu cursoribus, post institutum semel ad pietatem cursum inoffensè & sine respiratione ad metam recta decurrere, quandoquidem innumera sunt quæ obiacent pedibus mortalium. Cæterum ante omnia, quod sola præstat beneficentia, abstinere à uoluntarijs peccatis, prodest ad repellendam etiam inuoluntariorum multitudinem. Deinde si & inuoluntaria nec multa admittantur, nec diu adhæreant. Pulchre autem inuitæ mutationes dies dixit irritos, non solum quia ratione caret peccatum, sed quia horum quæ fiunt ab imprudentibus non potest reddi ratio. ideo sæpe cum talium factorum causam reposcimur, negamus nos scire, aut posse dicere: quia nec intercedere potuerimus, nec præscire. Rarum igitur Dei donum est, à carceribus ad metam usque stadium uitæ percurrere absque offensa lapsuque, ita ut naturam utramque peccatorum uoluntariorum inuoluntariorumque liceat celerrimo cursu præteruolare. Hactenus de principio fineque dictum sit per occasionem Noe iusti, qui agriculturæ prima rudimenta consecutus, ad finem eius peruenire non ualuit. ait enim scriptura, Cœpit esse agricola, non extremos eius scientię terminos adeptus est. quæ autem de plantatione eius dicta sunt, repetamus denuo.

PHILONIS IVDAEI DE PLANTATIONE NOE

LIBER SECVNDVS.



IN primo libro de agriculturæ arte in genere quantum tempestiuum erat, diximus: in hoc de eius specie uinitoria pro uirib. dicemus quod reliquũ est. Nam iustus hic, non solum agricola, sed & proprie uinitor introducitur, dicente sacra scriptura, Cœpit Noe homo agricola esse, & plantauit uineam.] Decet autem ut qui de singularibus stirpibus & agriculturis dicturus est, consideret primũ stirpes in hoc uniuerso perfectissimas, magnumq; illum plantatorem harum præsidem. Scilicet plantator ille maximus, & arte perfectissimus, huius rerum uniuersitatis rector est: planta uerò mundus hic, non unicum stirpis genus in se continens, sed infinitos ceu palmites ex una radice progerminans. Postquam enim essentiam inordinatam suapte natura confusamq; in ordinem ex perturbatione & ex confusione in discretionem reducens mundi opifex formare cœpit, terram quidem & aquam radicauit in medio, aeris uerò ignisq; arbores in sublime subduxit à medio. hæc autem circumquaq; muniuit æthere, extimum hunc terminum pro munimento custodiaq; statuens, unde cælum Græcis nominatum uidetur. interius terram cum sit arida inuehi aquis, nec ab eis dilui, igni porrò natura calido iungi aërem suopte ingenio frigidissimum non sine ingenti miraculo iussit. nonne enim prodigiosum uidetur, id quod dissolubile est contineri à dissolutiuo, uidelicet terram ab aqua? & frigidissimæ rei superpositam calidissimam, non extingui tamen ignem ab aere? hæ sunt illæ perfectissimæ plantationes huius uniuersi operis: maxima autem & omnium rerum feracissima stirps, mundus hic, cuius ceu rami sunt modo dicta germina. Nunc considerandum ubi sint eius radices, & quæ basis, in qua consistit more statuæ. corpus certe nullum credere debemus extra relictum errare, absumpta in unum dei opus omni materia, perfectissimum omni oportuit effingi maximum opus ab opifice maximo. Non fuisset autem perfectissimum, ni ex perfectis completum esset partibus. itaq; ex tota aqua aereq; igneq;, ne minima quidẽ exterius relicta eorũ particula, mũdus hic confectus est. Vnde necessario sequitur, extra aut uacuum esse aut nihil. Si uacuum, quomodo id quod plenum est & solidum & omnium grauissimum non degrauatur mole sua, sustentatum à nihilo? ut somnio quiddam simile uideatur, dum cogitatio semper quærit basim corpoream, quam requirit quicquid mouetur, præsertim mundus, quippe maximus omnium corporum, & multitudinem aliorum corporum, ut suarum partium in sinu continens. Si quis igitur pudorem huius difficultatis non explicatæ uelit effugere, ingenue dicat, nihil esse tam forte in omni materia, ut mundum baiulare ualeat, sed æterni Dei lex æterna firmissimum ac munitissimum

fulcrum est rerum omnium. hæc à medijs ad fines, & ab extremis ad media se extendens, decurrit per longum naturæ stadium cursu inuictissimo, in unum conducens partes omnes constringensq;. hanc enim pater qui ipsam genuit, uinculum fecit non rumpendum in perpetuum. merito igitur neq; tota terra diluitur à tota aqua, quod in finib. eius accidit, neq; ab aere ignis extinguitur, neq; contrà igne inflāmatur aer, dei lege se interponente: sicut elementa uocalia mutis distinguuntur. ut uniuersum hoc tanquam in literata musa concinat, minaces cōtrariarum naturarum concursus suadela dirimente interposito suo arbitrio. ita profecto radicatur arbor feracissima, & radicata stat firmiter. particulares autem & minores stirpes, partim mouentur & migrant, partim mouendo se nihilominus semel assignatum sibi locum obtinent. quæ ambulatoriæ sunt, animantes ut nos uocamus, huius uniuersi grandioribus inditæ sunt partibus: terræ terrestres, aquę natatiles, uolucres aeri, ignigenæ igni, quarum prouentus manifeste uideri fertur in Macedonia, sicut stellæ in cælo cernuntur. sunt enim & hæ animantes intellectu prædita, consensu philosophantium: aliæ per se uagæ, aliæ fixæ, quæ tamen eadem cum mundo rotatæ circumactæq; uertigine locum mutare putantur. at quæ naturam imaginatione carentem habent insitam, quas proprie plantas dicimus, migratiuo quoq; motu carent. duo autem genera in terra & aere fecit opifex. in aere quidem uolucres sensibiles, & potestates alias sensu haudquaquam perceptibiles. animarū sodalitium istud est incorporearum, non in eosdem digestarum ordines. alias enim assignari ferunt mortalibus corporibus, & post certos temporum circuitus liberari denuo. alias diuiniorem habitum sortitas totam terrenam regionem contemnere. in summo autem prope ipsum æthere̅m esse purissimas, quas Græcorum philosophi heroas uocant & genios, Moses ex re nomen facit eis angelis: quòd bonarum rerum internunciæ sint à summo rege ad subditos, ac rursum pro horum necessitatibus legatione ad illum fungantur. terræ uerò animalia terrestria stirpesq;, alia duo genera attribuit, iussæ ut eorum matrem simul ac nutricem ageret. sicut enim mulieri & omni fœmellę fontes lactis sub partū scaturiunt, ut recentes fœtus rigentur alimentis necessarijs & conuenientibus: ita & terrestrium animalium matri terræ omnes stirpium attribuit species. ut cognatis non alienis cibis partus eius uteretur. stirpes tamen deorsum merso fecit capite, infixas fertilissimis eius partibus. Brutorum autem capita retraxit à terra, & summæ ceruici oblongæ aptauit, & pro fulcro pedes anteriores ei supposuit. solus homo eximium ornatum sortitus est. Cæterorum enim animalium ora deorsum flexit: quapropter ad terram prona sunt. hominē contrà erexit, ut cælum spectet, cum sit non terrestris planta, sed cælestis, sicut à priscis accipimus. Quorum alij particulam æthereæ naturę hanc asserentes, cognatione iungunt ætheri hominem. At magnus ille Moses, nullæ creaturæ rationalis animæ speciem facit similem, quam inuisibilis dei pronunciauit imaginem: hoc ipso probam existimans, quòd essentiam formamq; diuinitus impressam habeat, cuius character æternus sermo est. Inspirauit enim (ut inquit) deus in faciem eius spiritum uitæ. itaq; necessum est, ut qui eum recipit, emittentis imaginem referat. ideo dicitur, ad imaginē dei factum hominem

minem, non ad creaturæ alicuius. Consequens erat igitur, ut quoniam humana anima exemplar suum autoris summi sermonem referebat, corpus etiam erectum ad purissimam partem mundi cælum os attolleret, ut per hæc quæ in propatulo sunt intelligantur illa inuisibilia. ergo quoniam erat impossibile ut cogitatio perueniret ad aspectum eius Qui est, nisi mentis ab ipso attractæ, sicut sua cuiq; manifeste testatur conscientia: euidens simulacrũ occulti oculi corpus hoc habemus, quod potest ad æthera suspicere. Cũ enim hi ex corruptibili materia compacti oculi eousq; ascẽdant, ut à terrena hac regione prouolent ad cælum remotissimum, pertingantq; ad eius terminos, quales existimandi sunt per omnia discurrẽtes animæ oculi: qui multo desiderio conspiciendi eius Qui est uolucres facti, non solum ad extremũ æthera pertinent, sed à tergo relictis totius mundi terminis, ad ingenitum illum properant. Quapropter in oraculis dicuntur sursum uocati, qui sapientia scientiaq; nunquam satiantur. Fas est enim ad deum sursum uocari eos, qui ab ipso inspirati sunt. mirum enim si turbines procellæq; arbores stirpitus rapiunt in aerem, & nauigia decem milium amphorarum capacia, mercibus onusta, quasi leuissimum aliquid ex alto mari auferunt, & stagna fluminaq; in sublime abeunt, in gremio terræ fluentis deficientibus, quæ exhausẽrunt uentorum uehementes multiplicesq; uortices: omnipotentis uerò dei spiritu inferna hęc omnia superante, mens suapte natura leuis non fit leuior, & ad summam altitudinem attollitur, præsertim hominis germanæ philosophiæ dediti. Hæc enim non uergit deorsum ad res terræ gratas & corpori, à quibus quàm longissime conatur discedere, sed sursum fertur, ut insatiabilis amatrix sacrarum feliciumq; naturarum sublimium. Quamobrem Moses præfectus custosq; orgiorum eius Qui est, sursum uocabitur. Legitur enim in libro Leuitico, Sursum uocauit Mosem. Beseleel quoq; secundò honore dignatus sursum uocabitur. Nam & hunc sursum Deus euocat, ad fabricam & curam sacrorum operum. Verùm hic secundas huius euocationis partes, Moses uerò sapientissimus primas feret. Nam ille umbras fingit, sicut pictores, quibus non est fas animatum quicquam condere. Beseleel enim in umbris faciens interpretatur. At Moses non umbras, sed naturas archetypas earum rerum quas fingendas sortitus est. & alioquin etiam summus ille autor, alijs clarius manifestiusq; tanquam in sole puro: alijs obscurius, tanquam in umbra solet res suas ostendere. Nunc postquam dißeruimus de grandioribus mundi plantis, uideamus quomodo & in homine minore mundo sapientissimus opifex Deus arbores quasdam condidit. Primùm in corpore nostro quasi bono agro, sensuum scrobes præparauit: in quas unumquemq; tanquam mitem utilemq; arborem indidit, auditum in aures, uisum in oculos, in nares odoratum, & suis quosq; locis cæteros. Attestatur autem huic meæ sententiæ fatidicus uates, qui in suis hymnis sic loquitur. Qui plantat aurem non audit? qui fingit oculos non inspiciet? quin & aliæ, quæ usq; crura manusq; ac cæteras corporis partes externas internasq; pertinent, facultates omnes sunt generosæ plantulæ. sed quæ præstantissimos perfectissimosq; fructus afferunt, penitius insitę sunt in uim qua homo regitur. Sunt autem hæ: cogitatio, perceptio, coniectura, meditatio, memoria, habitus, di-

ſpoſitio, artium ſpecies multifariæ, ſcientiæ confirmatæ, uirtutis totius contemplationum cõceptus indelebilis. Horum nihil ullus homo plantare ſcit: ſed uniuerſorum unus ingenitus eſt artifex, qui non ſolum creauit ea ſemel, ſed & ſingula plantat quotidie. huic noſtro ſermoni adſtipulatur etiam paradiſi illius plantatio, de quo dicitur: Plantauit deus paradiſum in Edem cõtra orientem, & collocauit ibi hominem quem finxerat. id ſi accipiatur de uitibus, & olearum, malorum, punicarum, ſimiliumq; arboribus, magna & incurabilis ſtultitia fuerit. quæri enim poſſet in quem uſum factus ſit. an propter amœnam habitationem? ergo totus mundus non eſt aptius deo ſummo regi habitaculum? an non & aliæ multæ res ſunt ad excipiendum tantum regem magis idoneæ? imò nefas eſt illi ſummo autori aſsignari locum aliquem, præſertim cum non ſingulis annis fructum ferant arbores. ad cuius igitur uſum fructum paradiſus hic erit fertilis? hominis certe nullius. nam paradiſi nemo prorſus inducitur incola: quando & is qui primus è terra fictus fuerat Adam, translatus inde dicitur. Deus certe ſicut alijs rebus, ita & cibis non indiget. nam quiſquis cibo utitur, neceſſe eſt ut primùm indigeat eo, deinde inſtrumenta parata habeat, per quæ & ingeſtum recipiat, & digeſtum foras egerat. hæc autem in ſummi autoris felicitatem non competunt impia commenta hominum, ad tollendam pietatem ſanctitatemq;, uirtutes maximas, inducentium deum humana forma & affectibus humanis præditum. Eundum igitur ad allegoriam uiris amicam perſpicacibus, quando & oracula ſacra occaſionem nobis manifeſtiſsime porrigunt. narrant enim in paradiſo ſtirpes eſſe noſtris nequaquam ſimiles, ſed uitæ, immortalitatis, ſcientiæ, cognitionis, intellectus bonarum rerum, & malarum imaginationis. hæ uerò cum terrenæ non ſint, neceſſariò rationalis animæ plantæ ſunt exiſtimandæ: cuius iter ad uirtutem habet finem uitam immortalitatemq;: diuerſa uerò uia ducens ad uitium, his amiſsis in mortem deſinit. Credendum eſt igitur benigniſsimum deum in anima, tanquam paradiſum uirtutum, & actionum quæ ex harum præſcripto fiunt, plantare, qui ad eius perfectam felicitatem conducat: quamobrem locum conuenientiſsimum aſsignauit paradiſo nominatum Edem, quod interpretatur delitiæ, qui ſignificat animam recte cernentem, choreas agentem cum uirtutibus, exultantem præ nimio gaudio, unam delectationem innumeris hominum uoluptatibus præferentem, quales ſolus conſectatur ſapiens. Hoc mero gaudio exhilaratus unus è Moſis præcipuis ſodalibus, in hymno exclamat ſuam mentem alloquens, Deliciare in domino: hac uoce ſeipſum ad cæleſtẽ diuinumq; amorem excitans, & iſta quæ uulgus hominum pro delicijs iactat oſtentatq; faſtidiens, totam mentem afflatu diuini furoris correptus, & in deo ſolo hilaritatem ſuam totam collocans. Illud quoq; quòd contra orientem paradiſus eſſe narratur declarat ea quæ modo dicta ſunt. Tenebricoſa enim ueſpertina nocturnaq; res eſt inſipientia: ſplendida uerò, fulgida, & uere orientalis prudentia: & ſicut oriens ſol totum cælum radijs illuſtrat, eodem modo etiam uirtutes habent ſuos radios, quibus in mentem penetrãdo totam eam reddunt lucidiſsimã. Et homines quidem ad cuſtodiam rerum ſuarum adhibent feroces beſtias quæ inſidiatores & raptores arceant: deus autem ſuis rebus rationales naturas

ras præficit.Posuit,inquit,ibi hominem quem finxerat: hoc est in solis rationalibus uirtutibus. harum enim exercitationem usumq; deus in eximias animas confert ceu munus honorariũ. ideoq; aperte dicitur, quod eum qui in nobis est uerum hominem,id est mentem, posuit in honestatis hortis arboribusq; sacratissimis.Qui autẽ mente carent,hos nemo possit excolere,cum non sint ingenio capaci prædití. Non est igitur dubitandum, cur in arcam illam ingentem diluuio præparatam omnes animantium species introducantur,nulla in paradisum.Nam arca hæc corpus significabat, quod necessario capit affectionum uitiorum'q; immanes pestes & indomitas: paradisus autem solarum uirtutum est: quæ nihil immansuetum admittunt, aut quod ratione careat.Caute etiam non hominem ad imaginem expressum, sed hominem fictum inductum ait in paradisum. nam ille ad imaginem deliniatus dei spiritu,nihil differt,ut mihi uidetur, ab arbore quæ fructum fert uitæ immortalitatem. nam utrunq; incorruptibile, portione honoratissima in medio sita dignatum est.dicitur enim lignum uitæ esse in paradisi medio. at ille alter constans è miscellaneo terrenoq; corpore,naturę simplicis & non fictę expers est:cuius exercitator solus scit habitare atrium & domum domini. Iacob enim simplex habitans domum inducitur, non eius frater uersutus & uarijs figmentis instructus animum. Conueniebat igitur, ut in paradiso, id est uniuerso hoc mundo medius radicaretur intellectus,insitas habens uires trahentes se in contraria, in discernendis eis ambiguus utrum expetenda an fugienda sequatur: ut si meliora capesseret, immortalitate frueretur ac gloria:sin deteriora, in turpem mortem incideret. Tales sunt arbores quas ille solus sapiens radicauit in animabus rationalibus. Moses autem miseratus è paradiso uirtutum pulsos suopte arbitrio, potentiam dei clementesq; ac mites eius uirtutes precatur, ut unde terrenus intellectus Adam exulat, illuc plantetur ille acute cernens populus. dicit enim, Inductos eos plantabis in montem hæreditatis tuæ, sessionem in cathedram tuam perfecisti domine: sanctuarium domine,quod collocauerunt manus tuę. dominus regnabit in secula,in æternum & ultra. Clare igitur, si quis alius, didicit, quod deus demissis omnium rerum seminibus ac radicibus, autor fuit ut arbor maxima germinaret mundus hic: qui & nunc uidetur subindicari in modo dicto carmine,dum nominatur mons hæreditatis: quia factoris nulla hæreditas magis est propria quàm opus ipsius.In hoc igitur nos plantari precatur,non ut irrationales fiamus, & contumaces ingenio, sed ut sequendo dispensationem illius perfectissimi,& imitando eius perpetuam constantiam,inoffense uiuamus ac sobrie.nam iuxta naturam uiuere, felicitatis finem esse prisci asseuerant. idem carmen consonat cum his quæ dudum de mundo dicta sunt, cum esse instructissimam dei domum sensibilem,eamq; factam, non increatam ut quidam existimant. sanctuarium autem, quasi splendorem è sanctis redditum, exemplaris imaginem. Nam quæ sensui pulchra sunt, intellectui pulchrorum imagines sunt. quod autem ait paratum dei manibus, opifices mundi potentias eius significat.Et ne quis suspicetur eum indigere creatura quacunque, accinit necessariò, Dominus regnabit in secula, in æternum & ultra. Rex autem nullo habet opus, sed sub eius iure sunt omnia. Quidam

aūt aiunt hæreditatē dei dici esseq̧, bonum ipsum, cuius usumfructū Moses nunc in uotis nuncupet. quasi dicat: quia nos, tanquam pueros recens ad discendum admotos, introduxisti per sapientiæ decreta & contemplationes, nec sine rudimentis esse passus es, planta nos in sublimi sermone cælesti. hęc enim est hęreditas paratissima, & domus commodissima habitationi, quam fecisti sanctuarium. es enim domine factor bonorum sanctorumq̧: sicut ediuerso malorum profanorumq̧ creatura hæc corruptibilis. Regna per infinita secula in anima supplice, ne momentum quidem eam præsidio tuo destituens. Nam tibi continue seruire, non solum libertati præferendum est, sed & regno uel maximo. Sed fortasse multis in mentem uenit quærere, quam rationem habeat illud, In montem hæreditatis tuæ. hæreditatem dare conuenit deo, accipere autem eam, fortasse non fuerit rationi cōsentaneum, cum omnia iam ante sint ipsius possessio. Quid si hoc dicitur de illis, qui per excellentiam ad eius dominium pertinent? quemadmodum reges imperant quidem omnibus subditis, sed maxime domesticis, quorum ad corporis curam & reliquum uictum quotidianis utuntur ministerijs. Iidem quamuis totius regionis possessionum sunt domini, etiam earum quę priuati iuris sunt, tamen sola habere putantur quæ commiserunt suis procuratoribus, à quibus annuos reditus exigunt. in eos secessus sæpe animi gratia se conferunt, grauissimis regni ac reipublicæ curis aliquantisper sepositis, & hi censentur possessionum regiarum nomine. item argentum aurumq̧ & cætera preciosa quæ reconduntur apud subditos, regum magis sunt quàm eorum à quibus habentur: attamen sunt qui proprie dicantur regij thesauri, in quibus ordinarij tributorum exactores totius regionis prouentus solent reponere. Ne mireris igitur si & omnipotentis rerum omnium præsidis eximia hæreditas esse dicitur sapientum animarum sodalitium, quod acutissime cernente, inculpabili, recentiq̧ semper mentis oculo præditum est, nunquam conniuente, sed aperto continue, directeq̧ intuente. propterea sic & in maiore cantico dicitur: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adami, constituit terminos gentium iuxta numerum angelorum dei. Et facta est portio domini populus eius Israel. Ecce iterum portionem & hæreditatem dei dixit eos à quibus germane colitur & aspicitur. terræ autem filios, quos Adami nominat filios, dispersos dispalatosq̧ cateruatim, cum non possent rectæ rationis ductum sequi. ita est profecto, societatis coniunctionisq̧ causa est uirtus, dissolutionis uerò & separationis affectus contrarius. id satis declarat solēne sacrum, quod in diem propitiationis, ut uocant, incidit. tunc enim ex præcepto super duos hircos sors mittitur, altera domino, altera hirco emissario: scilicet super duas rationes, quorum altera domini sit, creaturæ altera. ergo qui summum autorem ueneratur, sibijpsi honoris hæreditatem parabit: qui creaturam, exulabit, pulsus è regione sacratissima in profana deuiaq̧ baratra. tanta est Mosis cum deo familiaritas, ut hac maxime fretus, uehementiora & maiora quàm pro aurium nostrarum captu proferre soleat dogmata: qui non modo hæredem facit deum, sed quod incredibilius est, hæreditatem. integram enim tribum quæ ad illum supplex confu-

confugit,non agro donauit sicut cæteras undecim: sed ut eximiam honorauit sacerdotio,cælesti non terrena possesione. Non erit, inquit, tribui Leui portio nec hæreditas inter filios Israel: quia dominus ipse hæreditas eorum est.ex persona quoque dei canitur in eius oraculis in hunc modum, Ego portio tua & hæreditas.nam perfecte purificata mens, quæ se abdicauit creaturis omnibus,proculdubio nihil nouit præter illum ingenitum, ad quem accessit,& à quo recepta est.Quis enim potest dicere, Ipse mihi solus est deus, nisi qui nullam istarum inferiorũ rerum amplectitur, quod institutũ est Leuiticum. interpretatur enim hæc uox, Ipse mihi, quod apud alios alia sint in pretio,apud hunc solum ille optimus maximus autor rerũ omnium. Fertur quendam è priscis correptum insano amore sapientiæ quasi mulieris formosissimæ,cum sumptuosæ pompę spectaret apparatum copiosissimũ,uersum ad quosdam familiares dixisse: uidete amici quàm multis rebus opus nõ habeo. & tamen nihil habebat præter amictum necessariũ: ne quis putet eum inflatum diuitijs,ut plerique solent,arroganter contra deum locutũ esse.eadem legislator sapere docet eos qui non cupiunt creatis rebus ditescere, fastidientes quicquid genitum est prę ingeniti familiaritate, quem solum habent pro diuitiarũ felicitatisque fine perfectissimo.Eant nunc & glorientur qui condiderunt regna imperiaque maxima: alij quia ciuitatem aut regionem aut gentem unã subiugauerunt: alij quia tractus omnes terræ adusque eius terminos: Græcas barbarasque gentes,flumina omnia mariaque, quæ multa quàm magna sunt; in potestatem suam redegerunt.etiamsi pręter ista sublimem illam naturam; quod uel dictu nefas est, quam solam seruituti non obnoxiam opifex condidit,sibi subiecissent: tamen è plebeiorũ numero censendi essent, collati cum magnis regibus quorum hæreditas deus est.Quãto enim possessor possessa re habetur potior,& opifex opere suo,tanto magis illi accedunt ad maiestatem regiam.certe quod quidam aiunt bonorum uirorũ esse omnia,inter paradoxa refertur ab alijs,intuentibus externam copiam & inopiam,& neminem pecunijs possesionibusque carẽtem inter diuites numerantibus.at Moses adeo suspiciendam expetendamque omni studio ducit sapientiam, ut sortem eius non solum uniuerso mundo,sed & rerum omnium regi ęquiparet. Quod dogma non disputatorum est pro uel contra differentium, sed hominum firma fide constabilitorũ. quandoquidem nunc quoque sunt quidã pietatis simulatores,qui hæc dictu quàm factu procliuiora calumniantur,negantes uel pium uel tutum dicere deum hæreditatem hominis. quibus libenter dicerem: non miror,cum non germano affectu, sed suppositititio adulterinoque ad has res contemplandas ueniatis. nihil enim interesse putatis inter possesiones uinetorum,oliuetorũ,similiumque,& deum qui sapientum dicitur hæreditas.nec reputatis quòd & pictori ars pingendi,& sua cuique artifici ars hęreditas sors'ue censetur,non ut terrena possesio,sed ut olympicum pręmiũ. nam huiusmodi res quamuis non sint dominij, prosunt tamen habentibus. ergo & eum Qui est,sortem non uulgarib.istis similem intelligite sycophantæ,sed maximũ autorem bonorũ cultoribus suis utilissimum. Nunc postquàm de primo plantatore primaque planta quod dicendum erat diximus, transeamus deinceps ad disciplinas instar huius factas, in quarum mẽtione primus

succurrit sapiēs ille Abrahā, qui dicitur plantasse agrum ad puteū iuramēti, & inuocasse nomen æterni dei domini. nec indicatur plantarum proprietas, sed tantummodo regionis eius spatium. aiunt autem quibus mos est scrutari talia quicquid in possessionē dei cessit, diligenter descriptum, arborem, locum, fructum arboris. Arborem ipsum esse agrum, nō germinibus terræ similem, sed in cari deo uiri mente radicatam. locū, ipsum iuramēti puteum: fructum uero nomē domini, pro quo æternus deus sumitur. singulis autem horū sua debetur ratio. ager centū cubitorū in longitudinem, totidē in latitudinē si iuxta quadrāguli naturā multiplicetur, decē miliū solidorū cubitorū cōficiet numerū: qui est crescentiū ab unitate maximus et perfectissimus: ut principiū numerorū sit unitas, quæ per primā cōpositionē in decē milia desinat. quapropter nonnulli haud temere unitatē conferunt cū carceribus, cum meta uero decem milia: cæteros omnes numeros qui sunt in medio spatio, cum cursu certantibus. incipientes enim ab unitate tanquam à carceribus, in decem milibus finem statuunt. hinc arrepta occasione quidā aiunt per hæc significari, deum esse principiū & finem rerū omnium, quæ opinio facit ad pietatem. hoc dogma plātatum in anima, pulcherrimū & cibo aptissimū fructum parit sanctitatē. cui plantæ locus cōmodissimus est puteus, qui uocatur iuramentū, in quo ferunt aquam non inuentā. Accesserunt, inquit, pueri ad Isaac, nunciantes ei de puteo quē foderant, & dicentes, Non inuenimus aquam. & uocauit eum iuramentū. hoc quid significet cōsideremus. Qui rerum naturas scrutantur, & singulas in disquisitionē uocant magna cū diligentia, similes sunt puteos fodientibus, nam & illi fontes latentes inquirūt. utrisque commune desiderium est potus inueniendi, sed alteris quo corpus, alteris quo recreatur anima. Quemadmodum igitur quidam fossores puteorum quæsitam aquam sæpe non inueniunt: ita qui ulterius progrediuntur in scientijs, & diutius in eis inambulant, non possunt finem attingere. certe admodum doctos aiunt accusare suam magnam ignorantiam. Hoc enim tantum sentiunt, quàm longe absint à ueritate. ex his unus olim usque ad miraculum sapiens dicere solebat, homines meritò ipsum mirari, qui hoc tantum sciret, scire se nihil. elige si libet quamcunque artem maiorem minorem'ue, & aliquem in ea laudatissimum: deinde examina an præceptis artis respondeant artificis opera: uidebis hæc ab illis non exiguo, sed magno interuallo abesse, quandoquidem fermè impossibile est in quacunque absolutum esse, quod hæc fontis in morem undabundæ uarias contemplationū species ebulliant. ideo iuramentum nominatur aptissime, quod est fidei signum firmissimum, coniunctum cum dei testimonio. Nam cum iurantes in re dubia testem deum inuocent, nihil licet iurare certius, quàm quòd nullius scientiæ finis inueniatur apud ullum artificem. idem dicere possumus & de alijs nostris potentijs pene omnibus. Sicut enim in dicto puteo negant aquam inueniri, sic nec in oculis quicquam uisum, nec auditum in auribus, nec in naribus odoratum esse contendunt, in summa nullum sensum in ullo instrumento sensitiuo. similiter nec in mente intelligentiam. Alioquin quomodo uisus auditus mens falleretur, si in his essent firmæ uires cōprehensiuæ, & non à Deo qui eas indidit confirmarentur? Iam & de loco,

in quo arbor iſta floret ſatis locuti,tandem & de fructu eius diſſeramus: qui cuiuſmodi ſit, ex ipſis uerbis ſcripturæ patebit. inuocauit enim nomen hoc, Dominus deus æternus: quæ appellationes eius Qui eſt indicant potentias,dominus eam qua imperat, deus eam qua eſt beneficus. Quamobrem & ſacer Moſes in toto mundi opificio nomen Dei aſſumit: hoc enim conueniebat potentiæ,qua factor ſuas creaturas produxit ornauitq;. Ergo quatenus imperat utrumq; poteſt,tum bene tum male facere, ad retributionem factorum ſe attemperans. Quatenus autem beneficus eſt, alterum ſolum uult, uidelicet benefacere. Eſt autem maximum animæ bonum, non dubitare de utrauis regis potentia, ſed conſtanter metu ab imperij potentia dependente ſe exoluere,& ſpem fouere de propenſa benigniſsimi numinis erga nos uoluntate, fore ut aliquando ea uti frui contingat. iam hæ uoces deus æternus,idem ualent ac ſi dicat, non qui aliquando largitur, aliquando non, ſed ſemper & continue: qui ſine intermiſsione benefacit, qui dona donis cumulando continuat, cuius gratiæ inter ſe coniunctæ ac unitæ, ſemper in orbem redeunt:qui nullam occaſionem benefaciendi ſinit præterfluere,cum ſit dominus, & lædendi quoq; poteſtatem habeat. Hoc idem & meditator ille Iacob poſtulauit in fine precum ſacratiſsimarum, dicens, Et erit Dominus mihi in Deum.ac ſi dicat: iam non herili poteſtate libera erga me utetur, ſed benefica propitia & uſquequaque ſalutari potentia, ſublato dominationis metu, & anima deuincta beneficijs mutuam gratiam conciliantibus. Quis hoc animo concipere ualeat, quòd dominus & dux rerum omnium, nihil de natura ſua demutans, ſemper ſui ſimilis, continue bonus eſt,& indeſinenter munificus? à quo perennis bonarum rerum copia promanat, autore perfectionis omnium felicium.huic regi fidere, qui non imperio ſuo ſuperbe ad lædendos ſubditos abutitur, ſed comiter eis ſuccurrit ſuis opibus, plurimum confert ad ſecuritatem atq; tranquillitatem animi. atq; ita quod promiſimus iam fermè repræſentauimus, arborem accipi pro deo rerum omnium autore optimo, & eius locum in nulla creatura perfectum inueniri, interdum tamē in eis apparere per autoris ſummi gratiam. fructum porrò eſſe dei perpetuam beneficentiam, imbris more nunquam non depluentem. Sic & uir ſapiens imitatus primi maximiq; plantatoris artem,ſuam agriculturam oſtentat. Iubet autem ſacra ſcriptura etiam nos nondum perfectos,qui adhuc in medijs officijs cenſemur,exerceri ſic in re ruſtica. ait enim,Quando ingreſsi fueritis terram, quam dominus deus dabit uobis,& plātaueritis in ea omne lignum pomiferum, auferetis impuritatem eius fructum eius.per triēnium erit impurus,nec edetis ex eo. Quarto autem anno omnis fructus eorum ſanctificabitur, laudabilis domino. Quinto autem anno edite fructum,uobis proficiet quicquid prouenerit. Ego ſum dominus deus ueſter.igitur arbores pomiferas,priusq; in regionem à deo datam migretur,plantare non eſt poſsibile,dicente uate,Quando ingreſsi fueritis terram, & plantaueritis omne lignum pomiferū. itaq; donec extra eam moramur nō poſſumus tales arbores colere,& merito.donec enim in ſapiētiæ uiā mēs nō progreditur,ſed errabūda uagatur, ſylueſtres tantūmodo curat arbores,quę uel in totū ſteriles ſunt,uel fructū ferūt ad cibos incōmodū,

sed quando ingressa uiam prudentiæ, per decreta eius ascendit, & incipit in his omnibus decurrere, tum mites & mitium fructuum feraces colit pro illis syluestribus, tranquillitatem pro perturbationibus, pro ignorantia scientiam, pro malis bona. Quoniam igitur is qui in uirtutem introducitur longe à fine abest, merito postquam plantauit iubetur auferre à planta impuritatem. hoc quid sit simul consideremus. ex officijs quæcunque sunt media, uidentur mihi eandem rationem habere cum mitibus arboribus. Nam utraque utilissimos ferunt fructus, altera corporibus, animabus altera. sed in medijs multa adnascuntur noxia, quæ necessariò sunt auferenda, ne officiant melioribus. An'non dicemus mitem arborem animæ, redditionem depositi? uerùm hęc putatione opus habet, & curiosiore diligentia. Quæ'nam igitur est ista putatio? nimirū hęc: depositū quod accepisti à sobrio, nec ebrio, nec prodigo, nec furenti reddideris. Nam qui sic sua recipit, ab eorū usu excluditur iniquitate temporis. neque debitorib. aut seruis reddendū est, quibus fœneratores insidiantur & domini. Proditio enim est hæc, non redditio. Neque ideo in paruis fidem serues, ut per occasionem maiora capias. Piscatores quidem cum paruis escis demissis, magnos pisces hamo capiunt, nemo criminatur, quia se aiunt hoc modo macelli annonæ prospicere, & quotidie mensas instruere talibus copijs. At uilis depositi redditione, fas non est inescare unquam, ut ab eo maius auferas, manibus pauca porrigens, multis uerò magnisque rebus defraudans eum animo. Ergo si ut ab arbore, ita à deposito quicquid impurum est auferas, damna, insidias, intempestiuitates, & huiusmodi omnia, mite facies quod alioquin abiturum erat in naturam syluestrium. in amicitiæ quoque planta similes stolones amputandi sunt, ut potiores eius partes conseruentur. Sunt autem hi: meretricum præstigiæ, quibus in amatores utuntur, & fraudes adulatorum. Videmus enim istas quæ faciunt quæstum è flore corporis, magnam erga suos amatores præ se ferre beneuolentiam: quæ tamen non illos amant, sed seipsas, & quotidianis prædis inhiant. Adulatores quoque nonnunquam ineffabile odium cælantes apud eos, quibus obsequuntur, tamen amare lautas cœnas & gulosum ostium, qua cupiditate inducuntur, ut colant eos, qui talia suppeditant. At illa syncera & non fucatæ amicitiæ planta, excusis & dimissis huiusmodi rebus, fructum feret suis cultoribus utilissimum, nempe fidem nullis corrumpendam muneribus. Propositum enim eius est, amico beneuelle propter ipsum. At scorta & adulatores suum agunt negotium, dum amatoribus, & quibus adulantur aliquid boni conciliant. Resecandæ sunt igitur hæ præstigiæ simulationesque ab amicitiæ planta, ut agnatæ pestes noxiæ. itidem sacrificia fœderaque stirpes sunt pulcherrimæ, sed quibus adnasci solet malum superstitionis, excidendum prius quàm coalescat firmius. Sunt enim qui putant pietatem in mactandis bubus consistere, qui ex furto, abnegato deposito, creditore fraudato, raptoque partis prędis portiones altarib. tribuūt homines uix expiabiles, putantes se pœnas peccatorum sic redimere. Hos sic appellare libet: non corrūpitur istis, ô uos quicūque tandē estis, dei tribunal, sed oēs male sibi conscios, etiāsi quotidie centū boues immolēt, auersatur: insontes uerò, etiāsi nihil omnino sacrificent, amplectitur. Gaudet enim deus aris

nullo

nullo igne calentibus, quas cingit uirtutum chorus. non istis flagrantibus flamma quam profanorum accenderunt profanæ uictimæ, in memoriam re uocantes singulorum errata & ignorantias. Sic enim alicubi Moses dicit, peccati admonere sacrificium. Ergo oportet talia cuncta magnum damnum afferentia resecare ac tollere, sicut oraculum diserte iubet: aufer impuritatem plantæ pomiferæ. At nos ne post disciplinam quidem sumus dociles. Alij uero suopte ingenio docti quicquid bonum est repurgant ab inuolucris noxijs, sicut Iacob ille meditator cognomine. Hic enim uirgas spoliauit tenuissimis corticibus, quod uirebat detrahens, ut interraso quod atrum erat, uarietate non tam artificiosa, quam naturali, cognatus color albus elucerer. Quamobrem & in lege de lepra decretum est, cum in quo nondum uarietas colorum extitit, sed alba uitiligine à capite ad pedes occupatur, purum esse: ut iuxta corporis similitudinem, uafriciem uariam & ambiguæ mentis incertum affectum omittentes, certęque ueritatis sumamus colorem simplicem. Et arboris quidem purgandæ ratio cum ueritate congruit: de fructu uerò non satis constat. Nam ficus, uuas, & in uniuersum fructus agricola purgat nemo. Lex tamen dicit: Fructus eius per triennium erit incircumpurgatus, non comedetis ex eo. Quasi mos fuerit, eum semper circumpurgari. Dicendum igitur, hoc quoque unum esse eorum quæ latentem habent intelligentiam, cum uerba ipsa non quadrent admodum. Anceps enim est hæc oratio. Nam potest uno modo sic intelligi: fructus eius per triennium erit, ut distincta uox à præcedentibus sequatur, incircumpurgatus, ac mox, non comedetur. Altero sic, fructus eius per triennium erit incircumpurgatus, ac mox per se, non comedetur. Prior ille sensus talis esse potest, ut triennium accipiatur pro tripartito tempore, cuius ea natura est, ut diuidatur in præteritum, præsens, atque futurum. Proinde eruditio fructum proferet, qui durabit & saluus permanebit per omnes partes temporis, hoc est non corrumpetur in perpetuum. Nam natura boni non corrumpitur. Fructus autem incircumpurgatus non comedetur, quia purgati sanique ciuiles sermones animam nutriunt, & menti afferunt incrementum: contrarij uerò non nutriunt, sed morbum creant & interitum. Altero modo, sicut in disputationibus dialecticorum hæc uox indemonstratus dicitur dupliciter, uel qui propter difficultatem ægre demonstratur, uel qui propter euidentiam non habet opus demonstratione: ita incircumpurgatus fructus est uel impurus egens purgatione, uel per se purissimus. talis est eruditionis fructus, per triennium, id est tripartitũ tempus, uidelicet per omnia secula purissimus nitidissimusque, à nulla obscuratus re noxia, non lauacris aspersionibusque aut in totum alijs ullis purificationibus unquam indigens. Anno autem, inquit, quarto omnis fructus eius sanctificabitur, laudabilis domino. Quaternarium numerũ præter alios legis locos maxime in narratione de mundi creatione magnifacere uidetur sermo propheticus. Nam pretiosam illam lucem sensibilem, quæ & seipsam & cætera manifestissime indicat, parentesque huius solem ac lunam, & stellarum chorum sacratissimum, quæ noctem diemque, menses annosque, tum oriendo, tum occidendo terminant, & numeri naturam demonstrant, in quibus rebus maximum animæ bonum situm est, ait creata quarto die. Nunc quoque

quoq; hunc honorauit eximie, non alio tempore fructum arborum dedicans deo, quàm anno quarto à plantatione: id quod rationem habet naturæ moribusq; ualde consentaneam. Quoniam totius mundi radices quatuor numerantur, terra, aqua, aer, ignis, & annuæ temporum uices sunt totidem, hyems, æstas, eorumq; confines uer & autumnus. Antiquissimus etiam quadrangulorum est hic numerus, constans rectis angulis, ut liquet è figura geometrica. Hi rectæ rationis sunt significatiui. Recta autem ratio perennis uirtutum fons est. Oportet tamen quadranguli latera esse æqualia. Æqualitas porrò mater est iustitiæ uirtutum reliquarum ducis ac principis. Itaq; patet æqualitatis iusticiæ omnisq; uirtutis, præter alia, signum esse hunc numerum. Is uocatur etiam omnis, quia reliquos usq; denarium & ipsum denarium potentia complectitur. de unitate quidem cuius est perspicuum. Quòd uerò & cæteros deinceps contineat, ex numerorum supputatione facile colligitur. Vnum duo tria quatuor si componamus, eximetur omnis dubitatio. Ex uno enim & quatuor constat quinarius, ex duobus & quatuor senarius, septenarius è tribus & quatuor, & triplici compositione ex uno tribus quatuor octonarius, rursum è duobus tribus quatuor nouenarius. denarius autem ex iam dictis omnibus. nam unum duo tria quatuor conficiũt decem, propterea Moses dixit, quod anno quarto erit omnis fructus eius sanctus. parem enim integram plenam, sicut & uniuersa, ut ita loquar, habet rationem, propter denarium è quaternario natum, qui est prima meta numerorum compositorum ex unitatibus. Numerus autem denarius ac quaternarius dicitur omnis, sed denarius actu, quaternarius potentia. Cæterum eruditionis fructum non modo sanctum, sed & laudabilem ait, non immerito, siquidem omnis uirtus sancta est, gratitudo uerò sanctissima: quam non legitime Deo exhibent, quotquot putant eum placari ædificijs, donarijs, sacrificijs. Nam ne totus quidem mundus ad templum in honorem eius suffecerit. sed præstat eum laudibus hymnisq; colere, non decantatis uoce sonora & tinnula, uerùm modulatis in animo puro, quem solus Deus aspicit. Fertur certe antiqua fabula, à sapientibus uiris ad posteros per manus tradita, quæ ad nostras quoq; auidissimas discendi aures peruenit. Est autem talis. olim cum totum mundum opifex absolueret, quendam è prophetis rogauit nunquid desideraret nondum creatum, siue in terra & aqua, siue in sublimi aere, siue in cœli extremo ambitu. Respondit ille, esse quidem perfecta & plena ubiq; omnia, unum tamen se requirere, laudatorem horum sermonem, qui in rebus omnibus, uel quod minimum obscurissimumq; uidetur, non tam laudet quàm enarret. Ipsam enim enarrationem operum dei, laudem esse sufficientissimam, nullo egentem auctario, quando ipsa infucata ueritas sit pro laude cumulatissima. Hoc respõsum patri uniuersorũ placuisse fertur, nec multo post exortũ genus canorũ & musicũ ex una diuinarũ potentiarũ uirgine memoria, quã Mnemosynen quidã uocãt detorto nomine. Hęc est priscorũ fabula, ex cuius autoritate dicimus, nihil esse deo magis proprium q̃ benefacere, nihil itẽ creaturæ q̃ gratias agere, cũ pręterea nihil rependere ualeat. Nã si quid aliud retribuere uoluerit, id inueniet iã ante nõ ad creaturę offerẽtis, sed ad ipsius omniũ creatoris possessionẽ pertinere. Ergo quia

didici-

didicimus unum solum opus nobis competere ad honorem Dei faciens, uidelicet gratiarum actionem, eam semper & ubiq; meditemur, tum uoce tum bonis literis, nec unquam desinamus uel orationes laudatorias, uel poemata componere, ut & per carmē & sine carmine, utraq; tam prorsa, quàm uorsa oratione, & mundi opificem & mundum ueneremur, illum, ut quidam ait, autorem optimum, hunc creaturam perfectissimam. Cæterum post consecratum anno & numerò quarto omnem fructum animæ, quinto iam nos utemur eo fruemurq;. Ait enim, Anno quinto fructum eius edite. Quandoquidem naturæ lege sancitum est, ut post creatorem demum ratio creaturæ habeatur in rebus omnibus, ut pro magno æstimandum sit, si potiamur uel secūdis partibus. Quin & ideo nobis anni quinti fructum assignat, quia numerus quinarius est sensui proprius, &, si uerum fatendum est, sensus alit nostrum intellectum, aut per oculos colorū figurarumq; qualitates attrectans, aut per aures sonorum proprietates omnigenas, aut per nares odores, aut sapores per os, aut mollicies cedentes, duritiesq; resistentes, & lenitates, asperitatesq;, frigiditates caliditatesq; per toto corpore sparsam potentiam, quam tactum uulgo nominant. id ita esse, ut dixi, exemplo manifesto docēt Liæ filij, scilicet uirtutis, non omnes, sed quartus quintusq;. de quarto enim dicit Moses, quòd post eum natum mater interquieuit parere. uocatur autem Iudas, qui interpretatur domino confessio. Quintum uerò appellat Issachar, qui merces interpretatur. hunc quamprimum anima peperit, mox quod sibi accidit elocuta est. Vocauit, inquit, nomen eius Issachar, quod est merces. ergo Iudas intellectus benedicens Deum, & gratiarum actionis hymnos indesinenter meditans, ipse reuera sanctus & laudabilis fructus erat, non è terrenis enatus arboribus, sed è natura bona rationali. Quamobrem natura quæ eum peperit dicitur destitisse parere, quando non habebat quò se uerteret, iam ad perfectionis progressa terminum. Nam inter omnia recte facta nullus partus est præstantior, quàm hymnus in Deum patrem omnium. Quintus autem filius quinti anni, ex quo fructum percipimus est similis. Nam & agricola mercedem quandam ab arboribus, anno quinto accipit, & animæ partus Issachar est, qui merces uocatur. & merito, quando post gratum Iudam in lucem est editus. grato enim ipsa gratiarum actio, merces est amplissima. Et arboreorum quidem fructuum prouentus dominorum est. Prudentiæ uerò eruditionisq; fructus non est hominis, sed solius, ut ait Moses, omnipotentis. Nam post hæc uerba, fructus eius, subijcit hæc: Ego sum dominus Deus uester, euidentissime docens, solum Deum esse fructus ex anima prouenientis dominum. Cum ea sententia & prophetæ cuiusdam concinit oraculum hoc: Ex me fructus tibi inuentus est. Quis sapiens intelliget hæc? quis intelligens cognoscet ea? non cuiusuis enim, sed solius sapientis est, nosse mentis fructus cuius sit. Hactenus de antiquissima & sacrosancta agricultura, qua summus autor in plantanda hac feracissima planta, scilicet mundo usus est; & consequenter de ea quam bonus uir exercet, & de quadruplicibus præmijs, legibusq; ac præceptis eodem tendentibus, pro uirili diximus. Nunc huius iusti Noe uinitoriam artem, quæ est agriculturæ species, consideremus. Dicitur enim, quòd cœpit Noe homo agricola

agricola esse,& plantauit uineam,& bibit de uino eius,& inebriatus est.] Ergo ebrietatis plantam arte scientiaq́ iustus hic excolit, quàm insipientes sine arte ac modo tractant temere. itaq; necesse habemus de ebrietate quæ dicenda sunt, dicere. mox enim cognoscemus & uim plãtæ, unde illa nascitur. Verùm ea quæ de ebrietate narrat legislator, aliâs inspiciemus accuratius: nunc exquiramus & aliorum sententias. Fuerũt autem multi philosophi, qui rem hanc considerarunt nõ mediocriter. Quæritur enim, utrum sapiens inebriabitur. Est igitur duplex ebrietas, altera uino madere significat, altera uino delirare. Qui autem hanc quæstionem tractant, alij negant uel nimio mero usurum sapientem, uel deliraturum ob pocula. Alterum enim horum esse peccatum, alterum peccati causam, utrumq; alienum à boni uiri officio. Alij concedunt bono uiro indulgere poculis, sed delirare præ potu non item. Prudentiam enim eius sufficere ad resistendum si quid nociturum uideatur, ne quid secus quàm oportet accidat animæ: quandoquidem prudentia tantam uim habet ad affectus extinguendos, siue feruenti amoris œstro inflãmatos, siue multo uino calentes, ut his euadat superior. quia et in profundo flumine aut alto mari urinantes, pars pereunt imperiti natandi, pars huius negotij gnari sine mora enatant. Sic & nimium merum torrentis modo inũdans animam, nunc oppressam usq; imum ignorantiæ fundum demergit: nunc à salutari eruditione subleuatam non potest ullo modo lædere. horum alteri non satis, opinor, animaduertentes cum quanto malo suum sapientem componant, è sublimi eum tanquam aucupes in terram detrahũt, ut in calamitates quibus ipsi laborant inducant. alteri diuersam temperantiæ uirtutem intuentes fateri coguntur, quòd qui haurit uinum immoderatius, impos sui factus aberrabit facile, nec manus solum sicut athletæ uicti demittet, sed ceruice quoq; ac capite defluente, genuq́ labante, & pessum eunte toto corpore procidet. de hac re præmonitus non temere in bibacitatis certamen ultro descendet, nisi propter magnam utilitatem aliquam, puta salutem patriæ, aut honorem parentum, aut liberorum uel alioqui coniunctissimorũ securitatem, aut in uniuersum ob priuatum aliquod publicúmue negotium. nunquam enim sustinebit intra se recipere uenenum mortiferum, nisi admodum iniquo tempore, per quod è uita profligetur tanquam ex patria. nam hoc uenenum, si non mortem, certe creat insaniam: & quid uetat etiam insaniam mortẽ dicere, cuius accessu præcipua nostri pars mens interit? quantum equidem intelligo, separatio corporis ab anima ut leuior, præ grauiore malo alienatione mẽtis, si qua detur optio, eligenda est proculdubio. Quapropter prisci Græci artem uini parandi μαινομένην uocarunt, & occupatas hac bacchas mænadas: quandoquidem insaniæ desipientiæq́ causa est uinum immoderate ingurgitantibus. & hæc quidem huius considerationis sunt tanquam procœmia: pergamus nunc ad reliquam, bifariam, ut uidetur, diuisam, alteris sapientem admissurum ebrietatem asseuerantibus, alteris ediuerso id constanter pernegantibus. prior opinio his argumentis niti uidetur. ante omnia quasdam res homonymas esse, quasdam synonymas. homonymiam aũt & synonymiam constat esse inter se contrarias. quia homonymia dicitur de multis subiectis commune nomen habentibus: synonymia uerò de uno subiecto. canis uocabulum

bulum omnino est homonymum, complectens multa dissimilia, quę per id significantur. nam & terrestre latrans animal canis dicitur, & marina bestia, & cæleste sidus, quod autumnale poetæ uocant, quod ineunte autumno exoriatur, maturandis perficiendisq; fructibus. præterea cynicæ sectæ antistites Aristippus & Diogenes, aliorumq; huius uitæ sectatorum ingēs numerus. Rursum alia uocabula sunt diuersa quidem, unam tamen rem significantia, ut sagitta, telum, spiculum. nam id quod arcus neruo ad scopum eiaculatur, his omnibus nominibus dicitur. item uel palmula, uel remus, quo ad nauigationem pro uelis utuntur. Quoties enim aut nullis uentis aut aduersis impeditur nauigatio, in transtris considentes, quorum est hoc officiū, & tanquam alas protendentes, ceu uolucrem nauem cogunt iter facere. at illa sublimis uolitans percurrit magis, quàm sulcat maria, & magna celeritate in stationes tutas allabitur. item scipio, uirga, baculus: unius subiecti differentia sunt nomina, quo uerberare, uacillātes gressus confirmare, inniti, alijsq; multis modis uti licet. quæ nequaquam uerbosius dicta sunt, sed ut clarius perNosceretur id de quo quæritur. Merum ut uinum, ita & temetum prisci uocabant, quod nomen apud poetas sæpe est obuium, ut hæc quoq; inter synonyma de uno subiecto prædicata censeātur. uinum atq; temetum, & quæ hinc deriuantur, ut uoce non re discrepent, uini saturitas & temulentia: quæ utraq; nimium usum significant, multis de causis bono uiro fugiendū. Qui si uino madebit, temulentus erit etiam, nec grauius lædetur temulētia, quàm si uino simpliciter expletus sit. hæc est una sententia de sapientis ebrietate. altera autem talis est. nostræ tempestatis homines, paucis exceptis, nihil cū priscis habent simile, sed & uerbis & factis magnam præ se ferunt discrepantiā. Nam & sermonem sanum ualidumq; ad morbum perniciosum reduxerūt, quem exutum uiuida athleticaq; habitudine ferme in nihilum redegerunt, pro solido neruosoq; præter naturam facientes prauis humoribus tumidū inflatumq; inaniter, sed uiribus cassum, ut cum maxime intenditur tum rumpatur facillime. actiones item studio dignas, ipsas quoq; fecerunt è masculis (ut ita loquar) fœmineas, & turpes ex honestis, ut perpauci reperiantur uel dictis uel factis antiquorum æmulatores. Quapropter illorum seculo poetæ historiciq; ac reliqui musicæ studiosi florebant, qui non aures deliniebāt rhythmis oblectabantq;, sed quicquid in mēte fractum luxatumq; fuerat excitabant, item quicquid concinnum, adaptabant ad naturę uirtutisq; orgia. Nostra uerò ætas fert coquos & cupediarios, tinctores & unguētarios, magna curiositate semper nouum aliquem colorem, nouam'ue formā, aut odorem aut saporem comminiscentes in gratiam sensuum, ut imperatorem suū oppugnent intellectum. Sed quorsum ista commemoro? ut ostendam etiā merum non in eodem nunc quo olim usu esse. Nunc enim usq; ad animi corporisq; languorem potant absq; respiratione bibētes, & ultro pincernas urgentes, indignantesq; illis cessantibus, dum caldam, quam uocant, frigefaciunt: & deliramentum illud Homericum, scilicet bibendi certamen conuiuis suis repræsentant, in quo egregie confliċtantur, auriculas, nares, manuū extremos digitos, & alias quascunq; partes corporis sibi prerodentes inuicem, hæc sunt, ut uidemus, huius nouæ, quæ nunc introducta uiget, hilarita

tis præmia: priscæ autem illius & antiquæ contraria. nam prisci omnis honestæ actionis à sacris faciebant initiũ, ita demũ finem optatũ sperantes: & quãuis rei gerendæ tempus ægre cunctationem pateretur, tamẽ ante omnia curabant, ut uotis rite peractis litaretur, pro lucro morã hanc reputantes. incõsulta enim celeritas nocet, cunctatio speratam affert utilitatem. scientes igitur, quòd uini usus magna cautela opus habeat, nec affatim nec semper adhibebãt merum, sed decenter & suo tempore. peractis enim uotis, & sacrificijs placato numine, post purificationem corporum & animarum, aquis abluti & imbuti sacrarum legum cognitione, hilares & læti ad remißiorem uictũ se uertebant; sæpe ne domum quidem repetentes, sed in templis ubi sacra fecerant permanentes, ut & sacrificij memores, & locum reueriti, sacrosanctũ re uera celebrarent conuiuiũ, nec uerbo nec facto ullo peccantes. ex hoc more natam aiũt uocem μεθύειν, quasi μετὰ τὸ θύειν, quia post sacra demum prisci indulgebant poculis. Talis usus meri cui magis, quàm uiris sapientibus conueniat, quibus nunc quoq; debetur ea, quæ potationem præcedit sacrorum operatio. Nam nemo pene malus re uera sacrificat, etiamsi perenni sacrificio X M boum immolet quotidie. Nã præcipua uictima mens ipsa non est integra. læsis uerò non est fas aras attingere. hæc est ratio secunda, qua potationem à bono uiro non esse alienam ostenditur. tertia fit per diuersam etymologiam probabilis. sunt enim quidam qui putant huic rei non ideo tantùm datum istud nomen quia soleat sequi post sacra, sed ἀπὸ τῆς μεθέσεως, id est à remißione animi. relaxatur autem insipientium quidem ratio ad peccandũ licentius: recte sapiẽtium uerò ad fruendum tranquillitate hilaritateq;. fit enĩ uir sapiens uino maceratus seipso suauior. proinde ne hoc quidem modo errabimus, si ei potationem concedemus. huc accedit & illud, quod sapientia nõ est res dura & tetrica, deuincta cogitationibus tristibus, sed perpetua trãquillitate hilaris, plena gaudio læticiaq;: unde sæpe prorumpit in non insulsos lusus ac dicteria, coniunctos tamẽ cum grauitate seria: quemadmodum in bene temperata lyra contrarij soni in unam melodiam consonant. certe iuxta sacri Mosis opinionem sapientiæ finis lusus & risus est, non iste quo pueri ac infantes delectantur, sed quo homines cani, qui non tam consenuerunt tempore quàm bonis consilijs. Non uides quod illum à nemine alio quàm à seipso præceptore scientiam in qua se exerceret edoctum, nõ risibilem sed ipsum risum esse dicit?is est Isaac, qui risus interpretatur, quem conuenit ludere cum tolerantia, Rebecca Hebræis nominata. diuinum autem lusum animo plebeio non est fas uidere, soli regi licet, cum quo diu habitauit, etiamsi non omni æuo, sapientia. is appellatur Abimelech. qui prospiciens per fenestram, per apertum & luciferum mentis oculum, Isaac uidit ludentem cũ Rebecca uxore sua. Quod enim aliud negocium sapiẽtem decet, quàm ludere, gaudere, hilarescere cum honesta tolerantia. Vnde liquet q temulentus erit etiam, temulentia conferente ad bonos mores, & afferente coniunctam utilitati relaxationem. uidetur enim merum ea quæ cuiq; à natura indita sunt augere ac intendere, seu bona seu contraria, quod & aliæ res pleræq; faciunt. Nam & pecunia bono uiro autor bonorũ est, malo autem, ut quidã ait, malorum. rursum gloria insipientis maliciã reddit illustriorem, sicut iusti uirtutem

tem nobiliorem.ita & meru͂ infusum malas affectiones temperat,bonas benigniores ac clementiores efficit,certe nemo est qui nesciat, quod cu͂ è duobus cõtrarijs alterum plerisq; conuenit, etiam alterum necessario cõueniet. ut album & nigrum sunt inter se contraria: si album bonis malisq; cõuenit, & nigrum utiq; utrisq; ex æquo conueniet,non solis alteris. itidem sobrietas & ebrietas sunt contraria.sunt autẽ sobrietatis participes,ut maiores docent,boni maliq;.itaq; utrisq; conuenit ebrietas,ergo inebriabitur etiam bonus uir absq; ullo uirtutis detrimento,q si tanq; pro tribunali nõ solum artificiosis probationibus,sed etiam inartificiosis quas uocant, utendu͂ est, ex quibus una est quæ per testes fit, multos laudatos adducemus medicorum filios & philosophoru͂,qui non uerbis modo, sed etiam scriptis attestantur huic sententiæ,multos enim reliquerunt cõmentarios intitulatos de ebrietare,in quibus tantum de uino disputant,non attingentes delirationẽ,sed prætermittentes quicquid ad debacchationes insanas pertinet.itaq; horu͂ etiam confessione temulentia est potatio largior. haurire autem uinum largius nõ obfuerit sapienti cum tempus est. ergo nihil peccabimus si concedemus ei temulentiam. Quoniam autem nemo sine aduersario certans uictor pronu͂ciatur,quod si certet,cum umbra pugnare uidebitur,necesse est etiam cõtrariam opinionem defendentium argumenta producere, ut iustum fiat iudicium,ne altera pars indefensa damnetur,est autem primum & efficacissimu͂, quod nemo secretum recte committit ebrio. ergo uir bonus nõ inebriatur. sed præstiterit fortasse prius quàm alia deinceps colligamus,ad singulas obiectiones respondere,ne molesti simus prolixitate nimia. Cõtradicet aliquis iuxta hanc rationem nec atra bile unquam laboraturum sapientem, nec dormiturum,nec moriturum deniq;,cuicu͂q; autem nihil horum accidit,aut anima caret,aut numen habet,homo certe nõ est. & quod de ebrio dictum est, pari modo potest accommodari ad atra bili furentem,aut dormientem, aut mortuum. nam nulli horum secretum recte committitur,quod penes sapiẽtem recte deponitur.non furit igitur,nec dormit,nec moritur sapiens.

PHILONIS IVDAEI
DE TEMVLENTIA.



Væ ab alijs philosophis de temulentia dicta sunt, ut potuimus in præcedenti libro memorauimus: nunc consideremus quænam sit maximi sapientissimiq; legislatoris super ea re sententia,sæpe enim in suis legibus uini & producẽtis id plantæ uitis meminit. eius potum alijs permittit,alijs nequaquam: imò eisdem aliquando concedit,aliquando non.hi sunt qui magnum uotum uouerunt, quibus iam indicitur uini usus,iam interdicitur,sacerdotibus sacra tractantibus. qui autem uino utuntur,innumeri sunt,& in his pleriq; ob uirtutem ab ipso propheta laudati.ue

rùm prius quàm de his incipiamus dicere,quædam ad argumentū hoc spectantia diligentius consideranda sunt opinor,ante omnia quòd Moses non unam rem,sed plures per merum significat,delirationem,dementiam,stuporem omnium sensuum,auiditatem insatiabilem,non probandam securitatē, & insipientiam quæ cætera huiusmodi complectitur,tum eā quæ in his omnibus extat nuditatem,in quam ebrium Noe deuolutū narrat.hos autem uini effectus dicit esse.Sed innumeri sunt, qui ne gustato quidē mero sobrios se putantes implicantur similiter,quos uidere licet alios desipere delirareq́; alios prorsus captos sensibus,alios nunquam expleri sitiētes semper ea quæ non possunt assequi, eo quòd destituantur scientia. alios contrà gaudentes & hilares,alios re uera nudatos.inter hęc omnia delirationis causa est noxia ruditas,non inscitia,sed scientiæ fastidium:stuporis,insidiatrix cæca ignorātia:insatiabilitatis,molestissima omnium affectionum concupiscentia: sicut lætitiæ causa est usus uirtutis simul ac possessio.at nuditatis non una, ignorātia contrariorum,prauitas morum & rusticitas, ueritas quæ fucatis rebus detrahit tectoria,discernens & separans à uirtute quicquid uitiosum est.hęc enim duo nec uestiri simul possunt,nec exui.sed si quis reiecerit alterutrum, necessario contrarium eius totum exhauriet.sicut enim uoluptatem & molestiam natura inter se contrarias pugnantesq́;,ut est in uetere fabula,in unū deus coaptans fastigium, utriusq; sensum nobis non eodem sed diuerso tēpore indidit, hac lege ut alteri decedenti succederet altera: ad eundem modum ab eadem radice,uidelicet intellectu,duæ stirpes exortæ sunt, uirtus atque uitium,nunquam nec germinantes nec fructum ferentes eodem tempore.quoties enim arescenti alteri folia defluunt, contraria germinare uirereq́; incipit,ut credibile sit utramq; alterius felicitate offensam contrahere se:quā ob causam ualde naturæ consentaneam,Iacob exitum, introitum Esau legimus, dicente scriptura: Et factum est quando exiuit Iacob, uenit Esau frater eius. Quantisper enim inambulat in anima prudentia, exterminatur amicus insipientiæ.sed quamprimum illa migrat,alter reuertitur gaudens ob discessum inimicæ infensissimæ,propter quam exulauerat.Hactenus satis prę fati,iam singula quæ proposuimus confirmabimus, & à primo auspicabimur.Ruditatem delirandi peccandiq; causam esse diximus,sicut è uulgo innumeros præ mero delirare.nam ruditas peccatorum animæ, si uera fatenda sunt,caput est,à qua tanquam à fonte promanant actiones omnes huius uitæ, nullum omnino præbentes liquorem salubrem ac potabilem, sed salsuginosum, qui morbum atq; perniciem gustantibus afferat. Quapropter legislator noster in nullos æque sæuit ac in educatos perperam, uel hoc argumento, qui sunt quos non tam studium quàm natura consociat, siue inter homines, siue inter animantes cæteras? nemo etiam insanus alios quàm parentes dixerit.hoc enim natura docet absq; præceptore, ut nati curæ sint genitoribus,ipsorum saluti diuturnitatiq; prospicientibus. hos tamen naturales protectores in hostium traducit ordinem,patrem matremq; accusatores è patronis faciens,ut qui soli seruare debuerāt,perdant etiam. Si quis, inquit,habuerit filium contumacem & proteruum,qui non audierit uocem patris ac matris, & coercitus obedire contempserit:apprehendent eum pater

ter & mater eius, ducētq́ꝫ ad senatum ciuitatis illius, & ad portam iudicij: dicentq́ꝫ ad uiros ciuitatis suæ: Filius iste noster proteruus & cōtumax est, monita nostra audire contemnit, conuiuijs uacat & cōpotationibus: & obruet eum lapidibus populus, & auferetis hunc malū de medio uestri. Ergo quatuor crimina hic obijciuntur, contumacia, proteruitas, profusio in conuiuia, & temulentia, grauissimum uerò ultimum, natum è primo, uidelicet contumacia, atq́ꝫ ita per gradus auctum: nam anima cùm primum cœpit rectorem contemnere, per proteruitatem contentionemq́ꝫ ad extremum terminū peruenit temulentiam, dementiæ causam & desipientiæ. sed præstat in singula crimina ordine inquirere. Omnium confessione constat bonum esse parere uirtuti, atq́ꝫ etiam utile: sicut contrà non parere, turpe simul ac inutile. iam si accedat proteruitas, malum fit longe grauissimum. inobediens enim minus malus est quàm contentiosus: quia prior tantum iussa negligit, posterior data opera nititur in contrarium. age inspiciamus rem attentius. Fac legem iubere ut habeatur honor parentibus. qui non honorat, est cōtumax: qui probro afficit, contentiosus. rursum quia seruare patriam iustum est, qui hoc facere grauatur, contumax: qui eam prodere conatur, proteruus dicendus est. item qui debitam gratiam rependere iussus tergiuersatur, facit cōtumaciter. qui aūt insuper damnum dat, peruicaciter elatus peccatū admittit immedicabile. præterea qui sacrificia & alia officia pietatis negligit, inobediens est prę ceptis quæ lex super his rebus præcepit: proteruus aūt in contrarium ad impietatē declinat, negans esse numen: qualis est ille qui dicit: Quis est cui obediemus? & rursum: Non noui dñm. prioribus uerbis negatur esse ullum numen: posteriora aiunt, etiamsi quod sit, ignotum tamen esse: quib. uerbis prouidentia tollitur. nam si prouideret rebus, utiq́ꝫ nosceretur. quod aūt de collatione in conuiuia dicitur, si intelligatur de participatione prudētiæ rei prę stantissimæ, est utile ac laudabile: sin de imprudentiæ deterrimę, inutile ac uituperabile. In rem optimam hęc fiunt symbola, desiderium uirtutis, honestorum æmulatio, meditationes cōtinuæ, exercitia laboriosa, indefessi labores: in contrariam uerò hæc, remissio, negligentia, deliciæ, luxus, lasciuia. Videmus certè istos qui quotidie descendunt in certamen temulētiæ, & hoc agūt solum ut uini plurimū in uentrem ingerant, symbola conferre tanquā in aliquid utile, mulctari tamen rebus omnibus, pecunijs, corpore, anima. nā huiusmodi collationibus & rem familiarem minuunt, & corporis uires per delicatum uictum frangūt atq́ꝫ molliunt, & animas hiberni torrētis in morem immodicis delicijs inundatas demergūt in baratrū. eodem modo qui collationes faciunt ad tollendā eruditionē, præcipuam sui partem intelligentiam lædūt, resecantes ab ea res salutares, prudentiā, temperantiāq́ꝫ, & fortitudinē atq́ꝫ iustitiā. Proinde uidetur non temere lex hic uti uocabulo cōposito συμβολοκοπῶν, sed admodum significanter: quia qui contra uirtutem suos conatus quasi quædam symbola conferunt, sauciant, dissecant, concidunt usque ad extremam perniciem animas audiendi atque discendi auidas. Abraham quidem redire dicitur à concisione Chologomodor & regum cum eo fœderatorum: ediuerso Amalec meditatoris illius extremum agmen cōcidere: utrumq́ꝫ naturæ ordine. infesta sunt enim quæ contraria, & perpetuò sibi in

uicem ſtruunt perniciem. cæterum hic ſymbolorum collator uel ideo maxime culpari meretur, quòd non cõtentus iniuſte facere, ſocios quoq; ſibi aſciſcit, partim ipſe docens alios, partim docentes audiens, ut & natura & inſtitutione peccans, nullam ſibi ſalutis ſpem reliquam faciat, quantumuis reclamante lege, & uetante ne quis ſocietatẽ ineat cauſa maleficij. ita eſt profectò, multifariam ſerpit ac paſcitur in hominum animis malum, bonum autẽ exile rarumq; in his inuenias. Eſt autẽ hic quoq; admonitio perutilis, ne ſequaris ea quæ uulgo iuſta uidentur, ſed potius eos qui quod iuſtum eſt faciunt. Reliquum eſt quartum crimen maximum temulentia, non leuis, ſed nimia. nam uino madere idem ſignificat hic quod hauſto ueneno dementiã creante, ſcilicet ruditate, tumeſcere, accendi, arderéq;, nec poſſe reſtinguere, ſed cõflagrare, populante totam animam incẽdio. ideo merito ſequitur ultio, purgans mẽtem ab omnibus improbis moribus. dicitur enim: Tolles illum malum, non è ciuitate, aut regione, aut gente, ſed ex uobis ipſis. nam in nobis ipſis inſunt & quaſi foueas ſibi fecerunt cogitationes culpabiles ac reprehendendæ, quas neceſſe eſt excidere quando curam reſpuunt. Hunc igitur contumacem, proteruum, ſermones uериſimiles ceu ſymbola conferentẽ in perniciem honeſtatis, mero ardentem & debacchantem in uirtutes, & ſeipſum quoq; lædentem enormiter per temulentiam, æquum erat habere parentes accuſatores pro aduocatis: quorum eſt officium omnem admonitionem caſtigationemq; adhibere ſanabilibus. patris autem matriſq; ut communis appellatio, ſic uires diſtinctæ ſunt. proinde rerũ opificẽ patrem quoq; ſuæ creaturæ iuſte poſſumus dicere. matrem autem, ſciẽtiã ipſius, cum qua congreſſus deus, non humano more, proſeminauit creaturã. illa uero dei ſemine conceptо, enixa eſt iuſto partu unicum illum dilectum ſenſibilem filium mundum hunc. Quapropter à quodam diuino uiro inducitur ſapientia de ſeipſa loquens in hunc modum: Deus creauit me primam operum ſuorum, & ante ſecula fundauit me. Neceſſe enim erat ut mater nutrixq; omniũ rerũ creaturas omnes ætàte antecederet. horum igitur parentum accuſationẽ quis ferre poſsit? imò ne mediocrem quidem comminationem, aut leuiſsimam incuſatiunculam. nam ne donorum quidem largitatis quiſquam capax eſt, ac fortaſſe ne mundus his quidem, ſed quaſi parua lacuna influente magno gratiarum dei fonte celerrime repleta ſupereffluit. & qui beneficia non poſſumus excipere, ultrices uires ferre poterimus? Verum hi rerum uniuerſarum parẽtes à præſenti ſermone ſemouẽdi ſunt. ſatius eſt ut conſideremus diſcipulos eorũ familiareſq;, qui curam & præfecturam animarũ ſortiti ſunt, duntaxat non auerſarum à muſis & docilium. patrem igitur dicimus illum maſculum perfectũ rectumq; ſermonẽ: matrem uerò diſciplinam illam encyclicã, æqualem choreæ more ac rotundam, quibus tanq̃ parẽtibus obedire bonum eſt atq; commodum. eius patris præceptum eſt, ſequi ac imitari naturam, nudã apertamq; ueritatem conſectando. eruditio uerò mater præcipit, inſtitutis iuſtis parere, quæ per ſingulas ciuitates, gentes, regiones, ſtatuerunt qui primi ueritatem tenuerunt, non tam re quàm opinione hominũ. hi parẽtes habent ordines quatuor filiorum. Vnus utriq; obſequitur, unus neutri, primo contrarius, ex reliquis uterq; imperfectus, alter patrem uehemẽter amat au-

ditq;

ditcp,matrem & huius monita negligit:alter contrà matris ut uidetur aman tior.huic ministrat omnia, de rebus patris minime solicitus. primus omniũ iudicio palmam auferet,cõtrarius repulsam patietur & perniciem. è reliquis alter secunda,alter ucrò tertia sibi uindicabit præmia:secunda qui patri obse quitur,qui matri,tertia.amatoris autem suæ matris, qui uulgaribus opinionibus ducitur,& per multimoda uitæ studia in omnigenas formas mutatur in morem Ægyptij Protei, qui quòd ingenio esset uersatili, nullam uerã certamq; habebat speciem, figura manifestissima Iothor est, effigies tumiditatis,ciuitatem ac rempublicam conuenarum miscellaneorumq; hominum uanis opinionibus elatorum euidenter exprimens. Cum enim ille sapiens Moses uniuersum populum animæ ad pietatẽ atq; cultum dei reuocaret,& mandata huius legesq; sacratissimas promulgaret, dicens:si eis inciderit controuersia,& uenerint ad me, dijudicabo singulorum causas, & componam iuxta leges ac præcepta dei:accedens iste Iothor opinione sua sapiens, diuinis bonis non initiatus, sed assuetus humanis ac corruptibilibus, concionatur, & leges scribit contrarias legibus naturalibus, opinionem respiciens, cum illæ ad res ueras referantur. attamen propheta & huius errorem miseratus, ad monendum ampliusq; docendum putat hominem, ut relictis inanibus opinionibus, constanter sequatur ueritatem. Nos, inquit, exempto & exciso è mente inani fastu migramus in regionem scientiæ,quæ nobis certo debetur ex fide diuini oraculi. proficiscere nobiscum, & bene tibi faciemus. reijcies enim damnosam opinionem, pro qua lucraberis ueritatẽ, qua nihil utilius. Verum iste hoc quoq; carmine nihil proficiente contra obstinationẽ, haud quaquam sequetur scientiam, propere ad suum inanem fastum recurrens. narratur enim respondisse inuitanti: Non proficiscar,malo in terram meam & gentem reuerti: hoc est, ad cognatam incredulitatem imbutam falsis opinionibus. Quoniam ueram fidem, amicam uiris fortibus non didicit. cum enim ad ostentationẽ pietatis dicit, Nunc cognoui magnum esse dominum præ dijs omnibus,suam ipse impietatem accusat apud peritos iudices. dictu n sunt enim:itáne homo impie nunc demum cognouisti, quam prius nesciueras omnipotentis magnitudinem? inuenisti quicquam quod antiquius sit quàm deus? possunt'ne posteri maiorum suorum uirtutem nescire? huius autem rerum uniuersitatis nónne princeps est conditor eius & pater? itaq; si nunc demum ais à te cognitum,ne nunc quidem nosti, quia non ab initio creationis.nec minus in simulatione deprehenderis, dum confers quæ non admittunt collationem,dicens te cognouisse maiestatem eius Qui est, superiorem dijs omnibus. nam si uere nosses cum Qui est, non crederes ullum alium esse deum nullius potestati obnoxium. Sicut enim sol exortu suo stellas abscondit, tanto suo splendore perfusis nostris oculis: ita quoties animæ oculi syncero,puro, fulgidissimoq; luciferi dei sensibili splendore irradiantur, nihil aliud possunt inspicere. affulgens enim eius Qui est cognitio nihil non illustrat,ut etiam quæ sunt per se splendidissima, collatione hac obscurentur. proinde cum falso nominatis dijs nũquam certum uerumq; comparare sustinuisset,si eum uere cognouisset:sed quia unum ignorabat, secutum est ut multos quãuis reuera nõ sint,esse crederet. in qua sententia nemo non

enim omnia muliebria desisse discimus ex oraculo, cum esset paritura progeniem, sine magistro docilem, appellatam Isaac. fertur etiam non habuisse matrem, marito cognata paterno tantum, non item materno genere. sic enim is de ea dicit: Reuera soror mea est, ex patre nō ex matre. Videlicet non ex materia sensibili, quæ iam consistit, iam dissoluitur, quæ mater, nutrix, altrixq́ creaturarum dicitur apud priscos cultores stirpis sapientiæ: sed ex omnium rerum autore patreq́. hæc igitur mulier extra totū corporalem mūdum promicans, & exhilarata diuinitus, pro risu habet humana fœdera, siue ad belli, siue ad pacis res pertinentia. nos autem à parum uirili effœminataq́ consuetudine cum sensibus, affectionibus, rebusq́ sensibilibus deuicti, cōtra nihil eorum quæ apparent, insurgere possumus: uerum ab omnibus his quæ occurrunt, uel inuiti uel sponte trahimur. quòd si noster exercitus non ualens patris mandata obire succubuerit, nihilominus subleuabitur auxilio matris, scilicet eruditionis mediæ, quæ iura legesq́ in alijs alias ciuitatibus instituit. sunt item quidam qui maternis rebus contemptis, paternas amplectātur totis uiribus, quos maximo honore sacerdotij dignatur recta ratio. horum acta si recenseamus, per quæ adepti sunt hoc præmium, cauillandi fortasse occasionem præbebimus imperitis, qui decepti obuijs rerum imaginibus, latentes in obscuro uires earum non considerant. nam qui uota, sacra, & omnes templi ceremonias tractant, sunt quod uix credas, homicidæ, fratricidæ, familiarissimorum ac amicissimorum interfectores, qui debuerant esse puri ex puris electi, nullo ne insciēter quidem patrato contacti scelere. sic enim dicit scriptura: Interficiat unusquisq́ fratrē suum, & unusquisq́ uicinū suum, & unusquisq́ proximum suum. & fecerūt filij Leui, sicut locutus est Moses, & ceciderunt è populo in illa die circiter tria uirorum milia. Tantæ multitudinis interemptores laudat dicens: Consecrastis hodie manus uestras domino, unusquisq́ in filio suo et in fratre suo, ut detur uobis benedictio. quid igitur dicendū, nisi cōmuni quidem iure hos reos fieri, accusante matre publica consuetudine: naturali uerò iure absolui, patrocināte patre sermone recto & rationabili. nec enim, ut quidā opinātur, uiros interficiūt sacerdotes, animalia ratione prædita, quæ constāt ex animo & corpore: sed quicquid est carni amicū à sua mente resecāt: quod existimēt decorū esse sapiētis legis cultorib. alienare se ab omnibus rebus genitis, & habere illas pro hostibus. proinde fratrē non hominē, sed corpus animæ germanū occidemus: hoc est à diuina parte studiosa uirtutis mortalem & affectibus obnoxiā separabimus. occidemus item propinquū, non hominē, sed sodalitiū. hoc enim animę & inimicū est & familiare, alliciēs eam in laqueos, ut affluxu rerū sensibiliū mundata & obruta nequeat ad cœlū caput attollere, salutareq́; naturas illas diuinas atq́; pulcherrimas. interficiemus & proximū. proximus aūt menti est sermo qui profertur, probabilibus rationibus intermiscēs falsas opiniones ad perniciē ueritatis rei preciosissimæ. cur enim nō plecteremus hunc quoq́ sophistam sceleratū, & quidē supplicio conuenientissimo, nempe silentio (nā sermonis mors est silētiū) ne posthac intellectus distrahatur eius argutijs: possitq́ omnino alienatus à uoluptatib. germani corporis, & propinquorū uicinorūq́ sensuum præstigijs, solutus & liber dimissus, pure uacare his quæ intellectu perci-

percipiuntur.hic est qui dicit patri matriq; mortalib.parẽtibus: nõ uidi uos ex quo res diuinas cõtẽplatus sum.qui nõ agnoscit filios,ex quo innotuit sapictiæ.qui agnoscit fratres quotquot non sunt abdicati à deo,sed saluari meruerunt per illius gratiã.hic est qui arrepto siromaste,quasi μαστίγας & scrutatus naturas corruptibiles,quæ in cibo potuq; felicitatem collocant, & ingressus fornacem(ut Moses inquit)accensam ardentemq; nimijs iniquitatibus,nũquam extinguibilem, uitam humanã uidelicet, potuit mulierem per uuluam transfodere,quòd uisa sit esse causa gignendi, ut quæ re uera patiatur magis q̃ agat:atq; etiam quemuis hominem substantijs affingentem affectus dei autoris rerum omnium. atqui hic homicida iudicaretur à multis qui libenter fauent mulierculis.sed deus pater omnipotẽs dignatur eum laudibus maximis,& nunquam auferendis præmijs.ea fuerunt ingentia,& quidem germanitate quadam cõiuncta, pax & sacerdotiũ. erat enim egregium facinus,profligatis hominum uulgi more uiuentium penè inuictis copijs,et cupiditatibus in animo ciuile bellum excitantibus, pacem constabilire: & ob hoc meritum non diuitias,non gloriam,non honorem,nõ principatum, non formam,non robur, non ullam dotem corporis, non terram, non cælum,non mundum uniuersum,sed antiquissimi numinis uerum cultum honore summo dignum,& mirificum ordinem sacerdotij modis omnibus expetendum accipere.germana aũt esse hæc præmia dixi non temere, sed quia scio non posse uerum sacerdotem fieri qui adhuc humanã & mortalem militet militiam, in qua uanæ opiniones ducunt ordines: sed requiri ad hoc uirum pacatum,à bello tam alienum,ut etiam sit pacificus,perpetuoq; pacẽ colat sincere ac simpliciter. tales sunt qui patrem & eius mandata magnifaciũt, materna uerò matremq; ipsam negligunt. Infensus autem utriq; parenti, sic loquens inducitur: Nescio dominum istum, nec Israelem emitto. Hic uidetur aduersari tum contendentibus recta ratione ad deum,tum indolem eruditione constabilientibus,confundere'q; cuncta modis omnibus.& sunt hodieq; (nondũ enim humanũ genus à mera malitia repurgatũ est)qui nec pietati erga deum,nec societati naturali hominũ quicq; tribuunt, utriq; impietatem præferentes,nec deo grati,nec fidi sui similibus:atq; ita oberrãt per ciuitates pestes earũ maximæ, præ curiositate miscentes se tam publicis q̃ priuatis negotijs,uel potius si uera dicẽda sunt,subuertẽtes utraq;: quos oportebat tanq̃ diros uotis placato numine auertere:sunt eñ pernicies omniũ in quos incidunt.quapropter & Moses decantat eorũ exitium, delectorũ prius q̃ ipsi sibi possent succurrere,&proprijs opinionibus absorptorũ tanquam fluctibus. Dicamus igitur deinceps de his contrario genere hominum, eruditionẽ rectamq; rationẽ colẽtiũ. ad quos collati dimidiati erãt qui alterius tantũ parẽtis uirtutes æmulabãtur. hi sunt & legũ,quas pater rectus & rationalis sermo tulit,custodes optimi,& morum fideles dispẽsatores, quos instituit eorũ genitrix eruditio.ab illo patre didicerũt honorare patrẽ uniuersorũ:à matre uerò,nõ contemnere iura publice recepta cõsensu ciuiũ. Quãdo igitur meditator ille Iacob exantlans uirtutis certamina, permutaturus erat aures pro oculis,uerba pro operibus,profectũ pro perfectione, benignissimo deo uolẽte illustrare mentis eius oculos, ut iam manifeste cerneret quæ

prius

prius auditu perceperat (oculis em̃ tutius creditur quàm auribus) insonuit ei hoc oraculum: Non nominaberis posthac Iacob, sed Israel erit nomẽ tuũ, quia cum deo ualidus fuisti, & cum hominibus. Est igitur Iacob discentis & proficientis nomen, pendentis ex auditus uiribus: perfecti uerò Israel. nam uisionem dei nomen id significat. & quæ uirtus potest esse perfectior, quàm eum Qui est uidere? ergo qui summum illud bonum uidit, laudatur à paterno maternoq; genere, fortis in Deo, robustus apud dominum & homines, quoniam per hæc duo simul integram illius boni possessionẽ adipiscimur. edoctus enim custodire leges patris, & iura matris nõ contemnere, audebis ingenue profiteri te obedientem patri filium, & placentem in conspectu genitricis. Annon satis est custodire iura probata genitis hominibus, societatis gratia: simulq; diuinas sanctiones, ob pietatis amorem? Quapropter fatidicus Moses per apparatum sacrorum, utriusq; rei perfectionem designat. nõ temere enim nobis arcã intus & extra laminis aureis induit, non temere summo sacerdoti duas stolas attribuit, & duas aras ponit, exteriorẽ ad uictimas, ad suffitus interiorem: sed uolens nos per hęc signa docere uirtutes utriusq; speciei. debet enim uir sapiẽs & intus in anima inuisibili, & in externis actionibus ornatus esse prudentia omni auro preciosiore: quoties aũt ab humanis studijs secedens eum Qui est solũ adorat, unicolorẽ ueritatis stolã induere, quam nihil mortale attigit. est enim linea: quę materia nõ enascitur è mortalibus: rursum quoties transit ad curam reip. deposita interiore alteram pictam & aspectu mirandã sumere. cum enim magna sit in uita uarietas, opus est uaria sapientia clauum tenentis gubernatoris. hic in ara seu uita cõspicua tergoris carnis cruoris & huiusmodi corporeorũ uidebitur magnam curã gerere, ne uulgarẽ multitudinẽ offendat, quę bona corporis facit animi bonis proxima. in interiore uero omnibus rebus incruẽtis, incorporeis, nõ carneis, nec nisi rationalib. utetur, quę per thus suffimentaq; significantur. nam ut hæc nares, sic illa totam animã explent sua fragrantia. Sciendum tamen q; sapientia cum sit ars artiũ, uidetur quidem uariari diuersis materijs, tamẽ ueram suam speciẽ immutabilem ostendit acuto uisu præditis, & his qui nõ circumfusa ei rerũ mole distrahũtur, sed ab arte ipsa impressum ei characterem perspiciunt. Ferunt Phidiam illum statuarium ex ære, ebore, auro, alijsq; diuersis materijs confecisse statuas, in quibus omnibus una eademq; ars emineat: ut non solum eruditi spectatores, uerum etiam ualde imperiti opificem agnoscant ex ipsis operibus. quemadmodum enim in gemellis natura eodẽ sæpe usa charactere penè indiscretas similitudines exprimit: pari modo etiã perfecta ars, cum sit naturæ imago & effigies, quando assumit diuersas materias, format et imprimit eandem cunctis ideam, ut hac maxime ratione fiãt cognata germanaq; ac gemella eius opera. idem igitur efficiet ea quæ inest sapienti potẽtia. tractans enim de eo Qui est, pietas nominatur & sanctitas: cum autem de cælo disserit rebusq; cælestibus, physiologia: meteorologia uerò, cum de aere uarietatibusq; huius & mutationibus, siue per integras uices anni quadripartiti quas horas nominant, siue per singulos mensium dierumq; circuitus contingentibus. ethica uerò cum de corrigendis morib. hominum: cuius species sunt, politica ad reip. curã, et œconomica ad rei familiaris

ris pertinens: atq; etiam sympotica, tractans epulas ac cõuiuia. rursum alia facultas est regia, regendis apta hominibus: alia legislatoria, quæ uetat aut pręcipit. omnium enim horum sapiens, uere πολύφημος, id est multinominis, capax est, pietatis, sanctitatis, physiologiæ, meteorologiæ, moralis, ciuilis, domesticæ, regiæ, legislatoriæq; scientiæ, & innumerarũ aliarum facultatum, in quibus omnibus unam eãdemq; speciem habere uidebitur. in hac aũt de quatuor prognatorũ ordinibus mẽtione illud præterire nõ libet, quod confirmat hanc diuisionẽ partitionemq; capitũ. nam fastuosum hunc & per stultitiã inflatũ filiũ parẽtes hoc modo accusant, dicendo: hic noster, digito indicantes inobędientẽ contumacemq;. ubi demonstratiue dicẽdo hic, declarãt se & alios genuisse, hoc est indoles generosas aut alteri parenti obsequentes aut utriq;, quorũ exemplum est Rubim. alios audiendi discendiq; cupidos, quorũ est Simeon. nam hic auditus interpretatur. itẽ alios dei supplices, quale est leuitarum sodalitium. item nonnullos canentes sonora non tam uoce q̃ mente hymnum gratijs agendis compositum, quorum præcentor Iudas, propter uirtutẽ quæsitam labore uoluntario. quosdam item mercedibus dignatos & muneribus, ut Issachar. alios cõtemplatores cælestis numinis post derelictas sublimes considerationes Chaldaicas, ut Abraham. alios à seipsis uirtutẽ doctos, ut Isaac. item consilio uiribusq; pollentes amicos dei, ut Mosem illum perfectissimum. Merito igitur istum contumacem, proteruũ, symbola conferentẽ, id est peccata peccatis annectentẽ, magna minoribus, recentia ueteribus, uoluntaria non uolũtarijs, & tanq̃ uino calentẽ, per totam uitam ebriũ debacchantẽq;, ut qui stultitiæ merũ magnumq; hauserit calicẽ, lapidari sacra lex iubet: quia & recti sermonis mandata patris sui, & disciplinę matris suæ legitimas admonitiones sustulit: cumq; haberet fratres probos exemplum honestatis domesticũ, ne horũ quidem uirtutẽ imitatus est, etiã præuaricari ausus, ut corpus deũ sibi fingeret, & Typhũ Ægyptio more coleret, cuius signum erat iuuẽcus aureus: circa quem choreas ducendo insani, carmen concinunt, non suaue, quale in comessationibus, epulis, festisq; cõpotationibus, sed reuera lugubre funestum, tanq̃ temulenti, multoq; Lyeo laxati neruos animæ. Narratur enim quòd Iesus audito tumultu populi dixit ad Mosem: Clamor pugnantium auditur in castris. qui respõdit: clamor iste, quantum ego audio, non ad pugnam aut fugam hortator est, sed ad pocula. moxq; propinquior castris, uidet uitulum & choreas. Quid autẽ hoc ænigma significet, docebimus ut poterimus. Res nostræ nũc trãquillæ sunt & quietæ, nunc perstrepunt importunis tumultibus. cum silent, habent pacem: ediuerso bellum implacabile cum tumultuãtur. testis est qui hoc expertus didicit, tãto magis idoneus. audito enim strepitu populi, sic solicitũ eius curatorem ac præsidem alloquitur: clamor pugnãtium auditur in castris. nã prius q̃ in nobis excitarentur ad clamorẽ irrationales impetus, mẽs erat stabilior. postq̃ aũt animæ regio strepere cœpit dissonis uocibus, affectiones his excitatæ seditionem intestinam cõmouent. cæterum castra ad bellum nata uidentur. ubi enim aliâs rixæ sunt & pugnæ contentionesq;, & cętera pertinacis belli facinora, nisi in hac uita quam in corpore agimus, quod allegorice castra nominat. hæc castra solet intellectus relinquere, quãdo numine correptus

reptus ad eum Qui est accedit contemplaturus ideas incorporeas. Tollens, inquit, Moses suum tabernaculum, tetendit extra castra, non prope, sed procul. qua figura subindicatur, sapientem migrasse à bello ad pacem, & à mortali confusoq; exercitu ad pacatam rationalium feliciumq; animarum uitam diuinam. dicit autem et alibi: cum exiuero ciuitatem, expandam manus meas ad dominum, & cessabunt clamores. caue autem putes hæc loquentem hominem esse ex anima corporéque contextum, siue complexum, siue contemperatum, aut quomodocunq; tandem nominandum est hoc compositum animal, sed mentem sincerissimam purissimamq;: quę tantisper dum in ciuitate corporis mortalisq; uitæ continetur se contrahit, & tanquā carcere inclusa, fatetur se non posse haurire liberiorem aerem. quòd si contingat eam ex hac ciuitate exire, quemadmodum qui manicis pedicisq; ferreis soluuntur, sic solutos habens conceptus animi cogitationésque, liberis dimissisq; utetur etiam actionibus, ut mox affectuum incitamenta cohibeantur. Annon uoluptatis intēsi clamores sunt: per quos quicquid libet impetrat? annon & concupiscentiæ ferrea uox: minaciter flagitantis ministeria cessantium? annon et aliorum affectuum multisonus est et clamosus strepitus? Verum etiamsi centum ora centúmque linguas (ut poetæ loquuntur) unusquisque affectus habeat, ne sic quidem aures uiri perfecti perturbare poterit, qui iam migrauit nolens in eadem cum eis ciuitate habitare amplius. cæterum dicente illo cui tale quid accidit, corporeum exercitū perstrepere bellicis clamoribus procul pulso pacis amico silentio, sacer sermo assentit. non negat enim clamorem esse bellicum, alterius tamen generis putat quam nonnulli existimant, scilicet non cedentium aut urgentium, sed qualem nimio uino grauati solent attollere. quod enim dicit, ad pugnam hortantium, perinde ualet ac si diceret, prælio uincentium. nam ualida pugna parit uictoriam. sic sapientem illum Abraham post fusos fugatosq; nouem reges, uidelicet quatuor affectus & quinq; sensus, qui præter naturam mouebantur, inducit scriptura hoc hymno confitentem & agentē gratias: Extendo manus meas ad dominum deum excelsum, creatorem cæli & terræ: si à funiculo usque ad corrigiam caligæ accipiam ex omnibus quæ tua sunt. ostendit aūt, quantum equidem intelligo, creaturam omnem, cælum, terram, aquam, spiritum, animantes simul & stirpes. quisquis enim ad solum deum tendit animæ uiribus & ab eo iuuari sperat, merito dicit, nihil accipiā ex omnibus rebus quæ tuæ sunt. non à sole diurnam lucem, non à luna cæterisq; sideribus nocturnum lumen, non ab aere nubibusq; pluuias, non ab aqua & terra potum cibumq;, non ab oculis uisum, non auditum ab auribus, non à naribus odoratum, non ab oris saliua gustum, non à lingua eloquium, non à manibus dandi recipiendiq; facultatem, non eundi redeundiq; à pedibus, non respirationem à pulmone, non concoctionem à iecore, non ab alijs uisceribus suum cuiusq; usum, non ab arboribus satisq; fructus annuos: sed omnia hæc ab illo solo sapiente, qui gratuitam suam benignitatem largissime distendit per omnia, atq; ita prodest omnibus. quisquis igitur eum Qui est potest cernere, & hunc rerum autorem agnoscit, creaturas eius minus quàm ipsum honorabit, absq; adulatione dotes earum confitens. est autem confessio iustis-

sima hæc ipsa: nihil à uobis, sed à deo totum accipiam, cuius possessio sunt omnia: tamen per uos fortassis accipiam. estis enim instrumenta immortalis eius gratiæ. at inconsideratus cæcam habens mentem qua sola Qui est cernitur, hac quidem nihil usquam uidet. sed quæ in mundo sunt corpora complectitur suis sensibus, putans hęc esse causas omnium. quamobrem aggressus deos sibi fingere, simulachris, delubris, & alijs innumeris statuis ex uaria fabrefactis materia repleuit orbem terrarum habitabilem, pictores fictoresque, quos legislator noster exterminat è sua rep. inuitans propositis ingentibus pręmijs tum priuatim tum publice: unde pręter expectationem pro sanctitate inuecta est impietas. multorum enim deorum cultus in animis insipientium fit impietas, & honorem dei negligunt qui mortalia consecrant: quibus non satis fuit solis lunæq; pro libito, atq; etiam telluris & aquæ uniuersæ imagines effingere, sed iam brutis quoq; ac stirpibus promiscue diuinos honores concedũt. eos quomodo hymni uictorialis autor increpet, iam ostendimus. Moses quoq; pariter postquam uidit regem Ægypti, iactantissimum illum intellectum, cũ DC. curribus, id est instrumentalis corporis sex motibus, & eum triumuiris eorum pręfectis, qui etiamsi nihil in rebus sit stabile, tamen putant de cunctis sentiẽdum tanquam certis & immutabilibus: hos tãquam ubi uidit meritas impietatis pœnas luisse, et suum exercitum in cursationem effugisse hostium, egregie præter opinionem seruatum, hymnũ cani deo iusto ueroq; remuneratori, à decentissimo & huic felicitati aptissimo exorsus carmen: quòd equum & insessorem in mare proiecerit, & intellectum uectatum à proteruo quadrupede, id est bruti affectus impetu, deleuerit, succursor & protector factus perspicacis animæ, cui perfectam salutem impertijt. idem uates & ad puteum carmen occipit, non iam ob solum affectuum interitum, sed & ob acquisitam sapientiam possessionem incomparabilem, quam per puteum significat: quæ non in superficie sed in profundo habet laticem dulcem animabus sitientibus honestatis, necessarium potum ac suauissimũ. priuatis aũt nõ licet uel eruditionem haurire ex hoc puteo, sed solis regibus, quapropter dicitur: Saxo struxerunt eum reges. Est enim officium magnorum imperatorum ædificare sapientiam, non istorum qui armis terram & mare subigunt, sed qui animæ potentijs uarias in ea confusásque turbas depellant. horum discipulos atque familiares noscimus qui sic loquuntur: Pueri tui ceperunt summam uirorum bellatorum qui nobiscum sunt. nemo est occisus, sed adduxit donum domino quisque uir quod inuenit. uidentur hi quoque rursum uictoriale carmen occinere, perfectarum & principalium potentiarum cupidi. summarium enim & maximum numerum rationum fortitudinis à se captum aiunt: quos oportet bellicosos fuisse oppositos duabus legionibus: quarum unius dux est difficilis uenatu timiditas: alterius uero, furens audacia, utraque bonæ mentis expers. pulcherrime autem dictum est, neminem esse occisum, ad significationem integræ perfectæq; fortitudinis: sicut lyra & omne instrumentum musicum deficit, etiamsi unicus tantum sonus discrepet: concinnum uero est quando ad unum pulsum consonantes, eandem reddũt symphoniam. eodem modo et animæ instrumentum discrepat quidem quando aut audacia nimis intensum

sum sonare cogitur iusto acutius: aut timiditate supra modum remissum in grauiorem sonum laxatur. tum uero demum consonat, quando fortitudinis omnisq; uirtutis toni contemperati omnes unam concinnam melodiam efficiunt: cuius symphoniæ concinnitatisq; magnum argumentum est, quòd offertur donum deo. hoc autem est colere conuenienter eum Qui est, aperte confitendo ipsius donum esse hoc uniuersum quicquid rerum natura cōtinet. dicit enim appositissime, Vir quod inuenit, hoc obtulit donū. Vnusquisque nostrum quamprimum natus est inuenit magnum donum dei totum mundum, quem ille ibi & suis charissimis largitus est. sunt autem etiam particularia dona, quæ & deum dare decet, & homines accipere, nimirum uirtutes, & his conuenientes actiones: quarum inuentionem plusquam extemporalem, propter eximiam largientis celeritatem qua uti solet, nemo nō miratur, etiam in eo qui nihil præterea magnum habeat. ideòq; rogat, Quid hoc tam cito inuenisti fili, miratus affectus boni celeritatem. ille uero qui accepit beneficium, conuenienter respondet, Quæ dominus deus tradidit. trāditiones enim & præceptiones hominum tardæ sunt, quas autem deus facit, celerrimæ, ut etiam temporis motum ocyssimum præueniant. Hi sunt igitur duces qui ad fortitudinem et uim hortantes uictorialem ac gratulatorium hymnum auspicātur in choro, de quibus modo diximus. alij uero qui ob fugam & imbelles animos clade accepta lugubre canunt carmen, non tam uituperandi quàm miserandi; haud secus ac qui à natura oblæsum corpus habent: quibus uel mediocris languoris occasio magnum ad incolumitatem affert impedimentum. alij uero non quod molliores animi neruos habeant succumbunt inuiti, oppressi aduersariorum ualidioribus uiribus: sed more uoluntariam seruitutem subeuntium, ultro sibi acerbos dominos asciscunt quamuis ingenui. & ideo cum uendi non possint, miranda temeritate ipsi emunt dominos, idem faciendo quod solent isti ebriosi nunquam uino satiabiles. nam & hi uolentes non coacti magnam meri uim ingerunt, ut sua sponte sobrietate profligata ex anima sibi consciscānt delirium. ait enim, Vocem hortantium ad potationem ego audio: hoc est, non inuitos furore laborantes audio, sed ultro sibi accersentes insaniam. Omnis autem qui castris propinquat, uitulum uidet ac choreas, & mox ipse quoque commouetur. in typhum enim eiusque saltatores incidimus, quotquot prope corporea castra uolumus gradum sistere: quandoquidem contemplatiui homines & res incorporeas uisere desiderantes, cum sint ab omni fastu alienissimi, longissime remoti à corpore solent degere. proinde ora deū ne unquam hortator fias ad pocula: hoc est ne unquam sponte præcedas in uia ferente ad ruditatem & insipientiam. mala enim quę inuitis accidunt, dimidio leuiora sunt, cum non grauentur à sincera conscientia. quod uotum tuum si exaudietur, iam non eris priuatus amplius, sed honorem acquires maximum, nempe sacerdotium. solorum enim propemodum sacerdotum & dei cultorum est officium sine uino sacra facere: quòd uinum & quicquid creat delirationem, sanitati mentis sit contrarium. Locutus est, inquit, dominus ad Aaron dicens: uinum & siceram non bibetis tu & filij tui tecum, quando ingrediemini in tabernaculum testimonij, aut accedetis ad altare, & non moriemi

ni: legitimum sempiternum in generationes uestras, quo à profanis sancta, & ab impuris pura distinguantur. Aaron autem est sacerdos, quod nomen interpretatur mõtanus, sublimia celsaq; sapiens ratio, non per iactantię molem inani fastu turgidam, sed per magnitudinẽ uirtutis, quę mentem ultra cęlum attollens, non finit cogitare quicquam humile. qui autẽ sic affectus est, merum & omne uenenum insaniam afferens nunquã ultro sibi admouebit. incumbit enim ei necessitas ut aut sacrosancta tabernaculi penetralia ingressus secretis sacris operetur, aut ad altare accedens uictimas pro sua populiq; salute immolet. quę negocia sobrietate opus habẽt atq; solertia. me certe subit mandati huius admiratio. Sicut enĩ ueneranda res est, sobrios & sui compotes ire ad uota & sacrificia: sic ediuerso ridicula siquis corpore animóque præ uino labante id faciat. nisi fortasse quoties domini & parentes & principes adeũdi sunt, curare decet seruos et filios et subditos ut sobrij sint, nequid dicto factóue peccent, ne'ue pœnam incurrant, si uideantur dignitatem maiorum contẽnere, aut, si clementius cum eis agatur, certe irrideãtur: omnipotẽtem uero patrem aliquis adoraturus cibum, potum, somnũ, cęteraq; quorum usum natura postulat, nõ moderabitur? maleq; ad lautiorẽ uictum declinans imitari luxu perditos? & oculis nimio uino grauatis, uacillante capite, obliquata ceruice, crapulam ructãs totoq; corpore languidus, aquam abluendis manibus aut aras attinget ac uictimas? atqui tali non est fas uel procul sacros ignes intueri. quod si hæc intelligantur non de tabernaculo altariq; constructo ex uisibili & inanima & corruptibili materia, sed de illis inuisibilibus sola mente cernendis, quorũ ista sunt sensibiles imagines, tanto magis obstupescet ad huius precepti miraculũ. quoniam enim omniũ rerum aliud exemplar aliã imaginem fecit opifex: uirtutis quoq; archetypũ primo fecit, quo mox expressit characterẽ ei simillimum. quod quidẽ archetypum signaculum incorporeũ idea est: imago autẽ expressa corpus iam, sensibile quidem suapte natura: nondum tamẽ expositũ sensui: sicut in altissimi oceani gurgitibus enatũ lignum diceremus posse quidem uri, nondum tamen igni obnoxiũ, quippe marino humore madidũ. Ergo tabernaculum & altare intelligamus ideas, alteram uirtutis incorporeæ significatiuã, alteram sensibilis eius imaginis. altare quidẽ, & superimposita, uidentur facile: uel quia sunt in atrio foris, uel quia noctu ac interdiu perpetuis illustrantur ignibus. tabernaculum uero & quicquid eo cõtinetur, nõ patet oculis: non ideò tantum, quia situm in penetralibus, uerũ etiam quia propinquãti, aut curiosius intuenti, sine clemẽtia suppliciũ lex intentat: nisi quis integer sit & purus ab omni magna paruaq; noxa, omnibus naturæ dotibus præditus. nã huic permittitur, ut quotannis semel ingressus inspiciat nõ uidenda cæteris, quando in hoc uno incorporeum incorruptibiliúmque bonorum alatus amor cælestis inhabitat. is quando ab idea perculsus sequitur signaculum illud quod particulares uirtutes exprimit, considerando mirandóque pulchritudinem eius diuinissimam, ad quam accedit expressam ab illo archetypo, mox eum subit ruditatis & ineruditionis obliuio, succedente eruditionis ac scientiæ memoria. & ideo dicitur: Vinum & siceram non bibetis, tu & filij tui tecum, quando ingrediemini tabernaculum testimonij, aut ad altare accedetis. quæ

uerba nō tam interdicentis sunt, quàm decernentis pro sententia. nam inter dicens sic loqueretur: uinū quando sacrificabitis ne bibatis. qui uero sententiam profert, mauult dicere nō bibetis. non est em̄ possibile, ut inscitiam causam ebrietatis delirationisq́ animæ, in se admittat, qui iustitiā meditatur, & oblectat se per singulas uirtutū species. solet em̄ scriptura hoc uocare tabernaculū testimonij: siue quia uerax deus uirtutis testis est, cui non sine bono nostro credimus: siue quia uirtus confirmat animas, extirpans cogitationes incertas ac dubias: & in uita quasi pro tribunali ueritatē reuelans. Ait enim propheta non moriturū qui sobrius sacrificat: quòd ruditas mortē immortalitatem afferat eruditio. nam sicut nostris corporibus interitū morbus, incolumitatē affert sanitas: iisdem animas prudentia seruat, cùm ipsa sit mentis sanitas: imprudētia uero interimit, cùm sit morbus earū insanabilis. Addit aūt diserte, hoc legitimum æternū: docens nos immortalem hanc legē esse insériptam naturę tabulis, quæ pronunciat eruditionē rem saluberrimā, inscitiam uero causam morbi ac interitus. quin & hoc inde discimus, id quod uere legitimum est, consequenter æternū esse: quando & recta ratio, quæ legis uicem obtinet, non est corruptibilis. nam ediuerso quicquid iniquū, uix uno die durabile à seipso dissoluitur, confessione omniū qui sapiunt. proprium aūt legis & eruditionis est, profana à sacris, ab impuris pura discernere: sicut ediuerso iniquitatis & ineruditionis, inter se pugnantia cōfundere cōmiscereq́ omnia. Quamobrē & Samuel regum prophetarūq́ maximus, uinum et quicquid epotū inebriat, sicut sacra eloquia testātur, ad extremū usq́ diē non bibit. ascriptus est em̄ in diuinum exercitū, qui nūquam imperatoris sapientissimi prouidentia destituitur. is Samuel fuit fortassis homo, accipitur tamen non ut compositum animal, sed ut mens, solo dei cultu ac ministerio gaudens. interpretatur em̄ ordinatus deo, eo quòd actiones eas quæ à uana gloria proficiscuntur, grauem turbationem ordinis existimet. hic ex humana matre nascitur, cuius nomen interpretatur gratia. nam sine diuina gratia non est possibile uel deserere mortalia, uel immortalibus semper adhærere. cæterum quæcunque anima impleta fuerit gratia, gaudet confestim & ridet exultatq́. bacchatur enim, ita ut uulgo ebria uideatur insanire rapta extra se. & idem dicitur ad eam à quodam puerulo, non uno, sed à quolibet iuueniliter petulante; Quousq́ temulenta eas? aufer istam temulentiam à te. Solet enim correptorum numine non solum anima concitari ceu quodam œstro, sed & corpus erubescere incandescereq́ue, interno gaudio prorumpente in exteriora: quæ res multos insipientes decipit, qui sobrios uino madere autumant. est tamen quædam ebrietas etiam sobriorum, qui bona meraca hauriunt, & propinationes à perfecta uirtute accipiunt. cæterum qui temulenti sunt, ne degustant quidem prudentiam, qua abstinendo famem eius sentiunt continuam. merito igitur ad iuuenilem irrisionem uenerandæ austeręq́ uitę insultantem respondetur: Mulier dura dies ego sum, uinum aut potum inebriantem non bibi, & effundam animā meam coram domino. Ingentes opes animæ, quę gratijs dei plena est. primū duram diem uocat seipsam, respiciens illudentē puerulū. nam huic & cuiuis insipienti aspera, ardua, difficillimaq́ uidetur uia ducens ad uirtutē, sicut et quidā è priscis testatur dicēs:

Omnino uitium facile est contingere cuiuis.
Contrà uirtutem sudoribus undiq; diui
Præsepsere, & longus ad hanc perq; ardua callis,
Asper & est primum: sed ubi alta cacumina uictor
Contigeris, iam fit facilis, licet ardua dudum.

Deinde negat se uino & potu inebriante usam, & perpetua uitæ sobrietate gloriatur. nam obtinere cogitationē liberam, purā, immunemq; ab affectionibus perturbatricibus, res est profectò admiratione dignissima. Vnde fit ut intellectus sobrietate mera saturatus, semper & per omnia cū deo uersari properet. Quid enim aliud sibi uolunt illa uerba, Effundam animā meam in conspectu domini, nisi totam meipsam ei consecrabo? id fit quoties quis abruptis quibus prius stringebatur uinculis, quæ mortalis uitæ indiderant uana studia, exolutus omnibus, & intantum exspatiatus, extentus, effusúsque, ut uel ad extremos mundi pertingat terminos, ad pulcherrimam celeberrimamq; illam ingenii cōtemplationē penetrat. hic igitur chorus sobriorum est, eruditionem ducem sequentium: alter uero prior ebriorum, cuius princeps inscitia fuerat. Quoniam aūt ebrietas non solum delirationem significauit, natam ex ineruditione: sed & in totum sensus priuationem, quam in corpore nimium uinum producit, in anima uero ignoratio eorum quæ meritò scire deberent. superest ut dicamus paucis de ignorantia duntaxat ea memorando quæ sunt opportunissima. quis igitur est morbus corporis, cum quo conferenda sit ignorantia? aut cum cuius sensus priuatione conferri potest? certe qui oculis auribusq; mulctati sunt, nihil uel uidere uel audire ualent, diei lucisq;, propter quę sola (si uerū fatendum est) uitam expetimus, nescij: & in perpetuis tenebris sempiternaq; nocte habitant, surdi ad parua magnáque omnia: quos merito uita cōmunis impotentes solet nominare. nam etiamsi reliquæ corporis uires uniuersę incolumes sint & absolutissimæ, tamē supplantatæ ab orbitate oculorum auriúmque, magno casu corruunt, ut non amplius possint resurgere. id enim quod hominē fulcit, uerbo quidem pedes sunt, reuera autē auditus uisusq;: quos donec habet integros, erectus incedit, priuatus uero his, proclinatur & è medio tollitur. ijdē omnino ignorantiæ sunt effectus in anima, lædentis eius uisum auditumq;, nec lucem nec sermonem in eam intrare sinentis: hunc ne quid doceat, illam ne res indicet: atq; ita offusis irrationalib. tenebris profundissimis, ex formosissima animę specie surdum saxum redditur. nam ignorantiæ contraria scientia quodammodo animæ pro oculis est & auribus: quippe quæ & intendit animum in ea quę dicuntur, et res dispicit: nec unquā uel uidendo uel audiendo falli sustinet: sed quicquid auditu spectatúque dignum censet, considerat contemplaturq;: & si forte itinere terrestri aut nauigatione opus est, peruadit usq; terræ ac maris terminos, ut plura uideat, & aliquid recentius audiat. impigerrimus enī est amor sciētiæ, inimicus somno, amicus uigilijs. proinde semper excitans & acuens cogitationem, cogit eam obambulare omnia, auditū faciens auidum, & ingentē ei discendi sitim instillans. ergo scientia uisum auditumq; prębet, quibus freta bene se gerit anima. nam qui uidet auditq;, scit quid sit utile, & id expetēdo, fugiēdoq; cōtrariū, proficit. ignorātia uero gra

uis-

tiore quã corporis mulctationẽ animę inferens, omniũ peccatorũ causa fit: quando caret omni externa ope, ut quæ nec ipsa sibi prospicere potest, nec præmoneri ab alijs. proinde usquequaq; destituta, & derelicta à custodib. ac præsidibus, à quibusuis hominib. rebusq; patitur insidias. cauẽdũ igitur, ne unquam tantã meri uim ingeramus, ut sensus officiũ nõ faciant: néue tam lõge discedamus à sciẽtia, ut ignorãtia suas densissimas tenebras in anima possit spargere. Sunt aũt duo genera ignorantię: simplex alterũ prorsus sensu carens: alterũ duplex, cum quis nõ modo insciẽtia tenetur, uerũ etiam putat se scire quæ haudquaquã scit, elatus falsa opinione sapiẽtiæ. prius malũ est leuius, ut quod leuiora peccata gignit, pleraq; inuolũtaria. secundũ uero maius, ut quod maiora parit, nec solũ inuoluntaria, uerũ etiã iniqua de industria. talibus mihi uidetur Lot ille filiarũ genitor esse obnoxius maxime, qui masculum & perfectũ in anima germen educare nõ potuit. duas enim filias ex uxore in saxũ pòst mutata suscepit, quã non aberrauerit si quis appellet consuetudinem inimicam ueritati suopte ingenio, & quoties ab aliquo ducitur à tergo restitantẽ, respectantẽq; antiquas sodales, & in morẽ inanimæ statuæ remanẽtem in earũ medio. filiarũ aũt senior quidẽ uocabitur consiliũ, iunior uerò assensio. nam consilio comes est assensio, post assensionẽ aũt nemo consultat ulterius. mens igitur sedens in suo cõsistorio, solicitare filias incipit, & cum grandiore quidẽ consilio cõsiderat atq; scrutatur singula, cũ iuniore uerò assensione facile quibusuis annuit, ut infesta pro amicis cõplectatur, si modo uoluptatis esca inuitet uel minima. hæc aũt sobria quidẽ cogitatio nõ sustinet, sed occupata à temulẽtia, & uelut uino extra se rapta. ideo dicitur: potauerunt patrẽ uino, ut omnino impos fieret sensuũ. intellectus, qui prius uidebatur idoneus per se ad cõsultandũ de rebus utilibus, facile tamẽ quibusuis uerisimilibus ut ueris certisq; assentiẽs: cũ natura humana haudquaquã sufficiens sit manifeste quicquam dispicere, & uel quasi utile ac uerũ eligere, uel ut falsum ac inutile fugere. multũ enim tenebrarum offusum corporibus rebusq;, non sinit singulorũ naturã conspici: imò etiam si quis curiosior aut discendi cupidior conetur introspicere propius, tanquam luminibus orbati offensans, prius q̃ aliquid apprehendat prolapsus frustratur. nam ne prælucente quidem eruditione intellectus propriũ inde lumẽ sibi ualens accendere, ad res inspiciendas non tam iuuatur quã impeditur. sic enim natura comparatum est, ut paruus splendor extinguatur à magnis tenebris: quo extincto nulla est uisus utilitas. quisquis autem sibi placet uel consilio uel facultate discernendi inter fugienda et sequẽda, monendus est: si earundem rerum eædem & indiscretæ semper nobis imaginationes acciderent, fortasse necessario sequuturũ, ut quas nobis natura dedit iudicãdi facultates geminas, sensum & intellectũ, tanquam ueraces admiraremur, nec decipi faciles, quippe quæ primo aspectu quid expetendũ, quid fugiendum uideant. sed quoniam compertũ est nos aliàs aliter ab eis affici, non possumus quicquam certo asseuerare, cũ id quod apparet, non maneat firmum, sed in uarias subinde transformetur facies. necessum est enim ut instabilis imaginationis instabile sit etiam iudiciũ, idq; multis de causis: quarum prima est animalium non una tantum parte, sed plures penè quàm dici potest differẽtiæ, in generatione

horum & habitudine, in cibo & uictu, in his rebus quas expetunt & fugiũt, in sensuum actionibus & commotionibus, in corporum animarumq; innumerabilibus proprietatibus. nam ut omittamus ista quæ iudicant, inspice quædam ex his quæ iudicantur, ut chamæleontem & polypum. illum aiunt mutabilem colore semper loca referre in quibus degit: hunc uerò saxa quibuscunq; adhæserit, forsan à natura saluti eius prospiciente donatũ hoc uersatilis coloris remedio contra pericula. Vidistin' unquam columbæ ceruicem solaribus radijs expositam quàm multis modis colores uariet? puniceum, cæruleum, igneum, & carbunculi speciem referentem, pallentem item rubentemq;, & alios omnigenos, quorum ne uocabula quidem memorare sit facile. apud Scytharum quoq; gentem, quam Gelonos uocant, fertur mirandum animal, raro quidem, nasci tamen, tarandum nomine, magnitudine bouis, facie uero ceruo quàm simillimum. de hoc narrant, pilum eius omnia propinqua, siue arbores, siue alia, colore imitari, & per eam similitudinem fallere in quemcunq; inciderit, atq; ita magis quàm uiribus periculum à uenatoribus imminens euadere. hęc & similia certissimum argumentum sunt, nos non posse quicquam certò comprehendere. deinde ut omittamus animalia reliqua, soli homines immane quãtum in rebus omnibus inter se differunt, qui nõ modo aliâs aliter de ijsdẽ iudicant, sed & alij aliter, dũ ijsdem quidam delectantur, quidã offenduntur. nam quę his probantur, alijs displicent: quæ hi ultro accersunt ut domestica, alij procul in malam rẽ profligant ut alienissima. equidem forte fortuna theatrũ ingressus aliquoties, animaduerti ad unum carmen tragœdorum citharœdorúmue in scena certantium alios sic demulceri, ut non temperarent sibi quin assurgentes acclamarent et applauderent: alios non magis moueri hoc, quàm illos ipsos gradus saxeos quibus insisterent: alios in tantum offendi, ut è theatro se proriperent utraque manu compressis auriculis, nequid ex eo sono reliquum molestiam crearet fastidiosis animis. quid attinet ista dicere? unusquisq;, si ipsum per se cõsideres, quod uix est credibile, innumeras mutationes in corpus animamq; recipit, quæ modo expetierat fugiens, haudquaquam mutata, sed in eodem statu manentia. eadem enim aliter à sanis accipiuntur quàm ab ægrotis, aliter à uigilantibus quàm dormientibus, aliter à pubescẽtibus quàm senescentibus. imò qui stat alias quàm qui mouetur imaginationes concipit, alias intrepidus quàm timidus: item mœrens quàm gaudens, infensus quàm beneuolus. Quid opus uerbis prolixioribus? dicam compendio: quiuis corporis animæq; motus, siue iuxta naturam siue contrà factus, causa est ut quę apparent, mutari uideantur, inconsistentibus somnijs simillima. nec minima causa imaginationum inconstantiæ sita est in consideratione, in distantijs, in locis quibus continentur singula. an non uidemus in mari pisces extentis natantes pinnulis semper maiore specie quàm qua re uera sunt? itidem remos uel rectissimos, fractos in aqua uideri cõtingit. hæc longe falsissimas imagines obijcientia solent mentem decipere. interdum enim cum sint exanimata, putantur uiuere, & ediuerso quę uiuunt, esse mortua. item quæ stãt, moueri: quæ mouentur, stare. quæ accedunt recedere: quæ recedunt, accedere. breuia uidentur, quæ prælonga sunt: quæ angulos habent, diceres teretia:

retia: aliáque innumera fallunt aspectum, quibus nemo prudens tanquam certis subscriberet. quid qualitates factitiæ, in quibus addidisse detraxisséue aliquid multum profuerit aut obfuerit, præsertim in his quę tractãt medici? namq; horum compositiones recipiunt qualitates certis terminis dimensas & regulis, citra quas non licet consistere, sicut nec progredi ulterius tutum est. nam diminutio remittit eorum uim, sicut intendit additio. Vtrumq; aũt noxam affert: alterum ob uirium defectũ inefficax, alterum uiolente lædens prę nimietate earum. leuitates quoq; ac asperitates, densitates oppilationésque, & his contrariæ raritates apertionésq;, quantum ad auxilium noxámue conferant, manifestum est. Ac ne illud quidem ignotum, quòd penè nulla res, si consideres ipsam per se, intelligitur, sed collatione cum suo contrario examinatur, ut paruum collatum cum magno, aridum cum humido, frigidum cum calido, graue cũ leui, nigrum cum albo, infirmum cum ualido, parum cum multo. Similiter etiam quæcunq; ad uirtutem referuntur aut uitium, utilia noscũtur per noxia, honesta adhibitis ediuerso turpibus, iusta & in genere bona cũ iniustis et malis composita. deniq; quicquid aliud in uniuerso mundo consideraueris, ad eandem formulã iudicari comperies. Nam per se unumquodq; comprehendi non potest, sed cum altero comparatum uenit in noticiam. Quicquid autem de seipso testari non potest, egens alterius patrocinio, infirmam fidem habet. itaque sic quoque coarguuntur qui facile de quauis re uel negant uel asserunt. nec mirũ. nam si quis ulterius in res progrediatur, & collustret eas sincerius, sciet quod ne una quidem res iuxta simplicem suam naturam nobis occurrit, sed omnes multipliciter temperatæ mixtæq;. Colores sine mora comprehendimus. at quomodo? nónne foris cum aere ac lumine, intus in ipso uisu cum humido? dulce uero & amarum quomodo probaretur absq; oris humoribus? quid sapores grati naturæ uel ingrati? quid ex suffitu odores, num simplices sincerasq; naturas præ se ferunt? an potius mixtas ex ipsis & aere, interdum etiam ex igne liquante horum corpora, & ex facultate quę inest naribus? Ex his sane colligitur, nec colores à nobis percipi, sed temperaturam constantem ex subiectis & lumine: nec odores, sed mixturam quæ constat è corporum exhalationibus & omnium capace aere: nec sapores, sed id quod conficitur è re gustabili, & humore saliuaceo. Hæc cum ita se habeant, damnanda est stultitia, seu arrogantia, seu temeritas eorum, qui facile uel asserere, uel negare de quauis re sustinent. si enim simplices facultates absunt, mixtæ uero & collatitiæ nos frustrantur, impossibile est ut cernantur inuisibiles, & per mixta intelligatur uniuscuiusque forma, ad eam mixturam conferentis suam portionem. Quid igitur superest, nisi ut necessario suspendamus sententiam? Illa quoq; deterrent ne temere credamus incertis, quæ penè per totum orbem diffusa sunt, communem tum Gręcis tum barbaris in iudicando lapsum inducentia. quę nam? institutiones ab ætate tenera, consuetudines patriæ, leges antiquæ, ex quibus uniuersis in nullo consentiũt omnes, sed per singulas regiones, gentes, ciuitates, uicos denique ac domos, saltem uiri discrepant à mulierculis, & pueri à cæteris. Nam quæ nobis turpia uidentur, illis honesta: quæ decentia, illis indecora: iniqua iusta, impia sancta, legitima illegitima, uituperanda

randa laudabilia, punienda honore digna, & cætera decernuntur contraris. Sed quid opus est his immorari prolixius, cum reuocent nos magis necessaria? quod si quis uelit omissis alijs recentioribus spectaculis, inquirere in præsens capitulum diligentius, & examinare singillatim, educationes, mores, leges, regionum, gentium, locorum, ciuitatum, subditorum, principum, clarorum, obscurorum, liberorum, seruorum, doctorum, indoctorum, non unam alteramq; diem, nec mensem aut annum, sed totam uitam in hoc conteret uel longissimam: nihilominus pleraq; considerationem eius effugient. cum igitur alij ab aliorum iudicio non modicum distent, & adeo discrepēt, ut pugnent etiam inuicem, necessario consequitur ut etiam allabentes imaginationes rerū differant inter se, & pugnantes sint de his sententiæ. quæ cum ita sint, quis est tam demēs & delirus, ut certo affirmare audeat, hoc aut illud esse iustum, prudens, honestum, utile? quicquid enim hic decreuerit, alius irritabit meditatus à teneris unguiculis contraria. Equidem non miror si miscellanea confusaq; turba, morum legumq; utcunq; inductarum serua, ab in cunabulis obedire his haud secus ac dominis atque tyrannis assueta, & animam contusa colaphis, nihil magnum & uirile ualens sapere, credit acceptis semel maiorum traditionibus: & mentem sinens inexercitatam, sine scrutatione ac examine uel affirmat uel negat. philosophos quos uocant miror, quorum pleriq; simulantes se uenari manifestam in rebus certitudinem, cateruatim diuisi, decernūt dissona, interdum etiam contraria, non de una qua piam haud magni momenti re, sed propemodum de omnibus magnis paruisq;, de quibus solent quærere. cum enim hi mundum infinitum inducant, illi finitum: hi creatum affirment, illi negent: hi sine præside principeq; temere arbitratu suo ferri eum contendant, illi credant prouidentia curaq; mirifica & uniuersum & partes eius deum regere ac gubernare ita ut in tuto sint: qui fieri potest ut de subiectis rebus eosdem conceptus habeant? iam quę in natura boni consideranda imaginationes obueniunt, nonne suspendere assensionem potius quàm assentiri cogunt? dum alij bonum esse censent solum honestum, idq; reponunt in anima: alij diuidunt hoc in quasdam minutias, & usq; ad corpus externaq; protendunt. hi dicunt felicitates à fortuna concessas, corporis esse satellites, ut sanitatem, robur, integritatem, omnium sensuum, & huiusmodi cætera stipantia regiam animam. cum enim tres sint bonorum ordines, tertium & extremum secundi & medij propugnatorem esse: secundum uero primi munimentum protectoriumq; factum maximū. De his ipsis, & de diuersis uitæ rationibus, de finibus ad quos actiones omnes dirigendæ sunt, deq; alijs innumeris quæ tractantur in rationali morali naturaliq; philosophia, disceptationes nascuntur ineffabiles, de quarum nulla in hodiernum usq; disceptatores isti consentiunt. merito igitur cum duabus filiabus, consilio assensioneq;, coniunctus & unà cubans intellectus, ignorantia laborare inducitur. dicitur enim, & nesciuit quando accubuerūt, aut quando surrexerunt filiæ. nam nec somnum nec uigiliam, nec quietem, nec motum uidetur certo comprehendere: sed etiam cum optime consuluisse putatur, inconsultissimus deprehenditur, rebus ad expectatum finem non peruenientibus: & quoties subscribere quibusdam ut ueris placuit, fa-

cilitatis

cilitatis incurrit infamiam, quamprimum comperiuntur incerta dubiáque, quibus prius crediderat ut certisſimis: itaq; cum negocia soleant contra opinionem cadere, nihil tutius fuerit quàm assensum suspendere. Hactenus de his, nunc uertamus sermonem ad sequentia. diximus suprà temulentiæ nomine significari etiam illud quod multis sæpe attulit noxas maximas ignaui uentris studium, cui deditos uidere licet, etiamsi omnes corporis lacunas explevrint, adhuc tamē inexpletas ac inanes habere concupiscētias. isti quanuis præ saturitate distenti ad modicum tempus tanquam athletæ lassi respirent: tamen mox ad idem certamen reuertuntur. Proinde rex Ægyptiæ regionis, id est corporis, paulo ante infensus uisus pincernæ ministro temulentiæ, mox ei reconciliatus in sacris libris introducitur, gliscente concupiscētia tactus eius desiderio, idq; in die natiuitatis corruptibilis, non in incorruptibili luce illius ingeniti luminis. dicitur enim fuisse dies natalis Pharaonis, quando è carcere principem pincernarum reuocauit ad ministeriū. hoc enim proprium est amatori corporis, ut præclaras putet res natas & corruptibiles, eo quod densisſimis tenebris præpediatur quo minus noscat incorruptibiles. ideo statim principum uoluptatem temulentiam, eiusque ministrum beneuolentia complectitur. Sunt autem luxuriantis animę tres familiares cubicularij, princeps pistorum, princeps coquorum, princeps pincernarum, quorum admirandus ille Moses sic meminit: Et iratus Pharao duobus eunuchis, pistorum principi & pincernarum principi, misit eos in carcerem principis coquorū. est aūt & coquorū princeps eunuchus. dicit enī alibi: Abductus est Ioseph in Ægyptū, & emit eū eunuchus Pharaonis princeps coquorum. & rursum: Vendiderunt Iosephum spadoni Pharaonis coquorum principi. sed cur nec uiro nec mulieri committuntur dicta officia? An quia seminare uiris, semen excipere mulieribus à natura datū est, ex quorum congressu & natiuitas omnium & generis conseruatio prouenit. sterilis autem castratæq; animæ officium est gaudere pistorijs operibus sumptuosis atque poculis, & curiosis condimentis cupediariorum: ut quæ nec uirtutis uere masculum semen emittere ualeat, nec emissum excipere nutrireq;, sed tanquam exile saxosumq; aruum, tantummodo apta sit ad corrumpendum ea quę semper uiuere debuerant. Hic decretum statuitur communiter omnibus utilisſimum, quòd quiuis opifex uoluptatis non gignit sapientiā: cum nec mas sit nec fœmina: & cum nec indere nec excipere sit idoneus semina ad immortalitatem facientia. meditatur quod turpisſimum est in uita exercitium, ut corrumpat incorruptibilia, & extinguat insitos naturæ igniculos inextinguibiles. talium nulli Moses permittit ingredi ecclesiam dei. interdicit enim ne spado & exectus ingrediatur in ecclesiam domini. quid enim non ualenti sapientiam gignere profuerint sacræ conciones auditæ, cui fides execta est, nec potest seruare depositum utilisſimorum uitæ dogmatū. proinde tres sunt qui curant conuiuium humani generis, princeps pistorū, pincerna, cupediarius. merito, quia sunt tria quibus uti & frui cupimus, cibi cupediæ, potus. sed alij contenti sunt solis necessarijs, quæ ad salubriter liberaliterque uiuendum requiruntur: alij quærunt immodica, nimia, superflua, quæ appetitus excitant, & corporis lacunas multitudine onerant ac opprimunt,

munt, magnos & uarios morbos parere solita. Et uulgus quidem uoluptati, concupiscentijs affectibusq; deditorum, sicut in ciuitatibus plebeij, non inuidiosam uitam uiuentes, & paucis rebus opus habentes, non egent uarijs curiosisq; ministerijs, contenti simplicibus coquis, pincernis atque pistoribus. qui autem putant se imperare ac regnare in uiuendo suauiter, & ad hunc scopum omnia minora maioraque referunt, dignos se æstimant ministris principibus coquorum, pincernarũ, pistorumq;, hoc est in unoquoq; horum absolutissimis. nam placentarum, popanorum liborumq; uaria genera, non materijs tantum, sed & modis conficiendi formisq; diuersa, non tantum ad gustum, sed et ad aspectum illiciendum curiose inuenta, exercent pistores eximios. examen autem uini in lotium abeuntis facile nec lædentis caput, aut contrà augentis sanguinem, & olentis suauiter, multum parumue aquæ ferentis, & ad uehementem intensámque, aut remissam lenemq; potationem facientis, cæterorúmq; similium, ad pincernarum præfecti officium pertinet, in hac arte absolutissimi. cæterum pisces auesq; & id genus alia parare, & obsonia condire callent insignes cupediarij, non tantum quæ auribus didicerunt & oculis, uerum etiam quotidianis experimentis, dum uitæ delicatę ac tenellæ, sed non optandę, semper noui aliquid excogitant. quos omnes eunuchos esse steriles sapientiæ docuimus. is autem cui reconciliantur, uenitis rex intellectus pincerna est. nam suapte natura genus humanum est ad uinum procliue quo uix unquam saturatur, quando somno, cibo, coitu, similibusq; rebus nemo non expletur, mero autem non item, præsertim qui exercent hoc studium. bibendo enim sitiunt, incipientes à minoribus cyathis: procedente uero potatione iubent pincernas in maiores infundere calices, postquam incaluerũt iam parum sui compotes, infundibula, crateras, amystides integras exhaurientes, & merum ingurgitantes, donec profundus somnus occupet iam nec seipsos nec quæ ingesserunt continere ualentes, regurgitante potu nimio. & tamen sic quoq; insatiabilis appetitus, tanquam famelicus, furere non desinit. uitis enim Sodomorum uitis eorum est, ut inquit Moses, & palmes eorum è Gomorra. uua eorum uua fellis, & botrus amaritudinis ipsis. furor draconum uinum eorum, & furor aspidum insanabilis. Sodoma orbitas siue cęcitas interpretatur. uitis autem hæc eiusq; fructus, significat homines uinolentia, gula, turpissimisq; uoluptatibus perditos. cæterũ quod latentius subindicatur hoc est: ueræ lætitiæ nullum germen in anima sui amante insitum esse, quod talis sanas radices non habeat, sed incendio redactas in cinerem, in qua pro aqua fulmineis flammis, deo iuste animaduertente in impios, cælum plueat inextinguibilibus. non deesse tamen in ea concupiscentiæ plantas maximas, honestatis steriles. quandoquidem is affectus exardescit in omnia aspectatu digna, conferturq; eum uite: non istà matre mitium fructuum, sed ea quæ amaritudinem, maliciam, uafriciem, iram, furorem moresq; irritabiles proferre solet, mordẽs animam in morem uiperarum et aspidum, uenenatos morsus et omnino incurabiles habentium: quos deprecamur uotis assiduis, obsecrantes deum clementissimum, ut siluestrem hanc uitem eradicet, ejciatq; omnes eunuchos & uirtutis steriles in perpetuum exilium: & pro his in animis nostris mites plantas inserat

inferat per disciplinā rectā, largiaturcꝫ nobis fructus ac rationes uere mascu las, à quibus seminari possint actiones honestæ, & uirtutes incrementū acci pere, ut cū felicitate habeamus conseruemuscꝫ sempiternam consuetudinē.

PHILONIS IVDAEI
DE HIS VERBIS RESIPVIT NOE.



OSTQVAM ea quæ de ebrietate secutacꝫ hanc nuditate legislator dixit, enarrauimus, accedemus ad ea quæ deinceps coniuncta sunt. sic enim in sacris literis scriptū sequitur: Resipuit Noe à uino, & cognouit quicquid fecerat ei filius natu minimus.] Sobrietas non solum animabus, uerum etiam corporibus, omnium confessione utilissima est. nam & infirmitates arcet, è nimia repletione nasci solitas, & sensus mirifice acuit, nec sinit corpora plus iusto grauate corruere: sed attollit ea simul & subleuat, reuocans ad officia propria, omnibus eorū partibus opportunissima. In summa, quantorū malorū autor est ebrietas, tantorum ediuerso bonorum sobrietas. ergo quando quidem etiam corporibus, quibus peculiariter uini potus prodest, amica est sobrietas, nónne multo magis animabus? à quibus omne mortale alimentum alienum est. quid enim sobria mente prǣstantius est apud homines? quę gloria? quæ diuitiæ? quod robur? quæ potentia? denique quid aliud ex his quæ mirantur homines? adsit modo animæ oculus, qui totus collustrare omnia ualeat, nulla sui parte suffusus humoribus, aut nictatione impeditus. tunc enim acutissime cernens, ipsumcꝫ intellectum & prudentiam intuens, occurret simulacris intelligibilibus, quorum spectaculum demulcens animum non sinet posthac flecti ad quicquam sensibile. Et quid mirum si animæ sobrię cernenticꝫ acutissime nulla creatura potest ęquari honore? quando corporei quoque oculi, & lux ista sensibilis apud nos omnes habetur in honore maximo? quamobrem multi uisu amisso, uitam etiam ultro abiecerunt, existimantes mortem malum esse cęcitate leuius. quanto igitur anima præstantior est corpore, tanto mens præstat oculis, quæ si illæsa sit & expers noxæ, à nulla iniquitate temulentiæ simili oppressa, somnū quidem ablegabit causam obliuionis officiorum atque pigritiæ: uigiliam autem complexa cernet acute quicquid spectatu dignū fuerit, excitata à memoria, & occupata actionibus tali cognitioni cōgruentibus. Talis est constitutio sobrij hominis. cęterum iuniorem filium dicens, non ætatis nomen scribit, sed quales moribus præditi sint rerum nouarum amatores indicat. alioqui quomodo non uidenda uidere cōtra ius fascꝫ conatus esset, aut silenda eloqui, aut domi cælanda proferre in propatulum, & transilire animæ terminos, nisi per curiositatem ausus fuisset quod nemo antea, deridens casus alienos, qui debuerat ingemere, nec cauillari in tali re postulante reuerentiā uultum que seriū. hic certe mos est legislatoris, ut & prouectos ætate appellet iuuenes, & eos qui nondum senuerunt, seniores: non respiciens annorum nume-

rum, aut tempus breue longúmue, sed in potētias animæ, quæ mouetur in melius aut deterius. Ismaelem pene uigesimū annū agentē, cum uirtutibus perfecto Isaac collatū, nominat puerulū. Sumpsit, inquit, panes & utrem aquæ, & dedit Agar: imposuitq; super humerū eius, & puerulū: quando eos è domo ablegauit Abraam. ac rursum: Proiecit puerulū sub una abiete. &: Non uidebo mortem pueruli. atqui ante natū Isaac annū tertiumdecimū egressus Ismael circumcisus est: et post alterius iā septennis ablactationem, ne spurius cum legitimo ex æquo luderet, unà cū matre pulsus est. & tamē quamuis iuuenis uocatur puerulus, sophista ipse collatus cū sapiente. Isaac enim sapientiam, Ismael sophisticam sortitus est, sicut utriusq; personam in quibusdam dialogis exprimimus. nam sicut se habet admodū puer ad uirū perfectū, sic se habet sophista ad sapientē, & disciplinæ encyclicæ ad uirtutis scientias. In cantico etiam maiore populū uniuersum ad res nouas proclinantē insipientis & infantis ætatis nomine pueros uocat. Iustus, inquit, & sanctus dominus: peccauerunt ei pueri eius reprehensibiles, generatio praua & peruersa, hæccine redditis domino? itáne populus stultus est & nō sapiens? Annon apte alloquitur homines probrū habentes in anima, per stultitiā ac dementiam sæpe labētes in rectę uitæ actionib. non puerilem ætatē corporis aspiciens, sed ad mentis infantiā expertē rationis ac ueritatis. ad eundē modum & Rachel, id est formositas corporis, iunior quàm Lia pulchritudine animę describitur. nam illud mortale, hęc immortalis est. et quicquid preciosum uidetur sensibus, à sola pulchritudine animæ ut imperfectū uincitur: quapropter & Ioseph iuuenis semper ac natu minimus dicitur. cū enim pręficitur gregibus unà cum germanis fratribus, iuuenis appellatur. & pater uota pro eo faciens ait: Filius accrescens minimus natu, ad me reuertere. Hic est ille qui pugnat pro omnibus corporis potentijs, externarū opum haud fictus amicus, qui senioris animæ antiquius preciosiusq; bonū nondū perfecte inuenit. si enim inuenisset, uel totā Ægyptū perpetuo cursu fugiens abiuisset. nunc uero sibi placet eo quod illā nutriat alatq;, cuius bellatores ducesq; submersos ac perditos uidens Israel hymnū deo cecinit. iuuenis est igitur moribus, qui nondū potest cū germanis uirtutibus pascere, id est brutam animæ naturam curare ac regere, sed adhuc bona quæ uidētur pręfert his quę uere sunt. quamuis aūt incrementis proficiat in melius, tamē iunior ad perfectū collatus censetur, eum qui bonū in sola honestate collocat: quamobrem adhortans ait, Ad me reuertere: ac si dicat, seniorem sententiam expete, non omnia iuueniliter age, iam tandem uirtutē propter ipsam dilige, nec tanquam puer insipiens fortunæ bonorum splendore perculsus, decipi te ac falsis opinionibus repleri patere. atq; ita satis demonstratum puto, iuuenem in sacris literis sæpe uocari non ętate uigentem, sed eum qui habet animam temerariam & nouarum rerum cupidam: iam ostendemus nō ætate sed honore præstantes nominari seniores. Quis enim uersatus in sacris libris ignorat, quòd ille sapientissimus Abraham breuioris ęui quàm ullus pene omnium maiorum suorum inducitur? illorū tamen qui diutissime uixerunt nemo quod sciam, sed solus hic scribitur senior. dicūt igitur sacra oracula, quòd Abraham erat senior ętatis profectę, et, Dominus benedixit Abrahamo rebusq; ipsius omnibus.

nibus.quod mihi uidetur subiunctum tanq̃ causa prçcedentium,cur senior dicatur ille sapiẽs.Cum enim à benigno deo bene afficitur animæ pars rationalis, nec unam modo, sed omnes benedictionis species accipit, seniliter sapit,atq; ita fit senior.sic & cari deo populi consistorium,quod cogitur ex decies septeno numero,seniores solent nominari. Dicitur enim:Conuoca mihi septuaginta uiros è seniorib. Israel, quos tuipse nosti quod seniores sint. Ergo non eos quos uulgus senes existimat, quippe curandis sacris præpositos,sed quos solus hic sapiens nouit,seniorum appellatione dignatur.quos enim hic reprobauerit tanquam bonus mensarius,falsam uirtutis monetam habentes, iuuenili temerarioq; sunt omnes animo. quos autem cõmendare uoluerit,probati & iuxta prudentiam seniores censendi sunt.certe utrumq; quod dixi eruditę aures in uno legis edicto possunt agnoscere clarissime.Si habuerit,inquit,homo uxores duas,unam dilectam,alterã odiosam,et pepererint dilecta odiosaq;, & fuerit filius odiosæ primogenitus, uolueritq; substantiam inter filios suos diuidere:nõ poterit filium dilectę facere primogenitum & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitq; ei de his quæ habuerit cuncta duplicia.iste est enim principium liberorum eius,& huic debentur primogenita.Obseruasti iam quod dilectæ filium nunquam seniorem uocat aut primogenitum,odiosæ uero filium sæpius.atqui prior ille natus,odiosæ uero filius posterior apparet in edicti principio:Si pepererint,inquit,dilecta odiosaq;. Attamẽ prioris partus quanq̃ antiquior,à recte iudicante iunior decernitur:posterioris uero filius quamuis prærogatiua temporis careat,maiore antiquioreq; portione dignus habetur.Quam ob rem?quoniam harum mulierum alteram dilectam uoluptatis,alteram odiosam prudentię significatiuam dicimus.illius enim consuetudinem uulgus eximie diligit, escis & ueneficijs suis allicientẽ homines à die natali usq; senectutem ultimam:huius autem tetricos uerendosq; mores odit misere: sicut insipientes pueri parentũ altorumq; suorum utilia quidem, sed parum iucunda monita.ambæ in anima pariunt,altera studium uoluptatis,uirtutis altera.sed uoluptatis studium,partus imperfectus est,& nunquã non puer modis omnibus, etiamsi ad annosam ætatem perueniat. ediuerso uirtutis amor ab incunabulis (iuxta prouerbium)in prudentię senatum allegitur, nunquam sensurus senium, ideo diserte dictum est de uirtutis uulgò exosæ filio,quod hic sit filiorum principium,quippe natu simul & principatu primus,cui ius primogenitorum debetur lege naturæ, non iniquitate hominum.hãc igitur legem secutus propheta,quam pro scopo sibi proposuit, consequẽter inducit Iacob minorem natu quàm Esau:quoniam imprudentia mox à prima ętate nobiscum coalescit,honestatis ęmulatio sero nobis in nascitur, quamuis suapte ui sit quàm illa antiquior. Quapropter Esau fratri cedit iure primogenitorum, quod alter sibi libenter asserit ut debitum.Huc facit & quod filijs Ioseph accidit, si inspiciatur diligentius: quando numine correptus ille sapiens admotis ad se non directe manus imposuit in capita, sed decussatim, ut læua tangeret eum qui uidebatur senior, iuniori uero dextram imponeret. uocatur autem natu grandior Manasses, iunior uero Ephraim. Quæ nomina si interpreteris, memoriam & reminiscentiam significare

ficare inuenies. interpretatur enim Manasses Ex obliuione, quod nomen est alterius, uidelicet reminiscentia. Nam qui reminiscitur eorum quæ oblitus est, excedit ex obliuione. Ephraim uero fertilitas memoriæ appellatio conuenientissima, quia fructus utilissimus & reuera uescus est animab. memoria in rebus indifferentib. cæterum memoria uiris demum et robustis contingit, ideoque iunior censetur, ob natiuitatem serotinam. obliuio uero & reminiscentia pene aeternis à prima ætate cum unoquoque conuersantur. Quamobrem temporis prærogatiuam habent, et ad læuam statuuntur à sapiente ordinum peritissimo. uirtutis autem primogenita obueniunt memoriæ, quam Deo carus homo dextra dignatur, et portione potiore. Ergo postquam ad se rediit iustus ille & cognouit quid ei fecisset iunior filius, imprecationes diras exerit. ita est profecto, quando mens ad sobrietatem redit, sentit quid à nouatrice malicia passa sit antea, quando per ebrietatem aduertere non poterat. nunc consideremus cui maledicat. nam & hoc unum è scrutatione dignis est: quoniam non filio qui peccasse uidetur, sed huius filio, suo nepoti maledicit, cuius nullum crimen extat uel magnum uel exiguum. nam ille qui patrem curiosis oculis spectare sustinuit, et spectatum irrisit, atque etiam irridendum prodidit, Cham erat ipsius Noe filius. in quem autem alieni peccati culpa et maledictio confertur, est Chanaan. dicitur enim: Maledictus Chanaan puer uerna, seruus seruorum erit suis fratribus.] Quid, inquam, iste commisit? animaduerterunt hoc fortasse legisperiti, quibus promptum est causas huiusmodi reddere. nos uero sequendo rectam rationem, propositæ quæstionis solutionem scrutabimur, ubi pauca necessario præfati fuerimus. Status & motus inter se differunt. ille quiescit, motus agitatur, cuius duæ sunt species, altera migratiua, altera se uoluens eodem in loco. statui germanus est habitus, motui uero actus. id apposito exemplo demonstrabimus euidentius. Fabrum, pictorem, agricolam, musicum, & alios artifices etiamsi quiescant, nec in ullo uersentur harum artium opere, nihilominus solemus iam dictis uocare nominibus, quando suæ quisque artis peritiam assecutus est atque scientiam. sed ubi faber lignarius tractat materiem: pictor suis coloribus temperatis figuras quas uult deliniat in tabula: agricola in terræ sulcos iactat semina, aut palmites propagat, uel plantat arbores, rigando riuosque inducendo plantis alimentum necessarium suppeditans, aliaque rustica tractans opera: musicus item tibijs, citharis, cæterisque instrumentis ad omnigena metra et rhythmos apte utitur: aut omissis manufactis per naturalia uocem expedire potest concinnam congruentemque sonis omnibus, aliusue quicunque artifex artem suam exercet: tum præter dicta scientiarum nomina quiddam aliud de eis prædicatur necessario: de fabro quòd fabricet, de pictore quòd iam pingat: de agricola item quòd terram colat: de musico quòd pulset citharam, aut tibia uoceque canat, aut simile quippiam faciat. utros igitur uituperamus, aut laudamus? an non qui eos agunt & operantur: si bene, laudem lucrantes: sin contrà uituperium? qui uero scientia contenti nihil faciunt, auferunt tantum securum præmium silentij. eadem ratio in stultos competit, & in uniuersum in uirtutem atque uitium. prudentes, temperati, fortes, iusti sunt innumeri animo, qui huc euaserunt naturæ felicitate, institutis legitimis, labore improbo peruicacique. cæterum pulchritudinem expressam rerum administrationibus non potuerunt ostendere propter paupertatem aut

obscuritatem, aut morbū corporis calamitatesq́ cæteras, quæ humanā uitā obābulant. hi bona sua quasi uincta clausaq́ possident. alij uero his solutis, dimissis, liberisq́ utuntur omnib. habentes ostentādi hęc materiā copiosissimam. prudens quidē curam uel publicæ rei uel domesticæ, ubi consulendi atq; intelligēdi uim proferet: tēperatus cęcas diuitias luxui seruire solitas ad uisum & meliorē usum reuocabit: iustus pro magistratus potestate dabit operā, ut suis cuiq; reb. frui liceat. Virtutis meditator pietatē exercebit, & parato sacerdotio curā locorum sacrorū atq; ceremoniarū geret. quæ nisi accedant, sunt quidem uirtutes, sed immotæ quietęq́, quemadmodū aurum argentumq́ in obscuris terræ latebris abditū ad nihil utile. e diuerso uidere licet innumeros timidos, luxuriosos, insipientes, iniustos, impios, esse intus in animo, nec tamen posse uitiorū singulorum turpitudinē exerere quòd opportunitate ad peccandū careant. quod si se offerat qualē cupiunt occasio, terram et mare usq; ad extremos terminos implere cladibus, & nihil uel paruum uel magnū illæsum sinere, sed uno impetu subuertere corrūpereq́ omnia. Quemadmodū em̄ uis ignis tantisper dū materia caret quiescit, qua accedente incēditur: sic quæ sunt in anima potentiæ spectantes uirtutē aut uitiū, extinguūtur destitutæ (ut dixi) opportunitatibus. fortuitis aūt excandescūt occasionib. quorsum aūt hæc dicta sunt? nisi ut doceamus, quòd filius Noe Cham quiescentis uitij nomen habet, nepos aūt iam mouentis se. Cham em̄ interpretatur calor, Chanaan cōmotio. calor aūt in corpore febrem indicat, in anima uitiū. nam sicut qui febre decumbit, non una quapiā parte, sed toto ægrotat corpore: ita totius animæ infirmitas est uitiū. Hoc iam quiescit, iam mouetur. motū eius uates Hebraico nomine uocat Chanaā. nullus aūt legis lator pœnā decernit contra iniustos quiescētes, sed quoties mouentur, et exercēt iniusta opera: sicut ne mordaces quidē bestias uir moderatus occidet, si absit morsus periculū. tollenda em̄ est ex animo crudelitas procliuis ad cædem omniū. merito igitur hic iustus uidetur seruare maledictionē suo nepoti Chanaan. uidetur, inquam, quia si non actu, potentia tamē, filio suo Cham per illū maledicit. motus em̄ ad peccandū Cham, ipse fit Chanaā. Vnum enim subiectū est uitiū, quod nunc in statu, nunc in motu, consideratur. antiquior aūt status q̄ motus, ut eius quod stat, id quod mouetur, uideatur progenies. ideo iuxta naturę ordinē Chami filius Chanaan scribitur, scilicet motus quietis, ut & illud alibi dictū confirmetur, Reddens iniquitates patrū in filios in tertiam quartamq́ generationē. contra hos em̄ effectus cogitationum & quasi partus pœnæ procedunt quę ipsas manebant, ni accedat factū culpabile, euasuras accusationis periculū. Quamobrem & in lege de lepra ille modis omnibus maximus Moses, motū quidem eius & serpiginē impetiginemq́ proscribit ut impurā, quietem aūt puram pronunciat. dicit enim: Si diffundatur in cute, contaminatum sacerdos pronunciabit: purum uero si lucens candor eodem loco maneat. itaq; immunis est quies à uitijs et affectionibus animæ. id em̄ per leprā subindicatur, quòd nō sit damnationi obnoxia: motum aūt & impetum eius damnari merito. simile quiddā in sacris Geneseos literis cōtinetur euidentius. dicitur em̄ ibi ad illum nequam: heus tu, peccasti, quiesce. quia peccatū propter motū, actionemq́ uitiosam dam-

natur: quies uero propter statū et silentiū inculpabilis et salutaris est. Hactenus satis, opinor, præfati sumus: nunc execrationē quomodo se habeat inspiciamus. Maledictus, inquit, Chanaan puer, seruus erit fratrū suorū: et benedictus deus Sem, et erit Chanaan seruus eorū.] Diximus aliquādo Sem cōmunem nominis rationē habere cū bono, quando non speciale nomen habet, sed generale hoc ipsum Nomen: quia & bonū solum nominandū est, ut fausti ominis et celebratione dignū: sicut ediuerso malū infaustū nec nominandū. quid igitur bona prædito natura precatur? quod est eius uotū nouū et eximiū, cuius mortalis nemo facit cōpotē, à quo seu quodā occano copio si perēnesq; fontes bonorū funduntur atq; profluunt? nam dominū deūq; mundi omniumq; in eo contentorū, priuatim & per excellentiā deum Sem inuocat. quod uide q; sit omni fastigio sublimius. cui em̄ hoc cōtigit, totius mundi honorē æquat. cum em̄ præses curatorq; amborū idem est, necessario sequitur, ut & quæ curātur, honore sint paria. an non largissima sunt hæc munera? nam sensibilis mundi herus ac benefactor pronūciatur his uerbis, dominus deus: intelligibilis uero boni seruator & benefactor tantūmodo, non herus aut dominus. Quicquid em̄ est sapientia præditū, amicū deo nō seruum est. id quod ipse fatetur de Abrahā. Num cælabo ego amicū meum Abraham quid facturus sim? quæ sors cuicunq; contigit, is humanæ felicitatis terminos transgreditur. solus em̄ hic est patricius, quippe qui patrē ciere deum potest, solus adoptiuus eius filius, non diues, sed omnia possidēs, qui solus deliciatur in copiosis uerisq; bonis, nunq; senescentibus, perpetuo uirentibus: non nobilis, sed bona fama celebratus, laudem habens non adulatione adulteratam, sed ueritate stabilem. solus rex, quippe qui à summo rege potentiā et potestatem accepit irrefragabilē. solus liber manumissus ab hera morosissima uana gloria, quam efferentē se supra modū ex arce superna liberator deus deiecit. hunc tantis, tam eximijs confertisq; bonis dignū habitum quid decet facere nisi sermonibus, cāticis, hymnis benefactori suo gratias agere? et hoc est, ut mihi fit uerisimile, quod his uerbis subindicatur: benedictus deus Sem] quoniā qui deum in sortē accepit, is meritò debet eū solùm laudare ac benedicere, quādo hoc tantū habet quod reponat, nec ualet referre ullā aliam gratiā. hæc sunt uota pro Sem facta: iam quæ pro Iapheth fecit qualia sint uideamus. Dilatet, inquit, deus Iapheth, et habitet in domib. Sem, et fiat Chanaā seruus eorū.] Eius qui solam honestatē bonū existimat, finis est breuior. in tanta em̄ rerū nos circūstantiū copia, ad solā mentē rectricem se applicat. Eius aūt qui tria facit bonorū genera animi, corporis, externa, rē concidens in multas particulas dissimiles, finis dilatatur. Quapropter propriè huic precatur latitudinē, ut etiam uirtutibus animæ, prudentia, temperantia, cæterisq; singulis uti ualeat, prætereq; sanitate corporis, integritate sensuum, uiribus & robore, & id genus rebus alijs. adhæc externis quoq; lucris, quę ad diuitias, gloriam, usumfructum necessariarum uoluptatum faciunt. hæc de latitudine. Considerandū cui precetur, ut in domibus Sem habitet. non satis enim id declarauit. Possumus tamē dicere, eum de omnipotente hoc uelle intelligi. Quæ enim domus in omni creatura inuenitur dignior quam deus inhabitet, præter animam perfectè purgatam, quæ solum hone-

stum

ftum bonũ exiſtimat, cętera cenſet rationi ſubdita, & huic debere obſequiũ. dicitur autem in domo habitare, non ut in loco: continet enim omnia, ipſe à nulla re continetur: ſed tanquam illius loci curam gerẽs pręcipuam. Quiſquis enim domum poſsidet, neceſſe habet ut ei prouideat. Proinde in quemcunq; bonum illud deo carũ impluit, petat ut omnipotens in ipſo habitare dignetur: ut paruum hoc ędificium, mentem uidelicet, in altũ ſublatum à terra extremo cœlo inſerat. cæterũ precationis uerba pulchre coaptantur. nam Sem tanquam radix uirtutis honeſtatisq; ſupponitur, ex qua frugifera planta ſapiens ille Abraham ſuccreuit, ex quo nata progenies ille à ſe ipſo doctus Iſaac fructus eſt, ex quo rurſum per labores ſeminantur uirtutes, in quibus decertat Iacob ad luctam cum affectibus exercitatus per angelos, ratione unctus non oleo. ab hoc principe duodecim tribus deſcendunt, quas diuina oracula aiunt eſſe regnum & ſacerdotium dei, à primo Sem egregie procedente ſerie, iuxta uotum deo domos eius inhabitante. Eſt enim regis domus regia, reuera ſacraq; ius aſyli habens. poſſumus tamen fortaſſe uotum hoc, & ad Iapheth referre, ut in domibus Sem habitet. nam ei qui etiam corporis commoda & externa lucra in bonis numerat, precari conuenit ut ad ſolum animæ bonum recurrat, ne in tota ſua uita aberret à uera opinione, quæ ſceleratiſsimis etiam execratiſsimisq; contingunt bona exiſtimans, ut ſanitatem, pecuniæ copiam, et id genus alia, cum uera bona malo nulli obueniant: nihil enim malo bonoq; cõmune eſſe natura uoluit. Quapropter tantum uotis felicitas iſta expetitur, cuius finem nõ poteſt quiſquam inſipiens aſſequi. hunc finem ille primus probę poſteritatis autor ſcribitur optare cuidam è domeſticis, dicens: Ad me reuertere: ut reuerſus in eius ſententiam, & ſolum honeſtum tanquam bonum complexus, à tergo relinquat diuerſas de uero bono exiſtimationes. habitet igitur in domibus illius animæ quæ ſolum honeſtum eſſe bonum aſſerit, omiſsis aliorum domicilijs, qui & corporis bona & externa habent in pretio. non immerito tamen inſipientem in ſeruitutem addicit uirtutis cultoribus: ut aut ſub dominatione potiorũ ad meliorem uiuendi rationem tranſeat: aut ſi pergat eſſe improbus, facile pro poteſtate caſtigetur à ſuis dominis.

PHILONIS IVDAEI
DE GIGANTIBVS.



ET FACTVM eſt quando cœperunt homines multiplicari ſuper terram, & natæ ſunt eis filiæ.] Quærendum opinor, cur poſt natiuitatẽ Noe filiorumq; illius, humanum genus multiplicatum ſit. Fortaſsis in promptu cauſa eſt. Semper ẽm collatus cum paucis, magnus numerus contrariorum inuenitur. Ideo generoſa unius indoles, multorum prauum ingenium coarguit. Siquidem pauca quædam quę fiunt ex arte ac ſcientia, uel quæ bona & honeſta ſunt, produnt quàm ingens multi-

tudo inertium,ignarorum,iniuſtorũ,& in uniuerſum nequam hominum in ſuis tenebris latuerit. Viden'quòd & in hoc quàm late patet mũdo ſol unus immenſas latiſsimeq́ꝫ terra et mari diffuſas tenebras quàm primum affulget, diſpellit? Merito igitur etiam huius Noe iuſti natiuitas eiuſque filiorum oſtẽdit diuerſam iniuſtorum multitudinem. Natura eñ ita comparatum eſt, ut contraria eluceant per contraria. Cæterum nemo iniuſtus ſeminat in anima prolem maſculam, ſed qui ſunt ipſi parum uiriles, fracti effœminatiq́ꝫ cogitationibus et ſententijs, gignunt fœminas, ut expertes uirtutis feracis non niſi bonorum fructuũ, & plantatores omniũ uitiorum affectionumq́ꝫ, quarum muliebria ſunt germina. Qua de cauſa filias homines hi genuiſſe dicuntur, nemo ex his filios. Quoniã eñ Noe iuſtus mares gignit, quippe qui rectam maſculamq́ꝫ rationem ſequitur, hoc ipſo uulgus iniuſtũ fœminas gignere oſtenditur citra cõtrouerſiam. Non eſt eñ poſsibile, ut à contrarijs eadem gignantur, ſed contraria. Viderunt angeli Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, & acceperunt ſibi ex omnibus quas elegerãt.] Quos alij philoſophi genios, Moſes ſolet uocare angelos. Hi ſunt animæ uolitantes per aerem. Nec eſt cur quiſquam hoc fabuloſum exiſtimet. Neceſſum eſt eñ ut totus mundus in omnibus ſui partibus animata habeat, quando primariæ partes eius elementares ſibi apta continent animalia, terra terreſtria, mare ac amnes aquatilia, ignis ex igne genita: quæ ferũtur plurima naſci in Macedonia. Cælum item ſidera. Hęc eñ in totum ſunt animæ immortales diuinęq́ꝫ, & ideo mouentur in orbem, qui motus menti cognatus eſt. Horum eñ ſingulorum mens eſt integerrima. Proinde neceſſario ſequitur, ut & aer ſit plenus ſuis animalibus. Hæc aũt nobis ſunt inuiſibilia, cum & ipſe non ſit ſenſui uiſibilis. Non tamen ideo quia nõ poſſumus animarum figuras uiſu aſſequi, aer eis eſt uacuus. Comprehendere aũt eas intellectu neceſſe eſt, ut ſimile contemplemur per ſimile. Nec eñ negabimus omnibus terreſtribus, aquatilibusq́ꝫ uitã per aerem & ſpiritũ contingere. Quid peſtilentia, no'nne aere uitiato ſolet accidere, qui ſingulos animat? idem quando illæſus eſt & innocuus, qualis ſolet eſſe flantibus auris ſeptentrionalibus, no'nne hauſtus purioris ſpiritus multum ad incolumitatem proficit? & credimus eum qui alias aquatiles terreſtreſq́ꝫ animantes animat, carere animabus proprijs? imò contrarium eſt credibilius etiamſi reliqua elementa nihil animalium gignerent, tamen ſolum aerem animalia parere, quando ſingulari opificijs gratia indita ſunt huic animarum ſemina. Harum quædam deſcenderunt in corpora: quædam ſemper abhorrent ab omnibus terræ partibus. Harum ſibi ſacratarum miniſterijs ſummus ille parens & opifex uti ſolet in adminiſtrandis rebus mortalium. At illæ alteræ tanquam in flumen deſcendentes in corpus, aliquando rapidiſsimis eius abſorbentur gurgitibus: aliquando eluctatæ contra impetum, primùm enatant, deinde reuolant inde illuc unde auolauerant. Hæ ſunt animæ ſupernam quandam doctæ philoſophiam, quæ ab initio finem uſque meditantur mortem corporum, ut incorpoream incorruptibilemq́ꝫ uitam apud illum ingenitum incorruptibilemq́ꝫ adipiſcantur. At quæ ſubmerguntur, ſunt reliquorũ hominum, qui neglecta ſapiẽtia dediderunt ſe incertis fortunæ flatibus, quorũ nullus fert ad optimã noſtri partem

tem

tem mētem uidelicet; sed omnes ad cognatum nobis corpus cadauerosum, aut ad res magis quàm hoc inanimes, puta gloriā, pecuniam, potestates, honores, & cætera quæ homines nunq̃ uera bona contemplati, fingunt pinguntq́ sibi decepti uanis opinionib. proinde si cogites, animas, genios, angelos, non tam re differre q̃ nominibus, exoneraberis superstitionis onere grauissimo. Quemadmodū aūt uulgus dicit bonos malosq́ genios, & similiter animas, sic etiā angelos: alteros qui boni uocantur, legatos quosdam ultro citroq́ cōmeantes inter deū et homines, sacrosanctos propter hoc inculpabile pulcherrimumq́ ministeriū: alteros ediuerso profanos ac nefarios, quos & ipse abominandos haud falso dixeris. Testis est hymnographus, cuius sunt hæc uerba in quodam cantico: Emisit in eos iram furoris sui, furorem, irā oppresśionemq́, immissionē per malos angelos. hi sunt illi mali angelorum nomen usurpantes, qui rectæ rationis filias scientias & uirtutes nesciunt, morti aūt obnoxias hominum mortaliū progenies cōsectantur, quæ nullam natiuam secum afferunt pulchritudinem sola mente uisibilem, sed fucatam formā qua sensus decipitur. Accipiunt uero nō easdem omnes filias, sed alias alij selectas sibi ex innumeris. Quidam per uisum, quidam per auditum, quidam per gustum & uentrē, quidam per ea quæ sub uentre sunt, quidam etiam per remotissimas occasiones intendendo suas concupiscētias uarias. in talibus impossibile est manere ac perennare Dei spiritum, sicut ipse legislator indicat. Dixit, inquit, dominus deus: Nō permanebit spiritus meus in his hominibus in seculum, quia caro sunt.] Manet enim interdum, sed non permanet apud nostrū plerosque. Quis eñ est adeò rationis expers aut animæ, ut nulla unquā de optimo illo maximoq́ eum uolentem nolentemue subierit cogitatio? imò uel scelestissimis obuersatur nonnunquam repentina honestatis imaginatio, quam tamen apprehendere & apud se retinere nequeunt. Statim enim discedit emigratq́ è tali domicilio, non ferens ius & fas inde profligatum esse: quales nunquam accedit, nisi ut coarguat eos honestis prætulisse turpia. Dicitur autem Dei spiritus, uno modo aer fluens supra terram, tertium elementum quod super aquam uehitur: quamobrem in opificio mundi ait: Spiritus Dei ferebatur super aquam. Aer enim cum sit leuis attollitur & sursum fertur, aquam pro basi habens. Altero autem modo, immortalis illa scientia, cuius omnis sapiens merito fit particeps. Id ostenditur in artifice ac opifice sacri operis, his uerbis: Exciuit Deus Beseleelem, & impleuit eum diuino spiritu, sapientiæ, intellectus, scientiæ, ad omne opus excogitandum. Quibus uerbis definitiue quid sit Dei spiritus describitur. Talis est etiam Mosis spiritus, qui uisitare solet illos septuaginta seniores, ut fiant præstantiores cæteris, & reddantur meliores, non futuri uere presbyteri, nisi participatione illius sapientissimi spiritus. Sic enim dicitur: Auferam de spiritu qui in te est, & imponam in septuaginta seniores. Sed caue putes hanc ablationem fieri per abscisionem disiunctionémque, imò potius qualis ab igne fit: qui etiamsi faces innumeras accenderit, idem manet ne tantillum quidem diminutus. Talis est natura etiam scientiæ. Postquam enim discipulos & familiares peritos omnes reddidit, nihilo diminuitur: nonnunquam augetur etiam, sicut narrant de fontibus, qui frequentantur

tantur ab aquatoribus. Nam & hos fertur hoc modo dulciores fieri. Sic continua colloquia, meditationem & exercitium afferentia perfectionem absoluunt. Quod si proprius ipsius Mosi spiritus, aut cuiuslis creaturæ, tantæ multitudini familiarium distribuendus fuisset, in tot portiones concisus, utique diminueretur. Nunc autem spiritus ille sapiens, qui inest ei, diuinus est, insecabilis, indiuisibilis, probus, qui ubique implet omnia, qui prodest absque suo detrimento impartitus alteri, ut nihil decedat ipsius intellectui, scientiæ, sapientiæ. Quapropter fieri potest, ut spiritus Dei maneat in anima, ut autem permaneat impossibile est, sicut diximus. & quid mirum? quando ne aliarum quidem rerum ulla possessio firma & constans est, in tot mutationibus aliis super alias. Causa autem inscitiæ præcipua caro est, & cum hac intercedens familiaritas: sicut ipse fatetur, qui dicit, ideo non posse spiritum Dei permanere, quia caro sint. Certe & coniugium, liberorum educatio, parandæ rei familiaris necessitas, obscuritas, egestas, negotia tum priuata tum publica, & cætera innumera sapientiam adhuc florentem arefaciunt. Sed nihil ei tanto impedimento est, quanto natura carnium. Hæc enim tanquam fundamentum ignorantiæ ineruditionisque primum ac maximum subiicitur, super quod illæ exædificantur. Animæ enim carnis expertes & corporis, desidentes totos dies in hoc amplissimo uniuersitatis theatro, uidendo audiendoque res diuinas, quas insatiabiliter expetunt, fruuntur uoluptate interpellata à nemine. Quæ uero grauantur carnium sarcinis, depressa ab his nequeunt os ad cælestes cursus attollere, sed ceruice demissa, more quadrupedum, pronæ ad terram affiguntur. Quapropter legislator sublaturus è medio concubitus incestos & illegitimos, in hunc modum præfatur. Homo homo, ad omnem domesticum carnis suæ non accedet, ut reuelet eius turpitudinem: ego Dominus. Quomodo posset quis magis adhortari ad contemptum carnis & eorum, quæ carni amica sunt, quam uerbis his? atqui non solum dehortatur, sed & certò pronunciat, quod quisquis uere homo est, nō accedet unquam sponte ad amicas cognatasque corporis uoluptates, semper alienare se ab eis meditans. Siquidem hæc uox homo iterata significat, non compositum ex anima & corpore, sed uirtutibus præditum hominem. nam hic est ille uerus, quem è priscis quidā accensa meridie lucerna, percontantibus obuiis, hominem aiebat se quærere. Quod autem uetitum est, ne quis accedat ad quemcunque carnis domesticum, habet rationem necessariam. Quędam enim admittenda sunt, ut cōmoda ista, quorum usu sanitatem tuemur. Superflua uero in malam rē ableganda, à quibus accensæ concupiscentiæ absumunt omnes uirtutes uno incendio. Proinde non ad omnia quæ carni amica sunt, appetitus excitetur. uoluptates enim ferocientes persæpe canū more adblanditę, repente mutatæ morsum infigunt insanabilem. itaque uirtutis amicam frugalitatem complexi præ caris corpori, turbam ingentem hostium pertinacium profligabimus. Quod si quādo tempus improbe postularit, ut supra sufficientem modum accipiamus aliquid, ipsi tamen non accedamus. Dicit enim: Non accedet ipse reuelare turpitudinem. Hoc explicandum est quid sit. Sæpenumero quidam qui nullas congesserunt pecunias, tamen in rę lauta fuerunt. Alii minime

me cupidi gloriæ, consensu ciuium laudati honoratiq́ sunt. Quibusdã præter omnem spem magnum robur contigit. Omnes isti discant non esse accedendum mente ad quicquam talium: hoc est, non esse hæc ultra modum suspicienda, sed sic existimandum, hæc singula adeò non esse bona, ut sæpe magnam cladem afferat uel pecunia uel gloria uel robur corporis. sunt enim hi proprij reditus, auarorum pecunia, ambitiosorum gloria, robur uero istorum qui certaminibus delectãtur & gymnasijs: qui omnes animam præstantiorem dediderunt in seruitutem deterioribus rebus inanimis. sed quicunq́ secum habitant, splendidas istas & multis concupitas felicitates intellectus imperio subijciunt. accipiendo eas quoties ultro ueniunt in rectum usum; sed longe dissitas non accedendo, quippe qui uel sine his possunt felices euadere. Quisquis autem has è propinquo & è uestigio sequitur, replet philosophiã opinionibus turpibus, & ideo turpitudinẽ retegere dicitur. Nónne in propatulo sunt probra istorũ qui se uocant sapientes, dum sapientiam uili pretio tanquã sub hasta in foro uenditant, nunc præsenti lucro exiguo; nunc blanditijs suauiloquis, nunc pollicitationibus quouis somnio uanioribus. Quod autem subiungitur, ego dominus, perpulchre apteq́ ad docendum dictum est. Quasi dicat: confer bone uir, bonum carnis cum bono animæ cæterarumq́ rerum omnium. illud carnale bruta uoluptas est. Hoc uero uniuersale diuina mens numenq́ quod regit omnia. Bella collatio, quæ possit similitudine fallere: ac si quis animata cum inanimis, bruta cum rationalibus, congrua cum incongruis, paria cum imparibus, lucem cum tenebris, diem cum nocte, deniq́ omnia contraria cũ contrarijs conferat, & hæc prorsus eadem esse contendat. Atqui hæc tametsi cognationem quandam ut creata habeant, tamen Deus ne præstantissimæ quidem creaturæ similis est. quoniam quæuis creatura patitur, ille ingenitus est & semper agit. Bonum sanè fuerit non deserere constitutum diuinitus ordinem, in quo res gerenda est fortiter: nec transfugere ad effœminatam fractamq́ uoluptatem, cuius amicitia nocet, prodest inimicitia. mirificam eñ habet naturam: quos suis bonis dignatur, eos mulctat continuò: quos uero his priuat, eos adiuuat maxime. Nocent enim eius munera, quæ mox ablata prosunt. Proinde ô anima, si quod uoluptatis amatorium te inuitat poculum, declina ab eo & auersis oculis in genuinam natiuamque uirtutis pulchritudinem, perge illam intueri, donec amore huius correpta, traharis tanquam à magnete, ut attracta cum adamata cohæreas. Cæterum hæ uoces, Ego dominus, non sic tantum accipi debent, ac si diceret, ego perfectum incorruptibile uerumq́ bonum, quod quisquis complexus fuerit, spernet ista imperfecta carni hærentia: sed perinde quasi diceret, ego princeps, rex & dominus. Nec subditis in principum præsentia, nec seruis coram heris, tutum est inique agere. Cum enim præsto sunt castigatores, timor continet in officio, quos non ad monet suum ingenium. Prope est enim deus qui replet omnia: cuius conspectum ac præsentiam si non reuereremur, certe inuictam potentiam, & seueritatem ineuitabilem metuendo continebimus nos à maleficio, reputantes quàm grauiter aliquando soleat animaduertere: ne sapientiæ spiritus diuinus à nobis demigret facile, sed quàm longissimo apud nos perseueret
tempore:

uoluptates corporis, & harum usumfructum, quærendo undecunque singularum materiam. Cæli autem eos qui tenent artes ac scientias, aut eas sectantur. Quod enim nostri celeste est, mens est: quę & motus cœli considerat, & in reliquis exercet se artibus liberalibus, acumē intelligendis huiusmodi rebus sibi comparans. Dei uero homines sacerdotes & prophetæ sunt, quorum maior est dignitas, quàm ut se misceant humanæ reipublicæ, & mundi ciues sint: sed sublimiores omnibus rebus sensibilibus, migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, ascripti reipublicæ idearum incorporearum et incorruptibilium. Proinde Abraham quam diu hærebat in Chaldæorum terra opinioneque, & nondum mutato nomine uocabatur Abram, homo cæli erat, sublimis ætheręæque naturæ scrutator, in effectibus eorumque causis & id genus alijs philosophando: ex quo studio & appelationem præsentem sibi quæsiuit. Abram enim interpretatur pater sublimis, nomen conueniens consideranti sublimia cælestiaque intellectui, præsertim cum concretæ huius naturæ nostræ pater sit intellectus pertingens ad ætherem & ulterius. Sed quando iam seipso melior nomen mutaturus est, fit homo Dei, iuxta redditum sibi oraculum, Ego sum Deus tuus. da operam ut mihi te approbes, & esto inculpabilis. Quod si unus totius mundi deus, ob priuatum affectum dicitur huius uiri deus, necessario ipse quoque dei est. Interpretatur enim Abraham pater electus soni, id est intellectus probi uiri. est enim electus, purgatus, & pater uocis qua consonamus. talis autem uni deo dedicatur, cuius assecla factus, totius suæ uitæ semitam dirigit, incedens per uiam uere regiam, scilicet omnipotentis regis unici, in neutrum latus declinans & digrediens. at filij terræ mente sua exorbitantes, & puteos fodientes in inanima immobilique natura carnium (facti sunt duo in carnem unam, inquit legislator) adulterauerunt nomisma optimum, desertoque meliore ordine suo, ad deteriorem contrariumque transfugerunt, Nebrod huius facti principe. Dicit enim legislator, Hic cœpit esse gigas super terram. interpretatur autem Nebrod transfugium. Non enim satis erat miserrimæ animę neutrarum esse partium, sed accedēs ad hostes arma sumpsit contra socios, et apertum his bellum intulit. Ideo Nebrodis regnum fuisse traditur Babylon, id est transpositio, eadem res quæ transfugium, pari cognatione rerum ac nominum. Quisquis enim molitur transfugere, mentem mutat & transponit. Cōsequens igitur est iuxta Mosem sanctissimum, malum uirum esse non modo extorrem & exulem, sed etiam transfugam: bonum uero, constantissimum socium. Hactenus de gigantibus dixisse contenti, transeamus ad sequentia.

Sunt autem hæc.

PHILONIS IVDAEI
QVOD DEVS SIT IMMVTABILIS.



OSTEA, inquit, cum ingressi essent angeli dei ad filias hominum, illæ genuerunt eis.] Quærendum quid sibi uelit illud postea. Est relatio, indicans aliquid ex præcedentibus. Præcessit aūt mentio de diuino spiritu, quem permanere seculis omnibus in multifaria multiformiꝗ anima, induta ponderosissimis carnibus, dictu est perdifficile. Post illum spiritum angeli ad filias hominum ingrediuntur. Etenim quantisper anima illustratur purissimis intelligentiæ radijs, per quos deum & eius potentias uidet sapiens, nullus nequam angelus subintrat cogitationem, sed extra locum aspersione lustratū omnes excludūtur. ubi uero hebetatum mentis lumen fit opacius, illi tenebrarum amici arrepta occasione fortuita, cum affectionibus effœminatis, quæ hic uocantur filiæ hominū, congressi gignunt sibi, non deo. Quod eñ proprie deo gignitur, uirtutes sunt integræ: sicut deprauata uitia ad cognationē malorum pertinent. Proinde disce si uis, ô mens, non tibi ipsi gignere exemplo Abrahami perfectissimi, qui dilectū, unigenitum, animæ germanum filium, effigiem à seipsa doctæ sapientiæ, nomine Isaac offert deo, & reddit magna cum alacritate, quasi necessariam debitamꝗ gratiam, uinctū pedibus, ut ait lex, & noui generis uictimam: siue quia iā nihil mortale deo destinatus calcare dignabatur: siue quia uidit creaturam esse instabilem, postquam cognouit firmitatem eius Qui est certissimam, cui credidisse dicitur. Huic successit Anna ipsius discipula, donum diuinæ sapientiæ. interpretatur eñ hoc nomen gratia. Hæc enim diuino semine grauida, ubi perfectū pariendi tempus aduenit, enixa est more deo sacratum, cui faustū nomē imposuit Samuel, quod interpretatur ordinatus deo: moxꝗ acceptum datori reddidit, nullū suum propriū bonū iudicans, nisi ex diuina gratia. Sic enim in primo Regnorū ipsa loquitur: Do tibi eum donū. ac si dicat eum qui donū est, id est dono gratuito acceptum tibi do: iuxta illud dictum Mosis sanctissimi: Dona mea, munera mea, sacrificia mea seruabitis offerre mihi. Cui enim gratia debetur nisi deo? aut quomodo ei referetur, nisi per hęc ipsa quę accepimus? nec eñ aliunde licet capere. Qui nullius indigus offerri sibi postulat propter summā suā erga genus nostrū benignitatem: ut per studiū cultus diuini & gratiarū actionis puri fiamus ab iniquitatibus, & abstergamus uitæ sordes contractas uel uerbis uel operibus. Est eñ stultitia cū templa non subeas nisi corpore à balineis nitido, uota sacraꝗ facere mente impura cōtaminataꝗ. atꝗ templa è saxorū lignorumꝗ inanima constant materia. Et cū nefas sit corpus suapte natura inanime inanima tangere: ferendū uidetur, ut deum purissimū accedat quis impurā habens animam, nisi mox sequatur pœnitentia? Quisquis eñ nullius præteriti pecca ti sibi cōscius, etiā uetera conatur eluere, accedat bono animo. sin minus, absi

stat

stat cum impurus sit.non poterit em̃ fallere perspicientem mentis sinus intimos,& inambulantẽ in eius penetralibus.Cęterũ animam deo carã pulchre describit etiam illud canticũ:Sterilis peperit septẽ,fœcunda uero defecit. At qui unius Samuelis mater est quæ hæc dicit. & quomodo ait septẽ se pepe risse,nisi quis unitatis & septenarij naturã eandem existimat, non solũ innu meris,sed et in mũdi totius harmonia,& in animæ probæ rationibus.Samu el em̃ in solius dei ministrorũ ordinem ascitus, nemini præterea seruiens, ab uno & ente honestatur. qui status est septenarij, animę in deo requiescentis, & nullis mortalib. occupatæ negotijs:quando excedit senariũ, qui attribu tus est primatũ assequi non ualentibus,& in secundo gradu cõsistere neces se habentibus.sterilem igitur non iam effœtam, sed etiamnunc uigentem,in fortitudinis tolerantiæq; studio decertantẽ opimum ob præmiũ, credibile est septenariũ unitati honore parem parere, quorũ numerorum fœcunda et prolifica natura est.fœcundã uero illam ait desisse gignere liberos,idq; uere ac euidenter. quãdo em̃ anima cum sit unica multos parit ab uno illo disiun cta,merito fit numerosissima.deinde grauata oppressaq; multitudine nato rum à se pendentiũ,quorum pleriq; immaturi abortiuiq; sunt, uirib. deficit. parit em̃ quicquid ad formas coloresq; pertinet, per oculorũ concupiscen tiam:quicquid ad uoces,per aurium.pręgnans fit etiã ex uentris et eorũ quę sub uentre sunt desiderijs. itaq; grauata natorũ ex se pendentiũ tanto nume ro,manibus præ languore demissis deficit. ad quem modum uinci cõtingit omnibus, qui corruptibiles ipsi gignunt sibi corruptibilia. nõnulli uero nõ solum uinci, sed & mori sustinent, nimis amori sui dediti. Vt ille Onan,qui sentiens semen sibi non profuturũ,non prius desijt rationale genus in rebus præstantissimũ corrumpere, quàm ipse totus perijt. & merito.Nam si om nes omnia sui causa facturi sunt,nihil parentũ honorẽ,liberorum disciplinã, patriæ salutem,legum incolumitatẽ,gentium constitutionẽ,non ullum pri uatum publicúmue officium,non sacrorum ceremonias,non pietatem erga deum curando erunt infortunatissimi. nam unumquodq; ex his quæ dixi mus,uel periculo uitæ redimendum est. at isti hæc cuncta expetenda tanto pere,facile contemnunt,si nihil uoluptatis afferãt. Quapropter deus iustus iudex hanc immanem opinionem quæ nominatur Onan tollit è medio.nec minus abominandi sunt omnes qui sibijpsis generant, id est qui propriam tantum utilitatem captant contemptis cæteris, tanquam sibi solis nati, non item innumeris, alijs, patri, matri, uxori,liberis,humano generi:& hoc am plius,si dicere fas est,cælo,terræ,uniuerso mundo,scientijs, uirtutibus,patri ac rectori uniuersorum,quorũ singulis quantum licet reddendum est debi tum officiũ:& hic cogitandũ, cuiq; non propter ipsum facta esse cętera,sed ipsum esse auctarium rerum omniũ. Verùm de his satis,contexamus sequen tia. Videns dominus deus quòd multa malicia hominũ esset in terra,et om nis eorum intentio prona esset ad malũ toto uitę tempore,recogitauit deus quòd hominẽ fecisset in terra. dixitq; deus intra se: Delebo hominẽ quem creaui à facie terræ.] Non deerunt fortasis nefarij quidam qui suspicabun tur legislatorẽ subindicare,pœnituisse opificẽ creati hominis,uisa tanta im pietate,uoluisseq; hac de causa uniuersum id genus extinguere. Hi sciant se

istiusmodi opinione subleuare ac extenuare peccata priscorum hominū, si conferantur cum ipsorū impietate. Quod em̄ potest esse grauius erratū contra deum, q̄ credere mutari eum cum sit immutabilis? quamuis quidam opinātur, ne homines quidem ueros ambigere in certis sententijs. nam sinceros philosophos hunc præcipuū ex sua scientia fructū decerpere, quod non mutantur unà cum negotijs, sed indeflexa constantia se adaptant rebus omnibus. Quin & legislator probat hoc tranquillitatis studium. dictum enim illud ad sapientem ex persona dei: Tu uero hic sta mecum: mentem fixam & à recto nusquam dimotam cōmendat. est em̄ profecto mirandum, si quis lyræ in modum animam musica arte coaptatam, non sonis acutis & grauibus, sed rerum inter se contrariarum scientia, et meliorum ex his delectu, neq; intendat plus æquo, neq; remittat, emollita uirtutū rerumq; suapte natura honestarum harmonia, conseruans eam in eodem temperamento cōcinne pulsandi psallendiq;. hoc enim instrumentū natura fecit absolutissimum, quod imitantur manufacta organa. id si quis pulchre tēperauerit, efficiet symphoniam longe optimam, quæ non in sonorę uocis fractos tonos desinit, sed in laudata uitæ officia. Ergo cum hominis anima tempestatē, subitis uehementibusq; uitiorum procellis irruentibus excitatam, scientiæ sapientiæq; auris componat, sedatisq; tumidis undis ad tranquillitatē reducat: dubitas an ille incorruptibilis, beatus, uirtutis, perfectionis, felicitatisq; potens, non egeat mutatione sententiæ, sed immaneat primis consilijs, non supponens alia? siquidem humana facile mutantur, uel propter ipsorum hominum, uel propter negotiorū inconstantiā. Verbi gratia: amicos eligimus sæpe, quos post non longam consuetudinem ob nullam ipsorum culpam auersamur, et in loco inimicorum aut certe ignotorū habemus. hoc factū leuissimam facilitatem nostram arguit, qui non possumus perseuerare in pristino proposito. at deus non uertit fauorem in fastidiū. interdum tamē statuimus manere in sententia: sed familiares non manēt sui similes. itaq; necessariò noster quoque animus unà cum eis mutatur. prævidere enim futuros negotiorum exitus, aut sententias aliorum, nemini mortali est possibile: deo autem, ut in luce purissima, omnia sunt cōspicua. penetrans enim sinus intimos animæ, uidet quæ non cernuntur alijs, & pro sua prouidentia præscientiaq;, quæ uirtutes ei peculiares sunt, nihil abuti libertate sinit, et suę potestati eximi. quandoquidem etiam futurorum incertitudo nō cadit in ipsum: apud quem nec futurum est quicquam nec incertum. Liquet igitur necessariò sequi ut & parenti sua progenies, & opifici suum opificium, & curatori suo quæ ab eo curantur nota sint. Deus autem reuera pater, artifex curator est rerum quæ cælo mundóque continentur omnium. Atqui futura obscurantur à uenturo tempore, nunc breuiore, nunc longiore. Deus uero & temporis est opifex. est enim pater patris eius: mūdus uero pater temporis, quod motu suo progenerat. itaq; tempus nepotis dei seriem obtinet. mundus enim hic iunior dei filius est, utpote sensibilis. senior enim hoc non traditur, sed intelligitur: qui pro iure primogenituræ apud patrem manet. Cæterum iunior filius sensibilis motu suo naturam temporis fecit existere. itaque apud deum nihil futurum est, cui subijciuntur etiam termini temporum. Nanque non tempus,

sed

sed temporis exemplar æuum, uita superorum est. in æuo autem nihil præteritum, nihil futurum est, sed præsens tantummodo. Postquam igitur satis de dar auimus, non pœnitere eum Qui est, restat ut doceamus quid sit illud Recogitauit deus quòd fecisset hominem in terra, dixitq́ intra se.] Cogitationem deliberationemq́, alteram intus reconditam, alteram iam certo prolatam, duas potentias opifex rerum cum habeat, eisq́ utatur, opera sua considerat: quæ ordinem non deserunt, & in officio manēt, comprobat: in ea quæ deficiūt, nec seruant ordinem, animaduertit. Corporibus em̄ alijs habitum, alijs naturam, alijs animam, alijs rationalem animam addidit. Saxa lignaq́ à cognatis diuulsa, habitu astrinxit ceu uinculo ualido. hic autem est spiritus reuertens in seipsum. incipiens enim à medio, pertingit ad extrema, moxq́ à superficie cursum reflectit, donec in eum locum perueniat, à quo primum profectus est. Hic est ille habitus, cursus recursúsque indesinens, cuius imitationem cursores post tertium quemque annum in theatris frequentissimis ostentant, tanquam rem egregiam & contentione dignissimā. Naturā aūt attribuit stirpibus, contemperatam è pluribus potentijs, nutritiua, mutatiua, augmentatiua. Nutriuntur enim, cum alimentis opus habeant. id deprehenditur, quia nisi rigentur, arescunt & pereunt, sicut rigatæ manifestum incrementum accipiunt. Nam quæ prius paululum ab humo se attollebant, euadunt in arbores procerissimas. de mutatione autem harum, quid attinet dicere? brumali tempore folia siccata humi sternuntur: & in palmitibus oculi, sicut rustici uocant, conniuent, tanquam animalium, & innata ad germinandum ora comprimuntur, natura tunc intus conclusa quiescenteque: ut post respirationem, quasi athleta lassus certamine, recolligat uires, atque ità de integro ad labores anniuersarios redeat. id fit uerno æstiuóque tempore. Tunc enim tanquam expergefacta è somno profundissimo, & oculos aperit, & clausa ora patefacit. Quibus autem grauida est parit omnia, pampinos, palmites, clauiculos, racemos, fructum denique. Quo absoluto, nutrit cum quasi mater liberos, per quosdam latentes meatus, qui respondent mammillis mulierum. Nec prius nutrire desistit, quàm fructus ad perfectam maturitatem perueniat. Est autem maturitatis signum, quando defluit etiam attingente nemine, & diuelli ab adnatis properat, utpote iam maternis alimentis non indigens, & idoneus si in agrum bonum incidat, ad proseminandas gignendásque stirpes matri suæ similes. Animam autem fecit opifex à natura differentem tribus his, sensu, imaginatione, impetu. Stirpes enim sensus, imaginationis, impetúsque omnino expertes sunt. Animal autem unumquodque his cunctis est præditum. Sensus igitur, sicut allusio græci nominis ad εἴσθεσιν indicat, obiecta infert intellectui. in hoc enim capax amplissimúmque penuarium uisus, auditus & cæteri sensus reponunt omnia. Imaginatio uero est figurarū in animam impressio. Nam quicquid important sensus singuli, hæc obsignat suo charactere tanquam anulus. intellectus aūt refert cerā, impressum sigillum excipiens & seruans apud se, donec id obliuio memoriæ hostis obscuret, aut in totū aboleat. Id aūt quod impressit characterem, nunc familiariter, nūc secus afficit animam: is affectus uocatur impetus, quē definiunt primum motū animæ. Tanto prēstantiora sunt animalia stirpibus.

pibus. Videamus quanam re homo antecellat cætera. Hic eximium munus sortitus est mētem, quæ cunctas naturas corporum & rerum solet comprehendere. Quemadmodum enim corporis regimē est penes oculos, mundi uero penes lucis naturam: eodem modo imperium in nos mens obtinet. Hæc est enim oculus animæ, illustratus splendore proprio, per quem dispelluntur altissimę tenebræ, offusæ à rerum ignorantia. Hæc animæ species, non ex eisdem quibus cæteræ elementis facta est, sed puriorem & meliorem est nacta essentiam, ex qua naturæ diuinæ sunt conditæ. Quapropter sola mens in nobis merito immortalis censetur. Solam enim hanc pater iussit esse liberam, exemptam & dimissam è necessitatis uinculis, donatámque munere decentissimo uoluntatis spontaneę, quatenus eius capax erat. Nam brutæ animantes, quarum animabus non inest mens donata libertatis priuilegio, subiugatæ frenatæq; traduntur ad ministerium hominum, tanquam heris mancipia. Homo autem liberam facultatem & sui iuris sententiam sortitus, ex destinato pleraque faciens, merito uituperium incurrit, si prudens sciénsque peccat, sicut ediuerso laudem, quando sua sponte benefacit. Nam stirpium animaliúmque nec ubertas laudatur, nec si male proueniant, uituperantur: quòd uterque hic motus, & utraque mutatio, non est uoluntaria: sed sola hominis anima quæ accepit à deo motum uoluntarium, hactenus illi similis, à molestissima grauissimaq; hera necessitate, quantum licuit, manumissa, iure accusari posset, si liberatorem suum non coleret, non euasura pœnam quæ animaduertit in libertorum ingratitudinem. itaq; recogitauit, & intra se dixit deus, non nunc primum, sed iam dudum firmiter, quòd fecisset hominem, id est, qualem eum condidisset. Condiderat enim liberum, ut relictus uoluntati propriæ quicquid placeret, ageret: idq; hāc ob causam, ut sciens quid bonum sit quid malum: & quid intersit inter honesta turpiáque reputans, quid itē inter æqua & iniqua, & in uniuersum uirtutem inter & uitium, eligeret meliora, deteriora fugeret. In eam sententiam & oraculum extat in Deuteronomio: Ecce posui ante faciem tuam uitam & mortē, bonum & malum: tu uitam elige. Ergo utrumque hinc discimus, quòd & insita sit hominibus boni ac mali scientia, & meliora deterioribus anteferre debeant, cum habeant deliberationem tanquā incorruptum iudicem, quæ rectæ rationis monitis pareat, reiectis contrarijs suggestionibus. Quoniam igitur et de his sufficienter disseruimus, uideamus sequentia. Sunt autem hæc. Delebo hominem quem feci à facie terræ, ab homine usque pecudem, à reptilibus usq; uolucres cæli: quia recogitaui quòd fecissem eum.] Hic quoq; non nulli de quibus iam dixi, his auditis credunt eum Qui est irasci & furere. At ille nunquam affectu corripitur. Hæc enim humanæ infirmitatis sunt uitia, Deus autem & à brutis animæ affectionibus abest plurimum, & à partibus membrisq; corporis, nihilominus inueniuntur hæc apud legislatorem docendi gratia, ut sic moneantur qui non possunt castigari aliter. Nam in præceptis & interdictis legum, quæ proprie leges sunt, duo summa capita ab earum autore sunt proposita: alterum non esse deum sicut hominem: alterum uero esse eum sicut hominem. Prius cōfirmatur ueritate certissima: alterum adhibetur ad erudiēdam uulgarem multitudinē: ad quam dicitur, illum mo

re

re hominum castigare suos filios. Quod admonendi causa, non quia suapte natura talis sit, dictum est. Nam hominum pars, amici sunt animae, pars uerò magis fauent corpori. Animae socij habentes cum incorporeis naturis consuetudinem, cum nulla rerum idea comparant eum Qui est: sed extollentes eum super omnem qualitatem (hoc em̄ unum ad beatitudinem summamq; felicitatem pertinet, nudam eius sine omni figura essentiam comprehendere) sola eius essentiæ imaginatione contenti, nullam formam affingunt. At fœderati corporis, cū non possint exuere indumentū carneum, quales opiniones de seipsis, tales etiam de omnium rerum autore concipiunt, quippè qui non ualent naturam illam solam nullius egentē, simplicem, sinceram, incomparabilem cernere: nec reputant quòd qui constat è potentijs compluribus, eget etiam pluribus partibus ad singularum ministeria. Sed Deus, utpote ingenitus & creator omnium, non opus habet istis creaturarum accidentibus. Quid em̄ dicemus de usu instrumentalium partium? pedes ei dabimus progrediendi gratia? at quò ibit, cum impleat omnia? quem accedet, cum neminē honore parem habeat? aut quam tandem ob rem cum humanis curis careat? quid manus ad accipiendum dandumq;? ipse à nemine quicquam accipit, quippe qui non solum non eget, uerumetiam uniuersa possidet. Donat autem uerbo suo munificentiam administrante, per quod mundum condidit. Oculis certe non eget, quibus sine luce sensibili nihil comprehenditur. At sensibilis lux creata est. Deus autem propriæ lucis usu uidebat etiam ante mundum conditum. De nutritionis instrumentis, quid attinet dicere? Nam si hæc habet, nutritur etiam, & satiatus egerit, ac rursum ex interuallo esurit, cæteraq; facit quæ nemo pius diceret. Nam fabulæ uerbis quidem humanā formā, re aūt humanos affectus deo tribuunt. Cur igitur Moses pedes, manus, introitus, exitus prædicat de illo ingenito? cur ad arcēdos hostes eū armat? cur gladio, sagittis, pestiuero igne, fulminibusq; instruit? poetica ista uidentur, autorē summum armari, licet illic diuersa sint nomina. At hic noster addit etiam zelum, furorem, iras, & cæteros humanos affectus similes. Respondebit tamen scitantibus: heus uos, oportet legislatorem unicum habere propositū, ut prosit omnibus ad quos peruenit. Quotquot igitur feliciorem naturam sortiti sunt, & educationē inculpabilem, inuenta hac uitæ uia publica directaq;, ueritate comite faciūt iter, cuius uerissimis de eo Qui est mysterijs initiati, nihil creatum affingunt ei. His discipulis maximè cōuenit capitulum illud sacræ literaturæ, quod deus non sit sicut homo, nec sit cælū, nec sicut mundus. Nam hæ species habēt qualitates suas, & percipiuntur sensibus. At ille ne mente quidem comprehenditur, nisi hactenus quòd sit. Est enim essentia quod in eo intelligitur: qua quicquid caret, nihil est. Hebetiores aūt tardioresq;, & à pueritia perperam educati, nec ualentes acute cernere, medicis opus habent legislatoribus, qui ad præsentē morbū debitam curam accōmodent. Nam seruis quoq; male educatis & insipientibus herus prodest terribilis. Sæuitiem em̄ eius & minas timendo, uel inuiti continentur in officio. Discant igitur quotquot tales sunt uel falsa, modò utilia, si per ueritatem ad bonā frugē reduci nequeunt. Nam & his qui corporis morbo laborant grauiter, legitime instituti medici non sustinent ue-

ra proloqui,cum sciant eos inde fore deiectiore animo, ita ut malum increscat: sed adhibent contrarias consolationes, ut & ægrotus fiat ad tempus sedatior, & ægritudo remissior. Quis enim sanę mentis eum sic alloqueretur: heus tu secaberis, ureris, mutilaberis, etiamsi hæc necessariò ferenda essent. Nemo prorsus. Alioquin ille collabetur animo, accedente noua grauiore molestia ad morbum corporis, & libēter se curationi subtrahet: quod si falsa expectatione decipiatur à curante, patienter sese præbebit ad omnia salubria, quantumuis cruciabilia. Proinde legislator noster cum sit optimus animarum medicus, unicum finem habet propositum, ut radicitus mētis infirmitates exsecet, ne ex reliquis repullulet malū immedicabile. Quod ita se speraui effecturum, si authorem creaturarum induceret minacem, indignabundum, iniustis seuere intentantem supplicium, nonnunquam arma corripientem in improborum perniciem. Nec enim aliter emendatur insipiens. Et ideo mihi uidetur duobus iam dictis capitibus, quòd Deus sit sicut homo, & non sicut homo. alia duo generis eiusdem contexuisse, timorem atque dilectionem. Omnes enim legum ad pietatem adhortationes uideo referri uel ad dilectionem uel ad timorem eius Qui est. His igitur qui nec membra, nec affectus humanos Deo tribuunt, sed religiose de illo, pièque sentiunt, dilectio maxime conuenit, timor uero cæteris. Quæ igitur ante quæstionem prę̄struenda fuerant, hæc sunt. Redeundum iam ad cœptam considerationem, qua hæsitabamus quid sibi uelint hæc uerba, Indignatus est, quòd fecisset eos.] Fortasse tale quiddam docere uult, quòd mali apud deum in indignatione sint, boni uero in gratia. Nam mox dicit, Noe autem inuenit gratiam.] Cæterū ira quæ passio hominis est propria, figurate de eo Qui est intelligitur necessario, quando quicquid per iram, metum, dolorē, uoluptatem, aut quemcunq; affectionē agimus, confessione omniū culpabile est ac reprehensibile. Sicut e diuerso laudabile, quicquid cū recta ratione coniunctum & scientia. Vides quàm caute loquatur, Indignatus sum, quia feci, non contrà, Quia feci eos indignatus sum? Nam hoc posterius de pœnitente dici poterat, quod non fert natura Dei prouidentissima. Prius autē illud est inducentis dogma generale, iram esse peccatorum fontem, sicut rationem originē bonorū operum. Memor autem perfectissimæ suæ bonitatis Deus, etiamsi omnes homines, aut maxima eorum multitudo suapte culpa ruat in perniciem, tamen salutarem dextram porrigens, sustentat et erigit, non sinens uniuersum genus deleri. Quapropter nunc ait, Noe inuenisse apud eum gratiā, quia cęteri daturi sunt pœnā ingratitudinis, ut salutaris misericordia temperetur peccatorum damnatione, sicut hymnorū cantor dicit alicubi, Misericordiam & iudiciū cantabo tibi. Nā si Deus mortalē iudicaret sine misericordia, atrum ferret calculum, cū nemo à natiuitate ad obitum usq;, sine lapsu percurrat uitæ spaciū, sed aliquando sponte cadat, aliquando fallente uestigio. Vt igitur genus maneat incolume, etiamsi multæ pessum eant species, admiscet misericordiā, quam interdum etiam indignis exhibet, nunc præuenientem iudicium, nunc sequentem. Antiquior enim apud eum est misericordia quàm iusticia, quippe qui pœna dignum noscit non iudicatum, sed ante iudicium. Quamobrē alibi dicitur: Calix in manu domini, ui

ni

nimeri plenus temperamento. Atqui temperatum non est merum, habet tamen hæc rationem naturalem, his quæ diximus, consentaneam. Deus enim potentijs suis erga seipsum meris utitur, temperatis autem erga suas creaturas. Meras eñ natura mortalis haudquaquam potest capere. An putas cum non possis meram solis flãmam obtueri: extinguetur enim uisus fulgore radiorum hebetatus, prius quàm perspiciat: quamuis & sol unum est ex diuinis operibus, pars cęli, globus ęthereus: posse te intueri potentias illas increatas, ita ut meræ circa ipsum sunt eiaculantes fulgorem splendidissimum? Quemadmodum igitur solis radios extendit opifex à cælo usque terminos terrę, ut uehementia caloris eius remitteretur, laxareturq; per acrem frigidũ: nam hoc eos temperauit, ut quod inest lucidum seiunctum ab igne flãmeo, remissisq; urendi uiribus, illustratiuis autem retentis, cognatæ sibi luci repositæ in oculis occurreret suauiter: ex horum enim congressu obuio, & quasi consalutione quadam, perspiciendi uis efficitur: ad eundem modum scientiam & sapientiam Dei, item prudentiam, iusticiam, cęterasq; uirtutes singulas, quis mortalis sinceras posset excipere, quod ne totum quidem cælum totúsque mundus potest? Proinde cum sciret opifex quàm immensa sint sua bona omnia, & creaturę quantumuis arrogantis naturalem imbecillitatem; nec in beneficijs nec in pœnis uult totam uim suam exerere, sed quantam uidet earum capacitati sufficere. Quod si remissam mediocremq; potẽtiarum eius temperaturam haurire & ea frui contingeret, satis hilaritatis perciperemus, qua perfectiorem non est cur requirat humanum genus. Iam enim ostendimus quæ sincera mera uereq; summa sunt, circa solum eum Qui est existere. Confirmat hanc sententiam quod aliubi dicitur: Semel dominus locutus est, duo hęc audiui. Nam quod dicit semel, mero est simile. Etenim merum est unitas, & unitas merum. Illud autem bis, mixto est simile. Vtrumq; enim non simplex est, cum coniunctionem seiunctionémque recipiat. Itaq; Dei uox est mera unitas. Nec enim sermo eius percusso fit aere, cum mixtura omni careat, incorporeus, nudus, nihil ab unitate differens. Nos autẽ audimus binario. Spiritus enim è pectore missus per asperam arteriam, formatur quidem in ore à lingua tanquam ab opifice: prolatus autem foras, & permixtus aeri cognato, eúmque uerberans, concinnam binarij temperaturam efficit. Quod enim è diuersis sonis consonat, binario diuisibili primum conuenit, tonum acutum & grauem habenti. Pulchre igitur multitudini cogitationum iniustarum unum iustum opposuit, numero quidem inferiorem, sed plus ualentem, ne tanquam in bilance prægrauaret deterius, sed contraria ui melioris eleuatum, uires amitteret. Iam quid sit illud, Inuenit Noe gratiam coram Domino Deo] unà consideremus. Qui aliquid inueniunt, aut prius amissum reperiunt denuò: aut non quod prius habuerant, sed nouum lucrum acquirunt. Hanc inuentionem, illam redinuentionem uocare solent curiosi uocum propriarum. Prioris exemplum manifestum est in magna illa precatione. Est autem precatio, bonorum à Deo postulatio. Porrò magna precatio est, credere Deum authorem esse bonorum ex seipso, nec egere ad benefaciendum alieno auxilio, non terræ tanquam frugiferæ, non pluuiæ tanquam adiuuantis satorum, plantarúmque incremen-

incrementum,non aeris tanquam ad alendum idonei,non agriculturæ tanquam fertilitatis causæ, non medicinæ tanquam salubris, non nuptiarum tanquam prolificarum. Nam hæc omnia uirtute Dei mutantur, uertunturque,ut sæpe præter morem effectus habeant contrarios. Hunc igitur ait Moses autorem esse, qui nutrit comam capillum capitis, id est in mente incrementum dantem decretis summarijs iuxta præceptorum capita, quibus illa honestatur ceu compto capillitio. Nonnunquam tamen has comas amittit, irruente in animam repentino quodam turbine, & abripiente honesta menta eius omnia. Est autem is turbo mutatio quædam inuoluntaria, mentem repente contaminans,quæ mors uocatur. Attamen restituta sibi & purificata recipit eas, & reminiscitur quicquid prorsus oblita fuerat, & quæ amiserat inuenit, ita ut prioris mutationis dies in ratione non computentur, uel quia non habet rationem ista mutatio, sicut & à prudentia plurimum discrepat:uel quia non est digna cuius habeatur ulla ratio. Talium em̃,ut quidam inquit, nec ratio, nec numerus. Sæpe autem incidimus in ea quæ ne in somnijs quidem unquam uidimus: sicut de agricola fertur, qui scrobem parans plantæ frugiferæ,in thesaurum incidit,auctus insperata felicitate. Certe meditator ille, scitante patre de tali modo scientiæ, Quid est quod tam cito inuenisti fili, respondens inquit: Quod tradidit dominus Deus coram me. Quando enim tradit suæ sapientiæ contemplationes sine difficultate ac labore, has repente nacti præter expectationem,thesaurum perfectæ felicitatis inuenimus. Siquidem usu uenit, ut alij magno labore quæsita non inueniant:alij sine cura & negotio,de quibus non cogitarant reperiant. Nam eorum qui hebetiores tardioresque habent animas, sicut orbati oculis,labor in contemplandis scientijs est inutilis: qui uero feliciore ingenio sunt præditi, absque inquisitione multa inueniunt fortuito, dum recte coniecturam faciũt ut ea uideantur acquirere,non studio,sed rebus ipsis ultro in conspectum eorum properantibus,& in noticiam sese ingerentibus. De his legislator ait, datas eis ciuitates magnas et bonas,quas non ædificarunt:domos plenas opibus,quas non repleuerunt: cisternas è saxo excisas,quas non exciderunt: uineta oliuetáque, quæ non plantarunt. Ciuitates domósque figurate,generales specialésque uirtutes subindicat. Nam ciuitati genus est simile,quia patet amplioribus pomœrijs,&commune fit compluribus:species uero domui,quippe contractior, & minus communis. Per cisternas autem paratas intelliguntur alieno labore parata præmia, conceptacula cælestis liquoris potabilis, thesauri ad conseruandas dictas uirtutes commodi, ex quibus animæ perfectæ lætitia nascitur, uero lumine radians. Proinde per uineta lætitiam,per oliueta lumen significat. Felices quibus hoc contigit,qui quasi ex alto somno experrecti, mundũ repente contemplantur sine labore ac negotio. Miseri uero qui contra suum ingenium contendentes, intabescunt morbo contentionis difficillimo. Non solum em̃ frustrantur suo proposito, sed insuper cum non paruo detrimento incurrunt magnam ignominiam, sicut naues in mari luctãtes cũ aduersis flatibus. Quæ non solum aberrant à portu quẽ petebant, uerùm etiã sæpe unà cũ uectoribus ac sarcinis merguntur, inimicis gaudiũ relinquentes, amicis desideriũ. Dicitur enim in lege, quòd quidam

quidam facto impetu in montē ascenderunt, et egressus est Amorreus mon tem illum habitans, & quasi apes irritatæ percussit eos, à Seir usque Erema. Necessum est enim, ut qui non sunt nati percipiendis artibus, si luctentur in contrarium, non solum frustrentur, sed insuper dedecus lucrifaciant. Eos itē qui aliquod officium præter animi sui sententiā aggrediūtur, coacti ab alijs, rem male gerere, accusante stimulanteq́ ipsorum conscientia. Sicut qui parua deposita reddunt, captantes occasionem auferendi maiora, diceres homines bonæ fidei: qui etiam tum cum ea reddunt, magnam uim inferūt innatæ sibi perfidiæ, cuius sibi conscij lancinantur indesinenter occultis eius morsibus. Pari modo quotquot illum solum sapientē insincere colūt, tanquam in aliqua scena mirificis exornata ceremonijs, hoc uitæ genus haud secus ac in theatro aliquantisper ostentantes spectatoribus imposturā non pietatem in anima circunferunt, seipsos uelut in rota cruciantes torquentesq́, & cogentes falsam ueritatis formā sumere. Proinde ad breue tēpus obumbrati super stitionis insignijs, quæ est sanctitatis iniuria, magnū malum uel eam habentium, uel cū his conuersantiū, mox isto habitu exuti ascititio, nudā ostendūt hipocrisim. Atq; ita deprehenduntur esse ciues suppositi tij, qui seipsos ascripserunt in maximam ciuitatē uirtutem, ius eius nunquā assecuti. Nam quicquid uiolentū idem non diuturnum est: quę cognatio in rerum harum Græcis nominibus apparet, βίαιον & βαιὸν. Sic enim prisci uocabant rem momentaneam. Quid porrò sit illud, Inuenit Noe gratiam apud dominum deum, quæritur. Fortasse tale aliquid significat, eum cōsecutum esse gratiā, aut gratia dignum habitum. Sed prius non uidetur credibile. Quid eñ accepit prę cæteris pene omnibus, non concretis solum, uerùm & elementaribus naturis simplicibus, quæ deo charæ sunt? Posterius autem habet quidem rationem non incongruā, iudicare autorē summum dignos suis muneribus, qui diuinum characterē sacrum in mēte nō polluerunt studijs turpibus: sed forte non ueram. Ingentem eñ esse oportebat, uirum diuina gratia dignū, idq́ ipse Deo iudice. Equidem arbitror, uix totum mundum esse parē tanto negotio: qui tamē inter cuncta opera Dei, sicut primus, ita maximus est & perfectissimus. Forsan igitur satius fuerit hoc dictum sic accipere, quòd probus hic uir cum esset sagax & ualde doctus, omnia disquirendo comperit quod est uerissimum, gratiam dei esse omnia, terram, aquam, aerem, ignem, solem, stellas, cælum, animantes stirpesq́ uniuersas. Horum aūt nihil deum sibi largitum, cum his non egeat. sed mundum mundo, & partes eius in usum mutuum, atq; etiā ut uniuersitati cōmodent. Idq́ non ut recipiat gratiam, quam uis benignissimus & in totum & in partes: sed respectu sempiternæ suæ bonitatis, quòd arbitraretur suæ beatæ felicisq́ naturę conuenire beneficentiā. Itaq; si quis me roget, quę nam sit causa mundi creati, à Mose doctus, respondebo, eius Qui est bonitas, antiquissima suarum gratiarū omnium. Vbi obseruandum quod ait, placuisse Noe potentijs eius Qui est, domino & Deo: Mosen uero ipsi regi potentiarum, cuius etiam absq; illis sola noscitur essentia. Ad hunc enim ex persona Dei dicitur: Inuenisti gratiam apud me: ostendendo seipsum absq; omni altero. Adeo Mosis summā sapientiam gratia dignatur is Qui est per seipsum solum: expressam autē ex hac imaginem, iam

secundariam,& specialiorem,per potẽtias subditas. Quapropter dominus & Deus,princeps est et beneficus.Alius uero quispiam corporis et affectuũ fautor intellectus, uenditus principi coquorum uoluptati huius nostri concreti,exectis masculis & genitalibus partibus animæ omnibus,& à curis honestis otiosus, nec aptus diuino auditorio, eliminatus à sacra concione,quã uirtutis studiosi frequentant, in carcerem affectionum introducitur : ubi apud uinctorum custodem inuenit gratiam inhonestiorẽ, quàm ignominiã. Sunt enim proprie uincti, non qui pro tribunali damnati prætorum sententijs & iudicũ calculis abducuntur ad certum locũ destinatum maleficis : sed quos ipsa natura damnauit ob mores animæ,puta luxuriẽ,timiditatem,iniusticiam,aliasq́ʒ ineffabiles pestes,quibus referti sunt.Horũ curator,custos et promus est prǽfectus carceris, conflatus ex omnigenum uitiorum colluuie, cui placuisse damnum est maximũ. Quod cũ nõ uideant quidam, eligentes pro utilibus noxia,libenter se adiungũt in eius satellitium, ut approbata sua fide fiant subpræfecti & uicarij custodiæ peccatorum uoluntariorum ac inuoluntariorum. Tu uero anima, hanc quoq́ʒ potestatem prǽfecturamq́ʒ crede molestiorẽ seruitute grauissima, & da operã ut libero utaris uitæ proposito. Quod si capta fueris hamo affectus alicuius, sustine uincta esse potius quàm custos carceris.Nam afflicta gemensq́ʒ,misericordiã inuenies.Quod si ambitioni teipsam dedideris, magnũ malum, licet suaue custodiã carceris suscipies,cui eris per totã uitã obnoxia.Proinde missas fac omnes familiaritates præfecti custodiarũ,et uide ut summo bono te modis omnibus approbes.id si minus potueris,est em̃ res ualde ardua,rectà cõtende ad eius potentias,& his supplex esto, donec illæ exoratæ tuo continuo legitimoq́ʒ cultu, te in ordine probatorũ statuant,sicut & illum Noe, cuius mirǽ nouæq́ʒ dotes enumerãtur scriptura sacra dicente: Hæ sunt generationes Noe.Noe homo iustus,perfectus in generatione sua,Deo placuit Noe.] Quæ ex concretis nascũtur,& ipsa cõcreta sunt.Nam ex equis equi,è leonibus leones, è tauris boues,homines item ex hominibus gigni necessum est.At bonæ mentis non talis est propria progenies, sed prædictæ uirtutes, hominẽ esse, iustum esse,perfectũ esse,deo placere, quod ut perfectissimũ & summæ felicitatis finis postremum subiungitur.Est aũt una generatio,ex non esse ad esse iter & productio. Huius in stirpibus & animantibus usus est necessarius. Altera uero est,ex meliore genere in minorem speciem mutatio, cuius mẽtio fit his uerbis:Hæ sunt generationes Iacob.Ioseph cum septemdecim esset annorũ, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer, cũ filijs Ballæ, & cum filijs Zelphǽ, uxorum patris sui.Quando em̃ hǽc meditatoria cupidaq́ʒ discendi mens à diuinioribus contemplationibus ad uanas opiniones descendit,corporis & corporearũ rerũ sodalis Ioseph gignitur, adhuc puer,etiamsi ætate canus sit,quippe qui nullam senilem sententiã aut narrationem audiuit,quã Mosis sodales ut possessionem utilissimam sibi ac suis discipulis acquisiuerunt. Quamobrem uidetur mihi,quo effigiem eius & exactissimam formæ ideam manifestius describeret, pascentẽ greges introducere, cum legitimo nullo, sed cum spurijs fratribus concubinarum filijs, qui denominantur à deteriore muliebri genere, non à uirili præstantiore. Nam filij Ballæ Zelphæq́ʒ,

phaseq́, non Israelis patris nunc uocatur. Occurrit hic quæstio, quam ob causam statim post perfectas Noe uirtutes subiungitur: Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Fortassis tamen non difficile fuerit eam soluere, homini præsertim non inerudito. Dicendum igitur, quòd cum in anima incorruptibilis species exoritur, mortalis species mox corrumpitur. Generatio enim pulchrorum studiorum, est mors turpium: quando & post lucis exortum euanescunt tenebræ. Quamobrem in lege de lepra diserte dicitur: Quod si caro uiuens in leproso apparuerit, pollutus iudicabitur. Quod mox confirmans & quasi obsignans, subinfert: Caro enim sana intersparsa immunda est. id quod præter communem morem dictum est. Omnes enim à morbidis sana corrumpi existimant, à mortuis uiua, nón ediuerso, quòd sana uiuaq́ putent salutaria. Verum legislator miranda in cunctis rebus sapientia præditus, hoc quoque habet proprium: docens quòd sana uiuaq́, cum sunt impura, pollutionẽ inducũt. intersparsa eñ sana uiuaq́ caro in anima, est morbi certum indicium. hãc propheta cõmemoratione peccatorum arguit, obiurgat, pudorem incutit. illa uero agnoscit singula, quibus à recta ratione exorbitauit: & tum demum se imprudẽtem, luxuriosam, iniquam, plenam inquinamentis deprehendit. quapropter extat lex noua & à uulgo recepta opinione diuersissima, quæ ex parte leprosum pronunciat impurum: eum uero qui à capite ad pedes usq́ lepra occupatus est, purum esse ait. Quilibet enim, opinor, probabiliter coniectans, diceret contrarium, leprã quæ ultra partam aliquã corporis partẽ non diffunditur, minus impuram: per totum uero diffusam impuriorem uideri. Equidẽ puto per ista significari id quod est uerissimũ, quòd iniquitates inuoluntariæ uel maxime absoluuntur nec inquinant, cum graui accusatore careant cõscientia: uoluntariæ uero etiamsi non late pateãt, tamen pro animæ tribunali conuictæ, insanabilesq́, pollutæ impurǽq́ iudicantur. Ergo duplex & duobus coloribus uariata lepra, uoluntarium uitium significat. Cum eñ anima in se sanam uitalem rectamq́ rationem habeat, non utitur eius gubernatione ad bonorum suorum conseruationem: sed permittens seipsam imperitis nauigandi, totam uitæ nauim quæ in serenitate tranquillitateq́ seruari poterat, subuersam demergit pelago. Cum aũt uno colore albicat, mutationẽ præ se fert inuoluntariam, quando mens in totum ratione priuata, ne scintilla quidem intellectus reliqua, tanquam in tenebrosa densaq́ caligine non cernit quid agendum sit, sed more cæcorum passim offensans, lapsus alios post alios inuita dolensq́ sustinet. Huic simile est, quod etiam de domo præcipitur, quam aliquando contingit lepra infici. Ait enim: Si domus lepra infecta fuerit, ibit eius dominus, & nunciabit sacerdoti, dicens, quasi contagium lepræ uidetur mihi in domo mea. Moxq́ subdit: Et præcipiet sacerdos ut efferantur uniuersa è domo, priusquam ingrediatur eam, ut uideat, & non erunt immunda quæcunq́ in domo sunt. Posthæc intrabit sacerdos, ut consideret. Ergo priusquam intrat sacerdos, pura sunt quæ domus continet: illo autem introgresso, impura omnia. Atqui contrarium erat uerisimilius, post introitum uiri purificati, perfecti, soliti pro cũctis ceremonias obire, & uota sacráque facere, res in meliorem statum mutari, et ex impuris puras fieri. At nunc

ne in eadem quidem conditione permanent, sed superueniente sacerdote deteriores redduntur. Verùm ista utrum cum dicta facili solutione consonent, uiderint qui solent delectari talibus. Equidem incunctanter dico, nihil esse tam conueniens, quàm ut ad introitum sacerdotis contaminentur quæ in domo sunt. Donec enim diuinum uerbum in animam nostram, tanquam domum quandam non ingreditur, nihil quod hæc facit culpatur. Nam curator, siue pater, siue præceptor, siue quid aliud sacerdos uocandus est, qui solus admonere castigareq́ potest, procul remotus est. Nec indigni sunt uenia qui peccant per ignorantiam, ut qui peccata sua parum pensitant: interdum etiam grauiter peccando putant se recte facere. quando autem ad nos ingreditur ille sacerdos uerus redargutor, tanquam lux clarissima, tunc produntur animæ nostræ scelesta consilia per actiones sontes & culpabiles, quibus occupamur ignari rerum utiliũ. hæc omnia sacrata redargutio damnās ut polluta, iubet auferri & detrahi, ut consideret ipsam puram domum animæ, & percuret si quid in ea sit morbidum. Simile quiddam facit & in Regnorum libris mulier quæ prophetam accedit. est autem uidua, non ut uulgo uocamus marito destitutam, sed quæ uiduatur affectibus mentem lędentibus & corrumpentibus, qualis Thamar in Mosaicis literis. nam huic orbatæ marito præcipitur, ut maneat in domo patris qui solus seruator est, propter quem relicta mortalium consuetudine, deseritur uiduaturq́ humanis uoluptatibus, sed diuinam genituram excipit, et uirtutis seminibus facta grauida in utero gerit parturitq́ honestas actiones: quas semel enixa, prœmium aufert inuitis aduersarijs, & uictrix pronunciatur, præ se ferens palmam insigne uictoriæ. Thamar em̃ palma interpretatur. Omnis aũt anima uitijs uiduanda sic prophetã alloquitur: Homo dei, uenisti in ædes meas, ut me iniquitatis & peccati mei cõmonefaceres. Hic enim numine correptus & occupatus cælesti cupidine, diuiniq́ furoris impotenti œstro percitus, quoties subintrat animam, memoriam iniquitatum peccatorumq́ ueterum ei suggerit, non ut ad ea redeat, sed ut gemẽs deflensq́ mutationẽ suam pristinam, eius partus auersetur præ odio: sequatur autem monita dei uerbi, prophetæ et interpretis. nam prophetæ à priscis uocabantur aliquando homines dei, aliquando uidentes, nominibus aptis, & diuinitatem perspicaciamq́ pulchre significantibus. conuenienter igitur sacratissimus Moses tunc corruptam terram dixit, quando illius iusti Noë uirtutes prolatę sunt in medium. Erat, inquit, corrupta: eo quod omnis caro corruperat uiam suam super terram. Hic aliquis putabit erratum in una uoce græci contextus, eumq́ postulare ut potius legatur αὐτῆς quàm αὐτοῦ: quod refertur ad præcedentẽ uocem fœmininam, cum masculinũ relatiuũ minus conueniat. Quid si non de sola carne uiam corrumpente sermo fit, ut merito erratum in uerbis uideatur: sed de duobus, & de carne quę corrũpitur, & de altero quodã quod uiam conatur corrumpere. Itaq́ sic cõstruendũ est: Corrupit omnis caro illius incorrupti æterniq́ perfectam uiã quæ ducit ad deum. hanc scito esse sapientiã. Hac em̃ deducente, recta nimirũ & publica, intellectus ad destinatum finem peruenit. est autem finis metaq́ huius uiæ, scientia & cognitio dei. hanc semitam odit, calumniatur, et corrũpere conatur quisquis carnis amicus est. Nam nõ

sunt in rebus duo tam contraria, quã uoluptas carnalis & scientia. Volenti eñ hanc uiam regiam ingredi consideratiuo generi, quod uocatur Israel, repugnat terrenus Edom: (sic enim hoc nomen interpretatur) propere occurrens instructis copijs, & minis territans, effecturum se ut ea nunquam teratur à uiatoribus. ad quem missi legati sic loquuntur: Transibimus per terrã tuam, non faciemus iter per arua, nec per uineta. non bibemus aquam de cisternis tuis. incedemus uia regia. non deflectemus ad dextrã, nec ad sinistrã, donec tuos fines superauerimus. Ad hoc Edom respondet: Non transibis per me. alioquin armatus occurram tibi hostiliter. ad quem filij Israel: Praeter mõtem iter faciemus: quod si de aqua tua bibero ego & pecora mea, persoluam tibi precium, nulla erit difficultas, tantũmodo transitum petimus. at ille respondet: Non transibis per me. Fertur de quodam è priscis quòd cum spectasset pompam sumptuosissimã, ad familiares uersus dixit: Videte amici q̃ multis rebus opus non habeo. Compendio de re maxima uereq; caelesti gloriatus est. Quid ais, itáne uictor de certaminis Olympici diuitijs coronam adeptus es, intantũ superior, ut nihil inde ad usum aut delectationẽ sumeres? miranda uerba, sed mirabilior sententia, tantũ consecuta roboris, ut uel citra pulueris iactũ possit uincere. Verũ apud Mosem, mysterijs sapientiae initiatũ, non unius tantum uiri haec est gloriatio, sed totius gentis populosissimae. id hoc argumento liquet, q uniuscuiusq; anima confirmata est ad audaciam contra regem omniũ quae bona uidentur, terrenũ Edom. Reuera eñ quodlibet in speciem tantùm bonũ terrenum est. Celeriter, inquit, transibo per terram tuam. o promissionẽ generosam & magnificam. itáne obsecro superare, transire, trãscurrere, quicquid in terra bonũ censetur, poteritis? nihil'ne uestram properationem remorari poterit? conspectũ diuitiarũ congestarum auersabimini deflexa facie? quid maiorũ dignitates, paterni materniq; generis, decantatasq; à multis nobilitates despicietis? gloriam quoque quam homines redimunt caeteris bonis omnibus, praetercurretis tanquam rem uilissimam? quid sanitatẽ, corporis integritatem sensuũ, pulchritudinẽ optabilem, robur inuincibile, & cętera quibus animae domus, siue tumulus, siue quid aliud dicendum est, honestatur, transcurretis obiter, ut nihil horũ referatis in bonorum ordinem? Olympiae caelestisq; animae sunt hęc tam ingentia facinora, quae regione terrestri iam relicta, ad diuinarũ naturarũ subducta est consuetudinẽ. repleta eñ contemplatione uerorum bonorũ & incorruptibilium, merito adulterina ista in diem durantia reijcit. Quae igitur utilitas est praeterire omnia mortalium bona mortalia, si hoc non cũ recta ratione facias, sed ut nonnulli per segniciem, aut pigritiã, aut tractandi imperitiam? non enim ubiq; omnia, sed apud alios alia sunt in precio. Quapropter uolens amplius docere, ut cum recta ratio postulat despiciantur quae modo diximus: ad hoc uerbum transibo, adijcit Per terram tuam. hoc eñ est ualde necessarium, ut in copia rerũ quae uulgo habentur pro bonis, euitemus casses laqueosq; quos illę tendunt singulae: & more ignis perrumpamus subinde repetentes nos earum impetus. Haec se pertransituros aiunt, arbusta uero & uineta nõ item. mites eñ plantas insitas in anima, feraces dulciũ fructuũ, hoc est, sermones probos & actiones laudabiles praeterire, Ogygae simpli-

citatis fuerit.nam ibi hærendum erat, & auide fruendum præsentibus.nihil enim pulchrius quàm in uirtutibus perfectis hilaritas insatiabilis,quæ significatur per modo dictas uincas. nos aūt quotquot à deo niues imbresq; è supernis fontibus accipimus,è cisterna bibimus,terrenos latices non admodū requirendo, cum habeamus cælitus largas pluuias nectaris & ambrosiæ,alimentum multo præstantius quàm poetici nectaris. & adhuc lacunas arte humana factas haurire sustinemus per diffidentiam,cum paratos habeamus cœlestes thesauros,quos omnium seruator aperuit: quemadmodum Moses sacrorum interpres precatur,ut aperiat nobis dominus thesaurum suum cælestem,detq; nobis suam pluuiam.cuius preces deo gratæ facile exaudiuntur. Quid ille qui nec cælum,nec pluuiam, nec uerbum,nec ullam creaturam putans ad se alendum idoneam, sed superscandens hæc omnia, affectum suum exprimit dicens:Deus qui nutrit me à iuuentute:annon uidetur tibi omnes quæ sunt in terra collectiones aquarum despicere?is certe nunquam è cisterna biberet, cui deus præbet potus meracos, nunc angelis pincernas agentibus,nunc ipse infundens,non expectato internunciorum officio.proinde sine dilatione ingrediamur uiam regiam,quotquot prætereūdas res terrenas ducimus.est aūt uia regia, cuius potestatem nemo priuatus habet, sed solus ille qui solus est uerus rex.hęc est aūt,ut paulo ante dixi, sapientia,per quam solam supplicibus animabus ad illum Ingenitum patet refugium. credibile est enim eū qui per uiam regiā sine impedimento iter facit,nō sensurum lassitudinē donec ad regē perueniat.quo facto, & illius felicitatē agnoscet,& suam inopiam.nam & Abraham postquam ad deū accessit proxime, mox cognouit se esse terram & cinerem. nec ad dextram autem nec ad sinistram à regia uia deflectendum est,sed progrediendum per mediam.nam in utrumuis latus diuerticula ob nimietatem defectumue culpantur. hic enim dextrum non minus quàm sinistrum uituperatur. siquidem apud petulantes temeritas dextrum,timiditas sinistrum obtinet.sic apud tractātes pecuniā illiberaliter,dextrū sordida parcitas, sinistrū larga profusio.itē apud forēsibus causis deditos laudatur uafricies,dānatur simplicitas.sunt qui superstitionē quæ si dextram sequuntur,ne in sinistram impietatem incidāt.ergo ne deflectentes incurramus in uitia pugnantia, uotis omnibus omniq; conatu hoc agamus ut recta incedamus per mediam uiam.est autem in medio temeritatis et timiditatis fortitudo,sordes inter et profusionem temperantia,inter uafriciē & stultitiā prudentia memoriaq;,inter superstitionem et impietatem pietas. hæ sunt mediæ uiæ inter utraq; diuerticula, omnes commeabiles & publicæ, per quas non est fas uectari corporeis instrumentis, sed motibus animę cupiētis inambulare in rebus optimis. id molestissime terrenus Edom fert. timet enim suis dogmatibus ne subuertantur confundanturq;: & ideo bellum internecinum minatur, si conemur uiam ui perrumpere,excidendo arbusta eius animæ frugifera,ex quibus in perniciem prudentiæ plantatis fructum non percepit.Non transibis,inquit,per me,alioquin armatus occurrā tibi hostiliter.at nos securi de eius tumultuatione respondeamus quod præter montem transibimus:hoc est assueti cum sublimibus uersari potentijs,et è specula res considerare,scrutariq; rationes singularum,per quas earum es-

sentia

sentia noscitur, contemnimus omnia externa & corporea. abiecta sunt enim & humi repentia, tibi quidem grata, nobis uero exosa: quapropter nihil ex eis attingemus. quòd si uel summo digito, ut uulgus loquitur, tetigerimus, persoluemus tibi preciũ: poterisq́ gloriari, quòd nos uirtutis studiosi à uoluptate inescati fuerimus. Si, inquit, de aqua tua bibero ego et iumenta mea, dabo tibi precium. non mercedē, aurũ argentúmue, qualis inter emētes uendentesq́ fit permutatio: sed precium honorarium quod recipias. nam reuera omnis luxuriosus, aut iniustus, aut timidus, cum uidet aliquem tetricum, aut laborem fugere, aut uictum à lucri cupidine, aut captum uoluptatis amatorio, lætatur & gaudet, id honorem suum reputans: & efferens se apud uulgum iuueniliter ac gestiens, incipit philosophari de suis uitijs tanquam necessarijs ac utilib. dicens quòd alioquin ille uel ille uir laudatus nō sustinuisset his implicari. Ergo sic alloquamur omnes istos miseros: si aquā tuā bibero, siue tuum aliquid indiscreto impetu attigero, persoluam tibi pro dedecore precium honorificum. dignus enim es. dabimus. nam ista tibi chara omnino nihil sunt. An putas mortalem rem ullam uere esse ac subsistere, & non tanquam in suggesto quodam ab inani & incerta opinione sustineri non aliter quàm somniorum ludicra? quod si non libet singulorum fortunas perquirere, uide regionum integrarum & gentium mutationes iu melius ac deterius. Floruit quondam Græcia, sed Macedones abstulerunt ei potentiam. postea Macedonia uiguit opibus, sed diuisa in plures portiones debilitata est, donec omnino interijt. ante res Macedonũ inclyta fuerat Persarum felicitas: sed una dies tam ingenti regno finem attulit: & nunc Persæ penes quos paulo ante fuerat imperium, sunt Parthorum prouincia. Fuit & Ægypti olim perampla magnificaq́ potentia, sed nubis in morem præterijt eius felicitas. Quid Æthiopes, quid Carthago in Africa? quid Pontici reges, quid Europa Asiaq́, & ut compendio dicā, totus orbis habitabilis? no'nne more nauis fusq́ deq́ iactatę marinis fluctibus, nunc secundis uentis, nunc aduersis utitur? nam uerbum diuinum choreas in orbem ducit, quod uulgus hominum fortunā nominat. & cum perpetuò feratur per ciuitates, gentes, regionesq́, res aliorum alijs omniũ omnibus tribuit, subinde uariātibus apud singulos temporibus: ut totus terrarũ orbis tanquā una ciuitas optimo reipublicæ genere administretur, populari regimine. Nihil igitur est in humanis rebus ac negotijs præter umbram auramq́ leuissimam, sine mora præteruolantem. eunt enim ultro citroq́ tanquam æstuaria. nam & marini æstus nūc cum magno impetu sonituq́ accedūt, & longe lateq́ per littora diffunduntur undis stagnantibus: nunc refluunt retro, magnamq́ maris partem in formam continentis redigunt. Simile quiddam accidit, quando fortuna postquam populosam aliquam gentem inundauit magnis felicitatibus, fluxu aduerso ne guttam quidem sinit reliquā, deletis etiam uestigijs opulentiæ pristinæ. Verum hęc reputatio non omnes tangit, sed solos rectę constantisq́ rationis asseclas. Ipsorum eñ sunt ambæ hę sententiæ: Cũ rebus creatis commercium est nihili, præter montē iter faciemus. Nō est eñ possibile nisi sublimi ac montano itinere, uitatis rebus mortalibus euadere ad immortalia. Quapropter Edom terrenus, cælestem regiamq́ uirtutis uiam intersepire

uult: ficut diuinum uerbum uiam illius & fectam eandem fequentium, inter quos & Balaam referendus eft. nam & hic eft terræ progenies, non cæleste germen, argumento certifsimo, quod auguria falfasq; diuinationes fequês, ne animæ quidem oculo reclufo uidit refiftentem fibi angelum dei, ut conuerfus retrorfum abftineret ab iniuria: fed ita fe commifit imprudẽtiæ flucti bus inundantibus, ut obrueretur ab eis. tunc enim dubio procul nec curabi libus nec fanabilibus morbis laborat anima, quando accedente redargutione (is eft fermo dei nuncius, præuius & impedimenta fubmouens, ut inoffenfi gradiamur per regiam uiam) fine iudicio noftras fententias præferimus illius monitis, quæ ad caftigationem correctionémque totius uitæ noftræ adhibere non definit. quamobrem quifquis non paret, nec reueretur talem redargutorem, cum faucijs interibit, confectis afflictisq; per affectionũ uulnera. quorũ calamitas exemplo effe poterit nondum deploratis quantũ ad purificationem attinet, ut conẽtur placare in fuo pectore fitum iudicem. & facient, fi eius rectifsimis decretis non opponent fuametipforum iudicia.

PHILONIS IVDAEI DE CONFVSIONE LINGVARVM.



HACTENVS de his dixiffe fufficiat. deinceps non obiter confideranda funt quæ de confufione linguarum philofophatur. Sic enĩ loquitur: Erat aũt terra labij unius, & fermonum eorundem. Cumq; proficifcerentur de oriente, inuenerũt campum in terra Sẽnaar, & habitarunt in eo. & dixit quifq; ad proximũ fuũ: Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni. habueruntq; lateres pro faxis, & bitumen pro luto, & dixerunt: Venite ædificemus nobis ciuitatem & turrim, cuius faftigium pertingat ad cælum, & celebre faciamus nomen noftrum antequam diuidamur in uniuerfam terram. Defcẽdit autem dominus ut uideret ciuitatem & turrim, quam ędificabant filij hominum, & dixit dominus: Ecce unus eft populus, & unum eft labium omnibus: cœperuntq; hoc facere, nec defiftent à cogitationibus fuis, donec eas opere compleant. Venite igitur & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unufquifq; uocem proximi fui. Atq; ita diuifit eos dominus in omnes terras, & defiuerunt ædificare ciuitatem & turrim. Idcirco uocatum eft nomen eius Babel, id eft confufio: quia ibi confufum eft labium uniuerfæ terræ: et inde difperfit eos deus fuper faciem cunctarum regionum.] Quibus maiorum inftituta difplicent, homines impij, et tantum ad accufandas leges diferti, arreptis impietatis anfis talibus, fic cauillantur: Etiam nunc extollitis præcepta ueftra ut ueritatis regulas? Ecce facri quos uocatis libri fabulas continent, quales alijs referentibus irridere foletis. nec opus eft eas legibus interfperfas per ocium colligere, quafi calumniandi

andi studio, satis erit huius praesentis uos commonefacere. haec una certe simillima est illi de Aloadis, quos optimus poetarum Homerus conatos narrat fuisse tres maximos montes alium super alium aggerere, sperantes se hoc modo facile sibi uiam munituros, qua ad ętheream sublimitatem euaderent, de quibus extant hi uersus:

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atque Ossae frondosum inuoluere Olympum.

Olympus, Ossa, Pelion: montium sunt nomina, pro quibus legislator inducit turrim extructam ab eius seculi hominibus, qui propter demētiam & uastum animum conati sunt caelum attingere, consilio longe stultissimo. nam etiamsi uniuersae terrae partes superstruerentur fundamento modico, ut in unius columnae formam attollerentur, tamen longissimo interuallo abessent à sphaera aetherea, praesertim iuxta opinionē philosophorum qui scrutantur talia, terram centrū esse mundi asseuerantium. Pręterea quiddam aliud huic simile de animalium una lingua proditur à fabularum scriptoribus. narratur enim olim animantium omnium terrestrium, aquatilium, uolucrium eandem uocem fuisse: & quemadmodum nunc homines Graeci cū Gręcis, barbari cum suae linguae barbaris habēt sermonis commercium: ita tum illas omnes cum omnibus collocutas de suis rebus ac negotijs, ita ut & conquererentur inter se, & uicissim condolerent de calamitatib. ediuersoque rebus laetis gratularentur. nam uelut in una republica putabant ad se pertinere alienas quoque prosperitates ac aduersitates, & eos affectus etiam in sermone quotidiano non obscure prae se ferebant, donec lasciuientes prae bonorum praesentium copia, ut saepe fieri solet, ultra decorum proruperūt rerum non concupiscendarum amore, ut per legatos immortalitatem, à senectute immunitatem, perpetuamque iuuentam sibi poscerent, ęquum se postulare dicentes, quando hoc munus iam uni ex eorum numero serpenti contigisset, hunc enim exuta senectute denuo repubescere. iniquum autem esse, ut praestantiora deteriori cedant hac parte, & multa uni. quam audaciam mox sua poena sequuta est. nam confestim uariatae sunt animalium linguae, ut ex illo tempore non possent se inuicem intelligere, impediente uocum diuersitate, in quas loquela quae prius communis fuerat, diuisa est postea. Caeterum alia uero propior narratio disiungit à brutis homines, & hos solos ait habuisse unicam linguam communem omnibus. tamen haec quoque fabulosa putatur. atqui haec uocis in plurimas diuersas loquelae species disiectio, quae linguae confusio uocatur, in remediū peccatorum adhibita dicitur, ne cōmunicato consilio crimen fieret publicum: utque, si conferrent in unum operas, alteri muti essent alteris. attamen nihil hoc, quantum apparet, profuit. Nam etiam post diuisam linguā, deductasque in diuersa loca tot gentiū colonias, nihilominus terrae mariaque repleta sunt malis ineffabilib. nam non lingua, sed similis animarum ad peccandum procliuitas, cōmunicatae iniquitatis causa est. siquidem etiam lingua mutilati, nutibus, aspectibus, alijsque corporis gestibus ac motibus, non minus quàm uerbis prolatis, uoluntatem suam significant. huc accedit, quod saepe una gens, non lingua solum eadem, uerum etiam eisdem utens legibus ac moribus, ad tantam peruenit maliciam, ut pec

catis conferri posSit cum reliquis omnibus hominibus:& ob imperitiam linguarum multi ab insidiatoribus ex improuiso sunt oppressi, ediuerso harũ scientia multos exemit imminentibus periculis. itaque prodest magis quàm nocet linguæ cõmunicatio: quando nunc quoque per singulas regiones, præsertim indigenarum, nihil æque incolumitati confert ac lingua omnium eadem. tum si quis plures linguas ediscat, mox probatur ab earũ peritis, & pro amico agnoscitur, non leue argumentum societatis afferens loquelam familiarem, unde mox accedit securitas à periculis. Cur igitur quasi malorũ causa esset lingua cõmunis ex omnibus sublata est, quæ debuerat confirmari ut perutilis. has hominum maliciosorũ cauillationes seorsum redarguent quibus promptũ est ad tales quæstiones ex aperta legum scriptura sine contentione respondere, qui non sophismatibus repellunt sophismata, sed sequuntur ueritatis seriẽ nusquam sinentem offendere, & impedimenta dimouentẽ facile, ut sermo ex his posSit euadere. Dicimus igitur istis uerbis: Erat uniuersæ terræ labium unum et uox una, significari magnorum ineffabiliumque malorum consonantiã, quibus ciuitates à ciuitatibus, gentes à gentibus, regiones à regionibus impetuntur uicisSim, & quibus homines non solũ in se inuicem iniusti fiunt, uerum etiã in deum impij. & hæc quidem populorũ sunt crimina. consideremus & uiritim inenarrabilem uitiorum multitudinẽ, præsertim si accedat ille inamœnus, ineptus, & male modulatus concentus. Fortuita quis nescit, cum in paupertatem, obscuritatẽ, corporis morbos aut mutilationes incidunt, item in infirmitates animæ, desipientis præ atra bile aut lõgo senio; aut alio quocunque grauiore infortunio. nã unumquoduis è iam dictis abunde sufficit ad subuertendũ & deijciendũ hominẽ, etiam fastu magno tumidum. quod si plura eum uelut ex composito aggrediantur eodem tempore, animæ, corporis, & externa, quid cogitari potest miserius? cadentibus enim stipatoribus, etiam stipatum necesse est cadere. est autem corporis satellitium hoc, diuitiæ, gloriæ, honores, à quibus elatum in sublime se ostentat: sicut ediuerso à contemptu, obscuritate, paupertate oppugnatur tanquã ab hostibus. item satellites animæ sunt, auditus, uisus, odoratus, gustus, & tota cohors sensuum. adhæc sanitas, integritas, robur, potentia. horum enĩ ualida ope suffultus, communitusque animus incedit exultabundus, & suauiter degens quicquid libet exequitur, omnibus uijs ei nunquam non patentibus. Verum & his satellitibus non desunt aduersarij, sensuum orbationes morbique ut dixi, qui aliquando mentem agunt in præcipitia. & hæc quidem à fortuna impendent, uehementer difficilia miseraque, leuiora tamen si conferantur cum malis uoluntarijs. quis autem sit horum quoque concentus, rursum per se consideremus. Cum anima nostra tripartita sit, pars eius mens & ratio, pars ira, pars concupiscentia esse dicitur. singulæ suis morbis laborant, atque etiam inter se communibus uniuersæ: quoties mens quidem imprudentiæ, timiditatis, luxuriæ, iniustitiæ segetes demetit: ira uero immanes furiosasque rabies, & cætera quibus grauida est mala parit: concupiscentia quoque amores semper iuueniliter leues, & temere ad quæuis corpora & ad quaslibet res aduolantes, quocunque immittit. tunc enim tanquã in naui nautis, uectoribus, gubernatoribus, per dementiam in eius perniciem consonãtibus

etiam

etiam qui perdunt unà pereunt. grauissimum enim malorum est, & pene solum insanabile, omnium animæ partium ad peccandum consensus, cum tanquam in publica pestilentia nihil sani sit reliquũ, quod ægrotis mederi possit: sed & medici unà cum uulgo laborant, eadem qua cæteri lue correpti. Clades hæc describitur apud legislatorem in mentione diluuij: quando & à catarractis cæli magno impetu imbres inundauerunt: & à terra, à corpore inquam, multi magniq́; fontes affectionum profusi, fluenta sua coniunxerunt miscueruntq́; cum aquis prioribus, ut totam animæ regionem occuparent suorum gurgitum uorticibus. Videns, inquit, dominus deus multiplicatam esse maliciam hominum super terram, et uniuscuiusq; cogitationes intentas esse ad malum omni tempore, decreuit in hominem, in hunc inquam reptilibus, uolucribus, alijsq; brutis et immitibus bestijs circũdatũ, animaduertere, cuius iniquitatem iudicaret esse insanabilem. pœna aũt fuit diluuiũ. Tantum sibi libido peccandi permiserat, cohibente nemine, et affluente unà cum copia rerũ fruendi licentia. et merito. non eñ una certa pars animæ corrupta fuit, ut ei succurri posset à sanis cæteris, sed nihil integrũ incorruptũq; relinquebatur. Videns, inquit, non unius, sed uniuscuiusq; cogitationes, cõuenientem pœnam incorruptus iudex eis inflixit. hi sunt illi confœderati apud uallem salsuginis. est eñ cauus, asper, angustisq; faucibus strictus locus affectuum, uere salsos amarosq; dolores afferens: in quo factũ fœdus nullis sacris nulloue iureiurãdo dignum sciens ille sapiens Abrahã, fœderatos profligat. dicitur eñ eos omnes conspirasse in ualle salsa: quæ est mare salinarũ. Annon uides illos orbata sententia, cæcatosq; mente quæ acutũ cernere debuerat, ex re nomen habẽtes Sodomitas, iuuenes unà cum senioribus, totũ simul populũ, circũ ędes animę cursare, ut diuersantes in eis sacrosanctos sermones, custodes et pręsides, probris afficiant, nemine uel opponente se iniurijs eorũ, uel alienante à tãto facinore. Non eñ pars populi, ut legitur, sed uniuersus domũ circundedit, iuuenes unà cum senioribus, coniurati contra diuina uerba & opera, quæ scriptura suo more uocat angelos. Attamen diuinus uates Moses occurrens, eorum cohibebit impetum, etiamsi ductu sui regis irruant audacissimi & ad dicendũ promptissimi, auctisq; copijs undatim affluãt. Ecce, inquit, Ægypti rex ad aquã ueniet. ibi tu oppones ei te stãs in labio fluminis. Ergo malus uir exit ad fluenta peccatorũ & affectuũ, quæ per aquam significantur. at uir sapiens primum accipit à deo semper stante nec unquã mobili munus illi conueniens, ut & ipse firmus consistat. dictum est enim: Tu uero hic sta mecum: ut exuta omni dubitatione ac ambigentia, quæ sunt uitia parũ constantis animi, fidem certissimũ firmissimumq; habitum induat. Deinde non contentus stare, quod mirandum est, obsistit etiã. dicitur enim ei: Sta ex aduerso. Quorum alterũ quidem, uidelicet occursus, in motu, alterum uero, hoc est, statio, in quiete consideratur. Nulla tamen est in his uerbis pugna, sed egregie cũ rerum natura cõgruũt. Nam cuiuscunq; sententia suopte ingenio quieta est, nec facile à recto flexilis, hic solet resistere undabundis rebus omnibus, tranquillitatem tempestate ultro accita turbantibus. Sed bene habet quòd in labio fluminis occursus factus dicitur. Sunt autem labra oris extremitates & septa linguæ, per quę sermo profluit, quando

quando proferendus est. Sermone autem etiã hostes uirtutis, modo studio si disciplinarum sint, utuntur ad defendenda improbata dogmata: sicut ediuerso boni ad mendacia tollenda è medio, & ad uerorum bonorum confirmationem inuincibilem. proinde quoties omni rudente moto contentiosorum dogmatũ assertores oppresi rationibus aduersarijs pereunt, merito uictoriale carmẽ ille sapiens cũ suo sacrato choro modulabitur. Vidit, inquit, Israel Ægyptios, non alibi mortuos quàm ad labium fluminis. Mortem dicens non animæ seiunctionem à corpore, sed impiorũ dogmatum prolationem, quæ per os efferebantur & linguã instrumentaq́ue uocis cætera. Porrò sermonis mos est silentiũ, non quo bene morati præ se ferunt reuerentiam: nam & hoc facultas quædam est ad eloquentiam pertinens, dispensatrix distendi temporum: sed quo impotes fandi propter aduersariorum uchementiam inuiti utuntur, nullã inuenientes dicẽdi occasionem. quibus quicquid tentant effluit: quocunq; insistunt, nequeunt uestigium figere, ut prius quã consistant cadant necessario: qualis est aquaria machina quæ helix uocatur. In cuius medio gradus quidã sunt, quos rusticus quoties agros uult rigare scandit, ac mox necessario dilabitur. & ne continue cadat, proximum fulcrũ utraq; manu retinet, quo totum corpus sustentat. interim pedes manuum, manus uero pedum funguntur officio. insistit enim manibus, quarum est agere: operatur pedibus, quorum est stare. Multi autem cum non posint uerisimilia sophistarum commenta fortiter refellere, quod non sint admodum in dissertationibus exercitati ut distenti actionibus, confugiunt ad illius qui solus est sapiens auxiliũ, & opem eius supplices inuocant. sicut & quidam è Mosis familiarib. in suis hymnis precatur: Muta fiant labia dolosa. Qui autẽ poterunt hæc silere, nisi ab eo qui solus etiã sermonis est dominus, obturata fuerint? Ergo conuentus qui peccandi causa confluunt, continuato cursu fugiẽdi sunt: cum prudẽtię uero scientiæq́; socijs fœdus pangendum. quapropter eorũ qui dicũt: Omnes unius uiri sumus filij, pacati sumus: miror consensum consonum. quibus libenter dicerem: & qui fieri potest o boni, ut nõ bellum oderitis, pace delectemini, cũ unum eundemq́; patrẽ profiteamini, non mortalem sed immortalẽ, hominem dei: qui cũ sit illius sempiterni sermo, necessario ipse quoq; incorruptibilis est. nam quicunq; multa principia suæ animę genitiua faciunt, multorũ deorum superstitioni nefariæ dediti, alij colunt alios, & autores fiunt tam seditionũ ciuilium q̃ externorũ tumultuum, ab initio uitæ finem usq; bellis perpetuis implicati. qui uero gaudent uno genere, & unum parentem rectũ sermonem colunt, miranturq́; harmoniam & musicam uirtutum concinentium, serenam tranquillamq́; uitam exigunt: non tamen ociosam ignauamq́; ut quidam existimant, sed admodũ uirilem, & ualde acrem contra studiorum suorum interpellatores, & indesinentes turbatores fœderum. nam qui suopte ingenio pacem amant, bellicosi debent esse, in statione collocati cõtra infestantes quietem animę. testis est mihi primũ cuiusq; uirtutibus dediti animus ad hũc modum dispositus. deinde unus è prophetico sodalitio, qui numine afflatus exclamat: O mater, qualem me peperisti hominẽ pugnæ, et hominẽ iniucundũ uniuersæ terræ, nec ipse profui, nec mihi profuerũt: neq; uires meę defecerũt ab execrationi

bus

bus eorum. An non omnis sapiens omnibus stultis perpetuus hostis est, oppugnans eos non classibus aut machinis aut exercitibus sed rationibus? Cũ eñ in media pace continue homines in se inuicem insurgentes priuatim ac publice uidet, nec tantum gentes, regiones, ciuitates, castella, sed etiam singulas domos, singulos uiros mutuo se bello impetere: quis non præsentes obiurgat, admonet, castigat, interdiu noctúq; nõ conquiescens, eo quod ipsius anima nullam quietẽ admittere queat ob innatũ odium maliciæ. nam eadẽ quæ in bello, etiam in pace patrantur facinora omnia, spoliant, rapiunt, captiuant, prædantur, uastant: uim, cruciatum, stuprum, probrum offerũt: aut dolo clam, aut ui palam, quantum possunt interficiunt. nam cum diuitias aut gloriam singuli finem propositum habeant, ad hunc tanquam tela uitæ actiones omnes dirigunt, æquationem iuris negligunt, inæqualitatem diligunt, societatem auersantur, unusquisque cupit occupare aliena omnia, osor hominum & exosus inuicem, simulator beneuolentiæ, adulationis fucatæ amicus, amicitiæ germanæ hostis, ueritatis inimicus, propugnator mendacij, tardus ad iuuandum, celer ad nocendum, ad calumniam promptus, ad patrocinium cunctator, impostor, periurus, infidus, iræ mancipium, uoluptatis seruus, malorum colluuies, bonorũ corruptor. hęc et huiusmodi sunt illius admirãdæ pacis bona desiderabilia, quorum simulacra in uniuscuiusque anima posita coluntur & adorantur, id quod merito male habet omnem sapientem, ut exclamare cogatur ad matrem nutricémque suam sapientiam: O mater, qualem me peperisti non uiribus staturáq; magnum, sed improbis infestissimum, uirum iniucunditatis ac pugnæ, natura pacis amantẽ, ideoq; infensum pulcritudinem eius dehonestantibus. Nec ipse profui, nec mihi profuerunt: nec illi bonis meis unquam usi sunt, nec ego malis eorum: sed ut est apud Mosem, rem concupitam accepi ab illorum nemine; quippe qui omnia quæ isti concupiscunt ac reponunt tanquam utilissima, pro noxijs habeo, neq; uires meæ defecerunt ob execrationes quibus me deuouẽt. Sed forti potentia diuinorum dogmatum protectus, non defeci præ lassitudine, imò tanto uehementius obiurgaui meos execratores. Posuit enim nos deus in contradictionẽ uicinis nostris, sicut & in sacris hymnis alicubi dictũ est de omnibus bonæ mentis cupidis. Annon à natura contradictores fuerunt omnes studiosi uirtutis atq; scientiæ, semper concertando cum uicinis animæ, redarguendoq; uoluptates finitimas, & unà degentes concupiscentias, ignauiæ quoq; pauori cæterorumq; affectuũ ac uitiorum cohorti resistendo in faciẽ: adhæc sensus omnes redarguendo, de his quæ uiderũt oculos, de his quæ audiuerunt aures, nares de exhalationibus, gustum de saporibus, atq; etiam tactũ de accidentibus ei iuxta corporis potentias proprietatibus. imò etiã sermonẽ mentis interpretẽ, de his quæ libenter proloquitur. Scrutandum est eñ non obiter, quid quóue modo, & quam ob rem uel sensus sentiat, uel sermo interpretetur, uel affectus afficiat, & erratum suum cuiusq; redarguendũ. Qui aũt nulli horum contradicit, sed omnibus deinceps annuit, ignorat q; seipsum decipiat, potẽtes uicinos finens munitiones contra animam struere, quos debuerat subditos potius habere quàm dominos: qui si imperent, multa magnaq; damna dabunt, regnante apud ipsos amentia:

tia. cum uerò sunt subditi, faciunt imperata, nec iugum excutiunt. atque ita dum pars obedire discit, pars non scientiam tantum, sed & facultatem imperandi obtinet, totum animę satellitium consentiet. accedentesq; ad eum qui inter ipsos est senior, dicent: Pueri tui redegerũt in potestatem summarium uirorum bellatorum, qui nobiscum sunt. ne unus quidem ex eis occisus est. sed quemadmodum instrumenta musica adaptata egregie sonis omnibus, ita nos omnibus praeceptis consoni. nec uerbum ullum inconcinnum & absonum diximus, nec factum fecimus, ut cum nobis collatus chorus ineruditorum uideri possit omnino mutus & exanimis, qualis ridendus ille corporis nutritor Madiam, & progenies huius, nomine coriaceam molem significans, somnolentus Beelphegor. sumus enim genus electum Israelis uidentis deum, inter quos ne unus quidem discrepat, ut uniuersitatis instrumentum totus mundus harmonijs musicis consonet. quapropter etiam Moses bellicoso sermoni, qui uocatur Phinees, honorem pacis ait se tradere, quòd uirtutis aemulus, et uitij hostis, totam eius generationem excidit in posterum, modo quis uelit perspicere & scrutari diligenter, & oculis auribusq; suis testibus credere, quòd nihil sit certi in rebus mortalibus, sed omnia pendeant ab opinionibus. Miranda igitur consonantia de qua modo diximus, sed magis etiam mirifica & omnes harmonias superans, communis totius populi, qui introducitur uno ore dicere: Omnia quaecũq; dixit deus faciemus & audiemus. nam hi iam non rationis ductum sequuntur, sed ipsum deum ducem omnium, ideoq; ad facta magis quàm ad uerba properãt. Cum enim alij audita faciant, isti quod mirandum est, prae diuino quodam impetu aiunt facturos se prius, deinde audituros: ut non propter doctrinam & admonitionem, sed ultro & suapte sponte uideantur ad bona opera occurrere. Post factum autem audituros se aiunt, ut quae fecerũt dijudicent, an cum sacris praeceptis consonent. Caeterum coniuratos illos ab oriente profectos ait inuenisse campum in terra Sennaar, et ibi sedes posuisse.]Id iuxta naturam dictũ est. Sunt enĩ in anima duae species orientis, altera melior, altera deterior, melior, quando solarium radiorum more splendor uirtutum exoritur. deterior, quando his obscuritatis lucent alia. Prioris exemplum est hoc: Et plantauit deus paradisum in Edem contra orientem, non stirpium terrestrium, sed caelestium uirtutum, quas è suo incorporeo lumine nũquam extinguendas plantator ille accendit. Ex Mosis quoq; socio quodam audiuimus dictum hoc, Ecce homo cui nomẽ Oriens. Noua appellatio si intelligatur de homine qui constat ex anima & corpore. sin autem de illa incorporea deum referente imagine, fateberis ei nomen hoc inditum aptissime. Hunc enim antiquissimum filium rerum pater exoriri uoluit, quem alibi primogenitum nominat: qui genitus mox patrem imitatus est, & qualia uidit apud eum exemplaria, tales formauit species. Deterioris autem orientis exemplum extat de illo, qui uolebat à deo benedictum execrari. nam & ille ad orientem habitare dicitur. sed hic oriens quamuis commune cum priore nomen habet, re tamen est diuersissimus. E Mesopotamia, inquit, acciuit me Balac, è montibus orientalibus, dicens: Veni, ut execreris quem deus nõ execratur. Interpretatur autem Balac amens: nec immerito, qui sperabat se posse decipere illum

Qui

Qui est, & certam eius sententiam humanis argutationibus irritam facere. Ideo Mesopotamiam habitat, mentem habens quasi submersam in medijs fluminibus, nec enatare ualentem, nec emergere. Talis autem affectus ut exortus insipientiæ, sic occasus bonæ mentis est. proinde isti quorum narratur dissona consonantia, profecti ab oriente dicuntur. Vtrum ab oriente uitiorum? Nam eos qui à uirtutis oriente proficiscuntur, disiungi legimus, uitijs pariter obnoxiorum unitus motus est: sicut cum manus non seorsum suis artubus, sed qua cum toto corpore cohærent, unà mouentur. Nam insipientia malis dux est ad opera non naturalia, quæ uitiorum est regio. Quicunque autem à uirtute demigrantes sequuntur insipientiam, conuenientem sibi nacti locum inhabitant, qui Hebraica lingua Sennaar, Græca uerò excussio uocatur. Conuellitur enim & concutitur quassaturq; tota malorum hominum uita, semper confusa turbataq;, ne uestigium quidem germani boni in se retinens. nam sicut ea quę excutiuntur, nihil nisi concretum retinent: sic & cuiusque cum iniquis confœderati anima mihi uidetur excuti. omnes em̄ uirtutis species abijcit, ut nec umbra nec imago eius ulla fiat reliqua. certe gens Ægyptiorum amantissima corporis, non ab aqua, sed sub aquam fugere inducitur: quæ ubi semel subiecit se affectibus, quassatur ac miscetur, in locum bene cōstitutæ pacatæq; uirtutis tumultibus uitiorum succedentibus. Legimus enim excussos Ægyptios dum per medias marinas undas fugiūt. Hi sunt qui ne Iosephum quidem norunt, fastum uitæ uarium, sed propalā peccantes, ne uestigium quidem, aut umbram, aut simulacrum ullum honestatis sibi reseruant. Exortus est, inquit, rex alius super Ægyptum, qui ne infimum quidem & nouissimum bonorum Iosephum nouerat: qui non modo perfectiones, sed & profectus ignorabat: & tantum à uisione perfecta aberat, ut ne auditu quidem quicquam perceperit, dicens: Adesdum execrare mihi posteritatem Iacob, & maledic nepotibus Israel. ac si diceret: Veni, extingue uisum auditumq; animæ, ne quid uere bonum honestumq; uel uideat uel audiat. uisum em̄ Israel, auditum Iacob significat. Talium mens omnem boni naturam abijcit, excussa quodammodo: sicut proborum ediuerso meras sincerasq; ideas bonorum consectans, excutit reijcitq; cætera tanquam folia. Contēplare illum meditatorē quid loquatur: Tollite deos alienos quos habetis è medio uestrū, et purificamini mutate ꝑ uestes, & facto agmine ascendamus in Bæthel: ut etiamsi Laban postulauerit potestatem inquirendi in totam familiam, non inueniat simulacra, essentias ueras insculptas in mente sapientis, quæ ad Isaac familiam à seipsa doctam pertinent iure hæreditario. nam hic solus accipit paternam substantiam. Hic obserua quod non ait, eos uenisse in campum in quo manserunt, sed quæsitum inuenisse, utiq; postquam dispexerunt ubi nam esset locus ad insaniam commodissimus. Ita est profecto, insipiens non aliunde accipit, sed ipse sibi quærendo mala inuenit, non contentus his per quæ misera natura ultro incedit, sed cumulans ea malis artibus & exercitijs. atq; utinam paulum ibi commoratus migraret aliò: nunc habitare ibi postulat. dicit enim scriptura, quòd inuento campo habitarūt ibi tanquam in patria, non tanquam inquilini regionis externæ. Leuius enim malum fuisset, si postquam in peccata inciderant, pro alie-

nis ea peregrinisq; habuissent, non pro cognatis ac domesticis. inquilini em̃ potuissent discedere, sedibus uero semel electis immanendum erat postea. quapropter apud Mosem sapientes omnes inducuntur inquilini. nam horum animæ in coloniam è cælo missæ sunt. solent enim uisendi ac discendi gratia peregrinationem in terrenam naturam suscipere. ibi hospitio corporis usæ, & contemplatæ sensibilia mortaliáque omnia, retro unde uenerant redeunt, memores cælum sibi ciuitatem esse ac patriam, in his uero terræ finitimis uti se tantũ hospitio. cæteris enim colonis nouæ sedes eximunt desiderium ueteris patriæ: sed hæc reditum suorũ expectat, et ipsi redire desiderant. Itaq; merito Abraham qui mortuam uitam sepulchrumq; reliquit, mortuorum custodes & mortalium rerũ dispensatores sic alloquitur: Aduena & inquilinus sum ego inter uos. uos autem indigenæ, qui cinerem & puluerem pluris facitis quàm animã, dum uobis præfecistis Ephron, quod nomen significat puluerem. Merito aũt & meditator ille Iacob inquilinum se in corpore queritur dicens: Dies annorũ uitæ meæ quibus inquilinus sum, pauci maliq; fuerunt: non peruenerunt ad dies patrum meorum quibus inquilini fuerunt. At illi à seipso docto etiam oraculum redditum est hoc: Ne descendas in affectionem Ægyptũ, sed habita in terra quam tibi indicabo, in mãsione incorporea inuisibiliq;, interim inquilinum age in hac uisibili & sensibili essentia. ut ostenderet, sapientem in sensibili corpore peregre agere, cum patriam habeat uerumq; domicilium in uirtutibus intelligibilibus, quæ ex uxore dei procedunt nihil differentes ab eius sermonib. Moses aũt, Aduena, inquit, sum in externa regione. Egregie, ne hoc quidẽ honore corpus dignatus, ut inquilinum eius se profiteretur, sed alienum se ab hoc existimans. Cæterum malus uir ostendere uolens, unam linguam unumq; labiũ non in uocabulis situm, sed in societate facinorum, rursum aggreditur negotium, & turrim tanquam arcem tyranno uitio struit, sodales omnes ad hoc opus conuocans, ut paratam materiem suggerant.

Venite, inquit, faciamus lateres, & coquamus eos igni.] Ac si dicat: Nunc permiscuimus & confudimus omnes partes animæ, ut speciei nullius ulla forma iam appareat: consentaneum igitur his cœptis fuerit, ut quando essentiam specie qualitateq; carentẽ, affectum & uitiũ assumpsimus, diuidamus eã usq; in extremas qualitates & species. quo magis eas percipiamus, earúmque usumfructum, qui cognitus maiorẽ uoluptatẽ pariturus uidetur. Adeste igitur cogitationes omnes & ratiocinationes, tanquã uocatæ in senatum animę. quotquot iustitiæ uirtutumq; omniũ curatis perniciẽ, ut collatis consilijs dispiciamus, quomodo assequi possimus optatũ exitũ. assequemur certe si rem gerendã auspicabimur à fundamento hoc: ut informia formemus figuris additis, circũscribamusq; singula, ne uacillent & claudicent, sed fixa firmaq; maneãt, assumpta quadratæ formæ natura. hæc em̃ cum sit inconcussa indeflexaq; laterculi more, etiã quæ superædificabuntur sustinebit firmiter. talis structuræ quęlibet aduersa deo mẽs, quem Ægypti, id est, corporis regem dicimus, inuenitur opifex. hunc em̃ Moses inducit delectari latericijs ædificijs. postquã em̃ aliquis aquã terramq;, illam humidam, hãc solidã essentiam, ne dilaberentur corrũperenturq;, miscuit, et ex his duobus tertiũ quid

dam

dam utriꝗ cognatũ effecit,quod lutũ uocatur, in portiones hoc secare non desinit,suam cuiꝗ segmento formam affingens,ut firma fiant & ad structu- ram cõmoda.sic em̃ opus absoluitur nõ magno negocio.hoc imitati homi- nes prauo ingenio , postquã brutos & nimios affectionum impetus miscue- runt cũ grauissimis uitijs,secant eã temperaturã in species,quas fingunt for- mantꝗ miseri , ex quibus contra animam arx celsa erigitur:dum sensus diui duntur in uisum,auditũ,gustum,odoratũ,tactum;affectus in gaudiũ,concu piscentiam,timorẽ atꝗ dolorem: uitiorũ genus in imprudẽtiam, luxuriam, timiditatem,iniustitiã, & his cognata cætera. Nec desunt his etiam nequio- res,qui non contenti hunc conatũ suscepisse,etiã alios ipsis meliores,ad con templatiuum genus pertinentes , cogunt lateres facere, & ciuitates munitas ædificare, suo regi, ut uideri uult, intellectui: & hoc agunt,ut declarent bo- num seruire malo,affectus plus posse quàm tranquillitatem animi,pruden- tiam cum uirtutibus subditam esse imprudentiæ cæterisꝗ uitijs, ut necesse habeant dominorum imperata facere.Ecce,aiunt,etiam animæ oculus luci- dissimus,purissimus,omnia cernens acutissime, cui soli deũ uidere licet, nõ mine Israel , implicitus aliquando corporeis Ægypti cassibus perfert iussa grauissima,ut lateres faciat & alia terrena opera cũ ingenti labore ac uexatiõ ne : quapropter merito doletac gemit, quippe cui hoc unũ suppetit,uberes in tantis malis lacrymę.Nam recte dicitur, quod ingemuerunt filij Israel prę grauitate operum. Et quis sanæ mentis uidens uulgi opera, nimiaꝗ studia, pecuniæ,glorię,uoluptatũ,non uehementer doleat, et ad solum seruatorem deum exclamet,ut ille mala subleuet,persolutoꝗ pro anima precio,in liber- tatem eam uindicet?Sed quæ tandem est hæc libertas?Illi soli sapienti serui- re,sicut testantur oracula in quibus dictum est:Emitte populum, ut mihi ser uiat.Est aũt proprium seruientium ei Qui est, ut nec pincernarum,nec pisto rum,nec coquorum opera , nec alia terrena ulla fingãt componantꝗ corpo ra in modum laterum:sed ascendant cogitationibus ad æthercam celsitudi- nem, præeunte Mose amico dei carissimo . tunc enim manifeste contemplã buntur locũ,in quo deus insistit rectus & immutabilis:et scabellũ pedum ei us lapidi sapphiro simile & firmamento cæli,uidelicet mundũ hunc sensibi- lem,qui per hæc significatur.decet em̃ ut fœderati scientiæ taliũ spectaculo- rum sint cupidi: & si non amplius, saltem illam imaginem uideant, uerbum sacratissimum,deinde hunc mundum etiam inter opera sensibilia perfectissi mum.nam philosophari nihil est aliud, quàm his perspiciendis diligẽter stu dere,sensibilis autem mundus scabellum dei dicitur has ob causas. Primùm ut liqueat,quod creaturis non insit causa efficiẽs. deinde ut discamus, quod totus mundus nõ suo libero motu mouetur,sed gubernatur à deo rerum di spensatore, qui salutariter clauũ moderatur uniuersitatis, idꝗ sine manibus ac pedibus alijsꝗ creatis partibus iuxta doctrinam uerissimam . non est em̃ deus similis homini, quamuis nõnunquam docendi causa dicantur de eo ta lia,dũ nõ possumus ultra nosipsos sapere, sed ex nostris accidentib. de Inge nito illo conjecturas quasdã facimus.Illud quoꝗ perpulchre se habet,quod mũdus assimilatur figuræ laterculi. uidetur em̃ & ipse stare hærereꝗ quan- tum uisu percipitur,quamuis utatur motu ocyssimo,nullam non præuolan

te creaturam. nam interdiu solem, noctu lunam, stare imaginantur oculi corporis: cum tamen nemo nesciat, horum siderum cursum esse concitatissimum, quæ totum cælum intra unam diem obeunt. sic & uniuersum cælum quod stare uidetur, in orbem circumuoluitur, qui motus inuisibili diuinoq; mentis oculo comprehenditur. Inducuntur autem hos lateres igni coquere: quod significat, affectus ac uitia calido motiuoq; sermone confirmari, ne à sapientiæ satellitibus deleri possint, qui semper moliuntur eis perniciem. quapropter additum est, Fuerunt eis lateres pro saxis.] Quod enim rarum ac fluidum est in bruto impetu, in naturam solidam resistentemq; constipatum & densatum, mutatum est rationibus ualidis & demonstrationibus certissimis, postquam contemplationes perceptæ uirilem quandam maturitatem assumpserunt, quæ in tenera ætate diffluunt propter humiditatem animæ, nondum ualentis impressas formas durare conseruareq;. Et bitumen fuit eis pro luto.] non contrà lutum pro bitumine. uidentur enim mali quæ infirma sunt communire contra meliores, & fluxa dissolutaq; compingere, ut ex tuto in uirtutem iaculentur. Sed propitius pater bonorum non sinet illorum substructiones constabiliri, & non subsistente uano studio reddet eas labiles, tanquam molle lutum & fluidum. quod si lutum factum esset, in bitumen fortasse terrenum istud sensibile quod est in fluxu continuo, sodalitatem accepisset perpetuam & durabilem. Sed quoniam uersa uice bitumē in lutum mutatū est, bono simus animo. est enī certa spes fore, ut firmę uitiorum munitiones excidātur per dei potentiā. Itaque iustus ille in magno continuoq; uitæ diluuio, nondum ualens absq; sensibus animo solo res uere cernere, arcam, corpus inquā, intus et extra bitumine perungit firmitatis gratia. cessante uero & terrore & periculo tempestatis illius iam se remittentis, exibit adiutus intellectu incorporeo ad percipiendā ueritatē. nam illud elegās ab ipsa natiuitate ingeniū quod appellatur Moses, pro patria mundum habēs in cuius ciuitatē ascriptum est, astrictū uni loco bitumine piceq; oblito corpori, putanti se omnes rerum sensibus subiectarū imaginationes capere seruareq;, deplorat se uinctum, incorporeā naturam desiderās: deplorat etiā inflatam & errantem mentem uulgi miseri, quę pendens à falsa opinione, putat inesse sibi aliquid certū firmumq;, aut in uniuersum creaturam ullam esse immutabilem, cū perpetuæ stabilitatis exemplum in uno deo sit propositū. Cæterum illa uerba, Venite ædificemus nobis ipsis ciuitatē & turrim, cuius fastigium usq; ad cælum pertingat, tale quiddā subindicant. Ciuitates apud legislatorem non tantum uulgares istæ intelliguntur, uerum etiam quas homines in animabus suis circunferunt. hæ uidentur exemplares, ut diuiniorē paraturam sortitę. illę uero harum imagines, cum constent ex essentia corruptibili. sunt aūt duæ ciuitatis species, altera melior, altera deterior. melior, in qua sub populari administratione reip. ciues ęquo iure uiuunt, legibus principatum obtinentibus. hęc ad laudem dei pertinet. deterior aūt, adulterina, falsæq; monetæ, in qua penes uulgum est regimen, & inæqualitas est in precio, præsidente iniquitate atq; iniustitia. in prioris ius probi ascribuntur, in posterioris ignauorum multitudo, perturbationem magis quàm ordinem, & confusionem magis quàm bonam constitutionem diligens. Insipiens au

tem

tem socios postulat, nō contentus peccatis proprijs: hortaturq́ ad nauandā sibi operam nūc uisum, nunc auditū, nunc sensus cæteros ut incunctāter prę sto sint, & pro uiribus, suū quisq́ ministeriū accōmodet. accersit etiā & concitat cæteras cateruas affectuū suapte natura indomitorū, ut prælia meditari do inuictus euadat. Hos igitur socios mens his uerbis cōcitat: Ædificemus nobis ciuitatem, ac si dicat, partes nostras cōmuniamus, circūdemus nobis firma mœnia, ne simus expositi hostilibus incursationibus, distribuamur in tribus & curias, in quas adscribantur insitę in animæ potētiæ, & pars brutis contribuatur, pars rationalibus. magistratus aūt eligamus nobis cōmodos, opulentiam, gloriā, honores, uoluptates, per quos adipiscamur potentiā, exclusa iustitia paupertatē obscuritatēq́ afferre secum solita. Scribamus leges quę faueāt potētioribus, quorū ut reip. utiliorū, pręcipua habenda est ratio. in primis turris extruatur, quę uitio tyrāno sit pro arce regiaq́ munitissima, cuius pedes in terra nitātur, caput ad cælū pertingat, magnanimate ad tantam celsitudinē penetrans. nam certū est eam nō in solis humanis iniquitatibus consistere, sed properare ad cælestia per impios & deo infestos sermones, dum aut cæli numē negat, aut prouidentiā eius, aut mundi cōditi principium: uel si hunc creatū concedit, tamē et causas eius incertas putat, & motū ei moderatū adimit, affirmans eū nunc perperā, nunc cōtumaciter agitari, sicut naues aut quadrigas circensiū: quę nunquā sine gubernatore aurigaq́ feruntur cursu prospero. at prouidētia non interdū, sed humana sæpe, diuina semper bonū habet euentū. nam error cōfessione omniū abest à diuina potentia. Proinde hac figura significatur, insanos homines malitiæ rationē tanquam turrim ædificare, nihil aliud quærentes nisi ut nomē suum magnū magis quā bonū transmittant ad posteros, dicunt em̄, Faciamus nobis nomē.] o insignem impudentiā. quid aitis? cum debeatis tenebris uestras iniquitates abdere, & prætextū eis si non uerū certe uerisimilem quærere, uel ad ineundam apud honestiores gratiam, uel ut effugiatis pœnas confessorū criminum: audetis tantū non in clarissima luce uos ostentare, cōtemptis & minis hominum & supplicijs diuinitus infligēdis sine clemētia? & insuper circumquaq́ rumores nunciosq́ iniquitatū uestrarum dimittendos censetis, ut nemo nesciat, nemo non audiat uestra o miseri ac scelesti facinora? At quale tādem nomen cupitis? certe quale factis uestris conuenit. id uero est ne unum solum? genere fortassis unum, sed in species distinctū innumeras, quas uel silentibus uobis opprobrabunt alij. inest enim uobis petulantia cum impudentia, contemptus cū uiolentia, uis cū cæde, stupra cum adulterijs, cum immoderatis uoluptatibus immensa cōcupiscentia, cū temeritate insolentia, cū calliditate iniustitia, cum furacitate rapacitas, cū mendacijs periuria, cum iniquitatibus impietas. hęc sunt ista nomina, et his similia. bella uerò gloriatio, captare celebritatē nominis ex his quæ celari debuerant. Sunt tamē qui ualde sibi rebus talibus placent, putantes inde se lucri facere præclarā existimationem apud homines, qui ultrices tam im̄anis audaciæ diras non effugiēt, non solum presagientes, sed & præuidentes suū interitum. quos libenter sic alloquerer: Scitis fore ut dissipemini. Cur igitur peccatis? Sed fortasse morem insipientiū proponit, qui etiam maximis pœnis non obscure sed manifeste

feste impedentibus, ab iniurijs non temperant. sunt aūt notissimæ artes malæ, quas solet ferire diuina ultio. & pessimi quoq; cogitant deum non ignorare ipsorū maleficia, nec se posse illius animaduersionē depellere. alioquin unde sciunt se dissipādos? attamē dicunt. Priusquā dispergamur.] Profecto conscientia redarguit, in pectore, & quanquā contemptores dei stimulat, ut uel inuiti cogātur intelligere, humanas res administrari à natura præstantiore, & esse iustitiā quę implacabiliter scelera uindicet, infensam iniustis impiorum facinorib. & eis etiam qui his patrocinantur. Verū isti omnes sunt semper morientis, & nunquā emortuæ miserię posteritas, illius quę Cain nominatur. Annō & Cain post natū sibi filiū, quem nomine idem quod ipsius significāte appellarat Enoch, inducitur ciuitatē condere, & quodāmodo creaturas mortales ædificare, ad subuersionē rerū diuiniorē apparatū sortitarū? Nam Enoch interpretatur gratia tua. At impius quisq; opinatur quod cogitat & intelligit esse intellectus sui gratiā: quod uidet, oculorum: quod audit, aurium: quod olfacit, nariū: itidemq; cętera officia fert accepta suis sensibus, sicut & sermonem uocis instrumentis. deum aūt causam esse negat, aut contendit non esse primariā. ideo primitias agriculturę suæ sibi reponit, contentus obtulisse deo de fructib. quamuis exemplū salubre haberet in proximo. nam frater eius primogenita, non secundarios gregis partus sacrificat, confitēs antiquissimas causas esse penes autorē antiquissimum. at impius opinionem tuetur contrariā: intellectum habere suæ uoluntatis potestatē liberam, & sensum sentire quicquid uult. iudicare eīm uere libereq;, hunc de corporibus, illum de omnibus. atqui adeo sunt reprehensibiles, & à ueritate cōuincibiles, ut nihil supra. nōnne intellectus sæpe in reb. innumeris delirij coargutus est? nōnne sensus omnes deprehēsi in falso testimonio? nō pro tribunali rationis, quæ & ipsa falli potest, sed ipsa natura iudice, cuius incorruptissimum est iudicium. proinde cū et intellectus noster et sensus sit in lubrico, necessario fatendum est deum nobis impluere & cogitationē et uim percipiendi. & hanc gratiā nobis cōferri non à nostris partibus, sed ab illo cui totum debemus quicquid sumus. At arrogantes filij hæreditatē à patre acceptā capiunt ad cælum extruere, donec iustitia uirtutis amica, uitiorum hostis, aggressa ciuitates cōmunitas cōtra miseram animā, et has demolitur & turrim cuius nomen in Iudicum libro scriptum extat. id Hebraice dicitur Phanuel, interpretatur aūt Auersio dei. nam quęuis munitio quę per ratiocinationes probabiles adstruitur, ad nihil aliud ædificatur, quā ut mentem diuertat & deflectat à cultu dei, quo conatu quid esse possit iniquius? uerū contra hanc turrim deprædator & hostis iniustitiæ suscipit expeditionem, qui Hebraice uocatur Gedeon, & interpretatur prædonū receptaculū. Iurauit, inquit, Gedeon Phanuelitis dicens: Cum uictor in pace reuertar diruā turrim istam. Egregia comminatio, decens animam hostiliter affectam erga malos & impios, fore ut subruantur omnes rationes quæ ducūt ad impietatem, & solet ita fieri. Cum enim mens conuertitur, destruitur quod auersum fuerat: & quod iure mireris, huius demolitionis tempus ait esse non bellum sed pacem. mentis enim stabilitate quieteq; quam pietas solet parere, subuertitur omnis ratiocinatio quam struxit impietas. Sunt etiam multi qui sensus in modum

turris extollunt tantopere, ut ad cæli fines pertingant. per cęlum aūt noster intellectus significatur, in quo præstātes diuinæq; naturæ uersantur. Hæc qui audent, sensum intellectui præferunt, uolentes expugnare intelligibilia per sensibilia, facereq; seruos è dominis, & uice uersa è seruis dominos. Cæterum illa uerba: Descendit dominus, ut uideret ciuitatem et turrim.] figurate accipienda sunt. nam credere quòd deus accedat aut recedat, aut descendat ascendatq;, uel in totum sicut animalia mouentur stet moueatúrue, impietatis est deportandæ in extremas, ut uulgus loquitur, insulas oceani. Sed ista humano more legislator de deo dicit, quamuis haudquaquam humana forma prædito, ad utilitatem discentium, ut iam ante non semel admonuimus. Quis enim ignorat, quòd descendens alio loco relicto alium occupat? Deus autem implet omnia, non contentus sed continens, qui solus ubique simul & nusquam est. nusquam, quia ipse locum & regionem creauit unà cū corporibus, nec fas est authorem intra ullam suam creaturam includi. Vbique autem, quia potentijs suis per terram, aquam, aerem, cęlum extensis, nullam partem mundi destituit, sed omnia inter se inuicem astringit inuisibilibus uinculis, ne unquam soluātur, plurimum laudandus hoc nomine. quod enim celsius est omnibus potentijs, intelligitur eas excedere, cum eas in potestate habeat. uirtus autem illa omnipotens quæ condidit & gubernat omnia, uere deus dicitur, omnia continens in gremio, & omnia penetrans uel minima. id inuisibile incomprehensibileq; numen cum sit ubique, nusquam tamen uere cernitur aut percipitur. & cum dicit: Sto ante te, uidetur quidem se ostendere, sed maior est quàm ut uel indicari possit uel uideri ab ulla creatura. Ergo migratorij motus nomina nequaquam deo conueniunt, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, prorsum, retrorsum: nec tale quicquam intelligitur de illo qui locum non mutat. nihilominus dicitur descendens uisere, qui omnia prius etiam quàm fiant præuidet manifestissime: ut doceamur moneamurq;, ne quis homo de absentib. rebus & incertis putet se posse certam coniecturam facere, sed propius introspecto negotio diligenter cuncta perlustret. uisus enim certus potius quàm fallax auditus, testis adhibendus est. quapropter in optime constituta rep. lege cautū est, ne quis audita dicat pro testimonio, quia iudiciū auditus naturaliter facile est corruptorib. Apud Mosem quoq; inter uetita legitur: Non admittes auditionem uanam. ubi non tantū intercedit, ne quis falsum sermonem aut stultum accipiat aurib. sed docet quòd ad manifestā ueritatis perceptionē longe minus quā uisus idoneus habeatur auditus cū sit refertus uanitatibus. Hanc censemus esse causam cur descendisse dicatur deus, ut ciuitatē ac turrim uiseret. nec temere additū est, Quam ædificarant filij hominū.] Fortassis eī profanus aliquis cauillabitur: Nouā uerò rem nos docet legislator, turres atq; ciuitates non ab alijs ædificari quàm filijs hominum. quis adeò demēs est, ut hęc tam manifesta nesciat? Verū non ista obuia protritaq; considerāda sunt in sacris oraculis, sed uestigāda quæ teguntur sub his apertis uocabulis. Quid igitur hoc est? Qui rebus multos quasi patres tribuūt, et multorū deorum cateruā introducunt, negocia confundentes per imperitiā, & animæ finē uoluptati assignantes, opifices dictæ urbis eiusq; arcis, si uerum fatendū est, facti sunt:

t 4 quas

quas ad finem illum deducunt extruendo tanquam ædificia,ipsi non absimi les opinor natis è scorto,qui à diuina cōcione arcentur lege dicente,Non intrabit natus è meretrice in ecclesiā domini.Isti eīm quasi passim iaculantes sagittarij,qui in nullum scopū præstitutum tela dirigunt, innumera principia causasq́ rerum creatarum supponunt, falsas omnes, cum unū factorem patremq́ uniuersitatis nesciant.sed qui scientiā habent, unius dei filij appellantur merito, sicut & Moses fatetur dicens, Filij estis domini dei. & alibi,Deū qui te genuit.& Nonne hic ipse pater tuus est?Qui sic affecti sunt,solum honestum bonū existimant, quæ est arx ab huius belli peritis cōtra finē uoluptatem sectantiū opposita, ut illum expugnatū tollant è medio.quod si nondum quisquam indignus, ut dei filius appelletur, tu tamen da operam ut ornatus sis sicut uerbum eius primogenitū,angelus antiquissimus,& quidam uariarum appellationū archāgelus:uidelicet principiū,nomen dei uerbumque dictus,& homo factus ad imaginē,& uidens ille Israel. Quamobrem superius adductus sum,ut laudarē eos qui sui generis initia referunt ad unū uirum cōmunem parentē.nam si nondū idonei sumus,ut nominemur dei filij, simus saltē sermonis illius sacratissimi,qui eius sempiterna imago est.imago enī dei est uerbū illud antiquissimum.hoc genus multis in locis lex filios Israel etiam nominat,uidentis illius auditores,quandoquidē post uisum auditus secundum honorē meretur,et qui discunt,posthabendi sunt eis qui absque præceptore manifestas subiectorum formas percipiunt. Proinde ueneror in Regum libris sacras literas,ubi qui post multas ætates flagitiose uixerunt, tamen ad stirpis autorem Dauid hymnorū diuinorū poetam referuntur,qui uiuus uidensq́ ne proauos quidem eorū agnouisset pro suis posteris. animarum enim quas uirtus immortalitati consecrat,non corruptibiliū corporum soboles,in posteritate bonorū uirorū censetur.cæterū de his qui se iactant ob iniusta facinora,dicit dominus:Ecce genus unū & labiū unum omniū:ac si dicat,Ecce una familia cognatioq́ pariter omniū,nemine mutāte sententiā,nec discrepāte,quemadmodū et musicę imperiti consonāt.nam & horum uocis instrumenta interdū modis omnib. incōcinna sunt & dissona,ut nihil inter eos conueniat,nisi quod pariter discrepant.Idem & in febribus usu uenit ut uidemus.nam & quotidiani & tertiani & quartani ut medicorum filij uocāt circuitus,statas horas habent nocturnas diurnasq́, & eundem semper seruant ordinē.Porrò illud: Cœperuntq́ hoc facere,nō sine indignatione dictū est: quod malefici non contēti humanæ societatis iura uiolasse,ad cœlū sint ausi scādere,iniquitatē semināntes,& metētes impietatē. sed nihil proficient miseri.nam qui se mutuis iniurijs afficiūt,sæpe cōsilia quamuis ab ipsis damnata, perducūt tamen ad effectū,impij uero nō item. Numē quod impetunt, illæsum manet, ipsi maculā contrahūt ineluibilē, & ordiuntur quidem iniuriā,sed nihil efficiunt.Propterea sic dictum est:Cœperūt facere homines inexplebiliter peccandi auidi, non contenti facinoribus terra mariq́ patratis & in aere, quæ sunt elementa corruptibilia,decreuerunt naturæ cœlesti ac diuinæ inferre manus impias:quæ cū inter creaturas nō censeatur,est extra omnē aleam iniuriæ.quæ etiamsi maledictis appetatur,nihilo habet deterius,nec à sempiterna sua natura dimouetur, sed maledicis calamitates

mitates infert haud unquam medicabiles. ſiquidem etiamſi cœptis fruſtratis non potuerunt ad deſtinatũ impietatis ſuę finem peruenire, nihilo minus ac ſi cogitatum facinus perpetraſſent, damnandi ſunt. & hoc eſt quod ait abſolutam turrim ab eis, quamuis penderet adhuc, dicens: Dominus deſcendit ut uiſeret ciuitatem ac turrim, non quam ædificaturi erant, ſed quam ædificauerant. & quod argumentũ eſt imperfectæ ſtructuræ? Primum ipſa res ſatis liquet. nulla eñ terræ pars ualet cælum attingere, ob cauſam ſupra dictã, quia nullum centrũ tangit ſuam circumferentiã. deinde, quoniã æther ſacratus ignis, flãma eſt inextinguibilis, iuxta Græcã nominis etymologiam, παρὰ τὸ αἴθειν, quod urere ſignificat. teſtis eſt ſol ignium pars cæleſtiũ, qui ex tanto interuallo intima terræ penetrat ſuis radijs: nec tantũ hanc, ſed & aerem, qui ad cæleſtem uſq; orbem ab ea pertinet, licet ſuapte natura frigidum, partim tepefacit, partim exurit. nam quæcunq; aut multũ diſtant ab eius orbita, aut ad latus alterutrum declinãt, tepefacit tantũmodo. quæ uero aut propinqua ſunt aut directe oppoſita, maiore ui caloris exurit. quæ cum ita ſe habeant, non erat opus ullis fulminibus contra conantes aſcendere, cum alioquin auſus illi magnifici euaneſcerent. Quod ſubindicatur per ea quæ mox ſequuntur. Deſiuerunt, inquit, ędificare ciuitatẽ et turrim.] Dubio procul non quia perfecerant eam, ſed quia confuſio ſecuta prohibuit quominus perficerent. nec tamen effugerunt crimen perpetrati facinoris, qui conſiliũ tam immane non dubitarũt aggredi. certe augurẽ illum et prodigiorum procuratorẽ, uanis coniecturis ſtudentẽ (uanus eñ interpretatur Balaam) lex ait populo uidenti maledixiſſe, quamuis in uerbis eius erat fauſta precatio: mirum ni non reſpectu dictorum eius quę diuina prouidentia recudebat in quandã meliorem monetã, ſed mentis ipſius, cui noxia magis obſeruabantur quàm utilia. pugnant aũt hęc inter ſe ſuopte ingenio, coniectura cũ ueritate, uanitas cum ſcientia, diuino furore carens diuinatio cum ſapientia: et quamuis aliquis conatus per inſidias alterũ interimere fruſtratus eſt, nihilominus homicidij reus eſt, ſicut decernit ſuper hoc caſu ſcripta lex. Siquis, inquit, conatus fuerit proximum ſuũ dolo perdere, & ad altare cõfugerit, abſtractũ afficies ſupplicio. Atqui conatus tantũ non interemit. at par eſt maleficiũ, patraſſe cædem, & decreſſe. quamobrẽ ne ſupplici quidem uenia datur, ſed è ſacrario duci iubetur qui concepit tam nefariũ conſiliũ. profanus eſt aũt & nefaſtus non ſolum quoniam animæ per uirtutis uſumfructũ ualenti perpetuo uiuere, per uitiorũ aſſultũ cædẽ molitus eſt: uerũ etiã quia deum facit fautorẽ auſus impij. nam refugiũ id ſignificat: quoniã multi uolentes euadere propria crimina, & debitis pœnis eripi, facinus ſuum referunt in deũ, nullius mali autorẽ, ſed bonorũ omniũ. proinde pium habetur tales uel ab ipſis delubris abſtrahere. Extat aũt inſignis pœna cõtra impietatis aſſertores, quã fortaſſe quidã inſipientes non damnũ ſed lucrũ arbitrabũtur. Non deficient, inquit, ab eis omnia quæcunq; aggreſsi fuerint facere. o infinitam & immenſam miſeriã: omnia quæcunq; aggredietur mens dementiſsima, ſuccedunt ex ſententia: nec magnus nec paruus conatus fruſtrabitur ullus, ultro negotijs animæ occurrentibus & ſeſe præbentibus. hęc ſunt animæ uiduatæ indicia, peccantis abſq; impedimentis omnib. nam quiſquis eſt non prorſus inſanabilis, optarit

rit se cōsilio mentis destitui, ut cum furtum aut adulterium aut homicidium aut sacrilegium aut aliquid simile tentat committere, successu careat, & innumera inueniat obstacula. nam cohibitio maximum morbum arcet iniustitiæ: quod si adsit licentia, ille uitari non poterit. Et adhuc tyrannorum fortunas o beati suspicitis, quibus procliue est quiduis efficere, quod rabido efferatoq; animo concipiunt? imò gemenda est illorum conditio. siquidem inopia & infirmitas malis prodest, bonis uero potentia cum opibus. Certe quidam ex insipientum numero postquam sensit ad quantam infelicitatem perducit libertas peccandi, ait, Maior est culpa mea quàm ut remittatur. Est enim ualde graue animam sine freno sinere per se indomitam, quæ habenis ægre coercetur & scutica. quamobrem oraculum propicij Dei plenum bonitate spem egregiam ostentat disciplinæ amatoribus, quod sic est redditū: Non dimittam te neq; deseram. nam laxatis animæ uinculis, quibus cōtinebatur, maxima sequitur calamitas, à deo deseri, qui suas ipsius potentias circundedit rebus omnibus tāquam fortissima uincula, & his eas indissolubiliter adstrictas esse uoluit. quin et aliubi dicit, quicquid ligatur uinculo purum esse, quando impuritatis causa est dissolutio. Caue igitur quoties uides aliquem quidlibet expedite facere, mireris tanquam fortunatū: sed potius ut infelicē miserare, cui uirtutum sterilitas, uitiorum ubertas perpetua contigit. Nec illud in transcursu & leuiter expendendum est, quid sibi uelit quod ibidem ex persona Dei dicitur: Venite descendamus & confundamus linguam eorum.] uidetur enim quosdam alloqui tanquam operationis socios. idem & antea de hominis creatione dictum legitur. Dixit, inquit, dominus Deus: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: ubi uox Faciamus pluralitatem significat. & rursum dixit deus: Ecce Adam factus est sicut unus è nobis, ut noscat bonum & malum. nam illud, unus è nobis, non de uno, sed de pluribus ponitur. Dicendum igitur illud primùm, nihil in rebus æquiparari deo, sed hunc esse unum regem ducem principem, à quo solo fas est administrari ac dispensari uniuersa. nam illud,

Multos imperitare malum est, rex unicus esto,

non ad ciuitates & homines magis pertinet, quàm ad mūdum & deum. Vnum enim unius factorem, patrem, dominum esse, necessum est. quo cōcesso, attexenda sunt quæ inde consequenter dependent. quænam illa? deus cum sit unus, dici non potest quàm multas habeat socias potentias, quæ salutem rerum procurant, quædam etiam plectunt noxios. ea uero pœna non est damnosa, cum peccata castiget ac coherceat. per quas item potentias ille incorporeus intelligibilisq; mundus compactus est, exemplar huius mundi uisibilis: quod constat ex ideis inuisibilibus, sicut hic noster ex corporibus uisibilibus. Vtriusque pulcritudinem admirati quidam, non solum ipsos totos consecrauerunt, uerum & partes eorum præcipuas, solem, lunam, cælum, nōn ueriti eas deos appellare. quorum cogitationem Moses intelligens, inquit, Domine domine, rex deorum: ut iudicaret eum esse præstantiorem quàm subditos. Est & in aere animarum incorporearum sacratus chorus, asseclа illarum cælestium. nam has solent angelos nominare diuina oracula, hic uniuersus exercitus in suos digestus ordines, imperatoris sumi iussa

exequitur,

exequitur,& huic uni moderatori suo sicut fas est obsequitur:in quibus copijs non licet reperire desertorē ordinis. Rex ipse his ministerijs stipatus, utitur eis duntaxat ad ea negocia, quæ decet non à solo deo tractari. quamuis enim nullius ope indigeat pater omnium, qua subleuetur quoties uult aliquid facere: tamen uidet quid se, quid creaturas deceat, & quædam potentijs subditis efficienda permittit, ne his quidem cōcessa facultate in totum libera, ut ne quod erratum in generatione admittatur. Hæc igitur necessario primum dicenda habui, nunc dicam quid inde colligitur. Animalium naturæ prima diuisio fit in partes brutam rationalemq́. rationalis pars subdiuiditur in mortalem speciem et immortalem alteram, mortalem hominum, immortalem animarum incorporearum, quæ uersantur in cælo & in aere. hæ uitiorum expertes sunt, sortem adeptæ felicem nullisq́ calamitatibus obnoxiam, quippe quæ non alligantur corpori miseriarum domicilio. bruta quoque carēt uitijs, sicut et mente, proinde nō fiunt rea peccati uoluntarij, quando nulla præcedit deliberatio. solus propemodum ex omnibus homo habens bonorū malorumq́ scientiam, sæpenumero eligit contemnenda, fugit sectanda magno studio, quapropter merito peccati sponte admissi reus peragitur. conuenienter igitur huius creationem deus cum subpræfectis suis communicat dicens: Faciamus hominem: ut & benefacta eius ad ipsum autorem solum referantur, & peccata ad cæteros socios. nam ipsi omnipotenti non erat conueniēs, in rationali anima uiam ad uitia sternere. quam ob rem ministris eam partem faciendam commisit. nam complementum totius operis postulabat, ut uoluntario contrarium iungeretur inuoluntarium. & hæc quidem hactenus dicta sint. superest & illud considerandum, deum bonorum tantummodo causam esse, mali autem prorsus nullius: quandoquidem ipse bonum omnium antiquissimum est & perfectissimum. Decet autem suæ naturę propria operari optimum optima: improborum autem pœnas per eius ministros sanciri. attestantur meis dictis illa uerba perfecti meditatoris: Deus qui nutrit me à iuuentute mea, angelus qui eripit me ex malis omnibus. hic quoque nunc fatetur, germana bona, quæ studiosas uirtutis animas nutriunt, ad solum deum autorem referenda: malorum autem portionem commissam angelis, ac ne his quidem liberam puniendi facultatem habentibus, ne cui ad perniciem tendenti salutaris illa natura occasionē præbeat. quapropter dicit: Venite descendamus & confundamus. hanc enī censuram merentur impij, ut beneficæ alioquin, benignæ propinæq́ potentiæ pœnas ab eis exigant: quas deus sciens humano generi utiles, per alios statuit. oportebat enim castigationem adhiberi, sic tamen ut perennes gratiarum fontes nullis malis miscerentur, non solum his quę uere mala sunt, sed etiam quæ esse uidentur. Nunc quærēdum quæ sit illa confusio: at quomodo quærendum? sic opinor. Sæpe ignotos ex similium & eiusdem generis collatione cognoscimus. ad eundem modum etiam res quę per se non facile noscuntur, manifeste apparebunt per cognatarum similitudinem. Quid est igitur confusioni simile? mixtura, sicut à maioribus traditur, & temperatura. mixtura in aridis rebus, temperatura in humidis. est igitur mixtura corporum diuersorum perturbata coniunctio: quasi quis hordeū, triticum, pisum, cęterasq́

tasq; frugum species in unum aceruum congerat. temperatura uero non est coniunctio, sed dissimilium partium mutua penetratio, quarum semel temperatarum qualitates arte quadam secerni queunt, quod dicunt in uino & aqua contingere. nam hæc duo si uniantur, temperaturam conficere, quæ nihilominus redire possit ad qualitates pristinas. si enim spongiam imbuas oleo, aquam ea colligi, uinum relinqui. fortasse quia spongia ex aquis genita cognatum liquorem ex temperamento attrahit, uinum uero ut alienum respuit. at confusio fit cum penetrãtibus se inuicem partibus qualitates earum pereunt, ut corruptis rebus quę prius fuerant: unius nouæ, & à prioribus diuersæ, existat generatio: quod accidit in medicorũ compositione, quam uocant tetrapharmacum: quæ constat opinor è cera, pice, resina, et adipe: quę semel composita non possunt arte ulla separari, ut redeant ad qualitates pristinas. sed cum singulæ nusquam appareant, ex omnibus corruptis una egregia facultas conficitur. Quoties autem deus minatur confusionem cogitationibus impijs, ea non singulis tantum uitiorum speciebus earumq; uiribus intentatur, sed & operibus eorum quæ fiunt de communi sententia: ne uel singula, uel communicatis consilijs, uires colligant ad delendam partem præstantiorem. quapropter ait: Confundamus ibi linguam eorum, ne audiant uocem quisque sui proximi. Iac si diceret, muta surdaq; faciamus uitia singula, ut nec loquendo nec assentiẽdo damnum dent. Hęc est nostra super hoc textu sententia. Qui uero aperta solum & obuia sectantur, putant hic describi ortum linguarum Græcarum ac barbararum. quos equidem non accuso: fortasis enim & ipsi recte sentiunt: attamen admonitos cupio, ne hactenus processisse contenti sint, sed transeant ad tropologiam, sic existimando, diuina oracula esse umbras quasdam corporum: cæterum quę per has significantur, esse res uerisimas. id si quis animo cæcutiens parum intelligit, occasionem ab ipso legislatore porrectam non negligat, uel hoc ipso in loco. Confusionem enim rem hanc appellat: qui si uoluisset solum ortum linguarum indicare, aptius diuisionem appellasset quàm cõfusionem. non confunduntur enim quę in partes distribuuntur, sed discernuntur potius: ut nõ minor pugna sit inter hæc uocabula, quàm inter res ipsas. est enim confusio, sicut iam dixi, facultatum simplicium corruptio, quæ simul congestæ unam quampiam generant. separatio uero est unius in plura sectio: sicut cum genus aliquod in plures diuiditur species. Itaq; si ille solus sapiens uoluisset unã loquelam in plures partes diuidi, alijs aptioribus & magis proprijs usus fuisset appellationibus: puta diuisionem dicendo, aut distributionem, aut separationem, aut aliquid huiusmodi, non confusionem, quæ plane contrariũ significat. Verùm hoc nunc est propositum, disijcere uitiorum constipatum cuneum, irritare horum fœdera, societatem conuellere, copias fundere fugareq;, imperium ui euertere, quod erat communitum iniquitatibus maximis. Viden' ut opifex ille noluit conspirare partes animæ? non oculi possunt audire, non aures cernere, non olfacere labia, non gustare nares, non ratio fungi officio sensuum, sicut nec sensus ualent in uocem erumpere. norat enim ille artifex, non expedire, ut hæc se inuicem exaudiant: satius esse, ut singulę animæ partes intra suas functiones consistant, & inconfusæ maneant: id'que

non

non minus conferre animantium generi, quàm priuatim ipsis potentijs.e diuerso uitia deducta sunt in confusionem & extremam perniciem: ut nec collatis uiribus,nec priuatis conatibus,detrimentum afferant partibus meliori bus.& hoc est quod dicit:Dispersit eos dominus illinc:ac si diceret,dissipauit,eiecit, profligauit.nam spargere aliquando ad incrementum & augmentum pertinet, aliquando ad interitum & perniciem. Vult autem ille rerum plantator deus, honestatem esse omnibus insitam, dispergi uero & exulare extra mundi terminos impietatem execrabilem,ut tandem tollatur è medio ciuitas uitiorum,cum infensis uirtuti moribus,impietatis turrim substruentibus.his enim dissipatis, quotquot per insipientiæ tyrannidem coacti sunt solum uertere, uno edicto reuocantur in patriam: quod ipse deus promulgat,diserte dicente oraculo:Etiamsi dispersus fueris à summo cælo ad extremitatem eius aduersam, sic quoq; te colligam. Itaq; concentum uirtutum à deo foueri decet,uitia uero dispergi & profligari.nec est aliud nomen quod uitio magis conueniat quàm confusio.id quod euidens est in quouis insipiente,qui uerbis,consilijs,factis improbatis confusisq; utitur.

PHILONIS IVDAEI
VITA SAPIENTIS PER DOCTRINAM PERFECTI, SIVE DE LEgibus non scriptis, hoc est De Abrahamo.



SACRAE legis quinq; uoluminum primum uocatur & intitulatur Genesis,ob mundi generationẽ sic nominatum,quã in principio continet:quamuis in eius reliquo res innumeræ insertæ sunt bello paceq; gestæ, item sterilitates fertilitatesq;, penuriæ copiæq;, adhæc maximæ clades terrarum, incendium, & diluuium,& ediuerso reparatio felixq; prouentus animalium pariter atq; stirpiũ:prout ferebant uel aeris temporumq; quotannis alternantium temperaturæ, uel mores hominum aliàs uirtuti deditorum, aliàs uitijs. Sed quoniam ista uel partes mundi sunt uel accidentia,mũdus autem ipse opus perfectißimum ac plenißimum,ab eius generatione liber denominatus est. de quo opificio quantum potui diligenter tractaui in superiore uolumine. Nunc quoniam ordo postulat,ut leges scrutemur,dilatis ad tempus particularibus earum ceu imaginibus,generaliores & quasi exemplares primum disquiremus.Hæ sunt uiri qui rectè ac sine culpa uixerunt,quorum uirtutes publicatæ sunt in sacrarum literarum tabulis,non tantum ad laudem illorum, uerum etiam ad lectores in æmulationem prouocandos. fuerunt enim illi inanimatæ rationalesq; leges,duabus de causis uenerabiles.altera,quoniam ostendunt quòd præcepta legis à natura non discrepant.altera, quòd hinc liquet nõ esse opus magno labore ad

exigendam uitam iuxta legum regulam, quando illi prisci ante leges singillatim proditas non scripto iure usi pari facilitate atque felicitate uixerunt: ut merito quis dicere posit, leges scriptas nihil aliud esse quàm uitarum patrum cõmentarios, in quibus eorum dicta factaque narrantur. nam illi scholas nullas frequentauerant, nullis præceptoribus usi fuerãt, sed à seipsis instituti doctique ordinem naturæ secuti sunt, quę lex est dubio procul antiquissima omnium: quam ipsi ius summum fasque rati esse, totam uitam suam ultro ei subdiderunt: fortuitas autem res precibus & supplicationibus cõmendantes deo propicio, hac quoque parte uixerunt feliciter, accedente ad promptam recte agendi uoluntatem diuina quoque prouidẽtia. Quoniam igitur principium parandorum bonorum spes est, etiam hanc tanquam publicam uiam ostendit & aperit anima ueri boni studiosa, quæ primum amicum spei nominat hominem, uocabulum totius generis commune tribuens ei per excellentiã: nam Chaldæi hominem Enos uocãt: ac si solus uere homo sit, qui res bonas expectat, & bona spe se sustinet. Vnde manifestum est, quod spe carentem nõ hominem existimat, sed bestiam humana forma præditam, cui desit spes proprium ornamentum humanæ animæ. Quamobrem cum uellet egregie laudare hunc bene sperantem, postquam dixit: hic sperauit in patrem & in factorem omnium: subiecit, Hic est liber generationis hominum, quamuis iam & patres & aui quidam erant. Sed illos mixti generis autores censebat, hunc autem puri putique, quod rationale uere dicitur. nam sicut Homerus inter cæteros innumeros poeta per excellentiam uocatur, & attramentum quo scribimus, quamuis atrum sit quicquid albo opponitur, & ἄρχων Athenis è nouem magistratibus pręcipuus, cuius nomen in fastis distinguit tempora: eodem modo bene sperantem hominem per excellentiam nominat, secretum à uulgo ignobili, & indigno tali appellatione. Nec minus recte librum generationis ueri hominis dixit, non extra propositum, quandoquidem hic bene sperans celebratione memoriaque dignus est, non in chartulis corrumpendis à tineis, sed in immortali natura, penes quam sunt commentarij uirtutum omnium. quod si quis initiũ numerandi faciat à primo illo terrigena, hunc à Chaldęis Enos, à Latinis nominatũ hominem, quartũ inueniet. Qua ternarius aũt inter numeros honoratur apud alios quoque philosophos, qui incorporeis & intelligibilibus essentijs delectantur, sed præcipue apud Mosen illum sapientissimũ, qui extollens quartum numerum ait eum sanctum & laudabilem, sicut in præcedente opere dictum est. Sanctus aũt & laudabilis est qui bene sperat, sicut ediuerso profanus & uituperabilis qui non sperat, timore semper utens malo consiliario: negant enĩ ullas duas res tam infestas esse inuicẽ, quàm spem & timorẽ. & merito. nam utraque est expectatio, altera bonarũ rerum, altera cõtrà malarũ, inter quas naturas nulla possunt intercedere fœdera. Hactenus de spe dixisse sufficiat, quam in foribus ceu ianitricẽ natura collocauit, intus uero cęteras uirtutes regias, quas adire licet nemini qui nõ prius hanc unã demeruit. proinde legislatores et leges passim promulgatæ pro magno negocio habent replere bona spe animos ingenuos. qui uero absque alieno hortatu bene sperat, nõ à scripta, sed ab iñata sibi lege discit hãc uirtutẽ, cuius ipsa natura autor est. post spẽ secũdum ordinẽ tenet

pœni-

pœnitentia peccatorum & correctio. ideo deinceps memorat in melius mutatum hominem Enoch dictum Hebræis, id est, gratiosum, de quo sic legimus, quòd placuit Enoch deo, & non est inuentus, quoniam transtulit eum Deus.]nam hæc translatio uersionem et mutationem significat. fit autem in melius, quandoquidem fit per dei prouidentiam. quicquid enim deo fauente agitur, omnino bonũ est ac utile: sicut inutile quicquid citra opem numinis. Recte uero & illud dicitur, Non est inuentus, de trãslato: eo quod prior uita culpabilis euanuerat, ut nõ inueniretur amplius, ac si ne fuisset quidem unquam antea. uel quod non facile inueniatur qui ad potiorem ordinẽ transeat: quia uitium suapte natura late patet, ideo uulgo notissimum: uirtus rara est, ut uix paucis contingat. & alioquin etiam uir improbus per fora, theatra, tribunalia, curias, conciones, omnesque cœtus atque sodalitates hominum cursitat, quippe curiositati assuetus, linguam habens sine ullo fine modoque & iudicio uolubilem, cõmiscens confundensque omnia, ueris mendacia, dicendis cęlanda, priuatis publica, sacris profana, serijs ridicula, ignorans silentium rem esse pro tempore ac loco pulcherrimam. proinde arrectis auribus, quo satisfaciat suæ curiositati, bonos malos rumores captat, ut mox aut gaudeat, aut inuideat. est enim quiuis malus ingenio malicioso, inuido, honestati aduerso: ediuerso probus quietæ uitæ amator secessum & solitudinem diligit, latere ignotus cupiens, non societatis humanæ odio, est enim cum primis amans hominum: sed quia fugitat uitia quibus uulgus delectatur, lætum rebus dolendis, gaudio dignas ægre ferre solitum. Quapropter inclusus domi se plerunque continet, uix unquam limen transcendens: aut quo salutatores crebros deuitet, abdens se in aliquod rusculum solitarium, suauius uicturus cum uiris præstantissimis, quorum tempus aboleuit corpora, solis uirtutibus eorum superstitibus. quæ in literis prorsa uorsaque oratione proditæ ad posteritatis memoriam, in meliorẽ frugem reducunt animas. Quamobrem dictum est, quòd translatus non inueniebatur, uidelicet uestigatu & inuentu haud facilis. Traijcit igitur in eruditionem ex ignorantia, imprudentiam ex imprudentia, in fortitudinem è timiditate, in pietatem ex impietate, ex uoluptatum amore in temperantiam, ex ambitione in modestiam, cui mutationi non opes, non regnum, non imperium conferendũ est. Nam si uerum fateri uolumus, diuitiæ, non illæ cæcæ, sed acute cernentes, sunt uirtutum possessio: quę cum sit uera et legitima, longe præstãtior censenda est, quàm isti adulterini & falso nominati principatus. Sed meminisse debemus pœnitentiam secundo post integritatem gradu consistere, sicut post sanitatem corporis reualescentiam. Ergo perpetua perfectio stat proxima diuinæ potentiæ: cæterum processu temporis ad meliora transitus, est propria dos bene natæ animæ, quæ contemptis puerilibus studijs, per solidiora & magis uirilia contendit ad tranquillam constitutionem, discurrentem per cogitationes honestissimas. ideo merito post pœnitentem subsequitur deo charus uirtutis amator, qui Hebraice Noe, Latine quies, siue iustus, uocatur, nominibus sapienti conuenientissimis. id quod de iusto manifestum est. Nihil enim iusticia melius, quæ principatum inter uirtutes tenens, ornat earũ chorum maxime. Nec minus quies, cum ediuerso præter naturam motus excitare

tare tumultus, turbas, ſeditiones, atque bella ſoleat, quæ improborum ſunt negocia. At honeſtatis amatores quietam, immotam pacatámque uitam præferunt. & hoc eſt quod à ſeipſo non diſſentiens uates ſabbatum Hebræorum ſeptimum quenque diem, quietem nominat: non, ut quidam putant, quia poſt ſex dierum ſpatium populus abſtinebat à conſuetis operibus, ſed quia ſeptenarius numerus, tam in mundo, quàm in nobis confeſsione omnium habetur pacatiſsimus, & à ſeditione, bello, contentione alieniſsimus. Atteſtantur mihi quę nobis inſunt potentiæ. Harum enim ſex indeſinenter bella terra mariq́ concitant, quinque ſenſus & ſermo qui profertur: illi deſiderio ſenſibilium, quibus ſe non potiri ęgre ferunt: hic per os infrene, multa ſilenda effutiens. At ſeptima potentia. nempe mens cęterarum dux, quando in poteſtate illas ſex retinet, & perdomitis eis in ſeceſſum ſe recipit, amans ſolitudinis & contenta ſecum ipſa colloqui, nullius externi confabulatoris indiga: tum demum à curis ac negotijs mortalibus liberata, uitam ſerenam tranquillámque complectitur. In tantum autem ſcriptura magnifacit hunc uirtutis amatorem, ut in ſtemmate eius non more aliorum auos, proauos, maioresq́ cæteros, recenſeat, ſiue paternos ſiue maternos, ſed uirtutes quaſdam, tantum non diſerte clamitans, nullam aliam familiam, cognationem, patriam, ſapientis eſſe præter uirtutes & harum actiones. Hæ ſunt, inquit, generationes Noe. Noe homo iuſtus, perfectus in generatione ſua Deo placuit. Vbi ſciendum, quòd hominem non uulgari loquendi forma, rationale mortale animal uocat, ſed per excellentiam eum qui uere ſuo reſpondet nomini, eiectis ex animo immãſuetis, rabidis ferinisq́ uitiorum affectibus. Argumento eſt, quòd poſt hominem addit iuſtum, dicens, homo iuſtus: quia nemo iniuſtus eſt homo, ſed potius beſtia humana forma prædita: in ſolum autem iuſticiæ ſectatorem nomen hoc competit. Hunc etiam perfectum fuiſſe ait, per hoc docens, non unam eum uirtutem, ſed omnes habuiſſe, ſingulis uſum pro tempore. Poſthæc tanquam in ſacro certamine uictorem ornat ampliſsimo pręconio, eum deo placuiſſe pronuncians: quo quid eſſe poteſt in rerum natura potius? cum ſit manifeſtiſsimum honeſtatis ac probitatis indicium. Si enim qui Deo diſplicent ſunt miſeri, quibus placere contigit, proculdubio felices erunt. Nec alienum uidetur à propoſito, quòd poſt laudatas tantas uirtutes in homine, adiecit perfectum fuiſſe in ſua generatione: indicans eum non abſolute, ſed collatum ad eius ætatis cæteros bonum fuiſſe. Nam non multo poſt memorabit ſapientes alios, uirtute incomparabiles, qui non cũ malis collati meliores et illis anteferendi iudicati ſunt: ſed quia felicem naturam adepti, ſeruarunt eam incorruptam: nec effugerunt ſcelerata ſtudia, ſed ab initio manſerunt ab eis integri: cúmque potiſsimum bene dicendi faciendiq́ haberent ſtudium, uitam exegerunt ornatiſſimam. Admirandi ſanè homines, qui liberales ingenuóſque appetitus ſecuti, nec imitabantur cæteros, nec per contentionem quicquam aiebant, nihil niſi iuſtum ac honeſtum ſibi optando. Mirandus tamen & ille qui ætatis ſuæ præſtantiſsimus, nullis rebus eſt implicitus, quas uulgus diligebat tantopere. huic ſecundæ partes laudis debentur, illorum uero primam palmam natura eſſe uoluit. Magnum tamen fuerit uel in ſecundo loco conſiſte

re:

re:quid enim nisi magnum et ambiendum uel dat deus uel accipit:argumẽto est gratiarum excellentia, quas hic uir consecutus est. Quoniam enim uberrimus prouentus iniquitatum ac impietatum fuerat illo tempore, adeò ut omnis regio,gens,ciuitas, domus,& unusquisq; priuatim repleretur malis studijs,certatimq; de primatu in uitijs cõtenderent,dum quisq; proximũ conatur præcurrere, nihil sibi ad extremam maliciam reliquum faciens: ea propter deus merito indignatus,quòd animal omnium, ut uidebatur,optimum,et cognatione cælesti dignatum propter cõmunicatam rationem,pro uirtute quam exercere debuerat, complexum esset maliciam,nec ullam eius omisisset speciem,pœnam decreuit conuenientẽ, ut omnes eius seculi homines deleret uno diluuio: nec tantum incolentes campestria loca & humilia, uerum etiam in celsissimis sitos montibus. Nam oceanus elatus æstu quãto nunquam antea,per fauces ualido impetu irrupit in nostra maria: quæ mox insulas,ac continentem subitis inundarunt fluctibus. Accesserunt & fontiũ perennium,& amnium indigenarum torrentiumq; alij super alios affluxus, qui coniuncti & diffusi etiam in altũ creuerunt.Nec aer cessabat interim,ob tecto cælo toto continuis nubibus, procellis quoq; furentibus:simul tonitruum crepitus,micationes fulgurum, ictusq; fulminum intermixti largissimis imbribus faciebant,ut uideretur totus mundus abire in naturam aquarum:donec è supernis cataractis infernisq; fluentis tanta moles undarũ succreuit,ut non campi tantum & depressa loca operirentur, sed & altissimorũ montiũ cacumina. Omnes eñ terrę partes submersæ sunt,ut illa oppressa mundus magna sui portione mutilaretur, & qui prius integer fuerat,mancus,quod cogitatu dictuq; nefas est,esse uideretur. Quin & aer,nisi qua lunari circulo uicinus est,penè totus absumptus erat, pulsus aquarũ uiolentia, quę regionem eius inuaserat.Secuta est satorũ arbustorumq; pernicies,quę sicut ariditatem,ita nimiam humiditatem non ferunt. Interibant & innumeri greges animalium mansuetorum simul & ferorum.Nec mirum si pręstantissimo genere humano pereunte, nullũ superesse sinebatur è deterioribus, quæ in usum dominorum seruituti addicta fuerant. In hoc toto tantorum malorum confluxu,quæ tempus illud afferebat(omnium enim mundi partium præter cælestes natura luxata fuerat, quasi morbo quodam correpta grauissimo ac pestifero) unica familia iam dicti uiri iusti deoq; chari seruata est, qui accepit summa duo munera. Alterum quod dixi,non interisse cum cæteris omnibus.Alterum, ut nouus autor haberetur instaurati humani generis. Concessit enim ei Deus,ut & finis & initium generis nostri fieret: finis ante diluuium, post diluuium uero principium. Talis fuit uir ætatis suæ optimus, & tale præmium sortitus est, sicut docet sacra scriptura. Dictarum porrò trium animarum,siue uitæ rationum, ordo miram habet harmoniam. perfecta enim, ab initio est integra. mutata uero, semiperfecta, cuius priora tempora uitijs dicata,posteriora uirtutibus,ad quas translato domicilio migratum est.Illa autem sperabunda, sicut nomen ipsum indicat,defectum habet,semper quidem boni cupida, nondum tamen eius compos,sed nauigantibus similis, qui properantes in portum appellere, adhuc marina iactatione distinentur. Hic est prior ternio uirtutem desiderantium, nunc

superest, ut de potiore altero dicamus. Nam ille uidetur similis disciplinis puerilibus, hic uero uirorum athletarum exercitijs, parantium se ad sacra certamina, qui neglecta corporis habitudine animæ prospiciunt, cupientes uictoriũ de aduersarijs affectibus. Cæterũ qua in re quisq; præcellat, omnibus ad unum eundemq; finẽ contẽdentibus, aliâs dicemus diligẽtius: nunc quæ simul de tribus dicenda sunt non silebimus. Eiusdem omnes sunt generis, eiusdemq; familiæ. Nam ultimus filius est medij, nepos uero primi, omnes amici chariq; deo, amantes uerum deũ, & redamati ab eo: qui dignatus est, sicut indicant oracula, propter uitam ipsorum probatissimam, communem cum eis appellationem habere. Suum enim coaptauit cum illorum nominibus, è tribus compositum uocabulum sibi uindicans. Hoc, inquit, meum nomen est æternum, deus Abraham, & deus Isaac, et deus Iacob, relatiuum pro absoluto. & merito. Deus enim non habet opus nomine. Attamen humano generi suum nomen elargitus est, ut habentes refugium ad preces & supplicationes, à spe bona nõ excluderẽtur. Hæc uidẽtur quidẽ de sanctis uiris dicta: significant tamen naturam à nostra noticia remotiorem, & præstantiorem quàm sunt ista sensibilia. Est enim probabile sacro eloquio describi modos animæ bonos omnes: quarum alia per doctrinam, alia per naturam, alia per meditationem ad uirtutem aspirat. Nam primus nomine Abraham, uirtutem doctrina quæsitam significat: medius Isaac genuinam natiuámque: tertius Iacob usu ac meditatione paratam. non ignorandum tamen, horum singulos præditos fuisse tribus his potentijs, sed nominatos ab ea qua magis quisque pollebat. Nam nec doctrina sine natura meditatio neq; potest perfici: nec natura ad optatam metam peruenire absque disciplina & exercitatione: nec meditatio, nisi fundata in natura doctrinaq;. Conuenienter igitur trium, uerbo quidem uirorum, re autem uirtutum, nomina iuncta sunt, Natura, Disciplina, Meditatio. quas alio nomine totidem Gratias homines uocant: uel quòd gratuito largitus sit deus nostro generi has tres potentias ad uitæ perfectionem: uel quia seipsas donant rationali animæ munus elegantissimum: ut etiam sempiternum illud nomẽ indicatum in oraculis, non magis de tribus uiris intelligi queat, quàm de tribus dictis modo potentijs. Nam hominum natura mortalis, uirtutum immortalis est. Videtur autem rationi consentaneum, ut æternus ab æternis rebus denominetur potius quàm à mortalibus, quando æternitati cognata est immortalitas, mors uero inimicissima. Illud quoque non ignorandum, quod primus ille homo terrigena, pater ante diluuium natorum inducitur: instaurati uero humani generis iustus hic, qui solus ex uniuersali clade fuerat ereptus cum sua familia, propter iusticiam uirtutesq; cæteras. Hunc autem uenerandum ternionem & probatissimum sub uno genere comprehendunt diuina oracula, dum gentem sanctam uocant, et regale sacerdotium. gentis autem uim nomen indicat. nominatur enim hebraice Israel, quod interpretatur uidens deum. at uisus, oculorũ quidẽ inter omnes sensus est præcipuus, quo solo percipimus res pulcherrimas, solem, lunam, cælum, mundum uniuersum. mentis autem, excellit inter omnes potentias animæ. uisus enim mentis nihil aliud est quàm prudentia. quod si cui contigit non solum rerum naturæ noticia,

ticia, uerum etiam patris factorisq; omniũ, is se sciat summum felicitatis attigisse fastigium. nihil enim est deo superius, ad quem si quis peruenit obtutu animæ, precandum est ei, ut possit ibi consistere. Nam arduæ uiæ laboriosæ tardæq; sunt: descensus autem per procliuia, qui tractim magis fit quã gradatim, & uelox est & facilis. & sunt multa quæ deorsum deprimunt, quę nihil possunt efficere, quando deus animam temperatã suis potentijs, uchementiore momento ad seipsum attrahit. Hæc in commune de tribus necessario præfati, deinceps dicendum habemus, quibus in rebus excellentiores fuerint singuli, & à primo exordiemur. qui pietatis & summæ uirtutis sectator factus, deum sequi studuit, & præceptis eius obedire: ratus non ea tantum præcipi, quæ ipsi soli uel uerbo aliquo uel facto indicabantur: sed & illa quæ natura multo clarius docet per uisum inter cæteros sensus ueracissimum, multo certiorem quàm auditus est. Quisquis enim naturæ ordinem contemplatur, & eximiam quandam huius mundi rempublicam, uel silentibus præceptoribus discit sub legibus & in pace uiuere, componens se ad exemplar pulcherrimum. Sunt autem manifestissima pietatis argumenta, quæ scripturis continentur. Quarum ordinem sequendo, à primo incipiemus. Oraculo perculsus, quo iubebatur migrare deserta patria, cognatione, paternáque familia, haud secus quàm si è peregrinatione domum redire iussus esset, iter accelerauit in regionem exteram, rem factam se habere putans, si mandatum exequeretur celeriter. Quis alius putas tam constans fuisset ac pertinax, ut non flecteretur affectu cognationis & patriæ, quarum innatum et coalitum est cuique desiderium, magis, aut certe non minus, quàm membra corporis. testes sunt legislatores, qui secundam ab extrema capitali pœna atrocissimorum criminum conuictis statuerunt exilium: profecto non secundam, quantum equidem uere iudicare possum, sed aliquanto grauiorem: siquidem mors calamitatum finis est, exilium uero non finis, sed nouorum malorum initium, dum euitata una sensu carente, innumeræ mortes sentiuntur. Alij negotiationis augendæ'que rei familiaris causa nauigant, alij legationis: nonnulli amore uisendi regiones exteras, aut eruditionis parandæ, ad peregrinationem tracti lucri cupidine, aut iuuandę patrię temporibus difficilibus, aut cognoscendi quæ prius nesciuerant, delectandi & adiuuandi animi gratia. Quantum enim cæci cedunt uidentibus, tantum præstant peregrinati nunquam egressis patriam. Omnes tamen ad patrium solum properabundi, uidere id & salutare gestiunt, complecti familiares, frui gentilium & amicorum mutuo conspectu longe iucundissimo: adeo ut aliquoties remorantibus se negotijs, propter quæ reliquerunt domesticos, abrumpant ea non ferentes gratissimarum necessitudinum desiderium. At hic noster cum exiguo, uel penè nullo comitatu, quàm primũ iussus est, demigrauit, animo prius in nouam coloniam profectus quàm corpore mortalium rerum desiderio cedente amori cælestium. Seposita igitur cura popularium, tribulium, familiarium, amicorum, cognatorum paterno materno'que sanguine, adhæc patriæ, morum consuetorum, simul educatorum & uitæ sociorum, quæ singula magnam uim habent ad retrahendum à proposito, libero expeditoq; conatu quamprimum potest demi

grat, primum è Chaldæa, regione illo tempore admodum fortunata, in Carrensem agrum: deinde non multo post hinc quoque in locum alium, de quo dicturi sumus, sed prius lectore præmonito: quòd dictæ migrationes, iuxta seriem scripturæ, uiri sapientis fuerunt: sed iuxta leges allegoriæ, animæ uirtutis studiosæ, uerum Deum quærentis. Nam Chaldæi cum primis exercitati siderali scientia, omnia tribuentes stellarum motibus, à quibus credebant dispensari mundi potentias, quæ constant ex numeris eorúmque proportionibus, uenerabantur istas res uisibiles, non percipientes inuisibilia & intelligibilia, scrutantes illarum tantùm ordinem: atque ita è solis, lunæ, stellarum erraticarum fixarúmque circuitibus, & anni in quatuor tempora distinctis uicibus, consensúque rerum cælestium ac terrestrium, mundum ipsum existimabant esse deum, profana opinione creaturam facientes creatori similem. huic innutritus dogmati, & per tempus longum chaldaico imbutus delirio, tanquam post altum somnum aperto mentis oculo, postquam puram lucē pro densis tenebris cœpit intueri, secutus eius splendorem animaduertit quod prius non uiderat: præesse mundo quendam aurigam gubernatorem que, qui operis sui saluti prouideat, curator tutorque partium eius etiam, quæ diuina cura dignæ sunt. Ergo ut confirmaretur mentis eius uisio, sic admonetur diuinitus. Heu tu, magna plerunque cognoscuntur signis exiguis, quæ intuitus aliquis, imaginationum infinitarū mole premitur. proinde uale dicto Chaldæis quorum professio est scrutari cęlestia, demigra è magna mundi ciuitate aliquantisper in minorem aliam. sic enim facilius uidebis mundi pręsidem. & hoc est cur prima migratio fit in agrum Carrensem, quia Charran specus dicuntur: per quos significantur regiones nostrorum sensuū, per quas tāquam cauernas unusquisque illorum solet prospicere ad subiecta sua percipienda. sed dicat aliquis, nullum esse horum usum, nisi mens inuisibilis, ceu latens quidam histrio suas uires intus exerceat, modo contractis modo remissis neruis, mouens sistensque sua ludicra. Hoc igitur exemplum cum habeas domesticum, facile quod scire cupis, posterris discere. Nisi forte putas, in te quidem mentis imperata totum corpus omnesque sensus unanimiter facere: mundum autem opus omnium maximū atque pulcherrimum, à quo ceu partes dependent reliqua cuncta, destitutum esse sui regis prouidentia, per quam sit incolumis, et administretur legitime. Nec mirandum est, si eum non cōspicis, quandoquidem nec tuum cernis animum. Hæc si quis secum ipse reputet, non è longinquo, sed è proximo documenta capiens, uidelicet ex seipso rebusque ad se pertinentibus, cognoscet manifeste, quòd mundus non sit ille primus deus, sed opus primi Dei patris uniuersorum, qui cum ipse sit inuisibilis; ostendit omnia, paruorum ac magnorum naturas indicans. corporeis enim oculis non dignatur aspici: uel quia sempiternum à mortali cōtrectari nefas est, uel propter nostri uisus infirmitatem. Nec eñ potuisset capere profusos ab eo Qui est radios, quando ne solis quidem splendorem ualet aspicere. Habemus aūt argumentum euidens huius migrationis, qua mēs astronomiā & chaldaicā opinionē reliquit. memoratur eñ quàm primū profectus est ille sapiens, deum apparuisse Abrahamo: cui uidelicet prius non fuerat cōspicuus, quando more Chaldæorum

dæorum intentus erat siderum cursibus, extra mundum & sensibilem essen tiam nullam prorsus naturã intelligibilẽ percipiens. at postquam solum uer tit, necessario cognouit mundum esse subditum non dominum, nec regere, sed regi ab autore suo: quod mens tunc primum apertis oculis didicit. nam prius sensibilia magnam ei caliginem offuderant, quam ubi discussit calidis & ignitis dogmatibus, uix tandem potuit uelut in serenitate pura eum qui prius latuerat cernere. ille uero pro sua humanitate uenientem ad se animam non auersatus, sed obuiam progressus, ostendit suam naturam, quatenus ui deri poterat: quam ob rem non dicitur, uidit sapiens deum: sed Deus apparuit sapienti. non enim erat possibile, ut aliquis per seipsum comprehenderet eum Qui uere est, ni ille se ultro uidendum præbuisset. Testatur hoc etiã mutatio nominis. prius enim Abram uocatus, mox cœpit appellari Abraham, unius tantum duplicatione literæ, uidelicet A, sed quæ magnum quiddam significat. Abram enim interpretatur pater sublimis: Abraham uero pa ter electus uocis. Prius indicat uirum astrologicum & meteorologicũ, Chal dæorum placitis tanta cura deditum, quantam solent parentes impendere suis filijs. posterius uero, sapientẽ. nam per uocem sermo qui profertur subindicatur: per patrem, mens cuius principatus est. nam sermo qui concipitur intus, naturaliter pater est, ut antiquior, ferens quæ dicenda uidentur. cæterum quod additur electus, bonitatẽ declarat. Quicquid enĩ malum, confu sum & indigestum est: bonum eligitur, ut præcipuum inter omnia. Itaq; meteorologico uiro nihil omnino maius mundo uidetur, quem etiam rerũ autorem existimat. At sapiens certioribus oculis uidens illum perfectiorem in telligibilem rectorem & principem, cuius dominium agnoscunt cætera, & imperata faciunt, sæpe anteactam suam uitam incusat, in qua cæcus tenebras palpans nitebatur rebus sensibilibus suapte natura infirmis & instabilibus. ac rursum in secundam profectionem uir bonus oraculo monitus mittitur, non iam ex altera ciuitate in alteram, sed in regionem desertam, in qua uagus degat, non ægre ferens errorem & sedes incertas ac inconstantes. Quod tamen quis alius tulisset æquo animo, si derelictis proprijs ædibus, insuper ab omni urbe prohibitus, protraheretur in loca inaccessa & deuia? quis non uerso itinere domum repetisset propere, neglecta spe proposita, cupiens præ sentem egestatem effugere, & stulticiam reputans propter incerta bona inuolui malis certissimis? Solus hic afficiebatur aliter, iucundissimam uitam existimans secessum à multitudine. Sic enim natura comparatum est, ut qui Deum inuenire cupiunt, amicam ei solitudinem diligant, hoc primum modo imitati beatam illam ac felicem essentiam. Atque ita demonstrata utraque sententia, tum ea quæ tanquam de uiro loquitur, tum ea quæ tanquam de anima intelligitur, ostendimus & uirum & mentem amabilem: illum quòd oraculis obsequens passus sit se distrahi à rebus charissimis: hanc uero, quia tandem resipiscens ualedixerit rebus sensibilibus, iam non credens ut antea, sensibilem hunc mundum esse primum Deum & maximum: sed cogitatione ascendens altius ad contemplandam alteram naturam intelligibilem, simulque rectorem ambarum & opificem. Hæc sunt rudimenta Deo chari hominis, sequuntur mox non contemnenda facinora,

ra, sed eorum magnitudo non cuiuis apparet, solis his conspicua, qui uirtutem degustauerunt, & res uulgo mirabiles fastidiunt libenter præ bonis animæ potioribus. Approbans igitur Deus factum quod diximus, mox bonum uirum egregie remunerat, coniugium eius à potente & immoderato quodam in periculum adductum, intactum seruans & incolume. Cuius periculi hæc fuit occasio. Cum diu laboratum esset frugum penuria, iam propter squalores, iam propter imbres nimios, urbes Syriæ continua fame pressæ desertæ fuerant ab habitatoribus, alijs alió dispersis quærendi uictus gratia. Abraham quoque audita Ægypti felicitate abundantiáque, cuius campi solenni stagnatione fluminis rigati, copiosas segetes proferunt, auris tempestiuis nutritas ac maturatas, illuc se cum tota familia contulit. Erat ei uxor animi corporisq; dotibus ornatissima. Hac uisa quidam Ægyptiorum optimates, admirati pulchritudinē (nihil enim eximium latere potest) rem ad regem suum deferunt. Is accersit mulierem, & forma eius captus, semota hospitalis iuris reuerentia, morem gesturus suæ cupiditati, uoluit ea prætextu nuptiarum potiri. At illa in aliena regione apud impotentem & crudelem principem destituta auxilio, quando ne maritus quidem malum impendens depellere ualebat, potentiorem metuens, ad eam quæ supererat opem diuinam confugit. tum deus propitius miseratus hospites, & protector factus iniuriam patientium, graues pœnas & cruciatus magnos inflixit regi, ita ut animo corporéque laboraret morbo non simplici, & amorum uoluptatúmque oblitus, longe diuersas curas agitaret, quónam modo euadere posset è tormentis præsentibus, quibus continuis interdiu noctúque molestabatur. Quam eius pœnam sensit & tota regia, eo quòd nemo se tantæ iniquitati opposuerat, sed uno consensu omnium tantum non manus extrema sceleri fuerat imposita. In hunc modum pudicitiæ mulieris consultum est, mariti uero pietatem ac probitatem Deus illustriorem facere dignatus est, exhibens ei maximum uirtutis præmium, illæsam intactámque uxorem, quæ minimum à constupratione abfuerat, mater mox futura non filiorum filiarúmque, sed gentis integræ, & quidem Deo gratissimæ, quippe cui contigerunt uates ac sacerdotes in publicum usum totius humani generis. Audiui tamen & naturæ interpretes non ineptam afferentes allegoriam, qui hunc maritum aiebant significare bonum intellectum, ex nominis interpretatione conijcientes hæc dici de bona anima. Huius uxorem esse uirtutem, quæ Chaldaice nominatur Sarra, Latine princeps, eo quòd nihil æque principes & magistratus deceat. Coniugium uero, corporum quidem uoluptas conciliat: cogitationum autem purificationis cupidarum copulam, qua perfectis uirtutibus iunguntur, curat sequestra sapiētia. Quæ duo connubia sunt diuersissima & plane contraria. Nam in genere corporeo mas genituram proseminat, quam excipit fœmina. Contrà in congressu pertinente ad animam, uirtus quæ censetur fœmina, suapte natura proseminat consilia bona rationésque probatas, & dogmata uitæ utilissima. Intellectus autem qui mariti tenere ordinem uidetur, illa sacra diuináque semina suscipit. nisi forsan error est in nominibus, dum in uocabulis masculinam formam intellectus habet, uirtus fœmininam. Quod si quis res exutas

tas nominum amictu nudas purasq; inspiciat, sciet uirtutem suopte ingenio masculam esse, ut quæ mouet ac afficit, & honestos conceptus honestarum actionum atque orationum suggerit: ediuerso intellectum rem fœmineam, quæ mouetur, eruditur, adiuuatur, & in totum æstimatur ex affectione, quę quidem ei sola est salutifera. Siquidem etiam pessimus quisq; uirtutem uerbis honorat, & extollit in speciem: sed monita eius nemo nisi probus recipit. Quamobrem Ægypti rex, per quem significatur intellectus amator corporis, mimum agens tanquam in theatro, fingit amorem temperantiæ cum sit ipse intemperans, & sobrietatis ipse luxu perditus, & iniustus iustitiæ, accersens ad se uirtutem, ut apud uulgum existimationem pręclaram sibi comparet. Quod ubi uidet ille supernus spectator omnium Deus, qui solus animi secreta perspicit, pertæsus fucatam improbitatem arguit inclementibus cruciatibus. At quibus ad hoc instrumentis utitur? nimirum quibusdam uirtutis partibus, quæ quoties subintrant, acerbos dolores excitant. Tormentum enim est insatiabilis cupiditatis frugalitas, & lasciuiæ continentia. Sic gloriosus cruciatur felicitate modestiæ, & iniustus dum iusticia habetur in precio. incommode enim in una anima habitant duæ contrariæ naturæ, uirtus & uitium. Quapropter quoties congrediũtur, atroces seditiones & pugnas concient. Quamuis uirtus sedatissimo est ingenio: quam aiunt solere quoties imparē se ueretur aduersario, prius uirium suarum periculũ facere, ut confligat si qua se ostendat spes uictoriæ: sin minus, ne descendat quidem in certaminis aleã. Vitium eñi uinci se turpe non putat, assuetũ ignominię. At uirtus hoc probrum fugitat, cui maxime gloria competit, cuius innato amore aut uincere uult, aut certe inuicta permanere. Hęc est igitur de qua dixi Ægypti libido & inhospitalitas. ediuerso libet admirari hospitalitatem hæc passi, qui meridie conspicatus tres quasi uiatores, quorũ diuiniorem naturam ignorabat, accurrens simpliciter petijt ne transirent eius tabernaculũ, sed introgressi paterentur se tractari ciuiliter. Hi cum non magis ex uerbis quàm ex mente intelligerent eum serio agere, incunctanter annuerunt. quo impetrato præ lætitia gestiens, approperauit omnia quæ postulabat extemporalis tractatio. Vxorem appellat, Sine mora fac è tribus mensuris subcinericios. ipse ad armentũ contēdit, & ablatũ inde tenerum optimumq; uitulum tradit famulo. Mactat ille & apparat celeriter. Nemo ad humanitatis officia segnis est in sapientis familia. tam mulieres quàm uiri, tam serui quàm ingenui, prompte ministrant hospitibus. Qui recreati magis animo quàm apparatu hospitis, eiusq; insigni honorificentia, maiorem spe referunt ei gratiam, per unum è tribus præcipuum ei polliciti nasciturum breui germanum filium. Omnes enim simul loqui parum decorum fuisset: ciuilius erat unius uerbis cæteros annuere. Sed ne promittendo quidem rei tam incredibilis fidem faciebant. Iam enim ambo coniuges effœti senio sperare liberos desierant. Ferunt mulierem quàm primũ hoc audiuit risisse: moxq; admonitam, num putaret quicquam apud deum impossibile, risum reuerenter negasse. Norat enim deum posse omnia, quod penè ab incunabulis didicerat. ac tum demum mihi uidetur augustiorem quàm ante agnouisse hospitum imaginem, aut uates quosdam, aut angelicos spiritus humana formã uela-

uelatos uisa sibi uidere. Hæc uiri hospitalitas maioris uirtutis fuit auctariũ: ipsa uero uirtus erat pietas, de qua superius diximus, cuius certissimum indicium est quod de hospitibus nunc memorauimus. Quod si fortunata domus uisa est quibusdam, in quam uiros sapientes diuertisse contigit, non facturos id, ac ne introspecturos quidem, si uidissent intus aliquod animæ uitium insanabile: equidem dicere non possum quid huic domui defuerit ad summam felicitatem, in qua apud homines hospites excipi sustinuerunt angeli, sacræ diuinæq́ naturæ, ministri ac subpræfecti dei optimi maximi, per quos ille ceu legatos & nũcios quicquid libet humanum genus præmonet. Qui poterant em̃ uel intra primum limen subsistere, ni sciuissent totam domum ad nutum patrisfamiliâs paratam: ceu naualem turmam bene cõstitutam, ad unum celeusma sui gubernatoris? qui poterant conuiuarum & hospitum speciem sumere, ni pro cognato conseruoq́ suum conuiuatorem habuissent? Certe sic existimandum est, ad eorum introitum partes omnes domus profecisse in melius, afflatas aura quadam uirtutis absolutissimæ. Conuiuium autem exactum per significationem gratæ uoluntatis erga hospitẽ, & per simplicitatem morum, colloquiaq́ apta tempori. Sed prodigio simile, non esurientes esurire uisos, & non edentes edere. Verùm hæc per consequentiam. illud longe maximum fuit miraculum, hos carẽtes corpore assumpsisse figuras hominum in boni uiri huius gratiã. Alioquin quid opus erat his miraculis, nisi ut exhiberent se uiro sapienti uidendos clarius, quem summus ille parens talem esse nouerat? Hactenus de textu huius scripturæ, superest ut dicamus de sensu eius latentiore. Signa uocalia conceptum mentis significant. Cum igitur anima illustratur à deo tãquam in meridie, & tota quanta est repleta luce intelligibili, eiusq́ splendore circumfusa ex umbris eximitur, tres imagines unius subiecti percipit, unã ipsius rei, duas reliquas tanquam umbras ab ea redditas: quale quiddam accidit & in luce ista sensibili uersantibus, in qua stãtium aut mouentium se duplex aliquando umbra existit. Caue tamen putes de deo dici umbras proprie: abusus est hic nominis, in hoc tantum adhibiti, ut res fiat euidentior. Veritas enim aliter se habet. Sed ut quàm proxime ad ueritatem sermo accedat, medius est ille pater omnium, proprie nominatus in sacris literis Qui est: utrunque latus claudunt antiquissimæ et proximę eius Qui est potentię: quarum altera opifex, altera regia uocatur. illa deus, per quam condita dispositáque sunt omnia: hæc uero dominus. Fas est enim ut creatura à creatore suo regatur. Atque ita medius ille utrinque stipatus suis potentijs, perspicaci menti nunc unam, nunc tres imagines exhibet. Vnam, quando exactissime purgata anima, nec solum cæteram numerorum multitudinem, sed & uicinum unitati binariũ supergressa, ad illam simplicem, sinceram, nullius omnino indigam ideam properat. tres uero, quando nondum magnis initiata mysterijs, adhuc minoribus operatur, nec potest eum Qui est, sine alio per se solum comprehendere, sed per ipsius acta, aut conditorem aut regem omnium. Est autem hæc secundaria, iuxta prouerbium, nauigatio, non aliena tamen à pia sententia. At prior ille modus, non tantum affinis est opinioni piæ, sed ipsa opinio, uel magis omni opinione antiquior, omni existimatione potior ueritas.

Explica-

Explicabimus rem clarius. Tres sunt in moribus humanis ordines, quorũ quisq; sortitus est unam ex dictis imaginationibus. Optimus mediã, scilicet eius Qui uerè est. Sequẽs uerò dextram, scilicet beneficam, cui nomen deus. Tertius in altero latere sitam, scilicet regiam, quæ uocatur dominus. Proinde optimi mores ipsum qui per se est, colunt, non distracti à quoquam alio, ut qui ad unum tendunt unius honorem. cæteri partim per beneficam potentiam commendantur, & innotescunt summo patri, partim per regiam. Quod dico tale quiddã est. Homines quando sentiunt prętextu amicitię quosdam ad se accedere lucri captatores, suspectos auersantur, adulationem ueriti & fucatam mãsuetudinẽ, ut ualde damnosam. At deus ut tutus ab iniuria, omnes quocunque modo uolentes illum colere libenter admittit, neminem omnino repellens, tantùm non coràm appellãs animã aures habentẽ hoc oraculo. Prima præmia ferẽt, qui me colũt propter meipsum. secũda, qui sic sperant se consecuturos bona, mala euasuros. quãuis enim istorum mercenaria sit religio, & insincera captatrix: tamen intra diuini tẽpli sacra septa uersatur, non foris oberrat. Proinde me propter me colentibus propono quæ amicis debẽtur præmia: cæteris qui propter usus proprios, nequaquã ut amicis, nec alienis tamẽ. Nã eos quoq; accipio qui potentia mea benefica frui cupiunt, imò & eos qui metu regię potestatis placant eam ut pœnas effugiãt. noui enim quòd hi nec deteriores fient, & insuper in melius proficient, continue in religione pura & sincera pietate sese exercendo. Quamuis enim modis omnibus ea differant, unde orsi placere cupiunt: non sunt tamen accusandi, cum unũ scopum & finem colendi me propositũ habeant. Quòd autem unius subiecti triplex sit imaginatio, liquet non solum ex cõtemplatione allegorica, uerũ etiam ex ipsius scripturæ narratione. Cum enim ille sapiẽs suppliciter orat tres uiatoribus similes, ut suo uelint uti hospitio, alloquitur nõ tanq; tres, sed tanq; unum, dicens: Domine si inueni gratiã coram te, ne prætereas seruũ tuum.] Nam hæc uerba, domine, apud te, ne prętereas, similiaq;, ad unũ, nõ ad plures, dici cõuenit. Iam uero in hospitio inter cætera comitatis officia, rursum cõuiuatori suo pollicetur unus, ac si adesset solus, legitimi filij natiuitatẽ, dicẽs: Reuertendo ueniã ad te iterũ hoc eodẽ tẽpore, & habebit filiũ Sarra uxor tua.] Sed apertissime ac certissime significatur idẽ in sequentibus. Sodomitarum regio pars Chananeæ terræ, quã nunc Syri Palæstinã nominãt, infinitis iniquitatibus referta, præcipue propter uentris, libidinũ, cæterarũq; uoluptatũ studia, iam diuino calculo iudicata fuerat. immodicus aũt ciuiũ luxus è superflua rerũ copia habuerat originẽ. accedente enim ad bonitatẽ agri, aquarũ cõmoditate, omnis generis fructuũ quotannis prouẽtus erat maximus. est aũt ingẽs malorũ initium, ut quidã, nõ male cõiectans, dixit, nimia bonarũ rerum copia. quarum satietatem quidam nõ ferentes, tanq; iumenta, lasciuiunt à ceruice excussis naturæ legibus, uersi ad meracas potationes, cibos opiparos, & nefarios concubitus. Non solum enim in fœminas insaniendo corrũpebant alienos thalamos, sed & cum masculis rem habebant masculi, nil reueriti naturam cõmunem patrantibus & patientibus, & irritã geniturã ferentes nulla secutura progenie. Nec quicquã pro-

ficiebat reprehensio, uiolentis concupiscentijs coacta cedere. Atq; ita paulatim assuefacti uiri pati muliebria, effœminatum morbum sibi conciliauerunt insanabilem. Recepta enim in corpus fœminea mollicie, animos etiam reddiderunt ignauissimos, quantum in ipsis erat totum corrumpentes genus hominum. Nam si Græci unà cum barbaris hos imitati conspirassent in tales coitus, desertæ fuissent omnes deinceps ciuitates, tanquam exhaustæ pestilentia. Tum Deus seruator & amator hominum, miseratione tactus, naturales quidem uirorum ac mulierum propter gignendam sobolem conuentus, auxit ut cum maxime. Immanes autem illos, & nefarios coitus exosus, aboleuit, & rabidos eorum patratores aggressus, non uulgari aliquo, sed nouo mirãdoq; affecit supplicio. Inductis enim subito nubibus, iussit eas imbrem, non aquæ, sed ignium pluere. Cumq; in morem niuis densissimæ indesinenter flamma deorsum ferretur magno impetu, ardebant arua cum pratis, & condensa saltuum, palustris quoque materies & intima nemorum. urebantur eodem incendio campestria, segetes cum suis frugibus: conflagrabant & arbusta montium, trunci unà cum suis radicibus, urbana quoq; & rustica ædificia, mœnia cęteraq; opera publica nõ minus q̃ priuati parietes: atq; ita unus dies frequẽtissimas ciuitates uertit in busta suorũ ciuium, structuras uerò lapideas & ligneas in cinerem & minutissimũ puluerẽ. Vbi uero supra terram flãmis absumpta fuerunt omnia, terrã ipsam uorabat incendiũ, ita ut exustis penitus uitalibus nihil superesset unde uel fructus uel herba germinaret, in hodiernum usq; malo durãte. Nam fulmineus ignis nunq; extinguitur, aut serpit, aut uaporat: quod oculis ipsis creditur. extant enim argumẽta cladis ueteris, fumus exhalans perpetuo, & sulfur quod ibi foditur. Felicitatis autem pristinæ signum euidens reliquũ est una ciuitas cum agro suo, ipsa frequẽter habitata, agrum uero colens pabulo frumẽtoq; uberẽ & ualde frugiferũ, ut uindictæ diuinæ indicium maneat. Quę non ideo dicta sunt, ut magnitudinẽ eius nouæ mirãdæq; calamitatis ostenderem, sed ut illud docerẽ, quod cũ illi sapienti oblata sit uirorũ trium species, duos tãtum ad excisam regionẽ eloquia diuina dicũt uenisse, ut delerẽt eius incolas, cum tertius indignos aduentu suo duceret. is, quantũ equidem intelligo, erat ille Qui uere est, æquum iudicans ut bona per se ipsum largiretur, cõtraria uero exequẽda suis potentijs relinqueret, & sic solorũ bonorũ autor præcipuus, mali uero nullius existimaretur. id quod mihi uidentur & reges ad imitationẽ naturæ diuinæ facere, dum per seipsos gratias porrigũt, pœnas per alios sanciunt. Quoniam autẽ è duabus potẽtijs altera benefica est, ultrix altera, merito utraq; ad regionem Sodomitarũ uenit, cuius præcipuæ ciuitates quatuor perdendæ erant incẽdio, una uero seruanda illæsa & incolumis. oportebat enim per ultricẽ administrari perniciem, salutem uero per beneficã. Sed quoniã etiã seruata pars nec integras nec perfectas uirtutes habebat, à potentia quidem eius Qui est adiuta fuit, tamen præsentis conspectu nequaq; digna habita. Hæc est aperta & uulgaris narratio. occultior autẽ & paucis nota, his qui mores animarum perquirũt nõ formas corporũ, mox dicetur. Ista pẽtapolis figura est quinq; nostrorũ sensuum, qui ut instrumẽ

ta uoluptatū, omnes eas tam magnas quàm paruas conficiunt. Aut enim ad aspectum rerū formarumque uariarū, tum inanimarū tum animatarum, uoluptatem capimus, aut ad auditū uocum modulatarū, aut ad gustū cibi potusque, aut ad odoratū uaporū suaueolentiū, aut ad tactum rerū molliū, calidarū, & leuiū. ex his quinque sensibus tres maxime belluini seruilesque sunt, gustus, odoratus, tactus: quibus pecudes & feræ uētri atque inguini deditæ maxime trahuntur attonitæ. totos enim dies noctesque aut alimenta insatiabiliter in se ingerunt, aut ad coitum rapiuntur. Duo reliqui philosophātur & regūt cæteros, uisus & auditus. tardiores autem & quodāmodo magis fœmineæ sunt aures quàm oculi, qui ad uisibilia properāt fortiter, & nō expectato motu illorum, ultro in occursum festinant, ut ea percipiant. At auditus ut tardior & deterioris sexus, secundum teneat ordinem, & prærogatiuam quandā concedat uisui. Hunc enim deus regem cæterorum cōstituit, omnium editissimū: & tanquam in arce collocatum, perquam familiarē fecit animæ. id certò potest colligi ex cōmuni utriusque mutatione. dolorē enim illius mœstitia suffusi oculi non dissimulāt: ediuerso gaudēte illa subridēt hilares, metu inualescente turbantur, agitanturque indecoris motibus. Quod si occupetur ab ira, exasperatur & rubescit oculus. in cogitatione ac cura quiescit, eodē obtutu hærens, & quasi cū mente simul intentus, sicut in animi deliquio simul & luxatur & remittitur. idem accedēte amico beneuolū affectum sereno tranquilloque affectu nūciat. Quoties autem in inimicum incidit, statim offensionem præ se fert. in audacia prosiliunt & procurrunt oculi, in reuerentia quieti stant: & ut compēdio dicam, ad effigiē animæ factus est uisus, ostendens eius imaginē expressissimā, tanquam in speculo naturam eius, aliàs inuisibilem referens. Nec hac solum parte sensus cæteros antecellunt oculi, sed etiā quia reliquorū inter uigilandū (nam de quiete quæ in somnis fit, non dubitandum est) usus non cōtinuatur. nisi enim externe lacessantur, quieti manent. at oculi quantisper patent, indesinēter agunt aliquid, nec unquam satiantur, sic quoque ostendentes cognationē quam habēt cum anima. nisi quod illa perpetuo mobilis noctu æque ac interdiu uigilat: hi maxima ex parte carnei, præclare secum agi putant, quod dimidiū uitæ in operationibus sibi conuenientibus exigunt, his addo præcipuā oculorū utilitatem. In unius ex omnibus sensibus gratiā lucem excitam à deo, rerū pulcherrimā, quæ prima in sacris libris bona nominatur. eius natura duplex est. nā altera ab hoc igne corruptibili effulget ipsa quoque corruptibilis & extinguibilis: altera nec corruptibilis nec extinguibilis superne è cælo ad nos defertur, à sideribus singulis tanquam à perēni fonte defluēs. utraque uisui familiaris, qui per utranque se applicat ad uisibilia. & quid opus est oculos amplioribus celebrare laudibus, quorū ueras laudes deus ipse cælestibus signis insculpsit? cur enim solis, lunæ, cæterorū uel erraticorū uel fixorum siderum splēdor factus est, nisi in ministeriū oculorum, ut uideāt? quo munere omnium optimo adiuti spectant quicquid mundo cōtinetur, terram, stirpes, animalia, fructus, maria, amniū fluenta perennium & torrentiū, fontium uarietates aliubi frigidos, aliubi calidos latices profundentiū, quorū species nullus sermo ualet cōprehendere. Quibus omnibus accedit cælū,

de quo uerissime dici potest, mūdum in mundo factū esse ab opifice, & diuina eius ornamenta cælestes illæ imagines. Et quis tādem sensus iactabit se tam longe progressum esse? Sed præstat opinor, relictis ad sua præsepia cognatis nobis pecudibus cōcupiscentias suas saginātibus, examinare uirtutem rationis participē, cui continuū perfectumq; curriculum assignatū est in isto uicino terris aere: quādo procellæ uentorū, & murmura tonitruum per tractum longū cient magnos molestosq; strepitus: oculi uero à terra uno momēto euadunt ad cælum, mundiq; fines ortum atq; occasum, septentriones & meridiem collustrantes, ad contemplationē eorum quę uidentur, mentem attrahunt. At illa tali motu attonita, non conquiescit, cum sit perpetuo mobilis & semper uigilans: acceptaq; à uisu occasione cōtemplandi res intelligibiles, amplius considerat: num ea quæ cernuntur, sint ingenita, an generationis habuerint initiū: infinita sint an finita: unus'ne mūdus an plures: utrum quatuor sint elemēta rerum omniū, an cælum & quę hoc cōtinentur eximiā quandā naturā habeant. Quod si factus est mūdus, à quo factus sit, quis eius opifex, quam expoliuerit materiā, in quē usum, quid nunc agat, qualem uitam uiuat, & quicquid aliud curiosa mens cogitando solet quærere. Hæc enim & similia exercēt philosophos. unde satis constat sapientiam & philosophiā nō aliud in nobis habuisse initiū quàm ex uisu sensuum omniū principe, quem solū ex corporea regione seruauit deus, deletis quatuor: quòd hi seruiuerint carni eiusq; affectibus: ille uero elata ceruice quæsiuerit sibi delicias meliores corporeis, ex contemplatione mundi & rerum in eo comprehensarum. itaq; pereunte hac sensuū ceu pentapoli solum uisum honoris causa ereptum, quòd nō tātum uolutetur circa mortalia ut reliqui, sed expatietur etiā in naturas incorruptibiles uisendi gratia. ideo rectè hanc ciuitatē paruam & non paruam uocāt oracula, quod de uisu intelligitur. Est enim parua, utpote nostri pars exigua. magna uero, quia res magnas cōcupiscit, cęlum uniuersum ac mundū spectādi auida. Hactenus de illa celebrata uisione, relataq; cumulate hospitij gratia, quàm diligēter potuimus, diximus: superest quiddam haudquaquam silendum, quod mihi uidetur inter omnes narrationes penè maximum. id dicetur cōpendio. Nascitur illi sapienti ex uxore filius legitimus, dilectus, unicus, elegantissimo corpore, animo optimo. iam enim maturioris ætatis dabat specimē, ut à parente non tam ob naturalem affectum, quàm ob probatos mores uehemēter diligeretur. Huic repente oraculū insperatum redditur, ut mactaret filium in quodam editissimo tumulo, qui triū dierum itinere aberat. Ille quāuis maiore quàm dici potest, teneretur filij desiderio, nec colorem mutauit, nec animum flexit, sed constantissime perstitit in eadem sententia: quippe qui amore dei subactus, fortiter uincebat omnes cognationis affectus, & omnia nomina: & cū nemine domesticorū cōmunicato oraculo, duos è tam numeroso famulicio natu maximos, sibiq; fidissimos assumpsit, quasi sacra ex more facturus, atq; ita quartus profectus est cum filio. cumq; locum destinatū procul cōspexisset tanq; è specula, famulis ibi manere iussis, ignē simul atq; ligna ferēda dedit filio, æquū cēsens, ut ipsa uictima deportaret res quas postulabat sacrificium, leuissimā sarcinā.

Nihil

Nihil enim est pietate gnauius. nihil magis industrium. ibi pari gradu, unoq; cōsensu celeriter peracto qua proximum erat itinere, cuius finis erat sanctitas, ad montem oraculo indicatum perueniunt. pater lapides congerit, ut aram extruat. tum filius uidens cætera parata sacrificio, nullum uero animal, uersus ad patrem, Ecce ignis, inquit, & ligna pater. sed ubi uictima? Hic alius arcani consilij sibi conscius, offusa menti caligine, ad hæc uerba turbatus & lachrymans aperuisset propositum, affectum continere nō ualens. At ille nihil mutatus uel corpore uel animo, constanti uultu, ratione constantiore, ad interrogationē respondet. Fili, inquit, Deus sibi prouidebit de uictima, & si nihil præsto sit, quod te fortasse facit anxium. Sed Deo possibilia sunt omnia, etiam quæ non possunt expediri ab hominibus. Et cum dicto celeriter correptum filium aræ imponit, simul strictum librat gladium. Tum Deus ex aere increpans, facinus impedit, iubens iniuriam abstinere à puero, & bis patrem inclamans nomine, ut auersus & retractus cædem omitteret. Atq; ita puer seruatus est, deo remunerante pietatem, & certante cum amico mutuis officijs. Facinus tamen hoc quamuis effectu caruit, nihilominus pro integro absolutoq;, non modo in sacris refertur uoluminibus, sed & in lectorum insculptum est mentibus. Verùm maliciosis calūniatoribus nostra dānare potius quàm laudare solitis hoc imperatum nō uidebitur tam magnum & mirificum quàm nobis uidetur. Aiunt enim & alios multos suis affectibus deuinctos, & amantes liberorum, immolādos exhibuisse filios, uel pro incolumitate patriæ, uel ut auerterent bella, siccitates, inundationes, pestilentias. alios item domesticę quā tumuis falsæ religionis gratia. Græcorum certe clarissimos, non solum priuatos ciues, sed & reges, non magna ratione ex se natorum habita, his mactatis maximas deleuisse hostium copias primo impetu, sociorum uero seruasse maximos exercitus. Barbaras quoq; gentes per multas ætates litasse mactatis filijs, cuius sceleris etiam sacrosanctū Mosem meminisse, dum accusans eos ut pollutos ait, Filios & filias dijs suis adolent. Indorum quoque gymnosophistas & hodie sub initium senectutis morbi longi & incurabilis, prius quàm inualescat, accenso rogo, seipsos exurere, quamuis possent ad tēpus fortasse diuturnū resistere. Imò & mulierculas eorum defunctis maritis in rogos earū cū gaudio se mittere, atque ita uiuas concremari cum adamatis cadaueribus. Harum, inquiūt, merito mireris audaciā, quæ mortem contemnunt tantopere, ut ad eam tanquā ad immortalitatem cursu contendant. Istum uero laudare quorsum attinet, quasi nouum aliquod facinus aggressum, quod nō semel fando auditum est, de priuatis ciuibus, de regibus, de integris gentibus. Ad hanc inuidorum insectationem sic respondeo, Qui liberos mactant, partim ex more id faciunt, ut fertur de nonnullis barbaris, partim qui magna mala & aduersus humanam opem contumacia à suis ciuitatibus aliter arcere nequeūt. Ex his quidam inuiti suos exhibent, coacti à potentioribus. Alij compulsi metu hominū, alij cupidine gloriæ famæq;, in præsens gloriæ, famæ uero ad posteros. Ergo qui ex more mactant, nihil magnum uidentur facere. Nam inueterata consuetudo plerunque tantum potest, quantum natura, ita ut grauissima quæque

reddat toleratu facilia, omni terrore semoto. Qui uero cedunt timori, laudem nullam merentur. Laudantur enim facta uoluntaria, inuoluntaria referuntur ad necessitatem rerum aut casuũ aut temporũ. Quod si quis amore gloriæ uel filium prodit uel filiam, uituperio magis quàm laude dignus est, morte charissimorũ parans sibi honorem, quem etiamsi antea habuisset, pro incolumitate filiorum abijcere debuerat. Proinde considerandum est, an ille aliqua modo dicta necessitate coactus sit mactare filium, uel more, uel honore, uel timore. Mos certe immolãdi liberos, nec Babylone, nec in Mesopotamia, nec à Chaldęis receptus est, apud quos educatus magnã uitæ partem cum eis exegit, ne quis putet præ assuetudine leuiorem uisam mali eius imaginationẽ. Sed neq; metus ullus imminebat ab hominibus, neq; oraculi iussum quisquam norat alius. Nulla publica premebat calamitas, cui morte probatissimi filij remediũ quæreret. At laudis apud uulgum parandæ cupidine ad hoc facinus cõcitatus est. At quæ laus captabatur in solitudine, ubi nemo erat applausurus, data opera longe à tergo relictis etiam duobus famulis, ne se corã testibus ostentare uideretur? Quapropter obturato infreni ore moderentur accusatores suam inuidiam, nec lacerent honesta uita defunctos, quos potius prædicare deberẽt cum alijs. Siquidẽ apud omnes qui recte sapiunt, nihil honestius habetur, nihil optabilius, q̃ deo parere, quod hic in primis studuit, ita ut nullum unquã mandatum negligeret, quantũuis refertũ molestijs & ignominijs, atq; etiã laboribus ac doloribus. Quamobrem & id quod oraculo iussus est de filio, fortiter constãterq; pertulit. Deinde cum nulla cõsuetudo esset in ea regione, sicut fortasse apud quosdã, immolãdi liberos, ipse primus autor futurus erat noui & inusitati exempli, quod mihi uidetur nemo laturus fuisse, etiamsi ferreũ aut adamantinum haberet animũ. Cum natura enim, ut quidam ait, pugnare est difficile. pater erat factus unici huius legitimi filij, quẽ mox singulari amore prosequebatur, supra modũ uulgaris beneuolẽtiæ, imò etiam famæ celebratæ. aderat & aliud uehemens amoris incitamẽtum, quòd in senecta ei puer natus fuerat. Nam sero natos impotentius parentes adamant, uel quia diu desideratos, uel quia nullam prolem sperãt postea, natura iam effœta, quippe quæ extremũ attigit terminũ. Siquidem è numerosa sobole unum quempiam offerre deo, tanq̃ liberorum primitias, nihil mirandum fuerit, cum præsto sit è superstitibus haud mediocre solatiũ, & doloris ob mactatum cõcepti remediũ. Cum uero unicus dilectus offertur, res est sermone nullo explicabilis, nullum respectum habens cõsuetudinis domesticæ, sed tota prona ad pietatis officium, eximia sane, & uix cuiq; alteri tentata. Nam alij tametsi pro salute patriarum aut exercituum cõcedunt suos mactandos, tamen aut domi manent interea, aut procul absistunt ab altaribus: aut si contingat eos sacris interesse, auertunt oculos ne spectare quidem sustinẽtes uel alienum necis ministeriũ. Hic uero tanq̃ sacerdos, ipse pater amãtissimus aggreditur mactationem egregij filij, quem fortassis etiam sacrifico ritu membratim concisurus erat adolendum altaris ignibus. adeò cauerat ne pietate erga filium distraheretur à pietate deo debita, & totum quãtus erat animũ sanctitati deuouerat, parum curans cognatum sanguinem.

guinem. Quid horũ quæ diximus cum cæteris cõmune est? quid non eximium, quod nulla posśit æquari facundia? ut merito quoduis ingeniũ nõ malum nec inuidum obstupefaciat immensæ pietatis miraculo, uel uno ex multis, nedum cõfertis omnibus. satis enim est uel unius cuiuslibet reputatio ad exprimendã paruam quandam imaginẽ ingentis animi, quãuis nullum sapiẽtis opus est exiguũ. Verũ nõ intra uerba textus aperta cõsistunt quę modo diximus: mihi certe uidentur naturã quandam obscuriorẽ subindicare, quam agnoscunt quotquot intelligibilibus magis delectãtur ꝗ̃ sensibilibus, et possunt ea cernere. est autẽ talis. qui adducitur pro uictima, Chaldaice Isaac, Latine risus uocatur. qui risus nõ intelligitur nunc pro petulanti uultus habitu, sed pro mẽtis bene affectę gaudio. hanc lætitiã uir sapiens meritò sacrificare deo dicitur, per istam figurã docens, quòd gaudiũ soli deo sit propriũ. nã humanũ genus mœrori timoriꝗ́ est obnoxiũ, propter mala uel præsentia uel imminentia, ut uel horũ pœniteat, uel illa metu terreant ac cõcutiant. diuina uero natura expers est mœroris, timoris, pasśionũꝗ́ omniũ, felicitatis beatitatisꝗ́ perfectæ sola particeps. hãc confesśionẽ quicunꝗ́ uere cõfitetur, ei deus cum sit bonus & amator hominũ, alienus ab inuidia, cõueniens munus reponit quantũ homo potest capere, tantũ nõ tali alloquens eum oraculo. Gaudiũ ac lætitiã nõ esse cuiusꝗ́, prę ter me omniũ patrẽ, propriã possesśionẽ scio, quã tñ ipsa dignis non inuideo. Quis aũt dignus esse potest, nisi qui me meãꝗ́ uolũtatẽ sequitur? huic eñi minimũ doloris, minimũ timoris obueniet, modo incedat per uiã, quę affectibus ac uitijs inaccessa, per uirtutes his cõtrarias teritur. nõ est tamen cur aliquis putet merã & nullo dolore mixtã lætitiã cælitus in terrã descẽdere, sed tẽperata est ex utroꝗ́, ita ut de meliore plus admixtũ sit: sicut lux in cęlo sincera semper est & pura à tenebris, in sublunari autem aere miscetur caligine. & hoc est opinor, cur & antea uirtutis cognomen habens Sarra, cum risisset, roganti risus causam, se risisse negauit, uerita ne forte gaudiũ quod nulli creaturę cõuenit, solius dei rẽ usurpasse uideretur. Quapropter confirmans eam diuinum eloquiũ ait: Ne timeas: risisti uere, & particeps es lætitię. nõ permisit eñ pater humanũ genus exagitari tristicijs, doloribus, & molestijs insanabilibus, sed admiscuit eis etiã de meliore natura nõnihil, æquũ censens serenã interdũ ac tranquillã esse animã: pręcipue uero sapientũ maiore uitæ parte gaudere lætariꝗ́ mundi huius contẽplationibus uoluit. Hactenus de pietate huius uiri pauca è multis dicta sint, nũc scrutãda est eius etiã erga homines dexteritas. ad eandẽ enim naturã pertinẽt pietas & humanitas: & utrũꝗ́ in uno spectari solet, sanctitas erga deũ, erga homines iusticia. Longum esset narrare facta eius omnia. Nos contẽti duobus uel tribus erimus. Cum auro argentoꝗ́ & numerosis pecudũ gregibus diues esset adeò, ut cum ditisśimo quoꝗ́ indigena cõferri posset opibus, & beatior esset ꝗ̃ pro inquilini conditione: nunquã tamen accusatus est ab his, quorũ utebatur hospitio, sed cum quibuscunꝗ́ negotiũ habuit, ab eis perpetuã laudẽ reportauit. Quod si quãdo, ut fit, per occasionẽ famulicij comitatusꝗ́ suboriebatur contentionis nõnihil, mox eam sopire conabatur, quippe qui præ grauitate morũ nihil turbulentũ, seditiosum,

litigiosumq; admittebat in suam animam. Nec mirãdum si erga alienos talis erat, qui potuissent icto inter se fœdere uim maiore ui repellere, quãdo etiam erga genere coniunctos, sed uoluntate disiunctos, desertos & solos, multo inferiores quod ad opes attinet, modestus erat, ultro cedẽs qui plus iuris usurpare sibi potuerat. habebat enim fratris filium, cum quo patriam reliquerat, non satis firmum amicum, sed nutantem & suspectæ fidei: à quo interdum salutabatur familiaribus blanditijs, interdũ cõtemnebatur strenue, propter ipsius iuuenis morum inæqualitatem. Quapropter etiam serui huius contentiosi erant ac morosi, quod castigatorem non haberẽt, præsertim pastores longius semoti à suo domino. Nec seruitutis immemores præ licentia semper rixabantur cum sapientis nostri magistris pecorũ, plerunq; cedẽtibus propter sui heri mansuetudinẽ: qua modestia sic auxerũt insolentiam & impudentem audaciam aduersariorum, ut accensis mutuis odijs necesse habuerint qui lædebantur iniuriam armis repellere. itaq; graui rixa coorta, uir bonus postquam partes cõcitatas cognouit, sciens suos præualere numero ac uiribus, non permisit rem ad manus deuenire, ne fratris filium cladem suorũ ægre laturum contristaret: sed in mediũ progressus pacificis uerbis finiuit controuersiam, non in præsens tantum, sed & in posterũ. Sciẽs eñ discordes fore si cohabitare & unà degere pergerẽt, nec unq; lites ac rixas inter eos defore, ad tollendas harũ occasiones admonendum exorãdumq; duxit socium, ut posthac seorsum habitaret, accersitoq; fratris filio, liberam optionẽ ei proposuit agri melioris, pollicitus se libenter accepturũ partem, quam ille fecerit reliquã. pacem enim sibi quouis lucro chariorẽ esse. & quis alius potentior infirmiori concessisset uel minimum de iure suo? quis uinci mallet q̃ uincere, & uti sua potentia? solus hic non in uiribus aut opibus summam felicitatis collocabat, sed in tranquilla uita, & quantũ in ipso erat quieta, atq; ita existimationem sibi parauit mirificam. His in laudem hominis dictis, non alienũ à nostro proposito fuerit, à simplici uerborum contexu ad latentem in eis sensum transire quærendi gratia. Varij sunt modi negotiorum, sicut diuersę horum occasiones. Nos duos modos seligemus, alterum seniorem, iuniorem alterum. Senior est, qui principalem naturæ partem honorat: iunior, qui res subditas, & in extremis reputandas. Principales enim & seniores sunt, prudentia, temperantia, iusticia, fortitudo, & quicquid ad uirtutem attinet, aut ad uirtutis actiones. Iuniores autem, diuitiæ, honores, gloria, nobilitas, non illa uera, sed quam uulgus nominat, & quæcunq; præterea tertium post animæ res atq; corporis ordinem tenent, extremum omnium. Vterq; modus seu mos, habet tanquam quosdam greges armentaq;. iste qui externa amat, aurum, argentum, & reliquũ apparatum diuitiarum: item arma, triremes, machinas, equestres pedestres naualesq; copias, principatus præsidia, per quæ confirmatur potẽtia. At ille honestatis amator singularum uirtutum placita, & sapientum contemplationes. Vtrisque gregibus præpositi sunt quidam magistri, sicut pastores pecoribus, externis quidẽ auari, ambitiosi, præfecturarum cupidi, & quicunque gaudent cum potestate præesse multitudini. At animę bonis studiosi uirtutis ac honestatis, qui non adul-

terina

terina germanis,sed germana bona adulterinis præferunt. Inter hos natu-
ralis quædam intercedit contentio,non discernentes quæ sua sunt,sed di-
gladiantes de pertinentissimo ad uitam negotio. Hoc autẽ est uerorũ bo-
norum iudicium. Anima igitur quãdiu oppugnabatur huiusmodi seditio
nibus,nondum purificata in totũ, sed adhuc affectionibus & morbis præ
ualentibus inferior,perturbabatur. ex quo aũt cœpit potẽtior fieri, & mu
nitiones aduersariorũ expugnare maioribus uiribus,assumptis alis animo
sior facta,morem externas materias mirantem in seipsa intersepit, & tanq̃
hominem cum alloquens,negat ei possibile societatem ac consuetudinem
habere cum uirtutis amatore & sapientiæ. Abi & trãsfer longe aliò domi-
cilium,cum nihil commune habeas, nec possis habere. Quicquid enim tu
dextrum putas,ille sinistrum existimat:ediuerso quicquid tibi sinistrũ, illi
dextrum uidetur. Nec tantum pacificus & æquitatis cultor fuit hic uir bo
nus,sed fortis etiam ac bellicosus:non quòd bellum appeteret,à rixis alie-
nissimus: sed ut certam pacem sibi pararet in posterũ, quã turbabãt aduer
sarij. argumento sunt ipsius prȩclara facinora. Orientalem tractũ quatuor
magni reges possidebant, quibus parebant orientis gentes quotquot Eu
phratem accolunt. hæ omnes in officio manebant, & imperata regũ facie-
bant,pendẽdo sine omni causatione tributum annuũ. sola Sodomitarum
ditio,priusq̃ conflagraret,cœpit pacem turbare, defectionem dudum me
ditãs. Cum enim esset fortunatissima tenebatur à quinq; regibus,qui ciui-
tates agrosq; inter se diuiserant,amplos admodũ & frugum arbustorũq;
feracissimos. nam Sodomitici agri non magna portio,fertilitate cum alio-
rum latifundijs certare poterat. ideo cõplures principes amatores habuit
miratos eius pulchritudinem. hi temporibus superiorib. per exactores tri
butorũ optimates suos pendere soliti debitam pecuniã prouinciæ recto-
ribus, metu simul & reuerentia: ubi bonis satiati sunt, ut solet è saturitate
nasci petulantia, sumpto maiore quàm pro uiribus animo, primò excusse-
runt iugum, deinde more nequã seruorũ, in dominos coorti sunt,freti se-
ditione ac robore. at illi suæ nobilitatis memores, stipati ualida manu, con
temptim eos aggressi sunt,quasi cõflictu primo profligaturi. ac mox colla
tis signis alios coegerunt terga uertere, alios in ipsa fuga cædentes magnã
stragem ediderũt:abductamq; ingentẽ captiuorũ turbam cum cætera prȩ
da inter se diuiserunt. in his erat etiã illius sapientis nepos,qui iamdudũ ad
unam pentapolis ciuitatem migrauerat. quod ubi quidã fuga seruatus in-
dicauit,ille grauiter ferens non se cõtinuit,mœstus & uiuentem magis lu-
gens q̃ si audisset mortuũ. Norat enim uitæ finẽ,sicut ex ipso liquet nomi
nẽ,abrumpere omnia,præsertim mala,quȩ innumera uiuentibus uel inui-
tis obrepunt. cumq; pararet se ad eripiendũ fratris filiũ,carebat socijs ho-
mo inquilinus & hospes,nemine audente fortissimas tot regum copias ui
ctoria recẽti feroces lacessere. inuenit tamen nouum genus auxilij. expedi
tur enim aliquando in rebus dubijs consiliũ,præsertim in causa humanita
tis & iusticiæ. collectis enim seruis uernaculis,empticijs uero domi mane-
re iussis,quorũ timebat transfugium, ex familiaribus confecit aliquot cen
turias, atq; ita hostẽ inuasit tribus agminibus:non his fretus qui multum
cedebant

cedebãt regibus numero,sed deo propugnatore protectoreq́ꝫ iusticiæ.ita que magna contentione properauit nunq̃ꝫ remittens celeritatẽ,donec po titus occasione,noctu superuenit hostibus iam sumpta cœna ad somnũ se cõponentibus,in quos irruens alios trucidauit in cubilibus,alios resistere conatos fudit fugauitq́ꝫ.atq́ꝫ ita omnes deuicit, non tam armorũ apparatu q̃ꝫ fortitudine animi.Nec prius reuertit quàm hostilibus regũ copijs dele-tis,reduxit fratris filiũ, adeptus egregiam uictoriã,auctusq́ꝫ ingenti equo rum & iumentorũ numero, prædaq́ꝫ opulentißima.eum redeuntẽ cõspi-catus ille magnus pontifex dei maximi, reducentẽq́ꝫ suos omnes ad unũ incolumes & uictores, attonitus tanti facinoris magnitudine, & id quod uerum erat cogitans,præsentem eis opem diuinam adfuisse, manus ad cæ lum tendens fausta illi precatus est:mactatisq́ꝫ uictimis,splendidũ epulum socijs omnibus dedit,gratulabundus nec minus lętus quàm uictoria pro-pria.nec enim aliena fuit,si rem uere ęstimes. amicorũ eñ esse omnia com-munia,prouerbio credimus,pręsertim bonorũ uirorum,quib.nihil magis cordi est,q̃ꝫ ut deo placeant.Hæc sunt quæ in sacra scriptura legimus. cæ-terum qui possunt res nudas corporibus exutas cernere, animo magis ui-uentes q̃ꝫ corpore, dicẽt ex illis nouẽ regibus quatuor esse nostrarũ qua-tuor affectionũ potẽtias,uoluptatis,cõcupiscẽtiæ,timoris,doloris.quinq́ꝫ reliquos esse sensus totidẽ,uisum,auditũ, gustũ, odoratũ,tactũ.regnãt eñ quodãmodo in nobis & potestatẽ exercent, sed nõ similiter. nam quinq́ꝫ subiecti sunt illis quatuor, quibus uectigal pendunt ac tributũ necessariũ à natura impositum.ex his enim quæ uidemus, audimus,olfacimus, gusta mus,tangimus,dolores,uoluptates,timores,cõcupiscentiæ nascũtur,cum nullus affectus per se subsistere ualeat, ni sensus materiã suggerant. in his eñ consistunt uires illorũ, in figuris & coloribus,in eloquijs, in saporib. ac uaporibus, in subiectis tactui duris uel mollibus,calidis uel frigidis,as-peris uel leuibus.nã hæc omnia sensus exhibẽt affectibus.quę tributa quã diu penduntur,salua manent inter hos reges fœdera.alioquin sublata pen sione mox bellum exoritur & defectio.id tum accidit maximè, quando se nectus odiosa superuenit, & affectibus nõ senescentibus,aut etiã propter inueteratã consuetudinẽ inualescentibus,uisus hebetatur, aures ægre au-diunt, reliqui etiam sensus seipsis deteriores facti non æque, ut antea pol-lent iudicio,nec ualent debitũ reddere.Non mirũ igitur,si exhausti modis omnibus,& iam ante defecti uiribus, facile ab infestis affectibus subuer-tuntur. Illud uero ualde naturæ consentaneum est, quod dicitur, duos è quinq́ꝫ regibus incidisse in puteos,reliquos tres fuga seruatos. Tactus eñ & gustus penetrãt intima corporis, quæ sua sunt committentes dispensan da uisceribus.Oculi autem,aures & odoratus,plerunq́ꝫ foris obambulãt, & sic effugiunt seruitutẽ corporis.Hæc uir bonus ex insidijs obseruãs,ubi uidet qui modo fœderati fuerant intestino malo laborare,turbata pace et exorto inter nouẽ regna bello, quatuor cõtra quinq́ꝫ de imperio certanti-bus,repente occasionẽ arripiens eos aggreditur, studens populari admi-nistrationi,quæ est optima reipublicæ species,ut sublatis tyrãnidib. & dy nastijs ex anima,ius & fas uigeat pro iniquitate ac iniusticia.est autẽ quod

dicimus


dicimus nõ figmentũ fabulosum, sed res uerissima, quam in nobis ipsis experimur. nam sæpe sensus cum affectibus concordes ministrant eis sensibilia, sæpe interueniente dissidio nolunt debitũ reddere, aut nõ sunt soluendo, ratione cohibẽte: quę si quãdo arma sua corripit, scilicet uirtutes & harũ placita, his subnixa uincit egregie. nefas enim est corruptibilia in eadẽ cum incorruptibilibus sede considere, atqui nouẽ illi potentatus quatuor affectuũ & quinq; sensuum, tum corruptibiles sunt, tum corruptionis autores. at ratio sacra & uere diuina, quæ locũ habet in denario perfecto numero, in certamen descendẽs, & diuino adiuta præsidio, dictos potentatus uincit egregie. Aliquãto post moritur ei coniux dilectissima & optima, editis pluribus caritatis erga maritũ exẽplis: quæ relicta sua cognatione, peregrinatiõis comes indiuidua, cõtinuos errores alios super alios, fames, egestates, expeditiones unà cũ eo pertulerat. nã ubiq; adfuerat, in omni loco fortunaq;, uere consors uitæ ac negotiorum ad uictũ pertinentium, prosperæ aduersæq; fortunæ ex æquo particeps. Nec enim ut quędam ærumnas fugiebat seruans se feliciori tempori, sed utranq; sortem, sicut uxorẽ decet, subibat alacriter. cuius mulieris cum possim multas laudes memorare, unã nõ silebo, ut sit cæterarum manifestarũ specimen. cum enim prole careret, quippe sterilis, uerita ne tam chara deo domus ideo deserta fieret, sic maritum allocuta est: Iamdudũ unà uiuimus in charitate mutua. sed quæ præcipua coniugij nostri causa fuit, propter quam natura uirum copulauit mulieri, desunt nobis liberi, imò ne in posterũ quidẽ spes ulla est reliqua, propter ętatẽ meã iam uergentẽ. non est æquũ ut te quoq; tangant meæ sterilitatis incommoda: licet tibi salua nostra charitate patrẽ fieri. absit enim à me zelotypia, quando à te abest bruta concupiscentia, necessitati naturæ satis facturo. Quãobrẽ nõ differã nouã nuptã ornare, quæ quod mihi deest, suppleat. Quod si res pro uoto successerit, tui natiui liberi, mei adoptiui erũt. & ut absit omnis zelotypiæ suspicio, meã, si libet, duc famulã, corpore seruã, sed ingenio liberali ac generoso fœminã, iamdudũ mihi expertam examinatamq;, ex quo primum ędes meas intrauit, genere quidem Ægyptiam, sed Hebræã religione. Est nobis ampla possessio, & opes maiores quàm pro præsenti sorte: iam enim ne locupletissimis quidem indigenis cedimus. & adhuc hærede caremus, quamuis parare hunc liceat, modo monitis meis pareas. Ille miratus uxoris crescentem usq; charitatem, & de tempore futuro curam ac prouidentiam, ducit causa liberorum eam quam ipsa commendauerat, ut ferunt qui se aiunt certiora prodere, usurus eius conditione, donec mulier grauida fieret. Quod ubi non ita multo post cõtigit, aiunt abstinuisse ab eius complexibus, uel propter innatam sibi continentiam, uel propter honorem quem uxori habebat mutuum. Itaq; mox è famula nascitur filius, & aliquanto post alius legitimus nihil tale iam sperantibus, honestatem ac uirtutem eorum benignissimo Deo remunerante, & munus omni spe maius, ultro largiente. Hoc specimen de muliere illa sufficiat. At sapientis illius uiri plures laudes sunt, quarum aliquot paulo ante memoraui. Nunc dicam & de uxoris obitu, quod silendum non uidetur. amissa enim tali uitæ socia, qualem superius ostendimus,

dimus, & qualem scriptura depingit, dolori contra se insurgenti, & animam petenti, tanquam inuictus athleta non succubuit, recolligens se, & confirmãs rationis robur, à natura oppositæ affectionibus: cuius consilijs per totam uitam usus, tunc quoq; paruit egregie, ut bene utiliterq; monentibus. Erant autem hæc, ne se plus ęquo afflictaret, quasi noua calamitate perculsus, nec tamen quasi nihil molestũ passus omnem dolorem pelleret, sed per mediam inter extrema uiam incedẽs, casum hũc moderate ferre conaretur, permittẽdo naturæ suũ ius in exigendo debito, & quod acciderat patiendo æquanimiter. id testantur sacra uolumina, quæ nefas est falsitatis argui: ubi narratur eum modicis lacrymis profusis, celeriter se subduxisse à cadauere: quippe qui prolixiorem luctum alienũ putabat à sapientia, à qua didicerat mortem existimare nõ extinctionem animę, sed separationẽ disiunctionemq; à corpore, illa redeunte retro unde uenerat. uenerat autem à deo, sicut in opificio mundi declaratũ est. Quẽadmodũ autem nemo sanus ægre fert à se reposci debitũ aut depositum, eo dẽ modo natura quod suum est repetẽte, non arbitrabatur indigne ferendũ, sed necessitati cõsentiendum. ubi uero illius regionis optimates cõuenerunt ad eum officij gratia, cum nihil uiderent eorũ quæ apud ipsos ex more fieri solebãt in funere luctuq;, nõ complorationes, nõ lamenta, nõ planctũ uirorũ ac mulierum, sed totã familiã sobrie moderateq; mœrẽtẽ, demirati sunt nõ mediocriter, sicut ante tota uiri uita miraculo eis fuerat. moxq; attoniti tãtę uirtutis excellentia, in qua nihil inerat nõ eximiũ, accedentes uirum in hanc uocẽ eruperunt: Rex à deo tu es inter nos: uerissima dicẽtes. nã alia regna homines sibi parãt, armis, expeditionibus, dictu miris ultro citroq; illatis cladibus, quas affert potẽtiæ cupiditas, dum se pedestribus, equestribus, naualibus copijs muniunt. sapientis autem regnum à deo porrigitur, quo assumpto uir bonus male mulctat neminẽ, sed omnibus subditis usumfructũ bonarum rerum, & iura paceq; denunciat. Quin & in sacris literis extat huius uiri elogium, testatum reddito Mosi oraculo, quo dicitur quòd deo credidit. id ut dictu est breuissimũ, ita factu maximum. cui enim pręter eum credendum est? principatibus'ne, an glorijs, honoribus, opibus, diuitijs, nobilitati, sanitati, integritati sensuum, robori pulchritudini'ue corporis? At qui principatus omnis est lubricus, innumeris insidiatoribus obnoxius. quod si quãdo confirmatur, id fit non sine multis acceptis & illatis calamitatibus. nihilo stabiliores sunt honores & glorię, incertissima possessio, pẽdens à moribus rumoribusq; leuium & improborũ hominũ. quę si quando perseuerat, nihil tamen uerè bonũ in se cõtinet. at diuitiæ generisq; nobilitas, etiã deterrimis obueniunt. sed fac solis bonis hæc contingere, maiorum & fortunæ ista laus est, non ipsorũ qui habent. ac ne corporis quidẽ dotibus efferri æquũ est, quib. nos alia animalia superãt. Quis enim homo fortior aut robustior tauro inter cicures, inter feras leone? quis præditus acutiore uisu, q̃ accipiter aut aquila? quis auditu tã felix, quàm asinus tardissimus animalium? quis odoratu cane sagacior, quẽ aiunt rei uenatoriæ periti, uestigantẽ longinquos lepusculos improuisum in eos irruere. nam hoc genus canum uenaticorum utitur oculorum uice naribus. Sanitatem

quoq;

quoq; plurima bruta tuentur egregie. Quod autem ad pulchritudinis certamen attinet, etiam inanimata quædam mihi uidentur uincere posse formositates uirorum ac mulierum, simulacra, statuæ, picturæ, & in uniuersum fictorum pictorum'que opera eximia, quæ apud Græcos atque barbaros sunt in pretio, & dedicantur inter præcipuos ornatus urbium. Solum igitur certum firmum'que bonum est fides, qua deo creditur, uitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsiuum calamitatum, felicitatum conciliatiuum, superstitionis ablegatio, pietatis assertio, prosperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus fultus uniuersorum autore, qui potest omnia, uult tantum optima. Quemadmodum enim per lubricum incedentes labuntur fallente uestigio: qui uero per uiam siccam gradiuntur, certo gradu iter faciunt: sic qui per corporis externa'que bona ducunt animam, nihil aliud quàm cadere illam assuefaciunt, hæc enim lubrica & parum firma sunt. Sed qui per uirtutum contemplationem ad deum properant, tutum inconcussum'que iter dirigunt, ut nihil uerius dici possit, quàm quod quisquis illis rebus credit, deo non credit: contrà qui deo credit, illis non credit. Nec hanc tantū ergà eum Qui est fiduciam oracula de uiro illo prædicant, reginam uirtutum cæterarum, uerum et'am hunc primum nominant seniorem, quamuis maiores eius triplo & amplius longæuiores fuerint, quorum neminem legimus hac appellatione dignum habitum. & merito. nam reuera senior, non ex longitudine temporis, sed ex laudata uita spectatur. Siquidem qui multum ætatis in corpore uixerunt sine probitate, longæui pueri dicendi sunt, quia nunquam disciplinas attigerunt dignas canicie. Amator autem prudentiæ sapientiæ'que, hoc est erga deum fiduciæ, iuste senior siue primâs uocari potest. Nam reuera primus est sapiens in humano genere, sicut gubernator in naui, magistratus in ciuitate, imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima. Rursum cælum in mundo, in cælo deus: qui delectatus uiri fiducia, & ipse iureiurando fidem promissorum confirmat, non ut deus hominem, sed ut amicus familiarem alloquens. Ait enim: Per memetipsum iuro: cum uerbum eius uim iusiurandi habeat, uolens nihilominus persuasionem eius firmiorem stabilioremq; facere. itaque senior & primus uir bonus dicendus est, omnis autem malus, extremus & nouissimus, ut nouator & tractans res extremi ordinis. De his igitur hactenus dictum sit, unum modo ceu fastigium addam huius sapientis laudibus, sumptum ex diuinis literis, quæ testantur eum dei legem & mandata fecisse omnia, non scripto ullo edoctum, sed absq; scriptura secutum appetitus ingenij sui sanissimos. quæ autem deus pollicetur, quomodo possunt homines non credere? Hæc est uita primi conditoris suę gentis, quam aliquis diceret legitimam: ego uero docui quod ipsa lex sit & ius non scriptum.

PHILONIS IVDAEI
DE MIGRATIONE ABRAHAMI.



T dixit Dominus ad Abrahã: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, in terram quam tibi monstrauero, & faciam te in gentem magnam. Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eris'que benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, maledicam maledicentibus tibi: & benedicentur in te omnes tribus terræ.] Volens deus purificare hominis animam, primùm offert ei perfectæ salutis occasionem, migrationem à corpore, sensu, atque ratione. nam terra corpus, cognatio sensum, patris domus rationem significare intelligitur. Quamobrem? Quia corpus & ex terra factum est, & in terram resoluitur, sicut Moses testatur, dicens; Terra es, & in terram reuerteris. nã ipse narrat deo formante factum ex terra hominẽ. & necessum est ut quod soluitur, in ea soluatur unde confectum est. Porrò sensus cognatus & germanus mẽtis est, brutus ratione præditæ, quoniam hæc ambo partes sunt unius animæ. Cæterum paterna domus est ratio, quia pater noster intellectus potentias suas in singulas partes seminat, suas cuique operationes attribuens, ipse curam & præfecturam gerens omnium. domus autẽ quam inhabitat, est reliquis celsior ratio. Nam sicu tuir ædes, sic intellectus rationem inhabitat. proinde se suos'que conceptus in ratione tanquàm in domo propria dispositos ostendit. Nec mirum si rationem in homine uocat intellectus mentis'ue domicilium. Nam & deus qui est huius uniuersitatis intellectus, ait sibi suum illum λόγον pro domo esse: quod cernẽs ille meditator, propalã fatetur. Nihil aliud est locus hic quàm domus dei: ac si diceret: domus dei non est in his quæ cernuntur, aut aliquo sensu possunt percipi, sed inuisibilis, nulla specie circumscripta, anima solum in quantum est anima, perceptibilis. ergo quæ alia potest esse, nisi sermo ille siue ratio creaturis omnibus antiquior, per quẽ tanquàm clauum gubernator opt. max. cuncta dirigit: quo & in mundi creatione instrumento usus est ad absoluendũ opus irreprehensibile. Atque ita per terrã corpus, per cognationem sensum, per paternã domum rationem intelligi oportere declaratũ est. cæterũ illud Egredere, nõ est idem quod seiunge te ab eorum essentia: hoc enim mãdatum mortem imperaret: sed perinde ac si diceret, Aliena tuũ animum, ut à nullo ex his detentus emergas super omnia. Tibi subdita sunt, caue habeas ea pro principibus, cũ sis ipse rex: disce tales dominos cõtemnere, & in perpetuum nosce teipsum, sicut & Moses nõ semel docet, dicẽs: Attende tibi ipsi. nã ita senties cui obedire aut imperare debeas. Egredere igitur, ô bone, è terreno tuo cõtaminato, & fuge carcerẽ corporis, simulque uoluptates & concupiscentias custodes eius carceris, quãtum potes eas profligans, & minis

minis omnibus absterritans. Egredere cognationẽ quoq; sensuum. nũc enim singulis familiariter uteris, ipsis deditus, de te parum solicitus. Atqui scis quod etiã cessantibus alijs rebus, oculi auresq; & huiusmodi cognatio tota in partes suas te pelliciet. Quod si mauis tuis reditibus possesioĩbus que cõtentus nihil ex his amittere, uitã deges fortunatissimã, usumfructũ nõ alienorũ bonorũ, sed propriorũ perpetuo capiens. Sed egrediendũ est etiã de sermone rationis indice, quæ paterna domus dicitur: ne deceptus ornatu uerborum ac nominũ, missam facias uerã pulchritudinẽ, quæ in rerũ cognitione sita est. absurdũ enim fuerit umbrã pluris q̃ corpus facere, aut rebus præferre imagines. certe umbræ imaginiq; sermo est similis, corporibus autem & exemplaribus ipsæ rerum naturæ de quibus differitur: quas consectari debet qui mauult esse q̃ uideri aliquid, omissis illis alijs. Quamprimum igitur intellectus incipiet seipsum nosse, & in cõtemplationibus intelligibilibus uersari, totam illam partem ad sensibilia procliuẽ ablegabit, quæ hebraice Lot uocatur. Quamobrẽ ille sapiens inducitur dicere aperte: Discede à me. Nõ est enim possibile, ut incorporearũ incorruptibiliumq; rerũ amator cohabitet cum prono ad ista sensibilia. Recte igitur sacer uates unum integrum legis librum Exodum intitulauit, nomine conueniente contentis in hoc oraculis. cum enim sit ad docendum idoneus, & ad castigandum monendumq; promptissimus, totum animæ populũ qui se admoneri castigariq; patitur, Aegyptia regione corporis & eius habitatoribus uult eripere, ratus molestissimũ grauissimumq; onus perspectiuã mentẽ opprimi à carnis uoluptatibus, & iussa eius exequi, quicquid inclementibus cõcupiscentijs libuerit. Hos igitur gemẽtes flentesq; in rerũ corporearum abundãtia & externis opibus (dicitur enim ingemuisse filios Israel propter opera) propitio deo monẽte de exitu, propheta ipsius eripit. Sunt tamen qui usq; ad suum obitum fœdus fecerunt cum corpore, & tanquam in arca aut tumulo, aut quomodocunq; nominandũ est, in hoc insepulti sunt. quorũ carnales & affectibus obnoxiæ partes obliuioni traditæ defodiuntur. quod si quid uirtuti amicũ simul progerminauit, literarũ monumẽtis asseruatur, per quæ maiorum honesta facinora solẽt uindicari ab interitu. proinde ossa Ioseph, illa inquam quæ sola ex tali anima fuerũt reliqua incorrupta, uidelicet memoratu digna gesta, nõ omittũtur in sacra scriptura, quòd absurdum uideretur pura cõiungi cum impuris. Fuit autẽ memoratu dignũ, credidisse illum quòd uisitabit deus genus Israeliticum, nõ traditurus id in perpetuam seruitutẽ Ignorãtiæ cæcæ dominæ. item discre uisse illũ quod mortale est animæ ab immortali eius parte: & quæ ad corporis uoluptates cæterosq; affectus immoderatos pertinẽt, ut mortalia reliquisse in Aegypto: de incorruptibilibus uero solicite prouidisse, ut cũ ascendentibus in uirtutis ciuitates deportarẽtur, obligatis iureiurando posteris. Quæ sunt igitur illa incorruptibilia? Voluptatis auersatio dicentis, Cubemus unà, & fruamur bonis humanis. tolerãtiæ cõiuncta solertia, per quã bona falso credita discernit ac distinguit à ueris tanquã somnia: dũ fatetur ueras & manifestas rerum æstimationes ex deo esse: incertas aũt & obscuras imaginationes ex erronea, fastuosa, necdum purgata uita hominũ,

quę delectatur pistorum,coquorum,pincernarumq́ ministerijs. itē quod nō subditus,sed pręfectus & cēsor totius Aegypti corporeę regionis fuit: quod Hebræū se gloriabatur, quorū est à sensibilibus migrare ad intelligibilia.Hebræus enim migrator interpretatur. quod iactabat se nihil fecisse. nam non miscere se improborū studijs,& constanter ab his abstinere,non mediocris laus est.quod pro ludibrio habebat omnes affectus & concupiscentias immodicas.quod deum timebat, etsi nondum ad eum diligēdum idoneus.quod in Aegypto conabatur uere uiuere. Quæ miratus ille perspicax Israel, ut reuera mirari debuit, ait: Sufficit mihi si adhuc filius meus Ioseph uiuit,nec est cū uanis opinionibus & cadaueroso corpore cōmortuus.item quod fatebatur ex deo,nō ex ulla creatura scientiam contingere hominibus: & mores corporis studiosos agitari iactariq́ perpetuo,utcunque putāt se niti certis decretis animi. quod aiebat se nō ab hominibus missum esse,sed electū à deo,ut administraret legitimā pręfecturam corporis. multa præterea his similia ad meliorē sacratioremq́ ordinē pertinētia Aegyptum corporalē domum inhabitare non sustinēt, nec unquā insepeliuntur tumulo:sed egressa regionem mortalium,sequūtur sermonem fatidicū Mose præeunte.hic est enim altor ac nutritor bonorum operum, dictorū, consiliorum : quæ etiamsi misceantur aliquando contrarijs propter uariā confusionem rerum humanarū,nihilominus discernūtur tandem , ne in totum honestatis semina plantæq́ dispereant. proinde iubet ut fortiter incūctanterq́ deserant istam appellatam matrem improbitatem omnium, summa celeritate adhibita.ait enim:Cū festinatione immolate pascha, quod interpretatur transitus:quando inhæsitanter cum summa alacritate mens ab affectibus continuato cursu trāsmigrat ad gratiarum actionem pro salute accepta à deo,qui nec opinantem uindicauit in libertatem.Et quid mirū si ui subactū ab irrationali affectu hortatur ne succumbat, neue sinat se illius impetu abripi,sed conetur resistere,aut certe aufugere:secūdus enim ad salutem aditus est fuga,si repugnare non datur:quando etiam suapte natura luctantem cum affectibus,necdum perdomitum,sed concertantem cū singulis,non finit cum eis confligtari perpetuo, ne forte inde aliquam pestē sibi affricet. Multi enim ex aduersarijs uitij facti sunt imitatores , quod & in uirtute accidit . ideo tale oraculum est redditū : Reuertere in terram patris tui,& in gentile solum,& ero tecum:ac si diceret: Fuisti mihi athleta perfectus,pręmia coronasq́ promeritus,uirtute pręsidēte certamini,& tibi porrigente insignia uictoriæ.Desine iam contendere,ne in totum defatigeris, sed posis frui actis laboribus.quod nunquā tibi continget, si hic maneas, cum sensibilibus habitans,& tempus terens cum corporeis qualitatibus, quarum Laban princeps est.Est autem qualitatis hoc nomen.Sed migrandum est in terram patris tui,id est sacri sermonis, qui quodammodo pater est uirtuti studentium,uidelicet sapientiā, probarum animarum optimum domicilium . in hac regione genus quoq́ tuū est quod seipso præceptore utitur, expers infantilis cibi lactei, quod oraculo diuino uetatur in Aegyptū descēdere & inescari carnis uoluptatibus,cognomēto Isaac:cuius hęreditatem adeptus non opus habebis laborare amplius,nā copia parata bo-

norum affluentium parit otium.fons autem unde bona promanant,est cũ benigno deo familiaritas. ideo quasi obsignans sua beneficia dicit,Ero tecum.Quid igitur boni defuerit presente omnipotente deo cũ filiabus suis Gratijs uirginibus, quas incorruptas inuiolatasq; seruat in castitate genitor.Tũc cessant meditationes,labores,exercitia,& nature benignitate sine arte proueniũt aceruatim cuncta cõmoda.qui prouentus spontaneus rerũ bonarum,uocatur dimissio:quoniã mens dimittitur à suis operationibus, & quasi ultro manumittitur propter copiam ingẽtem more imbris deplu entem continue. Sunt autem hæc miratu dignissima ob natiuã pulchritudinẽ.nam siquid anima ex seipsa parturit,plerunq; abortiuum & immaturum gignitur:ediuerso integrũ absolutumq; quicquid in eã diuinitus impluit.non pudebit me fateri, quod mihi ipsi accidit sæpissime. Aggressus scribere de receptis uulgo philosophorũ dogmatibus,& exacte sciẽs quid dicẽdum esset,reperi mẽtem nolle quicq; parere, atq; ita recessi re infecta, dãnatis eius opinationibus,admiratus potentiã eius Qui est,aperiẽtis claudentisq; uuluas anime.Interdum autem uacuus accedẽs,plenus repẽte factus sum,niuis imbrisq; more superne incidẽtibus cogitationibus, ut qua si numine correptus,nec locum agnoscerẽ,nec præsentes, nec meipsum & quæ disserebam aut scribebã. Certe nominis illius interpretatio significat inuentionem & usum lucis,uisum acutissimum,euidentiam rerum manifestam,qualis oculis ex clara demonstratione percipitur.cæterũ quod ostenditur,est illud uisu,spectatu,amore dignum bonum perfectum, quod uim habet animæ quoq; amaritudines in dulcedines uertendi,condimẽtis omnibus & lauticijs melius,quo adhibito etiã quæ nutritiua nõ sunt, pro salutari cibo in usum ueniũt.Dicit enim scriptura, quod ostẽdit ei dominus lignum,& iniecit in aquã:uidelicet in fluidẽ,mollem, amarulentamq; mentem,ut suauior redderetur ac mitior.id lignum nõ modo cibum, sed & immortalitatem pollicetur. Nam lignum in medio paradisi plantatum legimus,bonitatem stipatã bonis indiuiduis & particularibus,horumq; actionibus.nam ipsa medium & potissimum locum in anima sortita est.Per uidentem autem sapiens intelligitur, quandoquidẽ insipientes aut ceci sunt, aut hebetes habent oculos.ideo prisci prophetas uocabãt uidentes. & meditator ille qui aures oculis posthabuerat, audita cernere cupiẽs,uisionem consecutus est,quia iam auditum transcẽderat. Iacob enim quod nomẽ disciplinam significat,mutato charactere in uidẽtem Israelem recuditur, atq; ita lucem diuinã aspicit, quæ est scientia:per quam aperitur oculus animæ, & ad rerum perspicuas euidentesq; cõprehensiones deducitur.sicut enim cantus per musicam,& per quamq; artem sua subiecta concipiũtur, ita per sapientiam sapientes contemplationes.quæ non solum sicut lux,instrumẽtum uidendi est,sed seipsam quoq; uidet.hæc in deo solaris splẽdoris exẽplar est,sol uero imago eius & effigies:cęterum qui indicat omnia,deus solus sapiens.homines enim quia sapere uidentur, sapientes dicuntur: deus uero cum sit,minus quàm est,prædicatur. maiores enim sunt eius Qui est potentiæ,quàm ut ullis eloquijs explicari queant.Commendat autẽ suam sapientiam non solum per mundi opificium,sed etiam quia cognitio creaturarum apud ipsum consistit certissime. Legimus enim quod uidit deus

omnia quæ fecerat: quod non sic accipitur quasi oculos coniecerit in singula, sed quod cognouerit cuncta, & sua scientia comprehenderit quæcunque fecerat. Decebat igitur ut ignorantes doceret, commonstraret'que alijs singula, ille solus sapiens, qui nulla iuuatur arte qua homines, sed ipse principium & fons artium scientiarum'que habetur confessione omnium. Illud uero caute dictum apparet, quod in promissione non præsens tempus, sed futurum prædefinitur, dum dicit, non quam ostendo, sed quam ostendam tibi, in testimonium fidei qua hæc anima deo credidit, non propter repræsentata gratias agens, sed expectationi futurorum intenta & à spe bona pendens, dubio procul existimans iam facta se habere quæ nondum aderant, potitam perfecto bono, propter fidem pollicentis certissimam. nam iterum dicitur, Credidit Abraham deo. Mosi quoque cum uniuersam terram promissam ostendisset; ait: Ostendi quidem oculis tuis, tu tamen non intrabis in eam. Quod haudquaquam intelligendum est de interitu illius sapientissimi, ut quidam inconsiderati suspicantur. Stultum enim fuerit putare seruis potius quàm amicis agros uirtutis diuisos. Sed illud in primis docere nos scriptura uult, alium esse locum infantium, alium maturioris ætatis: quorum alteri nomen est meditatio, alteri sapientia. deinde res in omni natura pulcherrimas uideri magis quàm teneri. teneri enim cum sint diuinioris sortis qui possunt? cerni uero possunt, sed non ab omnibus. à solo autem cernuntur purissimo acerrimi'que uisus genere, cui rerum pater ostendens opera sua, maximum hoc largitur beneficium. nam quæ potest esse uita præstantior, quàm contemplatiua, quæ ratione prædito conuenientior? Quapropter cum etiam mortalium animantium uoces auditus sensu iudicentur, dei uerba lucis modo uideri ex diuinis oraculis discimus. dicunt enim quòd totus populus uidebat uocem, non audiebat. quia non erat hic aer plectro linguæ percussus, sed splendor uirtutis lucidissimus, à rationali fonte nihil differens, quod & aliubi significatur hoc modo. Vos uidistis quòd è cælo sum locutus ad uos. non dicit audistis, propter eandem causam. Interdum tamen à uisis audita, & aspectum ab auditu discernit dicens: Vocem uerborum uos audistis, nec ullam similitudinem uidistis, nisi uocem. satis expresse. Eam enim quæ in nomina, uerba, cæteras'que orationis partes secatur, auditam dicit merito. hæc enim auditu censetur. Eam uero quæ sine uerbis ac nominibus dei uox est, animæ oculo conspicua, recte uisam inducit. Cum enim dixisset, similitudinem non uidistis, subijcit, nisi uocem quam omnes uidistis. hoc enim subauditur. itaque dei sermones dijudicantur uisu animæ, auditu uero isti qui partiuntur in nominum uerborum'que species. cum autem per omnia mirificam scriptor hic præ se ferat scientiam, hoc quoque loco mire nouauit stilum, dicens uisam uocem, cum pene nihil sit in nobis aliud quod non uideatur, excepta mente. nam quæ ad alios sensus attinent, omnia sunt uisibilia, colores, sapores, uapores, calida, frigida, aspera, leuia, dura, mollia'que inquantum sunt corpora. Dicam apertius. Sapor uisibilis est, non inquantum sapor, sed inquantum corpus. nam inquantum sapor, gustu noscitur. item uapor, inquantum uapor, naribus examinatur: inquantum corpus, oculis. Idem iudiciũ

est &

eſt & de cæteris. Vox autem,nec quatenus auditur, nec quatenus corpus eſt,ſi tamen eſt corpus,naturam habet uiſibilem,ſed hæc duo nobis inſunt inuiſibilia,mens & oratio. uerùm nō eſt ſimilis noſter ſonus diuinæ uocis inſtrumento.nam noſter ſermo miſcetur aeri,atq; ita ad aures locū ſibi cognatum refugit.diuinus uero ſincerus & impermixtus eſt, effugiens aures propter ſubtilitatem,animæ ſoli repente conſpicuus,propter uiſum ipſius acutiſsimum.quæ poſtquam reliquit mortalia,primā hanc, ſicut iam diximus,à deo gratiam accipit, ut res immortales cōtemplationi ſuæ ſubiectas queat aſpicere,ſecundam, incremētum uirtutū tam numero quàm magnitudine. Dicit enim:Et faciam te in gentem magnam: per gentē,multitudinem,per magnam, incrementum in melius ſignificans. Hanc quantitatem utriuſq; ſpeciei,tam magnitudine quàm multitudine auctā, indicat & Aegyptius ille rex : Ecce,inquit,genus filiorum Iſrael,magna multitudo. Vtrumq; adeſſe teſtatur uidenti eum Qui eſt generi, multitudinem & magnitudinem, habenti uitæ rationiſq; bona opera.non enim ſicut ordo uerborum poſcere uidebatur,multam multitudinem, ſed magnam dixit,ſciēs multam per ſe imperfectam eſſe magnitudinē,niſi accedat uis intelligentię ſcientiæq;.Quid enim proſunt multæ contemplationes,ni ſingulæ conueniens incrementum accipiāt? nam ne ager quidem probatur,in quo innumerę plantæ ſunt humiles, nulla uero ſtirps ſatis exculta,quę iam fructum proferre poſsit.magnitudinis autem multitudiniſq; bonorū & initium & finis eſt indeſinens dei memoria,atq; inuocatio ſuperni auxilij cōtra ciuilē tumultum cum quo ſemper in hac uita cōflictamur.dicit enim: Ecce populus ſapiens & ſciēs,gēs & portio hæc.quę eſt enim gēs aut portio cui deus ſic appropinquat,ſicut dominus deus noſter quotieſcunq; illū inuocauerimus. Ergo liquet eſſe apud deum potentiā quæ ad opē nobis ferendā excubat,& ipſum rerū principē ſuccurrere his qui digni ſunt.Sed qui ſunt digni hac gratia? quis dubitet q; amatores omnes ſapiētię & ſciētię? Hi ſunt enim ille ſapiēs et ſciens populus de quo ſupra dixit,in quo ſinguli meritò magni ſunt,quoniā magna cupiūt,id unū præcipue,ne unq; diſiungātur à deo maximo, ſed acceſſum eius propinquantis cōſtanter & ſine metu ſuſcipiant.hæc eſt uiſio magni dei,cum quis aut illum accedit,aut aduentū eius excipit.Mūdus ſane & mundi ciuis ſapiēs, multis ac magnis bonis plenus eſt.cętera uerò turba hominū ſępius malis q; bonis utitur.rarū enim bonū eſt in uita confuſa & tumultuaria.quapropter in oraculis canitur:Nō quia gētes omnes ſuperatis multitudine, ſed quia dominus uos diligit.nā ſi cui libeat turbā unius animæ tanq; gētes diſtribuere, multos inueniet turbatos ordines,quibus præſunt uoluptates,concupiſcētiæ, dolores,timores, itē inſipientiæ,iniquitates,& harū cognatę germanęq; cæterę:unum uerò ſolum bene inſtructū,qui à ratiōe ducitur. Et apud homines quidē iniuſta multitudo pluris q; unus iuſtus ęſtimatur,apud deū uerò bonitas rara pręfertur iniquis innumeris.ideo denūciat ne quis unq; faueat tali multitudini.Nō eris,inquit,ſocius multorū in malicia.Quid ſi paucorū? imò ne unius quidē mali.nā malus uel unus,multiplex eſt uitijs,cuius ſocietas damnū affert maximū.pręſtat reſiſtere talibus,& fortiter cū eis bellū gerere. Si, in-

quit,profectus in militiam contra hostes tuos uideris equũ,superbũ, petulantẽ effrenemq́; affectũ, & ascensorẽ insidentem ei mentẽ affectibus deditam:& populũ numerosiorẽ te.sectatores modo dictorũ condensatę phalangis more in te ruẽtes:caue timeas tibi ab eis.nã unus cum sis, auxiliariũ habebis unũ illum rectorẽ uniuersorũ, quoniam dominus deus tuus tecũ est.huius enim accessio bella profligat,pacẽ instaurat,multa inueterata mala subuertit, rarũ & deo carũ genus conseruat: quem dominũ quisquis agnoscit,odit execraturq́; cateruas terrenorũ hominũ. Praeceptũ est enim, quaecũq; multos pedes habẽt inter omnia reptilia terrae nolite comedere, quia sunt abominãda.Non est tamẽ abominabilis anima quae una sui parte repit in terra,sed quae omnib. aut plurimis,hęrẽs uestigijs corporis,nec ualẽs ad diuinos cęli cursus caput attollere.atqui sicut multipedes,ita pedibus carentes reptiles bestiolae damnantur, illae propter causam iam dictã, hae quia totae humi iacent,& ne minimũ quidẽ attolluntur ab ea. ait enim, omne quod super uentrẽ graditur impurũ esse,subindicãs deditos uentris uoluptatibus.nonnulli aut his nequiores,non cõtenti solius concupiscentiae genere,acquisiuerunt insuper germanũ eius affectũ iracũdiam,ut confirmatis brutis animae partibus,mentẽ omnino delerẽt. quod enim uerbis de serpente dictum est,reuera de quouis bruto & affectibus dedito homine diuinum est oraculũ:Super pectus & uentrẽ ingredieris. nam circa pectus ira est, in uentre concupiscentia. caeterum insipiens super utraq; semper ingreditur iram & cõcupiscentiã, nunquam cessando ex quo aurigam ac praesidem rationẽ reiecit. alius ediuerso iram & concupiscentiam extirpat,dei uerbo se gubernandum cõmittens, sicut & Moses ille deo carissimus,qui quoties animi holocautomata immolat, uentrẽ quidem eluit, id est totam concupiscẽtiae speciem repurgat:pectusculũ autem de ariete consecrationis aufert,omnẽ irã pacis inimicã,ut reliqua animę pars potior,uidelicet rationalis,nulla re distrahente, ingenuis oculis intueri possit omnium rerum bonarum pulchritudinem.sic enim & numero & magnitudine augebitur.Scriptum est enim:Quousq; exasperabit me iste populus?quousq; nõ credent mihi meisq́; prodigijs quę feci inter eos?percutiã eos morte,et perdam eos,et faciam te domumq; tui patris in gentẽ maiorem frequentioremq́; hac.deleto enim ex anima uulgo irarũ ac concupiscentiarũ, omnino partes eius rationales assurgẽt,& uires recipient. Quemadmodũ aũt multipedum & pedibus carentiũ reptilium genera cum sint contraria inter impura cẽsentur:sic opiniones nullũ deũ aut multos credentium,quamuis contrariae, sunt ex aequo profanae.argumẽto est, quòd utraq; lex arcet à sacro coetu,ei qui deũ negat,ut spadoni castrato interdicẽs conciõe.multorum uero deorũ assertorẽ, ut è scorto natũ uetãs pro cõcione uel audire quicq́; uel dicere.deũ eñ negãs sterilis est:multos uerò deos asserẽs, è scorto natus,circa uerũ parentẽ cęcutiẽs, & ideo multos pro uno genitores sibi adoptãs.Duo dona dei iam dixi,spem uitae contẽplatiuae,& incrementum multitudinis bonorũ ac magnitudinis: tertiũ aũt est benedictio, sine qua nõ possunt cõfirmari priores gratię.dicit eñ: Et benedicã tibi, εὐλογήσω, id est, laudatũ sermonẽ dabo. nã illud Bene omnino uirtutẽ significat.

Sermo

Sermo aūt alius fonti,alius riuo est similis:fonti qui mente cōcipitur, riuo qui per os linguā'q; profluit. Vtrāq; hāc speciē in melius proficere,magnę sunt diuitiæ:dum mens ratione bona in magnis ac paruis rebus utitur,sermo uerò à recta institutione regitur.multi em̄ excogitāt quidē optima,sed à malo interprete sermone destituuntur, imperiti musicæ unius ex liberalibus artibus.alij contrà facundia pollētes, nihil ualent consilio,ut sophistæ quos uocāt.horū em̄ mens nec concentū habet nec musicā, sed quoties res plectro uocis agēda est,nihil his eruditius.at deus nihil suis largitur imperfectū,sed plena & absoluta omnia.quapropter hæc quoq; benedictio integrum nō dimidiatū sermonē confert, ut qui dignus habetur tā insigni beneficio, & excogitare ualeat quæ sunt optima, & excogitata enunciare. nā perfectio uidetur ex utroq; consistere, inuentione sincera, & inoffensa elocutione. Annon uides Abelē,quod nomē est mortalia lugentis, laudantis immortalia,q; bona mente fuerit præditus:qui tamē quia nō satis exercitatus in dicēdo fuerat,uictus est ab aduersario magis arte q; uiribus.ideo cæterā eius naturæ felicitatē suspicio,hoc unū in eo reprehendo, quòd prouocatus in certamen uerborū descendit,cum debuisset perstare in cōsuetis moribus,contēpto prouocatore.quod si omnino concertatio placebat,debuerat tantisper abstinere à puluere,donec artes luctandi perdisceret.nā rusticanam sapientiam urbana elegantia plerunq; solet uincere. quapropter & Moses ille sapientissimus uetatur quidē cum eloquentib. & disertis congredi, postq; ei diuinus splēdor affulgere cœperat per immortales sermones sapiētię sciētię'q;:permittitur tamen ad uisendos eos ire, nō ut fieret doctior aut rerū peritior:nam contēplatiuo homini sufficit dei & sanctarū eius potētiarū inquisitio:sed ut palmā referret de sophistis Ægyptiacis, qui pluris faciunt arte confictas ad persuadendū fabulas,q; ueritatē euidentissimā.Ergo cum mens uersatur in Omnipotentis negocijs, nō opus habet externis auxilijs. nā intelligibilia solus intellectus cernit acutissime. quod si quando se confert ad sensum,aut affectū,aut corpus,quæ per Ægyptū significantur,indigebit dicendi quoq; arte ac facultate.quamobrē ducere se cum Aaronē iubetur,hoc est eloquentiā.Nonne, inquit, habes Aaronem fratrem tuum?nam cum rationalis natura una mater amborū sit, natos ex ea fratres intelligo,quicquid illa proloquitur. mentis em̄ est concipere,elocutionis uerò proferre.Is, inquit,loquetur pro te.cum em̄ mēs suas cogitatiōes uult depromere, propinquo suo sermone utitur interprete, ad affectus suos exprimēdos. Deinde sequitur: Ecce ipse occurret tibi obuiā.Siquidē reuera sermo cogitationib.occurrit, & addēs ei uerba nomina'q; format eas,q̄ nullā antea formā habuerāt.Et uiso te,inquit,gaudebit in seipso. Gaudet em̄ sermo & fit alacrior, quando cōceptus animi nō est obscurus: quo prælucente decurrit expedite,proprijs,aptis,egregie significatiuis uocabulis affluens.quod si quādo cogitationes nō satis certæ sunt,per inane graditur,et sępenumerocollabitur grauiter,ut nequeat se amplius erigere. Et alloqueris eum,& dabis uerba mea in os ipsius. Ac si diceret:Suggeres ei talia cogitata,qualia nihil à uerbis et eloquijs dei differūt.nā absq; monitore sermo nō sonabit. monitor aūt sermonis, mens est, sicut mentē deus

commouet,

cõmouet.Et ipse tibi alloquetur populũ,& ipse erit pro ore tibi.tu uerò apud deũ ages eius negocia.Satis diserte dixit,alloquetur tibi,id est,tuus interpres erit.itẽ illud.Erit tibi pro ore.nam per linguã & os sermo profluit, secum cogitata proferẽs.Verùm sermo interpres mẽtis est apud homines, sermonis uerò mẽs apud deũ.tunc eñ cogitatio legatione fungitur,quam solus deus introspicit.necesse est igitur ut cui certamẽ sophisticũ imminet, sic eloquentiæ det operam, ut nõ solum aduersariorũ petitiones declinet, sed uicissim in eos coortus tum arte uincat tum uiribus.Annõ uides incantatores & ueneficos arte cum dei uerbo pugnare,& conari similia, nõ tam ut suam scientiam reddant celebrem,quàm ut illudant alijs? nam uirgas in dracones transformant,aquas in cruentum colorem uertunt, ranarũ reliquias trahunt in terram incantationibus: quæ omnia miseri cumulant in suam perniciem,& decipiuntur dum se putant decipere.Hos putas sustinerí potuisse,ni mẽtis interpres sermo,cui nomen Aaron,pręparatus fuisset? qui nunc quidem orator dicitur,mox aũt uates uocabitur, quãdo & mens iam augustior deus appellabitur.Do te,inquit,deum Pharaoni, & Aaron frater tuus erit tuus propheta.ô consequentiã aptissimã, nam quod uoluntatẽ dei nobis pręd icat,propheticũ est genus,quod afflatũ diuinitus et agitatur & sedatur.eam ob rem Aaronis uirga deglutijt uirgas illorũ, ut docet scriptura. Euanescunt enim & absorbentur à uario naturæ artificio sermones omnes sophistici,ut fateri cogantur adesse dei digitũ:ac si dicerent, scripturam diuinam,quæ asseuerat semper sophisticã uinci à sapiẽtia. nam digito dei tabulas etiam,in quibus insculpta fuerãt oracula, scriptas narrãt sacra eloquia.ideo nõ possunt amplius uenefici corã Mose subsistere: sed cadunt tãquam in certamine deiecti robore aduersarij. Sed quod est illud quartum donum? Magnitudo nominis. Ait enim : Magnũ faciam nomen tuum.id equidem sic intelligo. Sicut bonum ac honestũ esse, ita & uideri prodest. est quidẽ ueritas opinione melior: utramq; tamẽ sua bona fortuna sequitur.multi eñ nec fucati nec simulati cultores uirtutis, capti eius natiua pulchritudine,neglectis uulgi rumusculis,petiti sunt insidijs,pro malis habiti,cùm reuera boni fuerint, cæterũ existimatio tum demũ prodest, quando ex re nascitur,sicut experimur in corporibus.Nam etiamsi omnes homines ægrotum bene ualere,aut sanum ęgrotare crederent,sola opinio nec morbum nec sanitatem efficeret. at cui deus utrumq; concessit, ut bonus ac honestus & sit & uideatur,hic uere beatus est, & uere uir magni nominis.Nec est negligenda bona fama,res in omni uita utilissima.eą contingit propemodum omnibus, qui præsentibus rebus contẽti nihil mouent ex institutis maiorum, sed diligenter conseruare student patriam formam reipublicæ. Sunt enim quidã qui dum putant scriptas leges esse figuras intelligibilium,his diligenter dant operã,illas facile negligunt, quorum mihi nõ placet facilitas.debuerant enim utrasq; curare, ut & obscura quærerent accurate, & manifesta seruarẽt diligenter. nunc quasi degerent uitam in solitudine,aut exuti essent corporibus, nec ullam ciuitatem, aut castellum,aut domum,aut sodalitatẽ hominum scirẽt,placita multitudinis conuellendo,ueritatem ita ut est nudam scrutantur;quos sacra scriptura docet

bonam

bonam persuasionem non negligere, & à diuinis maiorũ institutis nequaquam recedere. Quamuis enim septimus dies potentiã illius Ingeniti, creaturarum autem otium significet: non tamen leges de eo præscriptæ soluendæ sunt, ut ignem accendamus, agros colamus, baiulemus onera, lites exerceamus & iudicia, depositum repetamus, usuras exigamus, & alia faciamus quæ festis diebus non licet agere. nec ideo quia festum hilaritatem animæ & erga deum gratitudinem significat, ideo rejiciendæ sunt solẽnes celebritates: nec quia circumcisio docet uoluptatũ affectuumq́ omnium excisionem, & insuper opinionum impiarum, quæ menti persuadẽt quòd posit ex seipsa gignere, ideo debet antiquari lex lata de circuncisione: alioquin et sacræ ceremoniæ, & alia multa negligenda sunt, si exclusis figuris sola harum significata recipiẽtur. præstat hæc tanquã animam, illa tanq́ corpus censeri. itaq́ sicut corpus curamus, ut animæ domicilium, sic scriptæ leges curandæ sunt. nam his seruatis apertius noscentur earũ significata, & eadem opera licebit multorũ incusationes ac reprehensiones effugere. Viden' ut etiam Abraham docet sapienti magna paruaq́ bona adesse, dũ magna uocat substãtiã, quorũ hæreditatẽ soli tradit legitimo filio: parua uero munera, quib. natos è concubinis dignatur. illa nobis leges naturales, hęc ciuiles referũt. Proinde uirtutem Lię ueneror, quę post natũ sibi Aser, qui sensibiles & adulterinas diuitias significat, dicit: Beata ego, quia mactã me dicent mulieres. Rectè em̃ coniectas, quę postulat nõ solum uere masculis ac uirilibus celebrari laudibus eorũ qui integram incorruptãq́ naturam honorant: sed etiam fœmineis eorum, qui trahuntur & uincuntur à rebus istis uisibilibus, nihil præterea ualentes intellectu percipere. est enim officium perfectæ animæ, ut & esse & uideri uelit: utq́ studeat se approbare nõ tantum uirorum aulis, sed etiam mulierum conclauibus. quamobrem Moses sacrorum operum apparatum nõ solis uiris faciendum cõmisit, uerum & mulieribus. nã hæ telas omnes hyacinthinas, purpureas, coccinas, byssinas, cilicinas, conficiunt, hę suum mundum cõferunt alacriter, sigilla, inaures, anulos, dextralia, cincinnos, omnem aureã materiam, emendo pietatem ornatu corporis. nec hoc contentę, specula sua consecrãt, ut inde labrũ conflctur: ut sacrifici dum manus pedesq́ abluunt, id est opera quibus insistit animus, seipsos speculẽtur admoniti à speculis ex quibus labrum factũ est: atq́ ita nullam turpitudinẽ relinquant in anima. itaq́ sobrietatis ac tolerantiæ donarium dedicant, omnium anathematũ sacratissimum & absolutissimum. hæc urbanę ciuilesq́ mulieres, sensus uidelicet, à quibus honorari Lia postulat. At illæ quæ accendunt ignẽ in mẽte misera, externę sunt; Legitur enim quòd & mulieres insuper accenderunt ignem in Moab. Sic & insipientis sensus singuli accensi à sensibilibus mentẽ exurũt, ingentem flammam excitãdo cum impetu uehementissimo. Optimum igitur fuerit placare mulierum ordinem in anima, id est sensuum, sicut & uirorũ, id est, rationũ particulariũ. sic enim melius et rectius uitã instituemus. Propterea ille quoq́ à seipso doctus Isaac optat amatori sapiẽtiæ tã sensibilia bona q̃ intelligibilia. dicit enim: Det tibi deus de rore cœli et de pinguedine terrę. ac si dicat: primùm continua te intelligibili cælestiq́ irriget pluuia, nõ lar-

ga ut inundet, sed sensim leniterq; modo roris descendente, ut posit. dein de sensibiles terrenasq; diuitias largiatur uberes, depulsa cõtraria pauper tate animæ eiusq; partiũ. Quod si et summũ sacerdotem rationem examines, inuenies eum consentire, & uestitum eius sacrum uariegatũ intelligibilibus sensibilibusq; potẽtijs: cuius cætera prolixiore opus habẽt enarratione quàm ut præsenti tempori conueniant: tantum extrema examinabo circa pedes & caput. Ergo in capite est lamina ex auro puro, & in hac expressum sanctũ nomen domini: ad pedes aũt in fimbria tintinnabula & flosculi, sed ille typus laminę idea est idearũ, iuxta quã deus mundũ expressit, ipsa intelligibilis & incorporea. flosculi uero & tintinnabula, signa sunt qualitatũ sensibiliũ, quas uisus & auditus iudicãt. Valde aũt accurate subdit, quòd audietur sonus eius intrãtis in sancta: ut quãdo ad intelligibiles, diuinas, uereq; sanctas res intrat anima, sensus quoq; à uirtute adiuti cõsonẽt: & omnia ex quib. cõstamus, tanq; frequẽs ac modulatus chorus, ex diuersis uocib. tẽperatus, unũ carmẽ apte concinãt, intelligentijs intus præcinentibus, quãdo in hoc choro principatũ tenẽt intelligibilia: sensibus autẽ succinentib. & respondẽtibus, qui singulis choreas ducentib. sunt similes. in uniuersum enim uictus, uestitus, cohabitatio, uel lex ait, tria hæc debẽtur animę, quib. nõ est fraudãda. Victus sunt bona intelligibilia, in quibus ratio naturæ sequẽda est. uestitus uerò, quæ ad externũ ornatum uitę pertinẽt. cohabitatio uerò, est in utraq; iã dicta specie assidua meditatio: ut qualia sunt occulta intelligibilia, talia sensibilia quoq; appareãt. Est igitur quintũ donum, quo solum & nudũ esse conceditur. id memoratur postremũ, nõ ut uilius q̃ præcedẽtia, sed ut eminentissimũ inter omnia. quæ enĩ potest esse maior benedictio, q̃ si quis nõ ficte sed uere bonus sit? Eris, inquit, benedictione dignus, nõ solũ benedictus. nam hoc posterius pendet à uulgi opinionib. & rumoribus, illud ueræ laudis est. sicut enĩ laudabilis laudato est melior, & uituperabilis uituperato deterior: quòd alterũ de re, alterũ de opinione dicatur, naturæ aũt ueritas opiniõe sit certior: ita benedici ab hominibus, id est laudibus eorũ celebrari, minus est q̃ illã benedictionẽ promereri etiã silentib. omnibus, quod εὐλογητὸν dicitur in oraculis. Hæc sunt bona quæ futuro sapienti donantur. quid autem & alijs donet deus propter sapientẽ, deinceps uideamus. Benedicã, inquit, benedicentibus tibi, & maledicã maledicentib. tibi.] Hæc in honorẽ uiri boni fieri liquet omnib. sed nõ ideo tantũ cõmemorantur, uerum etiã propter aptam rerum consequentiã. nam bonũ & qui laudat est laudabilis, & qui uituperat est uituperabilis. laudi aũt & uituperio nõ tam loquẽtes scribẽtesq; fidẽ astruunt, q̃ ipsa rei ueritas. itaq; nec laudare nec uituperare uidẽtur, qui in alterutro aliquid admentiũtur de suo. An nõ uides istos adulatores, qui tam noctu q̃ interdiu permulcent aures suis regibus, nec tantũ applaudũt dictis eorũ singulis, sed & prolixis eos ornãt laudibus, quos tamẽ execrantur taciti, quantuuis fausta ominando propalã. Quid igitur aliquis mente sanus diceret? nónne inimicos magis q̃ amicos uideri hos, & uituperatores magis quàm laudatores, etiamsi dramata integra encomiorũ accinant? quapropter uanus ille Balaam, quãuis hymnos egregios in deum cecinit,

& in his illum,Non est sicut homo deus, cāticorum omnium sanctissimū, plurimis item laudibus Israelem ornauit:tamen impius & execratus à sapiente legislatore uocatur,& irrita cēsetur eius maledictio. ait enim eū mercede conductum ab hostibus profectum malo animo, & cum mēte concepisset execrationes grauissimas cōtra carum deo populū,ore linguaꝗ; pre catum præclara uaticinia.Hæc enim ei deus fautor bonorū dictabat,cogitanti pessima,& malicioso proposito cōsentanea.Sic enim testatur oraculū.Non permisit,inquit,deus Balaamū tibi maledicere,sed uertit execrationes eius in fausta omina. Atqui nihil nisi bonū eis imprecatus est. Sed inspector animæ penetraliū,cui soli aperta sunt quę creaturas latēt,cōtra occulta fert sententiā,testis certissimus & iudex idē incorruptissimus:quādo quidē ediuerso probātur qui accusando & obiurgādo in speciē, bene optāt & precantur intus in animo.qui mos est castigatorū,pædagogorū,præceptorū,parentū,seniorū,legū,magistratuū.nā id genus omne nūc obiurgando,nunc castigādo etiā, emendant pertinentes ad suam disciplinā animas.nemo enim horū suis inimicus est, sed omnes beneuoli,sincerorū aūt & minime fucatorum amicorū officiū est, loqui libere sine maleuolētia.Ergo quod ad uota benedictiōesꝗ; attinet, aut ad maledicta execrationesꝗ;, nō oratio sed mens spectari debet,ex qua ceu fonte utraꝗ; species dictorū æstimatur.hęc sunt prima quæ aliis propter bonū uirū cōtingere dicūtur, qui eū uel laude uotisꝗ;,uel maledictis & execratione prosequūtur. quod autem sequitur,est maximum,etiam illis cessantibus,nullā partē rationalis naturæ relinqui expertem beneficentiæ:quia benedicētur in te omnes tribus terræ. quod dogma est certissimū. nam quandiu mens sana & integra permanet,omnes eius familiares,tribus,potentiæ'ue sanæ sunt,uisus, auditus,sensusꝗ; cæteri,sicut & illæ quæ ad uoluptates concupiscentiasꝗ; pertinent,& quę ex perturbationibus in tranquillitatem redactæ meliorē formam accipiunt.compertum enim est ad familias, ciuitates, regiones,nationes,atꝗ; etiam tractus terrarum longe lateꝗ; patētes, ex unius uiri probitate non nunꝗ; magna peruenisse cōmoda,& felicitates amplissimas, præcipue quādo quis cū bona mente accepit diuinitus inuictā potentiam: sicut cùm musico & cuicūꝗ; artifici musica uel cuiuscunꝗ; artis instrumēta suppetūt,aut igni lignorum materia.nam reuera fulcrū generis humani iustus est,suas dotes cōmunicans,& in publicum usum cōferens. idem quicquid apud seipsum non inuenit,à deo solo ditissimo postulat.at ille aperto cælesti promptuario,niuis imbrisꝗ; in morē bona depluit affatim,ut inde omnes terrenæ lacunæ restagnēt.Hæc autē supplicationibus sui uerbi permotus largiri solet.Dicitur enim aliubi Mose supplicāte:Propitius eis sum iuxta preces tuas.ꝗ; uidetur perinde esse ac si diceret,Benedicētur in te omnes tribus terræ.quamobrem & ille sapiēs Abraham expertus per omnia dei benignitatem,credidit quod etiamsi delerētur cætera omnia,si modo paruæ reliquiæ uirtutis tanquam scintilla seruatæ fuerint, ob has ipsas etia illa misericordiam consecutura sint,ut collapsa resurgerēt & extincta reuiuiscerent.scintilla enim uel exigua fumigās,si afflata fuerit, magnum excitat incēdium.sic & minimum quiddam ex uirtute reliquū, quando bona spe

refotũ excandeſcit,& oculos prius conniuentes cæcosq̀ illuſtrat,& uiridi tatẽ reddit arentibus, & quæ prius per ignorantiam ſterilia fuerãt, ad fœcunditatem reducit.adeò rarũ bonum benignitate dei diffunditur, dũ cætera uertit in ſui ſimilitudinẽ.Oremus igitur ut ceu columna in domo,mẽs in anima, in humano uerò genere homo iuſtus, permaneat ad calamitatũ remediũ.nam hoc incolumi dc publica ſalute deſperandũ non eſt:per quẽ opinor ſeruator deus præſentiſsimam medicinam propitiam ſuam potentiam ſupplicibus cultoribus ſuis porrigit, utendam ad ſalutẽ ægrotantiũ, qua oblinantur animæ uulnera,inflicta per ignorantiæ,iniuſtitiæ,& plurimorum aliorum uitiorum aciem.Exemplum extat in Noe iuſto,qui ingẽti diluuio deuoratis tot partibus animæ,fortiter ſupernatãs fluctibus,euaſit omni clade ſuperior: & ſeruatus amplas pulchrasq̀ radices ex ſe emiſit, ex quibus tanquã planta enatum eſt genus ſapiẽs, quod mites partus progerminans triplicem Iſraeliticum fructum attulit,mẽſuras æui, Abraham, Iſaac,& Iacob.Eſt enim & erit & fuit in rebus uirtus,quã temporum difficultas fortaſsis obſcurat interdum in hominibus,emergit tamẽ illa denuo, deo dante feliciora ſecula: quando & Sarra,id eſt prudẽtia parit maſculũ, non annis florens,aut ætate,ſed uigore illo nullis tẽporum iniurijs obnoxio.dicitur enim: Reuertens ueniam ad te eodẽ anni tempore, & habebit filiũ Sarra uxor tua.Hactenus de donis quæ deus uel perfectis uiris largitur,uel propter eos alijs.deinceps narratur,quòd profectus eſt Abrahã ſicut locutus eſt ei dominus.]Hic autẽ eſt ille finis qui à præſtantiſsimis philoſophis celebratur,uidelicet iuxta naturam uiuere. Id fit quãdo mens ingreſſa uirtutis ſemitam,incedit per rectæ rationis ueſtigia, & deũ ſequitur memor eius præceptorũ,habẽs ea rata dictis factisq̀ omnibus. Profectus enim eſt ſicut locutus eſt ei dominus.id uerò idem eſt quod,ſicut loquitur deus. loquitur autẽ pulcherrime & laudabiliter. nec aliter uir bonus facit ſingula,callem uitæ irreprehenſibiliter dirigens, adeo ut opera ſapiẽtis nihil differãt à diuinis eloquijs. proinde alibi ait: Fecit Abrahã uniuerſam legem meam.Lex porrò nihil aliud eſt proculdubio, q̃ diuinum eloquiũ, faciẽda præcipiens,uitãda prohibens:ſicut teſtatur qui dicit quòd deſumpſit legem ex uerbis ipſius dei.Quod ſi dei uerbum eſt lex,& uir bonus ex præſcripto legis agit,ergo facit quod dei uerbũ imperat,unde ſequitur,dei uerba opera eſſe ſapientis.Finis igitur eſt iuxta Moſem ſacratiſsimũ, ſequi deum,ſicut & alibi dicit:Poſt dominũ deum tuũ ambulabis, ſed nõ motis pedibus.homini enim terra eſt pro uehiculo:deo uerò ne mũdus quidẽ uniuerſus. Proinde per allegoriam docere uidetur animã ut ſequatur diuina placita,quæ referũtur ad ſummi autoris honorẽ. nec hoc cõtentus quo magis accẽdat honeſtatis deſideriũ, hortatur ut ei adglutinetur. ait enim, Dominũ deum tuũ timebis,& eum ſolũ coles, & adglutinaberis ad eum. Quo glutine? quo? nimirũ pietate ac fiducia. nam his uirtutibus mortalis natura cum immortali unitur & coaptatur.nã & Abraham poſtquã credidit propinquus deo dicitur.Sed in hoc itinere ſi quis nec laſſetur genibus, nec per ſocordiã ad utrũuis latus aberret,incedẽs per uiã mediã, & bonos curſores imitans:inoffenſe decurret per uitæ ſtadiũ,moxq̀ ad finẽ delatus coronas

coronas accipiet ac digna præmia, nisi forte nō sunt coronæ ac prēmia, nō laborasse frustra, sed pertigisse ad prudētiæ finem arduum. Quis est igitur finis recte sapiendi? seipsum & omnem creaturam damnare stultitiæ. nam agnoscere suam ignorātiam, finis est scientiæ, cum unus solus sit sapiēs qui solus deus est. ideo pulcherrime Moses inducit eum & patrem omniū rerum & iudicem dicens: Vidit deus omnia quæcunque fecerat, & ecce bona ualde. Nemini enim licebat totam creaturā diligēter perspicere, nisi ei qui creauerat. Adeste nunc uos qui fastu, ignorantia, arrogantiaque turgidi sapientes uobis uidemini, aientes uos non solum certo scire singula, sed & causas eorum audere reddere, tanquam mūdi creationi interfueritis spectatores, & opifici res singulas disponenti fueritis à consilijs. omittite cætera simul omnia, uosipsos potius cognoscite, & quinā sitis certo pronūciate, siue spectetur corpus, siue anima, seu sensus, seu ratio. unū saltem nō magnū declarate, quid sit uisus, & quomodo uideatis. quid auditus, & quomodo audiatis. quid gustus, tactus, odoratus, & quomodo exerceatis hæc singula. aut quinā sint horū fontes, unde manat eorum essentia. nolo enim ut lunā, solem, cæteraque mūdana & cælestia lōge remota, de quorū præcellenti natura homines uani sublimes affertis fabulas, prius quàm ipsos discatis & scrutemini. nā hoc facto tū demū fortasse credetur etiam de alijs differētibus. nisi autem quinam ipsi sitis doceatis, ne putetis uos testes aut iudices certos fore de alijs. Hæc cum ita se habeant, mens initiata pendit uectigal perfecto deo iuxta sacras literas: lex enim tributū est domini. Quando igitur pendit? quando ad locum quem indicauit ei dominus die tertia peruenit, præteritis plerisque partibus spatiorū temporaliū, & iam trāsit ad naturam expertem temporis. tunc enim etiam dilectum filiū sacrificabit, non hominem: nō est enim puericida uir sapiens: sed animæ uirtutibus refertæ fœtum masculū, fructum ex ipsa germinantem, quo ipsa nescit quomodo facta sit grauida, diuinam progeniem, ex uisione dei ut opinatur cōceptā: quod quomodo sibi acciderit, ipsa ignorare se fatetur dicēs, Quis nunciabit Abrahamo, quasi uix credēti ortū docti sine preceptore generis, quòd Sarræ lactat puer, non à Sarra lactatur. quod enim à seipso docetur, nutritur à nemine, sed nutrimentū est aliorū, ut idoneū ad docendum, nec opus habens discere. Peperi enim filium, non ut Aegyptiæ mulieres uigore corporis, sed ut Hebrææ animæ, in senectute mea. quando quicquid est sensibile ac mortale marcescit, repubescunt autem intelligibilia & immortalia, quæ ueneratione honoreque digna sunt. & peperi absque obstetricis opera, parimus enim uel prius quàm ulla humana industria scietiaque ad nos ueniat, absque cōsuetis adiumētis, quoties deus probos fœtus seminat gignitque, qui largitori suo meritò iuxta legē de gratitudine reddūtur. ait enim: Dona mea, munera mea, sacrificia mea, ea curate offerri mihi. Hic est finis uiæ sequētiū uerba & opera legitima, & incedētiū qua deus deducit. quisquis aūt in ea deficit, ab esuriente auidoque uoluptatū & liguritore affectuū Amalec, qui interpretatur populus elingēs, excidetur. Narrāt aūt oracula, hunc esse insidiatorem. nam quando uidet traiecisse robur potentiarum animæ, cooritur ex insidijs, & defessos cædit in ultimo agmine, est autem

lassitudo alia facile succumbēs per debilitatem rationis nō ualētis labores oneraq́; perferre quæ uirtus postulat, quales in extremo agmine deprehē si opprimuntur absq; negocio. alia uero honesti laboris patiēs, & quæ bona sunt omnia fortiter perferēs, quicquid autē uile etiamsi leuissimum baiulare dedignans, & abijciens ut sarcinam grauissimam. ideo uirtutē lex apto nomine Liam appellat, quæ interpretatur fatigatio: quia malorum hominum uitam onerosam ac grauem, suapte natura fatigationē afferre arbitrata, ne aspicere quidem dignatur, deflectēs ad illum solum pulchrum oculos. Debet autem curare mens, ut non modo indefessa & intenta sequatur deum, uerum etiam per callem rectum incedat, nec ad dextra declinās, nec ad læua, in quibus terrenus Edom stabulatur, nūc abundans & copiosus, nunc inops & egenus. Satius est enim per uiam mediam incedere uere dictam regiam, quā ille magnus & solus rex deus muniuit in usum animarum uirtutis studiosarum. Quapropter quidam qui mansuetam socialemq́; colunt philosophiam, mediocritates uirtutes dicūt esse, quas in cōfinio locant: quoniam arrogantiæ plena iactātia uitium est, & affectata humilitas contemptui fit obnoxia: medium uerò tēperamentum meritò habetur per utile. Illud autem, Abijt cum Lot, quid sibi uelit considerādum. Lot interpretatur declinatio. Flectitur autem mens, nunc bonum, nūc malum auersando: quod utrumq; interdum in uno & eodē uidere licet. Sūt enim quidam dubitatores ambigui ad utrumq; declinantes parietem, ut nauis uentis iactata contrarijs nutantes, & tanquā in bilance susq; deq; uacillantes, nec ualentes consistere: quorum ne ad meliora quidem conuersio laudem meretur, ut quæ impetu quodam fit, non ex animi sententia. In horū numero Lot quoq; censeri debet, spectator quidam, qui nunc narratur peregre profectus cum amatore sapientiæ. Decebat autem ut sicut cœperat, pergeret, ignorantiam dedisceret, nec cursum ad eam denuo reflecteret. Verum non ideo comes fit, ut melioris imitatione proficiat, sed ut & illi sit impedimētum ac remora, utq́; deducat eum in lubrica. id argumento hoc colligitur, quòd alter in morbum pristinū recidens captiuus abducetur ab hostibus animę: alter cauēs sibi ab eius insidijs, modis omnibus ut separetur, dabit operam. quæ separatio non mox fiet, sed postea. nunc enim contemplationes eius ut tum primum incipientis res diuinas cōsiderare, debiles sunt & instabiles: ubi uerò confirmatæ fuerint, poterit illecebras & assentationes ut rem infestam & suopte ingenio caueri difficilē, à se seiūgere. Hoc est enim illud accidens animæ, quod non facile excutitur, impediens eā ne celeri cursu ad uirtutem properet. Idem etiam quando Ægyptū reliquimus, id est, uniuersam regionem corporis, & ut affectus dedisceremus, secuti sumus Mosis prophetica monita, à tergo inhærens remorabatur nostrū exitum, properātes retardans prę inuidia. narratur enim quòd promiscua turba multa unà cum eis ascendebat, oues bouesq́; & iumētorum ingens numerus.] Hæc promiscua turba, ut uerum fateamur, nihil aliud erat quàm animæ bruta dogmata. & ualde apte mali uiri anima promiscua uocatur. Cum enim sit colluuies quædā opinionum inter se pugnantium, una licet in uarietates scinditur innumeras. ideo non solum promiscua turba, sed & multa

multa dicitur. nã qui unum solũ spectat, simplex, sincerus, & uere lenis est, qui uerò multos fines uitæ habet propositos, multus, promiscuus, & reuera inæqualis ac asper est. Quamobrẽ oracula meditatorẽ uirtutis Iacob nitida cute introducunt, hispidum autem Esau deditũ turpibus studijs, propter istam promiscuam & inæqualem turbam, conflatam è cõuenis & miscellancis opinionibus. Sic factũ est ut mens quæ potuerat properato itinere corpoream regionem Aegyptum effugere, & uirtutis hæreditatem asse qui triduo, adiuta triplici lumine, memoria præteritorũ, manifesta ui præsentium, & spe futurorũ, per annorũ quadraginta spatium lõgissimum atteretur, per ambages errãs propter morum uarietatem, cũ debuisset per compendiariam rectamq; uiam iter facere. Hæc est quæ nõ solum gaudet paucis aliquot concupiscentijs, sed nullam omnino præterire dignatur, ut uagetur per omnes totius eius generis species. Dicitur eñ de istis admixtis, quod in genere cõcupiscentia laborabant, non una quapiã eius specie. Et sedentes flebant. Intelligit enim mẽs se parũ proficere, & quãdo nõ potest quę cupit assequi, lacrymatur ac gemit. Atqui gaudere debuerat quòd in morbis affectibusq; successum nõ haberet, & pro magna felicitate duceret in his penuriam egestatemq;. attamẽ etiam uirtutis sodalibus interdum contingit lacrymari & languere, uel præ cõpassione in calamitatibus insipientium quibus tangũtur ut eiusdem naturæ participes, uel præ gaudio. id fit quoties cõfertim bona inexpectata more imbris inundant. Vnde mihi uidetur natum illud poeticum, δακρυόεν γελάσασα, id est, subridens oculos lachrymis suffusa nitenteis. Cum enim incidit in animam ob insperatam aliquam felicitatem ingens lætitia, noua quadam mole auget eam, ut uix capiatur à corpore. ex qua cõpressione manat liquor nominatus lacryma, de quo in hymnis canitur, Cibabis nos pane imbuto lacrymis. &. Versæ sunt mihi lacrymæ in panem interdiu noctuq;. Sunt enim mẽtis cibus lacrymæ natæ ex bene affecto risu & honesto, quando colliquãte diuino desiderio lamentum creaturæ in hymnum illius increati uertitur. Sunt tamẽ qui istã promiscuam & inæqualem turbam excludunt à se ac separant, quippe qui gaudent solius deo caræ gentis cõsuetudine. alij cum illa quoq; fœdus ineunt, quærentes uitæ compẽdium, & humanarum diuinarumq; uirtutum facientes confinium, in quo utrisq; affines sint, tum his quæ uere sunt, tum his quæ esse existimantur. In hac opinione etiam reipublicę administrator est, qui Ioseph nominari solet, quem in paternis exequijs deducunt omnes serui Pharaonis, & seniores aulici, & omnes seniores Ægypti, & uniuersa ipsius Ioseph familia, & fratres eius cũ omnibus patris domesticis. Vides ut mediũ inter Pharaonis paternamq; familiã ordinem hic uir ciuilis teneat, ut ex æquo potiatur & rebus Aegypti corporeis, & rebus animæ, quæ omnes in paternis ædibus sunt reconditæ. Cum enim ait, Dei sum: & cętera his similia, ritum paternæ domus retinet. quando autem ascendit currũ potestatis secundæ à Pharaone, hoc est mente quæ regnare sibi uidetur, fastum Aegyptiacum rursus cõstabilit. Sed miserior est rex qui putatur illustrior, & primario curru uectatur. Nam in rebus inhonestis excellere, insignis turpitudo est: sicut secundo loco censeri, leuior miseria. Potes tamen

ambiguum eius animum discere uel ex iureiurando, dum modo per sanitatem, modo per nō sanitatem Pharaonis iurat. uerū hæc posterior formula cum negatione refert disciplinā paternam semper infestam affectibus, & optantem eis exitiū: altera uero Ægyptiā, quæ cupit illos incolumes. ideo quamuis tanta multitudo simul ascēderet, promiscua turba non uocatur: quoniam quicquid perspicaci & amico uirtutis populo miscetur, præter uirtutē eiusq; opera, promiscuum cōfusumq; uidetur: in humili autē multitudine omnes ex æquo amāt ac honorāt terrena præmia. Hos igitur ceu fucos insidiantes alienis laboribus, & ideo comites itineris, excludet, ut dixi, amator prudentiæ. cæterum eos qui sequuntur ut imitentur, amplectetur propter honestatis æmulationem, partes cōueniētes eis attribuens. ait enim: Ex comitibus meis Eschol, Aunan, Mābre, portiones accipiēt, quod dicit de generosis moribus & spectandi cupidis. nam Eschol bonā indolem significat, ab igne ducens nomen: quoniam quod generosum, idem audax est & calidum, inhærens omnibus quæ attingit. Aunan uerò spectādi cupidum: interpretatur enim oculi, quod anima oculos aperiat tranquillitatis desiderio. Amborum hæreditas est uita contemplatiua, quæ Mābre appellatur, & à uisione denominatur. at contemplationi uisus aptissimus est atq; familiarissimus. ab his autem pædotribis unctus intellectus si nō cesset ab exercitationibus, propere cōsequitur perfectā prudentiā paribus gressibus, nec præcurrens, nec à tergo relinqui sustinens, sed perpetuo hærēs eius lateri. Id liquet ex oraculo, in quo aperte dicitur, quòd perfecti ambo ascenderunt in locum quem indicauit deus: quæ quidē egregia fuit uirtutum parilitas, certante laboris industria cum agilitate natiua, & arte cum bene nato feliciq; ingenio ex seipso discēte, ita ut paria uirtutis præmia perciperent, ac si pictura fictura'ue non solū immobilia inanimaq; facerent opera, sed & per se mobiles animatasq; picturas atq; statuas. Tunc em̄ artes quæ prius imitabantur opera naturæ, in ipsas naturas uersæ uiderētur. Cæterum quisquis in tantam sublimitatem eleuatus fuerit, nullam animæ suæ partem infra in rebus mortalibus immorari finet, sed omnes tanquā è cathena pendentes simul attrahet. ideo tale oraculum illi sapiēti est redditū: Ascende ad dominum tuū, tu & Aaron & Nabad & Abiud, & septuaginta seniores Israel. hoc est, ascende ô anima ad eius Qui est contemplationē, composite, rationaliter, sponte, intrepide, amāter, in numeris sanctis perfectisq; septenarij decuplicati. nā Aaron propheta dicitur Mosis, in lege sonorus sermo, menti prophetans. Nabad autem uoluntarius interpretatur, qui nō coactus colit deum. Abiud uero pater meus. hic nō propter imprudentiam domino, sed propter prudentiam patre opus habet deo. Sunt autem hæ potentiæ stipatrices mentis illius quæ regnum merito tenet, à quibus eam deduci fas est. Enimuero periculosum est animam incomitatā ad contemplationem eius Qui est ascendere, si uiam nesciēs tale quid audeat, quod ex ignorantia temeritateq; magni casus proueniāt. Quamobrē precatur Moses, ut ipse deus uiam ad se ducentē indicet. dicit enim: Nisi tu ipse unà proficiscaris, ne educas me hinc. Quia omnis motus absq; fauore diuino damnosus est: & præstat hic manere oberrādo inter mortales, sicut magna

gna pars humani generis, quàm ad cęlum à seipsis elatos subuerti per arrogantiam, sicut plurimis sophistis contigit, ratis sapientiā inueniri per rationes probabiles, non per fidem in rebus certissimam. Fortassis autem etiam tale aliquid hic significatur: ne me in altū extollas, diuitias, gloriam, honores, principatus, & alia quæ bona dicuntur concedens, nisi me ipse comitaberis. nam ista nunc calamitates, nunc utilitates ingētes afferunt: utilitates deo gubernāte sententiam, calamitates alioquin. plurimis enim bona quæ dicuntur cum reuera non sint, causa fuerunt malorū exitialium. sed qui deum sequitur, necessarios habet comites eius sermones, qui nominari solēt angeli. Proinde legitur quòd Abraham unà faciebat iter deducēs eos. ó societatem pulcherrimam, qua deducens deducitur, reddēs quod accipit, nō aliud pro alio, sed illud ipsum solum, quod paratum erat ad referendā gratiam. Donec enim nō perficitur, dei uerbo utitur duce itineris, iuxta illud oraculum: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, ut custodiat te in uia hac, & inducat te in terram quam pręparaui tibi. Attende ei, et audi eū, caue sis inobediens. nō deseret enim te. nam nomen meum est in eo. at postquam ad scientiæ cacumen peruenerit, cum contentione currens æquipa-rabit quem paulo ante secutus fuerat. Iam enim ambo futuri sunt asseclæ omnipotentis dei, nemine in comitatū eorū se ingerēte qui dissentiat: atque etiam Lot separato, qui flectebat hactenus animā, alioqui perstare in recto ingenio ualentē. Erat aūt Abraham, inquit, scriptura, annorū septuagintaquinque, quādo peregrinatus est in Charran.] De hoc septuagintaquinque annorū numero, cum rationē iam antedictis consonā habeat, aliàs dicetur diligentius. quæ sit aūt Charran, quę'ue inde migratio, prius scrutabimur. Neminē latere puto, qui modo leges sacras legit, quod Abrahā primū è Chaldæorū terra demigrans habitauit in Charran. Vbi defuncto ipsius patre, hinc quoque profectus est, ut iā duos locos reliquerit. quid igitur dicemus? Chaldæi præ cæteris nationibus elaborasse uidentur artem astronomicā & genethliacam, terrena sublimibus, & cælestia coaptando terrestribus, tanquam ratione musica ostendentes rerum concentum pulcherrimum, per istos uniuersi partium affectus mutuos, disiunctarum quidem locis, sed cognatione non item. Hi suspicati sunt mundum quem uidemus, aut ipsum esse deum solum, aut eam quæ insit uniuersalem animam: quam ubi sub nomine fati & necessitatis consecrarūt, summa impietate repleuerunt uitam humanam, persuasam quòd præter hæc quæ uidentur nulla sit rerum causa alia: sed solis, lunæ, stellarum'que cæterarum cursus tam bona quàm mala dispensent singulis. Huic sententiæ de uniuersi partium inter se societate atque commercio Moses uidetur subscribere, docens unum esse mundum, & hunc creatum. Nam cum sit creatus & unus, uerisimile fit essentias elementales particulares subijci causis cælestibus quarum ipsæ sunt effectus, sicut accidit corporibus unitis ut contineantur à se inuicem. Verum de deo longe aliter sentit: nec mundum, nec mundi animam esse deum primarium: nec ad stellas aut earum choreas referendos casus hominum. sed contineri hanc uniuersi machinam inuisibilibus potentijs, quas ab extremis terræ ad extrema cæli extendit opifex, prospi-

ciens ne dissoluerentur quæ semel tam pulchre colligauerat. nam hæ potentiæ sunt uniuersitatis nunquã rumpenda uincula. ideo siquando in lege dicitur: Deus in cælo supra, & in terra infra: nemo cogitet hæc ut sunt dici. nam eum Qui est continere, non contineri pie credimus. potentia dei hæc est, per quam disposuit, ordinauit, ornauitq; omnia: quæ proprie bonitas est, aliena ab inuidia maleuolentiaq;, gratiarum uerò mater, per quas cuncta ex non esse ad esse perduxit. nam Qui est ubique opinione intelligitur, cum reuera nusquam appareat, ut uerissimum sit illud oraculum: Ego indemonstrabilis, sed quasi demonstrabilis, inuisibilis, sed quasi uisibilis, cum sim ante te. Ante omnem enim creaturam, & extra omnem incedit, nec cuiquam insistit. Hæc dicere solitus ad subuertẽda Chaldaica dogmata, pergentes adhuc Chaldaizare, sic ad ueritatẽ reuocandos sibi existimat, appellans eos his uerbis: Cur ô mirandi uiri subdito à terra in tantam sublimitatem euecti, & super aerem quoq; promergentes uectamini per æthera, ut solis motus perquiratis & lunæ circuitus, cæterarumq; stellarum choreas cõcinnas à uobis celebratas. maiora sunt hæc quàm pro captu uestrarum mentium, quippe quę ad felicem diuinamq; sortem pertinent. Descendite igitur à cælo, & hoc facto non terrã denuo, nec mare fluuiosq;, aut stirpium animantiumq; species inquirite, sed solos uosipsos uestramq; naturã scrutamini, ne alibi malitis habitare quàm intra uosipsos. considerãdo enim domi quid dominatur quid subijcitur, quid animatum quid inanime, quid brutum quid rationale, quid mortale quid immortale, quid melius quid deterius, mox cognitionem dei huiusq; operum percipietis. Cogitate, sicut nobis inest mens, ita huic uniuerso suam inesse, & quòd sicut nostra principatũ dominiumq; in nobis sibi uindicãs, singulis nostri partibus imperat: sic qui rerum omnium habet imperiũ, pro potestate ac iure mundum regit, prospiciens non tantum potioribus, sed & obscurioribus in speciẽ. Migrate igitur ab ista curiosa inquisitione rerum cælestium. Vosipsos, ut dixi, inhabitate, Chaldæorum terra, hoc est opinione, relicta, demigrantes in Charran, sensuum regionẽ, quod est corporeum mentis domiciliũ. nã Charran specus interpretatur, qui specus loca sensuũ significãt. in his enim ceu cauernis ac foueis sensus insunt, uisus in oculis, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustus in faucibus, tactus in toto corpore. In his tẽpus terite, his per ociũ uacate, singulorũ naturã quoad fieri potest perquirite, & animaduersis singulorũ bonis malisq; hæc fugite, illa eligite, ac tum demũ excussis diligẽter ædibus proprijs, & perlustratis singulis earũ partibus, excitate uosipsos, & migrationẽ quęrite, quæ non mortẽ, sed immortalitatẽ polliceatur: cuius indicia manifesta uel in his corporeis sensuũ cauernis degentes uidebitis, nonnunquam in somnis. Tunc enim mens in secessu quodam posita, & à sensibus cæterisq; rebus corporeis digressa, cum seipsa colloquitur, ueritatem considerans uelut in speculo, detersis omnibus imaginationibus, quæ ex contagio sensuum inhæserant, & diuino furore correpta uaticinatur per somnum de certissimis futurorum euentibus. nonnunquã autem etiam uigilantes: cum aliquis contemplationem quampiam philosophicam nactus eam sequitur, oblitus aliarum

liarum

liarum rerum domesticarum corporis, depulsis etiam sensuum illectamen tis, si qui sunt impedimento ad intelligibiliũ contemplationem auide pro perantibus. tunc enim & oculos claudunt, & aures obturant, & appetitus alios cohibent, quærendo tenebras atque solitudinem: ne animæ oculus, cui diuinitus datum est intelligibilia cernere, obscuretur ab ulla re sensibi li. ad hunc modum edocti mortalia relinquere, discetis persuasiones & de illo Ingenito: nisi forte putatis, nostram quidem mentem exutam corpo re, sensu, ratione, & his omnibus nudatam posse res inspicere: deum uero qui est mens uniuersitatis, non esse extra uniuersam rerũ naturam, & con tinere, non contineri, non modo prouidentia penetrantem more huma no, uerum etiam essentia, sicut deo dignũ est. nam nostra mens non fabrica uit suum corpus, sed est alienũ opificium. ideo corpore tanquam uase con cluditur. at uniuersi huius mens creauit omnia. opifex autem opificio suo potior est. itaq; nunquam contineretur à deteriore se: & alioquin non con uenit patrem contineri à filio, sed magis filium confoueri patris prouiden tia. Ita paulatim demigrans mens, ad pietatis sanctitatisq; patrẽ perueniet, relicta genethlialogia prius, à qua persuasa fuerat credere mundum hunc esse deum primarium, non dei principis omnipotentis opificium: & stella rum cursus motusq; esse causas humanarum uel calamitatum uel felicita tum. Deinde consideratis rebus suis, philosophata in domo propria, de corpore, de sensu, de ratione, & cognito iuxta illum uersiculum, Ædibus in nostris quæ praua, aut recta geruntur: aperta uia quæ ab ipsa sumpto initio, spem faciat intelligendi patrem illum quæsitu coniectatuq; diffici lem, post seipsam cognitam fortasse deum quoq; noscet, non amplius hæ rens in Charran, hoc est instrumẽtis sensuum, sed in seipsam reuertens. non est enim possibile, ut qui adhuc mouetur non tam intellectu quàm sensi bus, ad eius Qui est considerationem perueniat: quamobrem & ille uitæ modus in ordine optimo collocatus à deo, Samuel nomine, non dat Sau li præcepta regnandi, quamdiu inter uasa delitescit, sed inde protracto. Scitanti enim an ullus uir eò uenisset, respondet oraculum: Ecce inter ua sa se occultat. Hoc audito quid debuit facere homo ingenio docili, nisi eũ illinc protrahere? Accurrens, inquit, promit eum illinc. quia latens inter animæ uasa, corpus sensusq;, non erat dignus qui audiret pręcepta legesq; regias. Dum regnum dico, sapientiam intelligo, & sapientem regem. Post demigrationẽ igitur discussa caligine, iam futurus erat perspicacior. itaq; merito & sensuum regionem, cui nomen Charran, relinquẽdam censet a mator scientiæ. relinquit autem iam septuagenarius, & quinq; annos na tus insuper: qui numerus sensibilis naturæ insensibilisq;, senioris iunio risq;, corruptibilis & incorruptibilis est confinium. nam intelligibilis, se nior, incorruptaq; ratio in Septuaginta est: sensibilis iuniorq; quinq; sen sus æquat numero. ad hanc meditator adhuc se exercens examinatur, qui nondum potest ferre palmam absolutæ uictoriæ. Narratur enim quòd in uniuersum erãt septuagintaquinq; animę in Iacob progenie. Ad huc enim numerum contendentes de uirtutis possessione in reuera sacro certamine pertinent animæ, colluctantes cum prognatis è corpore uitijs, nondum ra

tionem

tionem adeptæ, sed adhuc abreptæ à turba sensuum. Iacob enim luctantis in puluere, & supplantare conantis, non uictoris nomē est, sed quādo uisione dei dignus habitus mutato nomine dicitur Israel, ratione septuagenaria tantū utitur, exciso sensuum quinario, dicēte scriptura: In animabus septuaginta descenderunt tui patres in Ægyptū. hic est numerus Mosis illius sapientis familiaris. nam optimates ex omni numero selecti septuaginta fuere, seniores omnes, non ætate, sed prudentia, consilijs, sententijs, atque priscis moribus. Hic numerus consecratus offertur deo, quoties unà sacrificantur perfecti fructus animæ. præceptum est enim ut tabernaculorū festo præter alias uictimas iuuenci septuaginta holocaustū adolerētur deo, pro septuagenaria ratione, iuxta quam parantur & principū phialæ, quarum unaquæque septuaginta siclos pendebat. quoniam quæcunque socia fœderataque sunt in anima, reuera pondus & uim habent, sanctam septuagenariam rationem, quam Aegyptus, uirtutū hostis & affectuum socia natura, lugere introducitur. nam luctus apud eius ciues finitur septuaginta dierū numero. Ergo hic numerus ut dixi, Mosi familiaris est: alter ille quinque sensuum, amanti corpus & bona extera, qui Ioseph uocitatur. Intantū enim ei curæ sunt, ut fratrem uterinū, sensualem (non agnoscit enim ex eodē patre natos) eximijs quinque donet uestibus, ornandos sibi honorādosque sensus existimans. Ægyptum quoque totam in præfecturas describit, ut sub certis magistratibus annua tributa pēdant & uectigalia. Iubet enim eos frumentum uendere, hoc est materiam & alimentum copiosum recōdere in usum quinque sensuum, ut eorum unusquisque delicietur affatim expletus suis desiderijs, & mentem tot rebus congestis grauatam demergat. Epulantibus enim sensibus mens fame laborat, sicut ediuerso illis ieiunantibus ipsa hilaritate fruitur. Non uides quòd & illæ quinque filiæ Salpaad, quas dico quinque sensuum allegoriam, è tribu Manasse natæ sunt, qui filius fuerat Iosephi, tempore senior, potentia iunior, merito. uocatur enim ex obliuione. quod idē atque sensus est. Reminiscētia uero secūda post memoriā censetur, à qua Ephraim denominatur, qui interpretatur frugifer. hoc enim fructu optime alitur anima, uidelicet pertinaci memoria. Loquuntur igitur uirgines ut ipsas decet, Pater noster mortuus est. Mors autem reminiscentiæ, est obliuio. Et mortuus est ob nullam culpam suam. Recte. nam obliuio non est passio uoluntaria, sed externum quoddam accidens. huic non filij nati sunt, sed filiæ: quia uis memoriæ suapte natura efficax, mares procreat. Quod autem obliuiosum est, sopita ratione parit fœminas, quippe rationis expers. irrationalis autem partis animæ sunt filiæ quas sensus intelligimus. hunc Salpaad si quis à tergo reliquit præcurrens, nondum tamen Mosem cursu ęquare ualēs, temperato mixtoque utetur numero quinto supra septuagenarium, qui significat sensitiuam intellectiuamque naturam, quando ambæ ad generationem unius irreprehensibilis speciei conueniunt. Itaque admiror patientiam Rebecam, dum perfectam animam habenti, & asperitates affectuū ac uitiorū exuto hortatrix fit ut in Charran aufugiat. dicit enim: Nunc igitur fili audi uocē meā, & surgēs fuge ad Laban fratrē meum in Charran, & habita cū eo dies aliquot, donec auertatur furor

ror & ira fratris tui à te,& obliuiſcatur quid feceris ei.] Elegāter profectio nē ad ſenſus,fugā appellat.nā reuera mens tunc fugitiua fit, quādo relictis familiarib.ſibi reb. intelligibilibus,uertitur ad contrariū ſenſibiliū ordinē. Interdum tamē expedit eſſe fugitiuū, ſi hoc fiat nō melioris odio, ſed propter uitandas deterioris inſidias.quid igitur hortatur patientia? mirū quiddam & optabile.Siquādo, inquit, uides iritatū exaſperatūq; furorē aut irā in teipſo,aut quopiam alio,ſeruiente ingenio feroci brutoq;,caue amplius etiam exaſperes.fortaſsis enim morſum infigeret immedicabilem. cura potius, ut feruorem illum excandeſcentiam'que refrigeres ac mitiges. nam ſi ad manſuetudinem redierit,nihil cuiq; nocebit. at quomodo id oportet fieri? ſumpta in ſpeciem alia perſona et habitu alio,primùm obſequere eius uoluntati, nihil contradicens. dic te eadem cum illo amare odiſſeq;.ſic enim placabitur.tū uero ſimulatione omiſſa, nihil amplius ab eo timēs periculi,facile reuerteris ad curam rerū tuarū. nam ideo Charran inducitur plena pecudibus,& habitatores eius pecuarij.Quis enim locus conuenietior eſſe poſſet brutæ naturę, & eius curatoribus,quàm iſti ſenſus noſtri? Scitā te igitur meditatore cuiates ſint, reſpōdent uera paſtores,Carrenos ſe eſſe. nam è ſenſu brutæ,ſicut è mēte rationales,potentiæ proficiſcūtur. Percontante uerò amplius, num norint Labanem, meritò aiunt ſe noſſe. nam per colorem putantur omnes qualitates innoteſcere.colores autem & qualitates Laban ſignificat. Et hic ipſe aūt ubi perfectus fuerit,relinquet ſenſuum domum,& animę inquantum animę conſtruet, quam adhuc in laboribus & ſenſibus uerſando imaginatur.dicit enim: Quando ego quoq; mihi domum faciam? quando contemptis ſenſibus & ſenſibilibus, mentē & cogitationem habitabo,uerſaborq; cum rebus ratione cōtemplandis,ſicut per quiſitrices rerum obſcurarū animæ:quæ obſtetrices ſolent nominari.nam hę faciunt propria tecta & promptuaria ſtudioſis uirtutis animabus.Sed nullum munitius ædificium quàm timor dei,qui habētibus eum eſt pro arce inexpugnabili. Quoniam,inquit, timebāt obſtetrices deum,fecerunt ſibi ipſis domos.Egreſſa igitur è Carrenſi agro mens,dicitur peragraſſe terram uſque ad agrum Sichem, & quercum illam procerā. Videamus quid ſit peragrare.Amor diſcēdi eſt res ſuopte ingenio curioſa, quouis uadens impigre,introſpiciens omnia,nulla corpora, nulla negocia relinquēda inſcrutata iudicans.eſt enim à natura liguritor maximus ſpectaculorū ſermonumq;, ut nō contentus patrijs,peregrinos etiam longinquos'q; appetat. nam qui ſic affecti ſunt, abſurdū aiunt mercatores inſtitoresq; propter ſordida lucra traijcere maria,& totam terram habitabilem oberrare,contempto æſtu ac frigore, uentis item uel nimijs uel contrarijs,adhæc ſenectute, ualetudine,amicorū cōſuetudine,uxore, liberis, alijsq; plurimis domeſticis uoluptatibus,patria, honoribusq; ciuilibus,ſecura poſſeſsiōe patrimonij,& ſi quid aliud paruum magnum'ue remorari eos poterat.propter pulcherrimam autem & per omnes difficultates petendam diſciplinā qua excolitur ratio,non traijcere omnia maria, omnes receſſus terrarū luſtrare diligenter ſcitando ſicubi ſit aliquid pulchrum uiſu uel auditu,& cum ingēti alacritate ueſtigando,donec contingat quæſitis deſideratiſq; potiri. Peregrinare

grinare igitur anima,& si libet de unoquoq; homine iudica, quid corpus sit,quid agat aut patiatur, quid cogitationem sensus adiuuet, & quantum menti prosit.quid ratio, & quarum rerum interpres,ad honestatem conferat:quid uoluptas & concupiscentia sit, quid dolor & timor, quæ contra hæc ualeant remedia,siue depulsiua,siue præseruatiua. Quid imprudentia, quid intemperantia, quid iniustitia, quid cæterorũ morborũ multitudo, quos pestifera malicia solet parere,& quib. modis hi poßsint arceri. ediuerso quid prudentia,iustitia,tẽperantia,fortitudo,sagacitas, & in uniuersum uirtus omnis atq; trãquillitas animi, & quomodo paranda sint hæc singula. Peruestiga & maximum illum perfectißimumq; hominem, mundum hũc,dispice & partes eius singulas,seiunctas locis,unitas potẽtijs:tũ quodnam sit illud inuisibile uinculum quo uniuntur & coaptãtur sibi inuicem. Quæ si quærenti nõ statim se offerẽt,noli tædio laboris deficere. nec enim per otium isthęc percipiuntur,sed multis magnisq; laborib. paranda sunt. Quamobrẽ cupidus discendi in agro Sichem consistit: quod nomen interpretatur humeri suppositio,& laborẽ significat: quia parte hac mos est baiulari onera. id enim & alíubi memoratur de hoc ipso athleta in hũc modum:Supposuit humerum suum ad laborẽ,& factus est uir agricola. Itaq; caue ô mens,ne unquam languore succumbas, sed etiãsi quid uisum fuerit contemplatu difficile, id quod in te uim perspiciẽdi habet,aperi,& rem penitius introspice, collustrans omnia, ne quid te uolentẽ inuitam'ue poßsit fallere,conniuẽtem per incuriam. Cæcus enim est somnus,uigilia cernit acutißime. Tibi sufficiat,si datur aßsiduitate quod quæris aßsequi,& imaginatione comprehendere. Viden' ut & quercus procera in Sichem excreuit:per quam subindicatur firmum,solidum, nulla ui flectendum frangendum'ue robur, quod uiro ad perfectionem tendenti necessarium est ferendis laboribus:ne animæ tribunal nominatum Dina(uox hęc iudicium interpretatur) in potestatẽ ueniat ęrumnosi laboris, insidiatoris prudentiæ. Nam Sichem qui loco huic nomen dedit,filius est Emoris, brutæ naturæ: (Emor enim asinus dicitur)qui deditus imprudentię,alumnus temeritatis impudentięq;,iudicium mentis uiolare scelestus & corrumpere ausus est: nisi quod celeriter prudentię familiares discipuliq; Simeon & Leui,muniti prius rebus domesticis expeditionem fecerunt, & occupatos adhuc uoluptario labore, nõ circunciso ab affectibus, repente oppresserunt. propter oraculum enim,quod uetat meretricẽ esse inter Israelis filias, hi uirginem animam eripuerunt,fortiter contempto periculo. Videbantur enim non defore ultores uiolati fœderis, sed terror ille mox euanuit. mox enim res ipsa falsam opinionem coarguit. Est profecto seuera scelerum ultrix,& iniuriam patientium auxiliatrix iustitia, quæ frustratur illudentes uirtuti: quibus peßsundatis,in uirgineã integritatẽ restituitur, quæ uidebatur constuprata anima. Videbatur, inquam, nũquam enim corrupta fuit. nam ubi deest aßsensio, nec qui patitur uere patitur, nec qui præter animi sui sententiam lædit, reus est patrati facinoris.

PHILONIS IVDAEI DE CONGRESSV QVAERENDAE ERVDITIONIS GRATIA.



ARRA uxor Abrahami nō pariebat ei. Habebat autem ancillam Aegyptiā nomine Agar, dixitq; Sarra ad Abrahā: Ecce cōclusit me dominus ne parerē: ingredere ad ancillam meam, ut suscipias ex ea liberos.] Sarræ nomē interpretatur principatus meus. nā prudentia mea, tēperantia mea, & particularis iustitia, aut unaquælibet uirtus alia, quæ mihi soli cōtigit, meus tātūm principatus est. imperat enim mihi obsequēti uolūtarie, pro regina mihi per naturā apposita. Hanc Moses, quod mireris, & sterilē ait, & fœcundissimā, quandoquidē frequentissimā omniū nationum ex hac progenitam fatetur. nam reuera uirtus quantū ad res malas attinet, sterilis est: bonarū uero tam fœcunda, ut ne obstetricum quidē opem requirat, partu præueniens earum operam. si quidem animātes stirpesq; per interualla semel atq; iterum ut plurimū in anno suos fructus afferūt, stato naturæ tēporumq; ordine: uirtus uerò cōtinue sine cessatione parit omni tēpore, nō infantulos, sed probos sermones, inculpata cōsilia, facinora laudatissima. Sed neq; diuitiæ possessores suos iuuāt, ni utātur eis: nec prudētiæ fœcūditas nobis proderit, nisi fœtus nobis utiles pariat. illa quidē nō dedignatur cōuictum cōiugalem, sed nō quiuis maturus est tam laudato modestoq; cōiugio, qualibus satis sunt spōsalia, quæ spem nuptiarum celebrādarū faciāt. Ergo uirtus principatū tenēs in anima mea, parit quidē, sed nō mihi. nondū enim possum per ætatē liberos ex ea suscipere, actiones prudētes, iustas piasq;, propter multitudinē illegitimorum puerorum, quos mihi uanę opiniones enixæ sunt. Nā horum educatio cōtinuæq; de his solicitudines, cogunt legitimam & uere ciuilē sobolem negligi. Optādum igitur, ut uirtus nō solum pariat, quæ alioquin etiā parit: sed ut & nobisipsis pariat, ut adepti semen eius atq; progeniē, felicem uitā exigamus. Solet enim illa soli deo parere, primitias bonorū quæ accepit grate reddēs ei qui semper uirginē uuluā, ut Moses loquitur, aperuit. ait enim, candelabrum, archetypum illud exēplar, ex una parte lucere, uidelicet ad deum uersa. cū sit enim septima, sex cauliculorū media, bifariā in terniones diuisorū, & laus utrunq; stipātium, sursum splendorem mittit ad illud unū, quod æstimat lumen lucidissimum, & clarius quàm ut admittat mortales oculos. ideo nō dicit Sarrā non peperisse, sed negat eam cuiuis parere. Non sumus enim idonei prolem ex uirtute suscipere, ni prius cōgrediamur cum eius famula. Est autem sapientiæ famula musica logicaq; qua liberaliter instituimur. sicut enim in domibus uestibula sunt ante ianuam, & urbes habent sua suburbia per quæ adeuntur: ita & ante uirtutē artes liberales sitæ sunt. nam illa per hanc uiam aditur. Sciendum autem quòd magnorum argumentorum magna esse conuenit etiam prooemia. uirtus

autē est argumentum maximum. habet enim materiā maximā, uidelicet totam uitā hominū. merito igitur nō paruis utetur procemijs, sed grāmatica, geometria, astronomia, rhetorica, musica, reliqua cōtēplatione logica uniuersa, quæ significātur per Agar Sarræ famulā, sicut indicabimus. Dixit, inquit, Sarra ad Abraham: Ecce cōclusit me dominus ne parerē. ingredere ad ancillā meā, ut filios ex ea suscipias.] Corporū cū corporibus coitus, nihil aliud quàm uoluptatē quærētes, semouēdi ab hoc sermone sunt. est enim hic cōgressus intellectus uirtutisq; liberos sibi quærentiū. quod si nō cōtingat statim tanta felicitas, discit tamen ille despondere sibi eius famulā & sequestram eruditionē. Vnde mirari libet uerecundiam sapientiæ, quę nō exprobrat nobis tarditatē gignēdi, aut in totū sterilitatē: quamuis oraculum uere dicat quòd nō pariebat, nō propter inuidiam, sed propter nostrammetipsorū culpā qui nō essemus idonei. Cōclusit, inquit, me dominus ne parerē. nec addit uocē illā Nobis, ne uideatur opprobrare infelicitatem alijs. Ingredere igitur, inquit, ad ancillā meā, mediarū encyclicarū artium disciplinam mediā, ut prius ex ea filios suscipias. posthac enim poteris etiā ex consuetudine cū domina genitis frui legitimis liberis. nā grammatica historias quæ apud poetas scriptoresq; habentur te docendo, intelligētiam & multiplicem cognitionem tibi prēstabit, efficietq; ut contēnas figmenta uanarū opinionum, dum spectas celebratas illas heroum & semideorū calamitates. musica uerò cōmonstrās quid in rhythmis, quid in harmonia, quid in cantu discrepet, incōcinna ad cōcinnitatē reducet. geometria æqualitatis & proportionis semina indens in studiosam animā, per cōtemplationē elegantiæ perpetuā, inseret amorē iustitiæ. rhetorica & mentem ad considerandum acuens, & sermonem ad proferēdas cogitationes exercens, rationalem uere faciet hominem, curans id quod illi propriū eximiumq; à natura donatum est. dialectica rhetoricæ germana gemellaq;, ut quidam aiunt, falsos sermones à ueris discernens, & sophismata persuasibilia redarguens, magnum morbum animæ deceptionē persanabit. In his & similibus uersari ac prēexercitari profuerit. fortaßis enim cōtingere nobis poteſt quod multis cōtigit, ut per famulas in reginarū uirtutū familiaritatē nos insinuemus. Viden' ut & corpus nostrum nō prius solidis & lautis cibis utitur quàm in pueritia nutritū sit simplicibus & lactarijs: ad eundē sane modum existimandū est animæ quoq; pueriles cibos præparatos, artes liberales, & cōtemplationes singularū proprias: perfectiores autem & qui uere uiros deceant esse uirtutes. Cæterum huius mediæ disciplinę præcipuas formas per duo signa discimus, per genus & nomen: siquidē Aegyptia genere, nominatur Agar. hoc autem interpretatur inquilinus. necesse est enim ut qui choreas encyclicarum contemplationum frequētat, & multiplicem eruditionē sectatur, terreno Aegyptioq; sit adscriptus corpori, cū & oculis ad lectiones opus habeat, & auribus ad auscultādum, & reliquis sensibus ad tractanda sensibilia singula. nā sine iudicatiuo iudicari aliquid natura nō patitur. iudicatur aūt per sensum sensibile, itaq; sine sensu nō potest quicq; percipi in hoc mūdo sensibili, quæ magna ex parte est philosophādi materia. sensus porrò est animæ pars magis corporea, radicata in totius ani-

tius animæ cōceptaculo:quod uas Aegyptus figurate nominatur. hæc est forma generis,quā ancilla uirtutis habet.iam alterā,scilicet nominis,qualis sit,cōsideremus.mediā disciplinā inquilinæ ius habere cōtigit.nā & sapiētia & quælibet uirtus est scientia,sed ciuis & reuera huius uniuersitatis indigena sola ex omnibus:reliquæ disciplinæ secundū & extremum ordinē adeptæ,mediæ censentur inter ciues & hospites.ad neutrum em̄ genus in totum pertinēt,& cum utroq; habēt cōmune nōnihil.nā inquilini cōuersatione cum ciuibus fruuntur:sed quia nō est eis certū fixumq; domiciliū, cēsentur inter exteros.Sicut,opinor,adoptiui filij,quatenus hæredes fiunt pro natiuis æstimātur:quatenus aliunde nati sunt,pro alienis. itaq; sicut se habet hera ad ancillā, matrona ad cōcubinam: ita se habet uirtus Sarra ad disciplinā Agar. iure igitur Abrahamo contemplationi scientiæq; dedito uirtus Sarra pro uxore fuerit: Agar uero,id est uniuersa encyclopędia,pro pellice.Ergo qui prudentiā discit à præceptoribus,Agarem nō rejciet. est enim ualde necessaria primarum disciplinarū possessio. Quod si quis paratus est certamina pro uirtute subire,& indefessus exercet se continuè,duas matronas ducet,ac totidē ancillas pellices.singularum autē diuersa sunt ingenia.matronarum altera,sanissima optime constituta pacatissimaq; motio,ex re Lia nomē habet.altera coti similis Rachel uocatur, ad quam intellectus certaminis exercitijq; cupidus se atterens acuitur. interpretatur aūt uisio profanationis,non quòd profane uideat,sed cōtra:quia uisibilia sensibiliaq;,collata cum immortali natura inuisibili & intelligibili, nō religiosa sed profana esse iudicat.nā cū anima nostra bipartita sit, partim bruta partim rationalis,utriq; sua uirtus est,Lia rationali parti,Rachel irrationali.exercet enim nos altera per sensus,&rationis partes,ut contemnamus omnia cōtemnenda,gloriam,diuitias,uoluptatē,quæ uulgus hominum suspicit, & magna cōtētione persequitur,corrupto auditu, cæterorumq; sensuum iudicio. Altera uero docet,ut inæqualem asperamq; uiā, studiosis uirtutis animabus inaccessam deuitemus, & inoffense per tritā à populo, stratāq; incedamus,nusquā labente uestigio.Necesse est igitur ut prioris ancilla sit eloquendi facultas, & argutatio sophistica, præstigias faciens per coniecturas quasdā persuasibiles.Alterius uero,illa uictus ratio quæ cibum potumq; requirit.nam earum nomina, Zelpha & Balla, extant in sacris literis. Zelpha idem sonat quod oris iter,& eloquēdi facultatē significat.Balla uero deglutitionē,quę est mortalium animalium pręcipuum firmamentum & summè necessarium.ab hac enim sustinētur corpora, & uitæ rudentes ab hac religati sunt ceu crepidine.Cum his igitur omnibus potētijs me ditator ille habet cōsuetudinem,cum alteris ut ingenuis & ciuibus:cum alteris,ut ancillis & pellicibus.Expetit enim Liam,id est motum, qui sanitatem in corpore,in anima honestatem & iusticiam operatur.Rachelem etiā diligit,colluctans cum affectibus,& exercens se ad tēperantiam resistens'que omnibus rebus sensibilibus. Duobus enim modis utilitatē capimus, dum uel in pace bonis fruimur, uel in bello mala profligamus arcemus'que.Per Liam antiquissima & præcipua bona percipimus:per Rachelem, uelut ex hostibus manubias. Huiusmodi est cum his matronis consuetudo.Opus

do. Opus habet nihilominus etiã Balla deglutitione meditator noster, se d ut ancilla & pellice. nisi em̃ edat & uiuat, bene uiuere nõ potest: quãdoqui dẽ indifferẽtia semper meliorib. pro fundamẽto sunt. opus habet Zelpha quoq; differẽdi facultate, ut ratiocinatio duabus rebus in unũ collatis absoluatur, ex cogitatiõis fõte, & riuo inde promanãte per uocis organũ. Verũ isti pluribus uel uxoribus uel cõcubinis usi sunt, ut in sacra scriptura legitur. At cũ Isaac nõ plures uxores, nõ pellex ulla, sed cõiux unica quã uirginẽ puellã duxerat, est perpetua uitæ socia. cur ita? quia uirtus quæ discitur, qualis Abrahami fuit, pluribus eruditionibus indiget, legitimis iuxta prudentiã, adulterinis iuxta disciplinas quas liberales uocamus. itidẽ quæ per meditationẽ absoluitur, quod genus uirtutis Iacob sectatũ apparet. meditationes em̃ cõstãt ex cõpluribus uarijs dogmatibus, antecedẽtibus, cõsequẽtibus, citius aut serius occurrẽtibus, & labores nũc minores nũc maiores exhibẽtibus. At genus à seipso doctũ, in quo Isaac cẽsetur, optimã inter omnes bonos affectus lætitiam simplicem, meram sinceramq; sortitũ est, nec meditatione ulla nec doctrina indigẽs, ad quas parãdas non solũ matronis sciẽtijs, sed & illis alteris pellicibus opus est. Cùm em̃ deus scientias sine præceptore cælitus impluit, impossibile est delectari amplius ancillis & cõcubinis artibus, & teneri desiderio, tanquã filiorũ dogmatũ illegitimorũ. Siquidẽ dominæ reginæq; uirtutis maritus appellatur, cui tãtus honor cõtigit. ea Latine patientia, Hebraicè Rebeca uocatur. Nã quisquis naturę suę felicitate & fœcũditate animæ sine labore sapiẽtiã assecutus est, nullũ profectũ requirit amplius. habet em̃ in prõptu perfecta dona dei inspirata per illas antiquas Gratias, quæ sibi optat perpetua. Et hoc est, opinor, cur ille autor omnis beneficẽtiæ, uolẽs ratas suas gratias, ei qui acceperat, uxorẽ despõdet patientiã. Reminiscentia tñ secundũ à memoria locũ tenet, & reminiscens à memore. nã ille similis est utenti cõstãter bona ualetudine, hic recolligẽti se post ægritudinẽ. Nã obliuio morbus est memoriæ. Quisquis aũt reminiscitur, necessum est, ut oblitus prius fuerit quorũ meminerat. Memoriã sacra scriptura Ephraim nominat, quã uocẽ fertilitatem fructuũ interpretari licet: reminiscentiã autẽ ex obliuiõe Manassem uocãt Hebræi. sic em̃ anima memoris profert ceu fructũ quę didicit, nihil eorum amittẽs: reminiscentis autẽ, ex obliuione euadit, qua priusq; admoneretur, tenebatur. itaq; memori marito uxor cohabitat memoria: obliuioso pellex reminiscẽtia, Syra genere, iactabũda & arrogãs. nã Syria sublimitas interpretatur. huius cõcubinæ reminiscentię filius est Macheir ut appellãt Hebrei, ac si Latine dicas, patris. nã qui reminiscũtur, putãt à patre intellectu se cõmonefieri, nec reputãt secũ, q; is ipse aliquãdo admisit in se obliuionem, nõ facturus, si habuisset in potestate memoriã. Scriptũ est em̃: Nati sunt filij Manassæ, quos peperit ei cõcubina Syra, primum Macheir, qui genuit Galaad. Nachor quoq; frater Abrahã duas mulieres habuit, uxorẽ & pellicẽ. uxoris nomẽ Melcha, Ruma uero pellicis. sed nõ historicã genealogiã cõtexit legislator sapiẽtissimus, q; absit ut quisq; sanus suspicetur: magis rerũ animæ profuturarũ est hęc narratio. q; si hęc nomina uertãtur in linguã nobis uernaculã, quid sibi uelint, apparebit. age igitur scrutemur singula.

Nachor

Nachor idē est φ luminis requies, Melcha φ regina, Ruma significat uidē tem aliquid. Ergo lucē habere in mente bonū est. quod aūt quiescit & cessat immotū, imperfectū bonū est. nā mala quiescere expedit, bona uero moueri. Quid em̄ prodest cessare bonū tibicinē aut citharistam, aut in uniuersum quēcunq; artificē suā artem nō exercere? nā sine actiōe sola cōtemplatio scientibus ad nihil est utilis. nec em̄ pancratiasta, pugil' ue aut luctator ex arena protrusus ullū fructū è studio suo referet: neq; absolutus cursor, si corripiatur à podagra, aut alioqui laboret morbo infesto pedibus. lumen autē animæ, solari simillimū est sciētia. nā sicut oculi splēdore, sic mēs illustratur sapiētia, & usq; acutius cernere assuescit inuncta nouis semper cōtēplationibus. Itaq; luminis quies Nachor interpretatur. & merito. Quatenus em̄ Abrahamū cognatione attingit, sapientiæ luminis factus est particeps. quatenus aūt nō est comitatus peregrinantē à creatura ad creatorē, à mundo ad mūdi opificem, claudā & parū integrā scientiā acquisiuit, resistantē cessantemq;, uel potius humi defixā more statuæ. Nō demigrat em̄ è Chaldaica regione, hoc est nō desistit ab astronomicis speculationib. creaturā magis colens φ opificē, & mundū magis φ deū: imò mundū ipsum deū esse credēs, nō omnipotentis opificiū. Melchā aūt ducit uxorē, nō fortunatā aliquā reginā late imperitantē nationibus aut ciuitatibus, sed appellatā tantū cōmuni cum ea uocabulo. Queādmodum em̄ Cælum, eo quod inter omes creaturas præemineat, regē sensibilium nō incōuenienter quis dixerit: sic & scientiā rerum cælestiū, cuius professores habentur Chaldæi & astronomi, reginam scientiarum ipsi uocant propter excellentiam. Hæc igitur est matrona, cōcubina uero uidens unum aliquid, uel uilissimum. Proinde optimo generi cōtigit uidere, quod est optimum nēpe eum Qui est. Nā Israel uidens deum interpretatur. Secundaria uero cupienti secunda sors obuenit, spectare cælum sensibile, stellarumq; ordinem decentissimum, & choream uere musicā. Tertij sunt quidā disceptatores, quí naturas prēstātissimas sensibilium intelligibiliumq; ne attingunt quidē, tātum circa parata ista sophismata tempus cauillando terētes. Horum cōcubina est Ruma, uidens aliquid uel minutum, quia non possunt potiora scrutari, unde aliquam uitę utilitatem capiant. Nam sicut apud medicos quæ dicitur logoiatria multum abest ut ægrotos adiuuet: remedijs enim & chirurgijs & diætis, nō uerbis morbi curantur: sic & in philosophia uerba tātùm quidam uenditant & uenantur, uitam autem morbis refertam curare nec possunt nec uolunt: nec pudet eos à teneris annis ad ultimam usq; senectutem sententiolas frigidas oppugnare propugnareq;, tanquam felicitas in nominibus uerbisq; & in immodica inaniq; curiositate sita sit, ac non potius in cōponendis moribus: quí fons si bene se habeat, exulāt uitia, uirtus restituitur. Vtuntur tñ cōcubinis, id est opinionibus dogmatibusq;, etiā mali homines: quandoquidem scriptura dicit, quòd Thamna concubina Eliphæ, filij Esau, peperit Eliphæ filium Amalec. Egregia nepotis degeneratio. ea magis apparebit, si nō tam de homine hæc intelligantur quàm de anima, & quasi anatomica ratione cōsiderentur. brutus enim & immoderatus impetus affectuum appellatur Amalec: quod interpretatur populus

elingens.ſicut enim uis ignis abſumit obiectam materiam, eodem modo & affectus excandeſcēs abligurit corrumpitq́ quicquid inuenit obuium. huius affectus pater Eliphas iure cenſetur. nam hæc uox interpretatur deus me diſperſit. An nō quam primum diſsipatur & reijcitur anima à deo, ſtatim hic brutus affectus naſcitur? nam perſpicacem & religioſam mentē, ceu generoſam uitem propagat, radices extendens in æternitatem, & ubertatem ei donās ad uſumfructum uirtutū. & hoc eſt quod Moſes precatur: Inducens plantabis eos: ut non intra unū diem areſcat, ſed immortalis longæuaq́ fiat dei plantatio. Nam iniuſtam impiamq́ animā fugatam à ſeipſo longiſsime, diſsipat in locum uoluptatum, cōcupiſcentiarum, & facinorum: qui locus impiorū uocatur, aptius q̄ ille fabuloſus apud inferos. reuera em̄ infernus nihil aliud eſt q̄ uita miſeri, ſcelerati, execrandiq́ hominis. Extat autem & alibi hoc uerbū in ſacris literis: Quādo diuiſit altiſsimus gentes, & diſperſit filios Adam, terrenos mores omnes: quos nullius cæleſtis boni uidendi cupidos abegit, diſperſos extorres & exules. nullus em̄ malus uel domum habet uel ciuitatē, uel ullum ſocietatis ius, ſed inſtabilis diſpergitur, paſsim uagus errabundusq́, nuſquā ualēs ſubſiſtere. Suſcipit igitur malus è cōiuge maliciā filiā, è concubina uero affectionē. Intellectui enim tota anima quaſi cōiux eſt uitæ ſocia, quæ ſi culpabilis eſt, parit uitia. corporea uero natura pellex uidetur, quæ affectiones gignit. Nā uoluptates ac cōcupiſcētiæ habitāt in corpore. mulier ipſa Thamna nominatur, ac ſi dicas defectus fluctuans. deficit enim & langueſcit affectu anima, motū & iactationem magnā ſumens à corpore, propter coortā grauem tēpeſtatem ex immoderato impetu. Caput autē tanquā animantis omniū dictarū partiū, Eſau eſt princeps generis, qui modo factura, modo quercus, interpretatur. quercus, quia rigidus, inexorabilis, inobſequēs, duræ ceruicis, amentiā in conſiliū adhibens, ucre quernus homo. factura uero, quia figmētum & fabula eſt uita inſipiens, plena tragico faſtu, irriſione mutua, cauilliſq́ comicis, nihil ſani habens, mendax & à ueritate aliena, qualitate carētem inuiſibilē informemq́ naturam nō aſsis faciens, quā Meditator deamat. Teſtis eſt Moſes, dicens: Erat Iacob ſimplex, domū habitās. Itaq́ huic cōtrarius ſine domo eſt, figmentorum, poematum, & fabuloſarū nugarū amicus, uel potius ipſe ludus & fabula. Hactenus de ſtudioſi intellectus cū cōiugibus cōcubiniſq́ cōgreſſu, quantum fieri potuit, dictū eſt. attexēda ſunt reliqua & ſcrutanda quæ deinceps ſequuntur. Obedijt, inquit, Abrahā uerbis Sarræ.] Neceſſe eſt enim ut diſcipulus monitis uirtutis obediat. nō omnes em̄ præfectis ſuis obediunt, ſed quotquot uehementer amant ſcientiā. nā penè quotidie plena ſunt theatra & auditoria: & philoſophi ſine reſpiratione de uirtute copioſe uerba faciūt, ſed quæ'nā eſt horū ſermonū utilitas? cū em̄ deberēt attēdere, auocātes animū quidā de nauigatione ac negotiatione, quidā de agri cultura & reditibus, quidā de honoribus & rep. quidā de lucris ex opificijs, quidā de plectēdis inimicis, quidā de amoribus. omnes de alijs rebus cogitāt: ut quantū ad rem præſentē attinet ſurdi ſint, corpore tantū occupātes ſuū locū, peregrinātes animo, & nihil differētes à ſtatuis ac imaginibus. quod ſi qui attendūt etiā, tātiſper dū ſedent,

audiunt,

audiũt,post discessum nõ meminerũt quicꝙ amplius:quippe qui uenerãt ut aurib.uoluptatẽ caperẽt potius ꝙ utilitatẽ aliquã.itaqꝫ anima corũ nihil potuit utero cõcipere,sed quãprimũ uoluptas illa auditus cessauit,euanuit & attentio. Tertiũ genus est eorum,qui recentẽ adhuc dictorum tenẽt memoriã,sed sophistæ cõperiuntur nõ philosophi.horũ laudatur oratio , uita uituperatur.possunt enim dicere optima,sed nõ possunt facere.Itaqꝫ rarus est inuentu attentus,memor, qui malit facere ꝙ dicere : quæ omnia testantur sacræ literæ de scientiæ cupido his uerbis:Obedijt uoci Sarræ. nõ eñ solũ audire,sed exaudire inducitur.quo uocabulo assensus & obedientia significatur aptissime.nec absurde dictum est illud Voci, & nõ loquenti Sarræ obeditum.propriũ enim discentis est,audire uocem uerbaqꝫ. per hæc enim sola discit.at quisquis meditatione uirtutem nõ doctrina parat, nõ uerba sed quid dicatur,attendit, uitã quoqꝫ præceptoris imitãs laudandis actionibus.narratur eñ de Iacob,quando ad gentilicias nuptias mittitur,Exaudiuit Iacob matrẽ & patrem suum , & profectus est in Mesopotamiã.nõ dicit uocẽ nec uerba exaudita. decebat eñ meditatorem hunc uitę imitatorẽ fieri,nõ sermonum auditorẽ.hoc eñ discentis est illud parãtis se certamini,ut hinc quoqꝫ meditantis & discẽtis appareat differentia, dũ alter præceptorẽ,alter pręcepta sequitur. Assumpsit igitur Sarra uxor Abrahami Agar Aegyptiã ancillam suam,post annos decẽ ꝙ habitare cœperũt *in* terra Chanaan,& dedit eam suo marito uxorem.] Inuidum , amarulentũ,malignum suapte natura est uitiũ:ediuerso uirtus res mitis,benigna,socialis, omnibus modis parata generosis animis prodesse uel per se uel per alios.nũc igitur nõ ualẽtibus nobis è prudentia filios suscipere,suã despõdet famulam,encyclopædiam inquam siue orbem disciplinarum liberaliũ, tantum non sequestram agens & sponsæ ornatricem . legimus eñ ꝙ ipsa suo marito hanc uxorem in manum tradiderit . Hic quærendum occurrit, cur denuo Sarrã dicat uxorem Abrahami,quod iam sæpe antea docuerat. non eñ affectat tautologiã,prolixæ orationis insigne uitium.Quid igitur dicendum?Quoniam ancillam prudẽtiæ liberalẽ eruditionem desponsatam narrat scriptura,ait eam nõ oblitam conditionis & officij quod debebatur dominę,sed meminisse ꝙ illa sit matrona & uxor legitima,ipsa uero propter necessitatem ad tempus assumpta.id quod accidit omnib.discendi cupidis.qui expertus est,idoneus testis erit . Equidem cum primum cœpi stimulari amore philosophiæ, admodũ iuuenis consuetudinem habui cũ una ex eius pedisequis grãmatica,cuius partus, scribẽdi legẽdiqꝫ facultatẽ,& narrationes poetarum,dedicaui eius dominę.ac rursum cum altera cõgressus geometria,delectatus eius pulchritudine , ut cuius mẽbris nihil esset moderatius aut castigatius,nihil ex ea natũ abscõdi, sed bona fide repręsentaui ac donaui matronę.tertiã quoqꝫ solicitaui.erat aũt cõcinna,modulata,cõposita,Musica nomine.ex hac genui colorationes diatonicas, & harmonicos cõiunctos disiunctosqꝫ cãtus,pertinẽtes ad diatessarõ, diapẽte,diapason symphonias.ne hęc quidẽ cęlaui,quo magis ditesceret uxor legitima,aucta numeroso famulicio.Sũt eñ qui ancillarum illecebris inescati,paruipenderunt herã philosophiã, & consenuerunt quidã in poemati-

 bus,qui-

bus,quidã in deliniationibus, quidã in colorũ temperaturis, alij in alijs rebus innumeris,nõ ualentes sese ad matronã recipere. habet eñ unaquæq; ars suas elegãtias quibus alliciat, quibus delectati quidã capiuntur, obliti promissorum,quæ sibi intercesserunt cũ philosophia. sed qui à pactis non discedit,undecunq; parat quibus dominæ placeat. merito igitur scriptura fidẽ eius celebrat, affirmãs nunc quoq; uxorẽ Sarrã esse, etiã quando ipsa uolente libenteq; maritus ancillã duxit in thalamũ. atqui sicut liberales artes cõferũt ad quærẽdã philosophiã,ita philosophia ad parandã sapientiã. Est eñ philosophia meditatio sapientiæ,sapientia uero scientia rerũ humanarũ diuinarũq;,& causarũ insuper. ergo sicut encyclopædia philosophiæ seruit,sic philosophia sapientiæ. at philosophia docet nos cõtinere linguã, uentrem,& ea quæ sub uentre sunt. hæc quãuis per se expetenda,augustiora tamẽ fiunt,quando in honorẽ dei & causa religionis,exercẽtur. oportet igitur nos esse memores dominę,dũ famularũ eius procos agimus. & quãuis harum mariti dicamur,illa nobis matrona sit etiamsi nõ dicatur. Traditur aũt hæc noua nupta nõ statim postq; in Chananæã terrã uẽtum est,sed morato in ea iã per decenniũ. hoc quid sit, nõ obiter despiciẽdũ est. Mox à natiuitate anima nostra coalitis tantũ affectib. utitur, tristitijs, doloribus, timoribus,cõcupiscẽtijs,uoluptatibus,qui per sensus in eã obrepũt, prius q̃ ratio queat à bonis mala discernere,& quantũ altera distẽt ab alteris cognoscere,nimirũ quasi somno etiã tũ grauata & uix recludẽs oculos. procedẽte uero tẽpore,cum pueritiã egressi attingimus adolescẽtiã,statim geminæ stirpes ex una radice nascuntur, uirtus & uitiũ. quas licet ambas intelligamus, utiq; alterã eligimus,generosi uirtutẽ,uitiũ cõtrarij. His prius præstructis,sciendũ affectus per Ægyptũ significari,uitia per terrã Chananæã. itaq; merito populus ex Aegypto in Chananęã ducitur. nã homo, ut dixi,ex quo natus est,Aegyptios affectus incolit, radicatus in dolorib. & uoluptatibus. deinde ceu in coloniã migrat ad uitia, ratione iam cernente acutius,& bonum malumq; intelligente,malũ tamen eligente,quòd multum mortalitatis habeat,quæ malo est propria,sicut contrariũ bonũ ad deum pertinet. Has natura uoluit esse patrias ętatibus,puerili affectum Ægyptum,pubescenti uitium Chananitidem. At sacra scriptura licet non ignara patriarum humani generis, submonet nos quid agẽdum, quid'ue utile, præcipiens ut odio habeamus gẽtium leges institutaq;, his uerbis: Et locutus est dominus ad Mosen,dicẽs: Loquere filijs Israel,& dices ad eos: Ego dominus deus uester. Iuxta cõsuetudinẽ Ægypti in qua habitastis nõ facietis,nec in legib. eorũ ambulabitis. Iudicia mea facietis,& iuxta morẽ regionis Chanaan,in quam ego introducturus sum uos,nõ facietis. Præcepta mea facite,& ambulate in eis. Ego dominus deus uester. Custodite omnia præcepta mea & iudicia mea,& facite ea. Qui fecerit ea,uiuet in eis, ego dominus deus uester. Custodite omnia pręcepta mea,& iudicia mea. Ergo uera uita consistit in dei pręceptis et iudicijs,adeò ut mores impiorũ adferant perniciẽ. quidam autẽ non perpendunt affectus & uitia,unde impiorũ & facinorosorum multitudo exoritur. Ergo post exactum in Chananæa terra decenniũ Agarẽ ducamus, quãdo iam rationis participes,no

xiam suapte natura ignorantiã & ineruditionẽ dediscimus. aliquãto post in numero perfecto denario legitimo eruditionem profuturã concupiscimus. Rationem autem denarij numeri diligenter exquisiuerunt musicorũ filij, laudatam non mediocriter etiam à Mose sacratissimo: qui ad hunc numerum refert res pulcherrimas, uota, primitias, oblationes sacerdotũ perpetuas, obseruationem paschatis, propitiationem, redeuntẽ quinquagesimo quoq; anno remissionem, & restitutionẽ in integrũ, apparatũ tabernaculi dissolubilis, aliaq; innumera, quæ memorare prolixũ fuerit. tãtùm potiora non silebimus. Ante omnia Noe illũ, qui primus in sacra scriptura iustus pronũciatus est, à protoplasto inducit decimũ, nõ ad indicandã annorũ multitudinẽ, sed ut aperte doceat: quod sicut denarius numerorũ qui deinceps unitatẽ sequuntur, est perfectissimus: ita iusticia in anima reuera finis est uitæ actionũ. nã ternio per seipsum multiplicatus ut faciat nouenariũ, res bellicosa habetur in oraculis: superueniẽs aũt unitas ad explendũ denariũ, amica existimatur. id colligitur ex nouẽ regnis, quãdo ciuili bello quatuor affectus cõtra quinq; sensus insurrexerunt, & totã animã quasi ciuitatem adduxerunt in ruinæ uastitatisq; periculũ, quod sapiens ille Abrahã decimus cum suorum manu superueniẽs sustulit. hic pro tempestate tranquillitatẽ, sanitatẽ pro morbo, uitã, si uerum fatendũ est, pro morte attulit fauẽte deo uictoriã assecutus, ob quã gratus obtulit ei decimas. quin & pecudum omniũ quæ sub uirgã, id est, disciplinã ueniũt, & quæ sunt cicuris mansuetiq; generis, decimas lex segregat, iubẽs ut cõsecrentur: ut tam multis exẽplis discamus quod familiaris deo sit denarius, nouenarius uero numerus mortali nostro generi. nec tantum animaliũ, uerum etiam omniũ terræ fructuum decimæ exiguntur primitiarũ nomine. Omnes, inquit, decimæ, siue frugum siue arboreorũ fructuum, cõsecratæ sunt domino: & omnes decimę boum ac ouiũ, & omnis pecoris quod sub uirga numeratur decimæ sacratæ erunt domino. Viden' ut etiam de hac mole nostra corporea, uere terrena & lignea, primitias imperat? nã uita, salus, incrementũ, sanitas, diuinã ei contingunt gratiam. Viden' ut etiã de brutis quæ nobis insunt animalibus, hoc est sensibus, idẽ præcipitur? nam uisus, auditus, odoratus, gustus tactusq;, diuina sunt munera, gratiarũ actione dignissima. Verùm non ob hæc solum terrena, lignea, corporea, nec ob brutas animãtes, sensus uidelicet, benefactorem laudare docemur: sed & ob mentem, quæ proprie homo est in homine, potior in deteriore, immortalis in morti obnoxio. ideo ut puto, primogenita omnia sibi cõsecrauit, pro quib. decimã Leuiticam inquã tribum accepit, ut essent qui conseruarẽt custodirentq; sanctitatem & religionem ceremoniarum, quæ ad dei cultum referũtur. nam præcipua nostri pars est ratio, & dignum est, ut intelligentiæ, solertiæ, sagacitatis, prudentię, & cæterarũ eius potentiarũ, offerãtur deo primitiæ, qui has dotes cumulauit largiter. hac occasiõe permotus ille meditator inter precandum ait: Omnium quę mihi dederis, seponã tibi decimas. Et oraculũ quod post uictoriales preces scriptũ est, quas ille à seipso cõsecratus sacerdos Melchisedec precatur: Dedit, inquit, ei decimas omniũ, de sensib. bene sentire, de uerbis bene dicere, de mente bene cogitare. Pulcherrime

igitur si-

igitur simulq́ necessarie per speciem enarrationis, quando cęlestis illius et diuini alimenti monumentum in urna aurea cõsecratum est, ait: quod Gomor erat decima pars trium mensurarum. In nobis enim ipsis tres mensuræ uidentur esse, sensus, ratio & mens. sensibilia sensu, uerba & orationes ratione, intelligibilia mẽte metimur. de his singulis tribus mensuris primitię sunt offerendæ quasi quædã sacræ decimæ, ut & sermones & sensus & intellectus inculpabiliter saneq́ iuxta deum se habeãt. hæc eñ demũ uera est iustaq́ mensura, nostrę autẽ falsę iniustęq́. merito igitur & in sacrificijs decima pars mensuræ similæ cum uictimis in altare infertur, manẽte nobis reliquo nouenario numero. huc facit & quotidianũ sacerdotũ sacrificium. His eñ præceptum est, ut decimã partem ephi similæ semper offerant. Didicerant enim transcenso nouenario sensibili existimato deo, decimum & solum uerum uere colere. in nouẽ enim partes mundus distribuitur, octo in cælo, supremum orbem & septem reliquos erraticorum siderum similes cursus habentium: nonam autẽ terram cum aqua & aere. Horum enim una est cognatio, uarias mutationes recipientium. Vulgus autem has nouem partes & compactum ex his mundum colebat: at uir perfectus superiorem his opificem earum deum decimum. emergens enim super omnia eius opera desiderabat artificem ipsum, supplex eius cultor fieri cupiens. ideo decimas perpetuas decimo illi qui solus æternus est, dedicat sacerdos, quod proprie animæ pascha dicitur, omnium affectuum & omnium sensibilium transitus dum properat ad decimũ illud quod est diuinum & intelligibile. scriptum est eñ: Decima mẽsis decimi sumat unusquisq́ agnũ per domus singulas: ut à decima illi decimo cõsecrentur uictimæ seruatæ in anima duas è tribus partes illustratas habente, donec in totum uersa in splendorẽ cœlestem, uelut luna toto orbe fulgida, per duas septimanas aucta, non solũ custodire, sed & sacrificare iam ualeat integras & inculpatas hostias: id est, propitiationes. hoc eñ fit mensis decima, anima illũ decimũ deũ inuocante suppliciter, edocta q́ humiles & nihili creaturæ sint, & q́ immẽso interuallo excellat inter omnes eas ille ingenitus. quapropter propitius uel absq́ propitiatione fit seipsos dãnantib. & cõtrahentib. nõ iactabundis & fastu turgidis. hæc est remissio, hæc libertas absoluta animę, pristinũ errorẽ excutientis, & trãseuntis ad nunq́ errantẽ naturã, redeuntisq́ ad sortem quã olim acceperat, cum magnifice spiraret, & uigeret honestis laboribus. tunc enim eius certaminibus delectatum illud sacrum uerbum, dedit ei prę̨mium eximium sortẽ immortalem, & ordinem in genere incorruptibili. hoc & ille sapiens Abrahã supplex orat, imminente incẽdio, uerbotenus quidem terræ Sodomiticæ, re autem animæ bonorũ rerũ sterilis & orbatæ rationis oculis: ut si inueniatur in ea denarius ceu reliquiæ quędam iusticię, detur ei uenia. Orditur aũt supplicationẽ à remissionis numero quinquagenario, et in denariũ desinit, extremã redemptionẽ. et hoc est, cur mihi uidetur Moses quoq́ post tribunos, cẽturiões, quinquagenarios pręfectos, postremo decuriões eligere: ut si mẽs nõ possit per seniores ordines proficere, saltẽ purgetur per ultimos. Pulcherrimũ documẽtũ etiã illius studiosi seruus didicit, quãdo mirifica legatione fungẽs per seipsum sapienti

pienti petebat in uxorē patientiā uirtutē cognatissimā.decē em̄ camelos assumit,in denarij,hoc est rectę institutionis memoriā, quod haberet herū multorū experimentorū memorē.sumit & de bonis herilibus, nō argentū aurum'ue,aut aliquā materiē corruptibilē: hæc em̄ Moses bona nunquam diceret:sed illa germana quę solius sunt animę uiatico negotiationique destinat, doctrinā,profectū, studiū, desideriū,zelū, diuinationē, prophetiā, amorē bonorū operū: quib.reb. exercitatus assidue, iam uelut ex alto portū aspiciens,promet inaures duas,singulas drachmā pendentes,et armillas pōdo aureorum decē, quas tradat puellę offerēti hospitiū. ô diuinū ornamentū, drachmam esse auditionem, pondus propter unitatis naturā indiuisibile: auditus enim nō debet cuiquā uacare,nisi uni uerbo, quod uirtutes unius solius dei decenter exprimit: armillas aūt aureorum decem. nam sapientes actiones perfectis numeris firmantur,quarū unaquæque auro pretiosior est. Talis est & illa per optimates uiritim facta collatio,dū anima ornatu accepto à philosophia festū dedicationis ageret, deo doctori & præceptori agens gratias. acerrā enim aureorū decem plenā aromatibus dedicat,ut uaporem è prudentia cæterisque uirtutibus exhalantē,ille solus sapiens dijudicet.quo sacrificio ubi litatum fuerit, Moses sacrum hymnū accinet dicens: Hausit dominus odorē suauitatis:olfacere ponēs pro assentiri.nō habet enim ille formam humanā, nec naribus alijs'ue partibus instrumētalibus indiget.Paulo post aūt et dei tabernaculū è decem aulęis constare dicet.nam totius sapientiæ compages numerū perfectū sortita est denarium. sapientia porro aula est regia regis omnipotētis qui solus imperat omnibus.hæc est domus eius intelligibilis,altera uero sensibilis mūdus hic,quandoquidem & aulæa cōtexta sunt ex rebus quatuor elementa significātibus, uide licet bysso,hyacintho,purpura, & cocco, quæ illa numero referūt. Byssus terrā significat ex qua nascitur, hyacinthus aerē nigricantē suapte natura. aquam purpura,quòd hęc tinctura è mari petatur,aliter dicta conchilium; postremo ignem color coccinus,cui simillimus est. Rursum Ægyptum rebellem,quando aduersariam mentem uenerata regni traditis insignibus etiam ornauit,solio,sceptro,diademate, decem plagis castigat ille rerum arbiter omnipotens.Idem sapienti Abrahamo pollicetur,nec plures nec pauciores,sed decem gētes se delecturum, & harū agros daturū se illius posteris: denariū ducēs idoneū ad omnia,tam ad honorē quam ad pœnā, tam ad laudē quam ad uituperiū.uerùm ista quorsum memorare pergimus,cū sacrā illā diuinamque cōcionē x.in uniuersum pceptis Moses absoluerit:quę sunt capita iuris diuini in leges plurimas partiti, radices, initia, fontes perēnes mādatorū,iussa uetitaque cōtinentiū, ad utilitatē illorū qui ea recipiūt.merito igitur decēnio postquam è Chaldęa migratū fuerat,cū Agar cōtrahitur cōnubiū.nec em̄ statim ubi ratione uti cœpimus,languēte adhuc mēte artes liberales appetere possumus, sed confirmata iam ui intelligēdi atque solertia, quādo nō superficietenus quasi aliud agendo, sed firma certaque sentētia res cōplectimur.ideo mox in cōtextu additur illud,Ingressus est ad Agar.Cōueniebat em̄ discipulo,ut docti magistri ludū frequētaret,et disceret disciplinas naturę humanę cōgruas.Et nunc quidē discipulus ad doctrinā ire inducitur:sępe tamen

tamen illa prior obuiã procurrit sine inuidia, et uenietes generose attrahit. Sic uirtutem Liam uidere licet occurrentẽ dicentemq́ Meditatori, Ad me ingredieris hodie, cum ille rure domũ rediret. quò enim aliò debuerat ire seminum scientiæ plantarumq́ curator, nisi ad cultã à se uirtutẽ? quæ non nunquam uelut periculum faciens discipulorũ alacritatis & promptitudinis, non occurrit, sed uelata facie sicut Thamar, sedet in triuio, pro meretrice se ostentans prætereuntibus, ne quis curiosior uelũ detrahat, & intemeratum uirgineiq́ pudoris pulchritudinem decentissimã cõspiciat. Sed quis est ille quæsitor discendi cupidus, nihil indiscussum & inexploratum sinens, nisi summus ille dux & rex, libenter perstãs in icto semel cum deo fœdere, Iudas nomine. Diuertit, inquit, ad eam de uia, & dixit: Sine me, ut coeam tecum.] Nec ulterius molestus fuit, ut inspiceret quę nam esset illa uelata potentia, & quid sibi quæreret. Cæterùm post coitum scriptum est: Et cõcepit, nec exprimitur quis. Comprehendit enim ars quidem discentem, adamatum sibi persuadens: discipulus uero magistram, quoties discit auide. Interdum etiam quampiam ex indifferentibus scientijs profitens, & discipulum nactus ingeniosum, iactat suam doctrinã, credens se solum autorem eruditionis suis auditoribus, atq; ita supinus incedit, & inflatus obducto supercilio, & à uolentib. eum sectari magnã mercedẽ postulat: si quos autem sentit sitientes eruditionis, sed pauperes, auersatur, quasi solus inuenisset thesaurũ sapientiæ, hoc est illud in utero concipere, turgere inflariq́ supra modum: quod recidit in dedecus disciplinarum indifferẽtium, quas quidam ita dehonestãt suapte natura honestissimas. Quotquot igitur animæ cum prudentia fiunt rebus grauidæ, pariunt nihilominus confusa discernentes separantesq́, sicut Rebeca. postq́ enim utero concepit scientiã discordium rerum uirtutis & uitij, fœcunditate usa utramq; naturã distinguit et separat. Quotquot autem sine prudẽtia concipiunt, aut abortiunt, aut contentiosum quempiã sophistam iaculatorẽ sagittariũq́, uel telis uelitationibusq́ impetitum pariũt. & merito. multũ enim interest inter concipientes & grauidas. nam quę se putant grauidas, partum sibijpsis ascribũt, eumq́ iactant sermonibus. at quæ non dedignãtur cõcipere, fatentur se nihil habere proprium, sed semina atq; genituras externe infusas confouere, & autorem harum ueneratæ, maximũ malum, scilicet sui amorẽ, per bonũ perfectum, scilicet pietatem, depellunt. Ad eundẽ modũ etiam legum humanarum iacta sunt semina. Erat uir quidam, inquit scriptura, de tribu Leui, nomine Amram, qui accepit uxorem de filiabus Leui. Ea grauida facta peperit filium: quem cum uiderent elegantem, absconderunt tribus mensibus. hic est Moses ille purissimus intellectus, uere elegãs, qui numinis afflatu correptus legislatoriã ac propheticã facultatẽ adeptus est, ex genere natus leuitico paterna stirpe maternaq́ florẽs & cognatus ueritati, maximũ autem quiddam primus tribus huius autor pollicetur. audet enim dicere: Ipse mihi solus deus colendus est. aliud præterea nihil, nõ terra, non mare, non fluuij, non aeris uentorũq́ natura, nõ tempestates, non animaliũ plantarumq́ species, non sol, non luna, nõ multitudo stellarũ ordine certo decurrentium, non cœlũ, nec mundus uniuersus: quod promissum est magni

generosiq́

generosiq; animi, emergere supra creaturã & terminos eius traijcere, uni adhęrẽdo Ingenito, iuxta sacra pręcepta, quę id diserte imperãt. itaq; pro hac assiduitate cultuq; nõ intermisso reddit eis sortẽ seipsum. Fideiubet au tẽ pro hac mea promissione oraculũ dicẽs, Dominus hæreditas eius. Tales partus grauidæ magis q̃ cõcipientes animę solẽt parere. Quẽadmodũ aũt corporis oculi modo obscure modo clare uidẽt: similiter etiã animę oculus aliquãdo cõfusiores & incertas, aliquãdo claras manifestasq; rerum proprietates cõcipit. sed ille obscurus & incertus cõceptus similis est fœtui nondũ formato in utero: clarus aũt & manifestus effigiẽ humanã habẽti & discretas formas artuũ. de quibus extat lex scripta ualde bona & perutilis. Si rixantib. uiris duobus alter percutiat mulierẽ grauidã, & illa puerũ informẽ eijciat, mulcta mulctabitur ex mariti arbitrio, eãq; mox repręsentabit. Quod si formatus fuerit, dabit animã pro anima. non em̃ erat simile, perfectũ & imperfectũ mẽtis opus corrũpere, neq; cõiectura tantundẽ ualet quantũ sciẽtia, neq; sperata res quãtũ possessa. Ideo pro incerto incerta mulcta statuitur: ubi finitũ est facinus, lex quoq; pœnã definit. quod intelligitur nõ de uirtute, sed de arte aliqua inculpabili. Hoc fœtu pręgnãs est, nõ quæ concepit, sed grauida, inflata opinione. nã eam quę cõcepit aborti re nõ est possibile, quod credibile sit absoluturũ talẽ fœtum ipsum qui genituram indidit. at grauidæ nõ est mirũ si quid secus accidat, quod hæc ægrotet sine medico. Caue aũt de Agar dictum putes, quod uidisset seipsam concepisse, cũ dicitur, uidẽs q̃ concepit, sed de hera hoc intelligitur Sarra. nã paulo post ipsa de seipsa dicit: Vidẽs se cõcepisse, parata est corã ea. cur ita? quoniã indifferentes artes, & harũ sectatores, uident se graues utero, sed quid gestent nõ satis uident: sciẽtiæ uero cernunt suos fœtus manifestissime. nã sciẽtia maior est q̃ ars, quippe ratione cõfirmata stabilitaq;. sic enim definitur: scientia est ex multis intellectis facultas, meditatione acquisita, ad finẽ aliquẽ bonum ac utilẽ: quæ clausula recte additur, ut malas improbatasq; artes excludat. porrò sciẽtia per rationẽ retinetur cõstanter atque firmiter. proinde musicã, grãmaticã, & harũ cognatas uocamus artes. nã quicũq; in his sunt absoluti, dicũtur artifices, musici & grãmatici. philosophiã uero & cæteras uirtutes, sciẽtias, & qui hęc tenẽt, scientijs pręditos, ut sunt prudẽtes, temperãtes & philosophi. quorũ nemo fallitur in placitis excultæ à se sciẽtiæ, sicut supra dicti fallũtur in artiũ suarũ cõtemplationibus. nã sicut oculi uidẽt, sed mens clarius per oculos, & aures audiunt, sed mens per aures melius, & nares olfaciũt, sed anima per nares efficacius: itẽ cæteri sensus obiecta sua percipiũt, sed mens per eos purius atq; sincerius (loquẽdo em̃ proprie, hęc ipsa est oculorũ oculus, & auris auriũ, & in uno quoq; sensu sensus sincerior, utens illis tanquam pro tribunali apparitoribus, sed ipsa naturas subiectorum iudicãs, & quędam auersans, alijs assentiẽs) sic artes quæ dicuntur indifferentes siue mediæ, corporis potentijs similes, cõtemplationes suas tractãt simpliciter, scientiæ uero suas diligẽtius & cum summo examine. nã sicut intellectus ad sensum, sic ad artẽ se habet scientia. nam anima est quidã (ut iam dixi) sensus sensuũ. illarum igitur singulæ exigua quædam in rerum naturis sibi uindicãt, circa quæ occupan-

tur,lineas geometria,ſonos muſica,uniuerſam uero naturam philoſophia. nam materia circa quam uerſatur,eſt mũdus hic,& tota uiſibilis ac inuiſibi lis eſſentia.Quid igitur mirũ ſi cum uniuerſum uideat,uidet etiã partes, & quidem ꝗ̃ illæ melius, quippe illuſtrata maioribus acutioribusq́ꝫ oculis: ut merito hera philoſophia mediã eruditionẽ ancillam ſuam prægnantem uideat,potius ꝗ̃ illa ſeipſam.Quis enim ignorat ꝙ omnibus particularib. ſcientijs principia ſeminaq́ꝫ indidit philoſophia, ex quibus ſpeculationes earũ germinent?nam æquilateræ,obliquæ,circulares,multiangulæ aliæq́ꝫ figuræ,inuenta geometriæ ſunt.cæterũ punctum,ſuperficiem,lineam, ſoli dum,nõ item inuenit geometria. Quomodo enim illa definiret punctum eſſe quod in partes nõ diuiditur,lineam longitudinẽ ſine latitudine, ſuper ficiem longitudinem tantũ cũ latitudine,ſolidũ quod tres dimenſiones ha bet,longitudinem,latitudinẽ, altitudinem. hæc enim ad philoſophiã atti- nent,&definiendi negotiũ eſt philoſophi.item ſcribere legereq́ꝫ eſt minus perfectæ grãmaticæ, quam quidã torquentes uocabulum grammatiſticã uocãt:perfectioris autem poetarũ hiſtoricorumq́ꝫ explicatio. Quoties igi tur de orationis partibus diſſerũt,non'ne tũc de inuẽtis philoſophiæ quid dam ſibi uſurpare uidentur?huius enim eſt propriũ diſquirere,quid cõiun ctio,quid nomen,quid uerbum,quid cõmune nomen,quid propriũ,quid defectiuum in oratione,quid completũ,quid affirmatiuũ,quid interroga- tiuum,quid percontatiuũ,quid complexiuũ,quid bonum malum'ue.nam de per ſe abſolutis,& propoſitiõibus & prædicamẽtis huius eſt tractatio. iam ſemiuocaliũ,uocaliũ,mutarũq́ꝫ literarũ diſcrimina, & quomodo pro- nuncientur ſingulæ,& omnes elementorũ atq́ꝫ partium orationis proprie tates,non'ne à philoſophis elaboratæ abſolutæq́ꝫ ſunt?quę iſti fures tanq́ꝫ de torrente paucas aliquot guttulas cum in animas ſuas inſtillauerint,non pudet eos furta oſtentare quaſi res proprias. Quamobrem elati & ſibi pla centes contemnunt dominam,penes quã ſolã eſt harũ contemplationũ au toritas. eum contemptũ illa ſentiens coarguet ingenue dicens,Iniuriam pa tior,uobis pacta non ſeruantibus.ex quo enim complexi eſtis iſta rudimẽ ta diſplinarũ nata è mea famula,exhibetis ei honorem uxori debitũ, me ue ro ſic auerſamini,quaſi nunq́ꝫ iunctam matrimonio. Verùm hæc fortaſsis eſt nihil aliud ꝗ̃ ſuſpicio, me ex aperta conſuetudine ueſtra cũ mea pediſe qua,coniecturam non admodũ certam ſumẽte alienati à me animi.quæ an uana ſit,ſoli deo notum eſt,præterea nemo facile iudicauerit. ideo proprie loquitur:Iudicet deus inter te & me:non prædamnans tanq́ꝫ inique agen- tem,ſed ambigẽs quaſi fortaſsis æquũ faceret,quod nõ ita multo poſt cer- to cõpertum fuit,dum ſe defendẽs,& hęſitationi eius medicinam adhibẽs ait,En tibi puellam trado in manus tuas,utere hac ſicut tibi libet.] Nã qui puellam dicit,utrumq́ꝫ fatetur,& conditionẽ ſeruilem, & ætatis imperitiã. nam puellæ nomen utriuſque rei ſignificationi conuenit. Simul fatetur & contraria,puellam adultæ,dominã opponens ancillæ:tantum non in faciẽ reclamans:equidem encyclopędiã ut iuniorem & puellã in delicijs habeo, ſcientiam uero coniunctã cum prudẽtia ut maturam matronã honore pro ſequor.Quod autem dicit, in manus tuas, ſubiectionẽ quidem ſignificat,

uerum

uerum nō hanc solam, sed etiā quiddā aliud: uidelicet q̄ res ancillæ sint in manu corporis: corporeis enim instrumētis & potentijs opus habent artes liberales: res autem dominæ ad animā attineāt. ad rationem enim refertur tum scientia tum prudentia. itaq; quanto præstantior, efficacior, & modis omnibus potior est intellectus utilitas, tāto pluris facio scientiā prudētiamq́;, q̄ istam musicā unam ex artium liberaliū numero. Proinde cū sis & habearis à me domina, sume, inquit, omnem meā eruditionem, & nō secus q̄ ancilla, utere pro arbitrio tuo: quod scio fore non iniquū, etiamsi nō tam iucundum q̄ utile fuerit, & minimum suauitatis habuerit. bona eñ & utilis est castigatio his qui hac indigēt: quā aliter afflictionem sacra scriptura nominat. Quapropter mox additur, Et afflixit eā: ac si diceret, castigauit & coegit officiū facere. hoc enim plurimū cōfert otio corruptis & licētia, sicut calcar equis cōtumacibus. Tales enim ægre māsuescunt, & uix domātur scutica. an nō uides horum præmia? insultant uiris probatis, dilatātur, pinguescunt, sumunt magnos spiritus. dein assequūtur impietatis suę miseræ præmia, nimirū & ipsi miserabiles infortunatiq́;, dum coronātur & pronunciantur præcurrisse omnes impios. affluentibus enim leniter felicitatibus, putabāt se deos aureos & argenteos, oblectati adulterinis numismatibus, obliti eius Qui uere est. Testis est Moses dicēs: Impinguatus, incrassatus, dilatatus, deseruit deum factorē suū. Itaq; si nimia dissolutio maximū morbum impietatē parturit, ediuerso legitima castigatio bonū gignit perfectißimū, illam tantopere laudatā emendationē. Vnde factū est quod primarium festum azymorū, per panē afflictionis significatur: quāuis nemo nesciat celebritates exhilarari epulis & lætis cōuictibus, nō afflictionibus: sed liquet hanc uocem per abusum accipi pro labore castigatorio. nā maxima plurimaq; bona meditationibus parātur & laboribus iuuenilibus. At animæ festum est rerū optimarū æmulatio, & labor ad perfectionē properantium. Quamobrē præceptum est ut azyma edātur cum amaris lactucis agrestibus, nō ut sint uice obsonij: sed quia cohibere cōcupiscētias ne ferescant & turgeant, quidā putant amarū, nō ualentes cōsuetos affectus dediscere, quod mens certaminum auida habet pro festiuis delicijs. Hanc ob causam, opinor, in loco qui amaritudo uocatur, lex data fuit. nam iniuriam facere suaue, laboriosum uerò est iuste agere: quæ quidem est uerißima iuris regula. Egreßi, inquit, ex affectionibus Aegyptiacis uenerūt in Merrā, ubi non poterant aquā bibere, adeò fuit amara. Vnde loco nomē impositum Amaritudo, & murmurauit populus cōtra Mosem dicēs, Quid bibemus? Clamauit autē Moses ad dominum, & ostēdit ei dominus lignū, quo iniecto in aquā dulcis est reddita. In eo loco datæ sunt ei iustificationes & iudicia, & ibi tētauit eum dominus. est eñ certißimū experimentū animæ in labore atq; amaritudine: alioqui non facile quò uergat, discernitur. Nā multis nimis cito defeßi sunt, nō ferentes laborē grauē aduersariū, manus præ lāguore demittētes sicut athletæ qui desperāt de uictoria, certi ad Aegyptiarum affectionū delicias recurrere. alij uero horrēdos grauesq; deserti labores tolerādo fortiter, inuicti perdurauerūt in uitæ certamine, cōtendentes aduersus naturæ neceßitates, adeò ut famē, sitim, algorem, æstum,

à quibus cæteri facile uincuntur, ipsi deuincerent. in causa fuit non solus labor, sed cum eo cõiuncta dulcedo. legimus eñ aquã dulcem redditã, quæ dulcedo laboris Græcis φιλοπονία uocatur. talis eñ dulcedo nihil aliud est ꝙ amãtis honestatẽ zelus, amor & desideriũ. nemo igitur huiusmodi afflictionẽ refugiat, nec putet festas epulas uocari panẽ afflictionis tanꝙ noxias ac nõ potius utiles. nã anima castigata nutritur eruditionis placitis. cęterum opus hoc pistorium fermẽto carẽs adeò sacrũ habetur, ut oraculo pręceptum sit xij. panes nõ fermẽtatos pro numero tribuũ in sacrario proponi supra mẽsam auream, qui panes propositionis uocãtur. lege quoqꝫ cautum est, ne quid fermẽti aut mellis inferatur in altarium. est eñ difficile uel dulcedines uoluptatũ corporis, uel inanes tumores animę, cõsecrare tanꝙ puras, cum suapte natura impuræ ac profanæ sint. non'ne igitur meritò fatidicus sermo nomine Mosis dicit: Memẽto uiarum omniũ, per quas te duxit dominus deus in deserto, ut affligeret te, & tẽtaret ac probaret cor tuũ, num custoditurus esses mãdata eius. nunquid afflixit te & fame pressit, ac mox cibauit mãna, quã non gustarãt patres tui, ut doceret te, ꝙ nõ solo pane uiuet homo, sed in omni uerbo quod egreditur ex ore dei. Quis igitur tã profanus est ut credat tortorẽ deum, qui famẽ lethi genus miserrimum inducat super homines nõ ualẽtes sine cibo uiuere? Est eñ bonus & causa rerum bonarũ, benefactor, seruator, altorqꝫ, diuitiarum donator munificentissimus, à profana malignitate alienissimus. Sic enim onera terræ Adamum Cainumqꝫ profligauit è paradiso. ergo non debemus uerbis seduci, sed corũ occulta significata dispicere, & afflictionẽ interpretari castigationẽ, admonitionẽ, eruditionẽqꝫ. Quod aũt scriptũ est, obiectos eos fami, nõ de cibi potusqꝫ inopia dicitur, sed uoluptatũ, cõcupiscentiarũ, timoris, doloris, iniquitatũ, & in uniuersum omniũ quæ aut uitiorũ sunt effectus, aut passionũ animę. Attestatur mihi quod mox sequitur: Cibauit te mãna. Eũ cibum sine labore curaqꝫ hominum, nõ è terra more consueto editum, sed cælitus exhibitum prodigiosa beneficẽtia, utrum famẽ afflictionẽqꝫ oportet dicere, an potius ubertatem & copiã quæ inuitet ad secure uiuendum sub diuinis legibus? Sed uulgus gregarium putat eos male saginari qui pascuntur diuinis eloquijs. nec mirũ, quandoquidẽ nullum unꝙ gustum cepit alentis omnia sapientiæ. Proinde uulgo ignotum est, in quanta illi felicitate atqꝫ hilaritate uitam exigant. Est igitur afflictionis quoddam genus utile, in tantum, ut etiam uilissima huius pars, nempe seruitus pro magno bono imputetur. Optat hãc in sacris literis pater suo filio, uir optimus Isaac insipienti Esau, dicens: Gladio tibi uictum parabis, & fratri tuo seruies: utilissimum iudicans ei qui paci bellum prætulerat, & arma tanquam pugnator gestabat propter intestinam seditionem animæ, seruire præstantiori, & omnia mandata diligentis temperantiam obedienter exequi. Quapropter uidetur mihi quidam è Mosis discipulis nomine pacatus, qui patria lingua Salomon uocatur, dixisse: Fili caue contemnas disciplinam Domini, & castigatus ab eo noli despondere animum: quem enim diligit, arguit, & flagellat omnem charum filium. Tam pręclara res habetur correptio castigatioqꝫ, ut hoc certo signo dignoscãtur dei cognati. Quæ eñ potest esse

test esse maior cognatio, quã quæ filio cum patre intercedit. Sed ne uideamur uerba uerbis attexendo de industria sermonem protẽdere, manifesto argumento fidẽ iam dictis astruemus, quod uel solum possit satis docere, esse genus quoddam afflictionis quod ad uirtutẽ pertineat. extat enim lex huiusmodi: Omnem uiduam & pupillum non affligetis. Quod si afflixeritis eos uitio. Quid ait? Ergo potest aliquis affligi aliter. alioquin superfluum esset manifesta inculcari, quæ uel absq; additamento intelligi poterãt. Sed respondebit utiq;: Noui equidem etiam uirtute afflictos, & castigatos à prudentia. ideo nõ omnem afflictionem culpo, sed iustam legitimamq;, qua obiurgatus corrigitur, ualde approbo. Stultam uero ac malam, ut noxiam merito uitupero. Cum igitur Agarem afflictã à Sarra audis, nihil suspiceris de muliebri zelotypia. nam nõ de mulieribus sermo fit, sed de mentibus, quarum altera eruditur artibus ætati primæ conuenientibus, altera in stadio uirtutis exercetur.

PHILONIS IVDAEI
DE PROFVGIS.



ET AFFLIXIT eam Sarra, & aufugit ab eius facie. inuenit autẽ eam angelus domini ad fontem aquæ in solitudine, qui fons est in uia Sur: & dixit ad eã angelus domini: Ancilla Sarræ unde uenis, & quò uadis? quæ respondit: à facie Sarræ heræ meæ fugio. cui angelus domini: Reuertere ad herã tuã, & humiliare sub manu eius. Et rursum: Prægnãs es, inquit, & paries filiũ, uocabisq; nomen eius Ismael. hic erit ferus homo, manus eius cõtra omnes, & manus omnium cõtra eum.] Post quã superiore libro de eruditiõe & de afflictiõe satis diximus, deinceps de profugis locũ tractabimus. nã sæpe scriptura mentionẽ facit de fugientibus, sicut nunc de Agare, dicẽs q; afflicta aufugit à facie heræ suæ. cęterum fugæ tres causas equidem existimo, odium, timorem, pudorẽ. nã præ odio mulieres uiros, & uiri mulieres, deserũt. prę timore, parẽtes liberi, & serui dominos. præ pudore amicos amici, si quãdo offensa interuenit. Quin & patres noui, qui uitę molli assueti, cũ reuererẽtur filios uersos ad uitã austeram & philosophicã, maluerint prę pudore rusticari, q; in urbe domi habitare. harũ trium causarum & sacra scriptura meminit. certe meditator ille Iacob præ odio Labanem socerũ, præ metu Esau fratrem, fugit, ut mox docebimus. Agar uero præ pudore discedit. id inde colligitur, quòd occurrit ei angelus dei uerbũ, qui officij moneat eã, & heriles ædes reuerti iubeat, qui etiã cõfirmans eam, Exaudiuit, inquit, Dominus humiliationẽ tuã, nõ à timore profectã nec ab odio: qui affectus uel ignaui animi sunt uel iritabilis: sed à pudore imaginẽ modestiæ. alioquin si prę metu fugisset, debuerat herã ad æquanimitatẽ hortari. sic enim profugæ patuisset reditus, non aliter. uerùm apud illã nemo intercedit, iam ante per se placatã: hãc uero beneuolus a-

lus amicus & cõsultor arguens docet nõ solum pudorẽ adhibere sed & audaciã.pudorem em̃ dimidiatã uirtutem esse absq; fiducia.cęterũ exquisitiores harum rerũ formas spectabimus ubi series orationis eò nos deduxerit. Reuertamur ad proposita capita,incipiendo à præ odio fugientibus.Cęlauit,inquit,Iacob Labanẽ Syrum,nec indicauit ei de fuga,& aufugit cum rebus suis omnibus.Quę igitur fuerit causa odij,fortasse quęrat aliquis. Sũt quidã qui essentiã illã qualitate omni & specie formaq; carentẽ sibi deum fingunt,motorem eius & autorem nec scientes nec cupientes ex alijs discere,ignorãtes rem cognitu pulcherrimã, cuius scientia prima solaq; paranda erat summo labore ac studio.in his Labã est.nã gregem nõ signatum ei tribuũt oracula.est aũt sine signo in uniuerso materia carẽs qualitate: inter homines aũt inerudita & nullo unq; usa pędagogo anima.Rursum alij potiores his aiunt intellectũ aduẽtu suo dispoſuisse om̃ia. & sublata uulgi administratiõe ex perturbata republica,legitimi regni formam induxisse. ex hoc sodalitio Iacob est, magister pecoris uarietate signati. Insignita em̃ & uarienotata est in uniuerso quidẽ species,in hominib.aũt mẽs docilis & discendi auida. ergo suapte natura societatis amicus insignis amatorq; ueræ monarchiæ,uenit ad illũ nullo signo nobilem,materiales, ut dixi, sibi pro deo cõsecrãtem principatus,& nullos præterea credentem, ut eum errare doceat.creatus est enim mundus,& omnino aliquem autorem habuit. uerbum autem creatoris,signaculum est illud, à quo quicquid est formã accipit,ideo primis creaturis perfecta species cõtigit, utpote ad imaginem perfecti uerbi expressa.nam animalia quantitatem perfectam nõ habent,sicut liquet ex incrementis per ętates accedẽtibus. qualitas aũt perfecta est,& eadem semper manet,quippe quæ à semper manente fuit expressa,uerbo dei nunq; mutabili.Sed quia monitor hic animaduertit se surdo canere,merito de fuga cogitat.nimirũ metuẽs ne illi nihil prosit,& insuper ipse damnũ accipiat.Nocet enĩ cõuictus & cõsuetudo cum insipientibus:quia sæpe accidit,ut anima etiam inuita aliquid cõtagij sibi affricet:&alioquin male cõuenit eruditiõi cum ineruditione,& industriæ cum segnicie. quamobrem clamant meditatoriæ potentię uociferanturq;, nõ dissimulando causas odij: Nunquid est nobis portio hæreditatis in domo patris nostri? non'ne quasi alienas reputauit nos?uendidit nos, & deuorauit nostrum pretium. opes & gloriæ,quas deus patri nostro abstulit,nostræ fient liberorũq; nostrorum.nam cum sint & appellentur ingenuæ,nõ putant ullum insipientem uel clarum esse uel diuitem,sed om̃es ex æquo pauperes ac ignobiles, etiãsi regum opulentissimorũ fortunas superẽt. non dicũt em̃ patris opes, sed ablatas patri,nec gloriã illius,sed ablatã ab eo gloriam,sc habituras. priuatur autem malus ueris diuitijs & uera gloria. Nã hæc bona parãtur per temperãtiã,& prudentiã,& his cognatas habitudines,quę animi generosi hæreditario iure posidẽt.ergo nõ possessiones mali uiri,sed quæ ille amittit,claritas ac opes ad bonos perueniũt.amittit aũt uirtutes,quæ his in possessionẽ cedunt,iuxta illud quod alibi legitur:Abominationes Aegypti sacrificemus dño. perfectæ em̃ & inculpatæ uictimæ uirtutes sunt, & operatiões his cõgruæ,quas illud Aegyptiũ affectibus obnoxiũ corpus abominatur.

minatur.nã ſicut hic idola Ægyptiorũ execranda Iſraelitis perſpicacib. di-cuntur,& mactantur omnia:ſic quæ amittit quiuis inſipiẽs, ea perueniunt ad honeſtatis amicũ iure hæreditario. ea ſunt,uera opinio, nihil differẽs à ſcientia, & diuitiæ,nõ qualis cæcus ille Plutus,ſed cernẽtes acutiſsime nul lum adulterinũ numũ admittentes,imò nihil inanimatũ, etiãſi alioqui pro batũ ſit. merito igitur homo diuinorũ bonorũ expers deſeritur, qui dum aliũ accuſare conatur,imprudens ſeipſum culpat,dicendo,Si indicaſſes mi hi,dimiſiſſem te.] Atqui ob hoc ipſum dignus eras deſeri,ꝙ innumeris do minis ſeruiẽs,principẽ te ſimulas,et libertatẽ polliceris alijs.Ego uero itine ris ad uirtutẽ ducentis auxiliatorẽ hominẽ nõ accipio, ſed obedio iubenti hinc diſcedere oraculo, cuius ductũ ſequor nũc quoq;. ſed quomodo me dimiſiſſes? nimirũ ut iactas,cum hilaritate mihi moleſta,& inſuaui muſica, cum tympanorũ ſtrepitu nihil ſignificãte, & obtundente aures animæ, cũ incõcinnis citharis,æque ac uita cætera.Imò hæc ipſa ſunt quæ ſtatui fuge re: & tu putas me ſic poſſe retrahi, ut curſum reflectã ad ſenſus natura falla ces,quos nunꝗ libenter attigi.Hęc eſt fuga cuius cauſa fuit odiũ: dicemus & de ea quæ præ metu fit.Dixit,inquit,Rebeca ad Iacob: Ecce Eſau frater tuus necem tibi minatur.Nunc igitur,mi puer, audi uocẽ meã, & ſurgens fuge ad Labanẽ fratrẽ meũ in Charras:habitabiſq; cũ eo dies aliquot, do-nec auertatur ira fratris tui,& obliuiſcatur eorũ quę cõmiſiſti in eũ,& ego te acceſſam.] Timendũ eſt eñ ne deterior pars uel clã per inſidias, uel aper ta ui meliorẽ opprimat: & optime cõſulit Rebeca recte ſentiens patientia. Si quãdo uidebis,inquit,uitiũ magno impetu ferri cõtra uirtutẽ,& iſta cõ temnenda magni facere,diuitias,gloriam,uoluptatẽ,& ideo laudare iniu-ſticiã,ut cauſam horũ quæ nominauimus,eo quod ad opes ac gloriã iniu-ſti ante omnes perueniant: caue ne ſtatim diuerſam uiã ingrediaris, uerſus ad egeſtatem & humilitatẽ, ne'ue tetricã uitam ac ſolitariam inſtituas. irri-tares eñ aduerſarium, & moleſtiorẽ inimicum tibi parares. aduerte igitur quomodo petitiões eius euitare ualeas.uerſare cum eiſdẽ, nõ dico ſtudijs, ſed obiectis eorũ quæ diximus,honoribus,poteſtatibus,argẽto,auro,poſ ſeſsionibus,coloribus formiſq; eximijs & elegantijs, ea nactus, ut bonus opifex,optimas ſpecies materiarũ notato, unde laudabile opus facias. an neſcis,quod imperitus ſi nauẽ accipiat aptã ferẽdis tẽpeſtatibus,ſubuertit: eandẽ gubernator exercitatus ſæpe ſeruat è naufragio? itidẽ ęgroti ab im-peritis medicis uexati periculũ ſalutis incurrunt: è diuerſo à peritis adiuti, etiã è periculoſis morbis euadũt? & quid multis uerbis opus eſt? Semper quod ex arte fit, inertiam redarguit & imperitiã: ut ſi laudes illud, eadem opera diuerſum uituperes. Ergo ſi uis opulentũ ut malũ redarguere,ne a-uerſeris pecuniarum copiã.nam ille miſer mature ſe oſtendet, aut ſordidũ appenſorem obolorum et illiberalem fœneratorẽ,aut luxu perditũ et pro mum magis quàm condum,meretricũ,lenonũ, productorũ, & huiuſmo-di ſodalitij patronũ fautoremq; profuſiſsimũ.tu uerò collationes facies in amicos pauperes, munificus eris erga patriã, pauperũ parentũ filias fruga li dote augebis: tantũnon in mediũ tua proponens, inuitabis ad fruendũ quotquot digni fuerint hac gratia.pari modo ſi ambitioſo & glorię mãci-

pio uis exprobrare miseriã, & potes ipse honores adipisci, ne auerseris laudẽ publicã. sic enim supplantabis illũ fastuose incedentẽ et gerentem se magnifice. ille abutetur sua claritate ad iniuriam & contumeliã aliorum se prę stantiorũ, fauens cõtra eos deterioribus. tu cõtrà cum omnibus dignis cõmunicabis honorem, securitatem parans bonis uiris, reliquos admonẽdo corrigens. quod si ad cõpotationem aut sumptuosum conuiuiũ eundum erit, ito cum fiducia, intemperantem pudefacturus tua dexteritate. nam ille pronus, & cõcupiscentias prius ꝙ os diducens, auide ad saturitatẽ ingeret etiã quæ proximis sunt apposita, nec pudebit eum ligurire omnia. moxꝙ cibo differtus, spumantẽ paterã, ut poetę loquuntur, hauriet, conuiuis irridentib. & cauillãtibus. tu uero si nemo cogat, cõtentus eris modicis: quod si quãdo necesse habebis frui largius, ratiõe in cõsilium adhibita nunꝙ uoluptatẽ uertes in molestiã: sed ut ita loquar, salua sobrietate fies ebrius. nõ iniuste igitur ueritas incusare posset eos qui temere deserunt uitã ciuilẽ & curam augendæ rei domesticæ, dicunꝙ se gloriam & uoluptatem cõtemnere. arrogantia est ista non contẽptus, sordidatos et tristes dure tetriceꝙ uitam sustẽtare, atꝙ ita inescare homines, uenditãdo se pro honestatis, frugalitatis, patientiæꝙ amatoribus. sed qui perspicaciores sunt nõ decipiuntur, dum intus eos ꝙ in cute spectare malunt. remotis enim istis uelamẽtis, quod post ea lateat, cõsiderant: ac tũ demũ si quid est boni admirãtur, damnãt cõtraria, et fucatos histriones auersantur. hoc genus homines sic appellãdi sunt. Cur ita uobis placet uita solitaria semotis à populo? quod specimẽ probitatis prius edidistis? pecuniã cõtẽnitis? scilicet quia iuste prius eã tractastis. simulatis uos uẽtris & eorũ quæ sub uẽtre sunt uoluptates negligere: abstinuistis ne ab his cũ haberetis earũ copiã? at gloriam cõtemnitis. fuistis'ne unꝙ modesti in honoribus? reip. curã deridetis, fortasse quia ꝙ utilis sit non intelligitis exercitati prius in publicis priuatisꝙ negotijs, in germanis uirtutib. politica œconomicaꝙ, & usu parta harũ peritia, trãsiuistis ad aliã uitę rationẽ meliorẽ scilicet. decet em̃ in actiua uita periculũ facere, eũ qui in cõtẽplatiua exerceri uult. sic em̃ licebit otij pigritiæꝙ crimẽ effugere. sic & leuitis pręcipitur ut fungãtur ministerio usꝙ annum L. deinde iã immunes contẽplentur singula, bene actę in ceremonijs uitę pręmiũ accipiẽtes aliã gaudentẽ sola cõsideratione rerũ ac scientia. & alioquin etiã necessitas postulat, ut qui se putãt digne affectare diuina, in iure humano prius cõsumati fuerint. est em̃ magna stulticia credere se assecuturũ maiora qui spe minorũ frustratus sit. Innotesce igitur primùm per uirtutes humanas, ut mox per diuinas fias cõmẽdatior. Hęc sunt quæ Meditatorẽ docet patiẽtia. Dispiciamus uerba eius diligentius. Ecce, inquit, Esau frater tuus minatur tibi.] Quernus ille & ob inscitiã cõtumax mos, Esau nomine, irascitur: et porrigẽs perniciosas escas, pecuniã, gloriã, uoluptates, cæteraꝙ id genus tuę mortali uitę insidiatur. tu uero puer fuge præsens certamẽ: nondũ em̃ adultus es robore, sed adhuc nerui tuę puerilis animę sunt molliusculi. ideo puerũ eũ appellat, simul affectus ætatisꝙ uocabulo. nã exercitatoriũ morẽ iuuenẽ nec dũ perfectũ, dignũ beneuolẽtia ducimus. talis aũt idoneus est pręmia proposita pueris auferre, cũ nõ possit illaquę uiri appetunt,

tunt,uirorum uero præcipuum præmiū est cultus solius dei. quapropter si quando nondum satis purificati,et cōtenti uitæ sordes utcunq; abluisse, ad religiosas aulas uenimus,mox resilimus à limine, non ferentes durū ui-ctum,assiduos labores & peruigilia. fugiēdum igitur hoc tēpore & quod pessimum et quod optimum.pessimum quidē figmentū illud fabulosum, poema uersuum malorum & carminum, cōmentum ineruditum ac proin de durum atq; ligneum,quod Esau præ se fert ipso nomine: optimū uero, anathema.genus enim destinatū diuino cultui oblatio quædā est dei,cōse crata ad eius solius summū sacerdotiū.nā cohabitatio cum malo nocet ma xime,cum bono uero perfecto periculosa est. itaq; Iacob & ab Esau fugit, & ablegatur à parentibus:quippe qui meditator cum sit dimicās adhuc in certamine,fugit quidē uitium, sed non potest cum perfecta uirtute uiuere, ut nullius præceptoris opera indigeat. ideo proficiscetur ad Labanē, non illum Syrū, sed fratrē matris suæ. hoc est, ad uitæ claritatē perueniet. nam Laban cādidus interpretatur. quò postq; peruenerit,nō eriget ceruicē,in-flatus fortunę prosperitatib. Syrus eñ elatum significat.nunc aūt Syri La-banis nulla fit mentio, tantùm Rebecæ frater dicitur. nam uitæ facultates malo uiro datæ mentē extollunt uacuā prudentia, quod Syri nomine in-telligitur:easdē si amator eruditionis accipiat,cōstanter permanet in hone statis placitis. hic est ille frater Rebecæ patiētiæ. habitat aūt Charrā: id est, cauernas, per quas sensus significantur. quisquis eñ adhuc mortalis uitæ coetus celebrat,opus habet instrumentis sensuum.habita igitur, inquit,mi puer cum eo,non in perpetuum,sed dies aliquot.hoc est, cognosce regio-nē sensuū,cognosce teipsum partesq; tui.quid sint singulæ, ad quid factæ sint,quā uim innatā habeāt,quis intus latēs adductis reductisq; neruis mi ros motus faciat,siue tua propria mēs,siue illa uniuersę rerum naturę com munis.deinde teipso satis explorato, etiam res Labanis diligenter inspice, uanæ gloriæ felicitates ut uidētur magnificas,cauēs ne ab ulla capiaris,sed tanq; bonus opifex artificiose singulas tuis usib. accōmodes. nā si in hac ciuili promiscuaq; uita mores cōstātes et bene institutos præ te tuleris,ac-cersam te illinc,ut præmia qualia tui parentes percipias.erit aūt pręmium, cultus illius solius sapiētis certus & perpetuus. eadē & pater docet paucis additis dicens: Surgens fuge in Mesopotamiam in domum Bæthuelis pa tris matris tuæ,& duces inde tibi uxorem è filiabus Labanis fratris matris tuæ. Rursum etiam hic non Syrum dixit Labanem, sed Rebecæ fratrem, futurum meditatoris affinem per connubium. Fuge igitur in Mesopota miam,hoc est in medium torrentem huius uitæ, & caue ne undis eius mer garis,sed sustinens aduersos impetus & undique prementes uortices, pro pulsa hos fortiter.nam in sapientię domo tranquillam stationem inuenies, in quam te facile queas recipere. Vocatur autem in sacris literis sapientia Bæthuel:quod nomen interpretatur, filia Dei. Nimirum germana filia, uirgo perpetua, intactā impollutáq; naturā sortita, tum propter suam pu-dicitiam,tum propter parentis dignitatē.dicitur aūt Bæthuel Rebecæ pa-ter.& quomodo filia dei,sapientia,iure pater dici potest? an quia sapientia nomen fœmininū habet, naturā uero masculā? siquidē uirtutes omnes ha

bent appellationes fœmininas, uires aũt & actiones uirorũ perfectissimo rum. quoniã quicquid post deum est, quantũuis antiquũ sit, cum secundo loco censeatur, collatum ad omnipotentẽ illum nõ tam masculinũ uidetur q̃ fœmineũ, ut cęteris creaturis simile. cum enim penes mares sit sexus pri uilegium, deteriores habẽtur fœminę. proinde parum soliciti de huiusmo di differẽtia nominum, pronunciamus filiam dei sapientiã matrem & pa trem esse gignentẽ in animabus eruditionẽ, disciplinam, scientiã, pruden tiam, actiones honestas & laudabiles. ab hac meditator Iacob petit sibi cõ iugem. unde enim aliàs inuenire potest sociam inculpabilem, cum qua ęta tem omnem exigat? Cęterum de fuga diligẽtius pręscribitur in lege de ho micidis, in qua omnes enumerãtur species, tum uoluntariũ homicidium, tum inuoluntariũ, siue dolo patratum sit siue cõsilio. uerba legis sunt hec: Si quis alterũ percusserit, & ille mortuus fuerit, ipse quoq; morte moria tur. quòd si non uolens fecit, sed deus eũ in manus eius tradidit, dabo tibi locũ quò homicida fugiat. q siquis per insidias proximũ occiderit, & ad altare meum cõfugerit, abstractũ inde afficies supplicio. Cum scirem leges nullo uti uerbo superuacaneo, qualia per nimiã loquacitatẽ excidunt, hæ sitaui intra meipsum, cur homicidã uoluntariũ nõ modo mori pronunciet sed morte mori. quid eñ aliud morientes q̃ mors enecat? adita igitur mu liere sapiente, cui nomẽ disceptatio, desij quęrere. ea respondit, malos etiãsi ad extremũ pertingãt senium, esse mortuos, q uirtuti nõ uiuãt. probos ue ro etiãsi disiungantur à corpore, sortitos immortalitatẽ in sempiternũ ui uere: sententiã hanc cõfirmabat per oracula. unum erat hoc: Qui adhęretis domino deo, uiuitis omnes hodie. Supplices dei solos agnoscit pro uiuis, reliquos habet pro mortuis. illis uero etiã immortalitatẽ pollicetur, nõ so lum dicens uiuitis, sed addens hodie: per hanc eñ uocẽ intelliguntur infi nita secula. mensium enim annorũ & in uniuersum tẽporum circuitus, do gmata sunt hominum magnifacientium numeros. uerum aũt nomen æui est hodie. sol eñ nunq̃ mutatus semper idem est, nũc sub terra nunc super terrã decurrẽs, diei noctisq; arbiter, quib. metimur secula. Alterũ aũt ora culũ sic attestabatur: Ecce posui corã te uitã & mortẽ, bonum & malum. er go uir sapiens crede bonum uirtutẽ & uitã esse, malum uero mortem et ui tium. Alibi quoq; legitur: Hæc est tua uita & longæuitas, dominũ deum tuum diligere. Egregia uitæ immortalis definitio, dei dilectione amoreq; incorporeo corripi. sic sacerdotes Nadab & Abiud ut uiuãt, moriũtur, pro mortali uita recipientes incorruptibilẽ, & à creaturis ad creatorẽ migran tes. argumẽtum immortalitatis eorum est quod legitur: Tunc mortui sunt corã domino: id est, uixerunt. mortuum eñ nefas est uenire in cõspectum dei. Idem dicit ipse dominus: In propinquãtib. mihi sanctificabor. Mortui uero, sicut & in hymnis canitur, non laudabũt dominũ. hoc eñ uiuorum est officiũ. Caini uero impudẽtis fratricidiæ mors nusq̃ in lege inuenitur, imò extat hoc oraculũ de illo: Apposuit dominus deus Caino signum, ne quis eũ inuẽtũ interimeret. cur ita? Opinor, quia impietas malũ est infini tũ, quod semel accẽsum nunq̃ extingui potest, in q̃ cõpetit illud poeticũ:

Immortale malum, nulla delebile morte.

Immorta-

Immortale in præsenti uita, alioquin apud deum exanime mortuũq;, & ut quidã inquit, abiectius q̃ sterquilinium. oportebat aũt diuersas regiones rebus differentibus attribui, bono cælum, malo terræ confinia. Itaq; bonũ superna petit, etiamsi nonnunquã ad nos descendit: qui pater eius est munificus. sed meritò cupit sursum recurrere. Malum uero hic permanet, à diuino choro semotũ quàm longissime, oberrans circa uitã mortalem, cum non possit morte sua mortale genus relinquere. id quidã inter sapientes celebratus testatur magnifice in Theæteto sic: Sed nec penitus extirpari mala est possibile: nam deo semper aliquid opponi necessum est: nec tamen apud superos locum habere possunt, coacta circa mortalẽ naturam & hæc inferiora loca oberrare. quare conandũ est hinc illuc fugere quàm celerrime. est aũt fuga, si deo similes efficiamur pro uiribus. proinde merito Cain non moritur, qui significat uitiũ, semper uicturũ in genere mortali cum hominibus. itaq; nõ absurde dictũ est morte mori homicidã, propter causas iam prædictas. quod aũt dicitur de inuoluntarijs homicidis: Non sponte, sed deus eũ tradidit, ualde bene dictũ est. existimat eñ uolũtaria facinora esse nostri animi, inuolũtaria uero ad deũ referẽda: nõ loquor de peccatis, sed de pœnis peccatorũ. non est enim decorũ ut ipse deus puniat, cum sit primarius legislator optimus, sed per alios animaduertit in homines noxios: non per semetipsum. Conuenientius eñ est ut gratias, beneficia, munera, porrigat ipse suapte natura bonus ac munificus: supplicia uero non sine iussu eius, qui regnũ sempiternũ tenet, per alios tamẽ exigantur quos decet tale ministeriũ. Testis est mihi meditator ille his uerbis: Deus qui nutrit me à iuuẽtute mea, angelus ille qui me liberat è malis omnib. antiquiora bona quib. anima nutritur, accepta deo fert, dei famulo posteriora, quæ ad fugam peccati pertinent. ideo sicut opinor, & cũ de mundi opificio philosophatur, postq̃ dixit omnia cętera deũ creasse, solũ hominẽ etiã alijs cooperantibus plasmatũ esse docuit. Dixit, inquit, deus: Faciamus hominẽ ad imaginẽ nostrã. per hoc uerbũ Faciamus multitudinẽ significans. Ergo pater ille rerũ alloquitur suas potentias, quibus mortalẽ hãc animæ nostrę partẽ fingendã dedit, imitãtibus artẽ ipsius, quãdo rationalẽ in nobis formabat: æquũ ducens ut à principe rerũ principalis pars fabricaretur in anima, subiectę uero à subditis potẽtijs. usus est aũt his potentijs non solũ ob modo memoratã causam, sed quia hominis anima sola intellectũ bonorũ malorũ habitura erat, & electura alterutrum quãdo utrunq; nõ potest. necessarium igitur duxit malorum facturã alijs tribui opificib. bonorũ uero sibi soli. quapropter cum prius dixisset, faciamus hominẽ, tanq̃ de plurib. mox tãq̃ de uno loquitur, Fecit deus hominẽ. nã ueri hominis, qui est mẽs purissima, unus solus deus est opifex: plures uero eius qui uulgo sic uocatur, mixtus atq; tẽperatus ex sensib. quãobrẽ ille eximius homo indicatur per articulũ. legitur eñ, Fecit deus illũ hominẽ, illum specie mixturaq; carentem intellectum. uulgaris autẽ homo sine huiusmodi additamento ponitur. nam cum dicit, Faciamus hominẽ, è bruta rationaliq; anima cõtextũ significat. Huc accedit quod benedictio bonorũ et maledictio cõtrariorũ, nõ per eosdem fit, quãuis utraq; sit laudabilis. Quoniã aũt in demonstratiuo gene-

uo genere primũ est laudare dignos, secundũ uituperare eos qui merentur: cum sint huius generis principes xij. numero, qui phylarchæ solent nominari: sex præstãtiores, collocauit in benedictiõe, Simeonẽ, Leuim, Iudã, Isacharem, Iosephũ, Beniamin: reliquos in maledictione, primũ ac nouissimum è Liæ filijs Ruben & Zabulonẽ, & quatuor illos ex ancillis genitos. nam regiæ sacerdotalisq; tribus principes, Iudas, & Leui, in priore censentur ordine. merito igitur etiã qui morte digna patrarũt facinora, in aliorũ manus deduntur ad suppliciũ: ut doceamur quod mali natura longe à diuino choro exulat, quãdo etiã bonum propter solam mali similitudinem, executionem per alios accipit. Illud aũt: Dabo tibi locũ quò fugiat qui nolens occidit, ualde rectè dictum mihi uidetur. Locũ enim uocat non eum qui occupatur à corpore, sed obscure ipsum deũ subindicat. continet enim ille nõ continetur, & est omnibus refugium. Fas igitur est dicere, eum qui nolens mutatur, mutari diuinitus, quod de sponte peccantibus dicere non licet. Daturum aũt se ait, non interfectori, sed ei cum quo loquitur: ut alius sit habitator, alius profugus. nam suo populo deus patriam dat cognitionem sui, quam ut indigena inhabitet: eandẽ futuram per errorem lapsis refugium, sed ut inquilinis nõ ut ciuibus. Post hæc sapienter statuta de cæde non uoluntaria, transit legislator ad insidias dicens: Quod si quis dolo aggressus proximum ut occideret, ad deum cõfugiat. locum uidelicet quem figurate dixerat, in quo uita contingit omnibus. nam & alibi dicit: Quisquis illuc fugerit, uiuet. nimirum uita æterna est ad illud Ens refugiũ, sicut contrà mors, ab illo fugere. quòd si quis insidiatur, omnino uolens facit iniuriam: et quod dolo fit reum facit, sicut insontem quod sine dolo fit. Ergo nullum facinus suppuratum, dolosum, & data opera patratum, meretur ut dicatur factum ex dei sententia, sed ex nostra propria. intra nos ipsos enim ut dixi, thesauri uitiorũ sunt, apud deum uero solorũ bonorum. quisquis igitur eò confugerit: id est, quicunq; peccati autorẽ non seipsum sed deum incusat, puniatur: nec prosit ei refugium, quod solis supplicibus est salutiferum. & meritò. nam altare plenum est immaculatis uictimis, animabus inquam purificatis & innocentibus. est autem næuus insanabilis, autorem malorum deum dicere. proinde qui sic male morati sunt, ut seipsos magis ament q̃ deum, procul à sacris maneant scelesti & impuri, nec è longinquo sacram flammam animæ inextinguibiliter accensæ ac deo consecratæ spectare idonei. Perpulchrum est quod quidam è priscis sapiẽtibus in hanc sententiam est ausus dicere: Deus haudquaquam iniustus est, sed dici non potest quàm sit iustissimus. ei nihil est similius, quàm qui non est. circa hũc est robur uiri & uera grauitas, itemq; timiditas & ignauia. Nam hunc nosse, sapientia & uera uirtus est: contrà, huius ignorãtia, ruditas est & manifestum uitium. Aliæ uero præcellentiæ ut uidentur & sapientię in potestatibus publicis onerosæ sunt, in artibus uero uulgares & humiles. Postquam igitur iussit abstrahi male de deo loquentem à sacrarijs, & tradi ad supplicium, deinceps ait: qui uerberat matrem patrem'ue, moriatur.] Tantumnon clamat ac uociferatur, nemini dandam ueniam qui in deum blasphemus sit. nam si mortali parenti cõuiciatus luit suppliciũ, qua pœna dignus

dignus uideri poteſt qui male loqui ſuſtinet de parente creatoreq́ rerum omnium?& quod poteſt eſſe cōuicium grauius q̃ cōtendere, nō ex nobis mala prouenire,ſed ex deo? Arcete igitur arcete ô initiati & myſteriorum præſules à diuinis orgijs cōfuſam colluuiem animarum impurarū, cōtaminatarum maculis ineluibilibus,inobſeratas aures,& recluſam linguam habentium,& inſtrumenta ſuæ miſeriæ parata circumferētiū, ut & loquātur quiduis,& nefaria dictu audiāt.cæterum qui norunt quid interſit inter uoluntaria & inuoluntaria, & os bene loqui doctum pro calumniatrice lingua ſortiti ſunt,dum recte faciūt laude digni ſunt, ſi quādo uero labuntur per imprudentiā,nō ſunt admodū uituperabiles:& ideo ciuitates eis ad refugiū ſelectæ ſunt. Dignum eſt em̃ ut de hoc loco diſpiciamus quædā neceſſaria.Sunt autē quatuor:primum cur nō ex aliarum tribuū ſortibus,ſed tantū ex leuiticæ, ſelectæ ſunt ciuitates profugis.ſecūdum,cur ſex nō plures pauciores'ue.tertiū,cur trans Iordanē tres,reliquæ in terra Chananæa. quartum,cur profugis terminus reditus præſcriptus eſt mors ſummi ſacerdotis.dicamus igitur quæ de ſingulis dicēda ſunt à primo faciendo principium.q́ in ſolis leuitis cōtributas ciuitates iubentur fugere ęquiſsimū eſt. nā & leuitæ quodāmodo ſunt profugi,qui propter cultum diuinum deſeruerūt parētes,liberos,germanos, & totā mortalē cognationem quorum ſodalitij princeps inducitur ſic patrem matremq́ alloqui: Nō uidi uos, & fratres nō noui,& filios ignoro,ne quid me à cultu eius Qui eſt diſtrahat. eſt autē uera fuga priuari chariſsimis neceſsitudinib. quæ profugos cōmēdat profugis ut cōciliāte illos ſimilitudine,ſequatur perpetratorū obliuio. aut igitur hæc cauſa eſt ſola,aut illa quoq;,q́ ſacrata leuitarū tribus, adoratores iuuenci aurei,hoc eſt faſtus Aegyptiaci,quotquot pubertatem exceſſerāt uno incurſu cōtrucidauit,cōcita furore iuſtiſsimo immiſſo ſibi diuinitus.Interficit unuſquiſq; fratrem ſuū & propinquū & proximum, germanum animæ corpus,rationi uero propinquas irrationales potētias,deniq; menti proximum ſermonem qui ab ea promanat.nec em̃ aliter noſtri pars optima poteſt euadere cultrix eius qui in uniuerſo eſt optimus. ſed ante omnia homo uertendus eſt in animā,ſeiuncto reciſoq́ germano eius corpore cum ſuis cōcupiſcentijs inſatiabilibus.quo facto brutæ partes animę ſeiungendæ ſunt à cognatis rationalibus. nā hæ more torrentis in alueos quinq; diuiſi,per om̄es ſenſuū lacunas cōcitant impetus affectuum.mox à mente ablegādus eſt ſermo qui uidetur ei proximus:ut ſola mēs ſuperſit,à corpore,à ſenſu,& à ſermone deſtituta.ſic em̃ iam ſolitaria ſincere cōplectitur id quod ſolum colendū eſt,nō diſtracta reb. alijs.Huc accedit,q́ leuitica tribus æditiuorum & ſacerdotū eſt,penes quos eſt ſacrorum miniſteriū. ad quod miniſteriū pertinent illi etiā qui inuiti patrāt homicidiū,ſiquidē teſte Moſe deus tradit in manus eorum,ut tollantur qui digni morte ſunt, uerum leuitarum eſt pro meritis referre præmia, iſtorum uero punire noxios.Hæ ſunt cauſæ ob quas homicidæ non uoluntarij ad ſolas æditiuorū ciuitates cōfugiunt:ordo poſtulat ut deinceps dicamus quę nā ſint, & cur ſex numero. An quoniā antiquiſsima & munitiſsima,nō ſolum ciuitas,ſed cęterarū etiā metropolis,dei uerbū eſt? quod primarium & utiliſsimū eſt

refugium.aliæ quinq; ceu coloniæ, potentiæ sunt id proferentis, & in his præcipua creatiua,per quā opifex uerbo suo mundum condidit. proxima regia per quam cōditor creaturis imperat.tertia propitia,per quam opifex miseratur opera sua.Quarta legislatoria, per quam etiam uetantur illicita. Pulchrę ciuitates & munitę,animarum dignarum egregia receptacula.bonum etiam humanumq; institutum, quod cōfirmat ad bene sperandum. quis alius potuisset tantam copiam rerum profuturarum ostendere, in tanta uarietate nō sponte peccantium,quibus nec uires eædem sunt,nec imbecillitas eadem? consilium est igitur ut qui cursu ualet, sine respiratione contendat ad summum illud uerbum diuinum,fontem sapientiæ,ut de riuo eius hauriens,pro morte præmium æternæ uitæ inueniat. Qui nō ęque celer est,ad creatiuā cōfugiat potētiam, quā Moses nominat deum,quia per eā disposita ornataq; sunt omnia. Quisquis em̄ mundum creatum intelligit,nō mediocre bonum lucratus est,creatoris noticiā. hæc em̄ cito persuadet ut creatura cōditorem suum diligat. Quod si quis ne ad hoc quidē est idoneus,accedat ad regiā.Timor em̄ cohibebit subditum,si parentis amor parum ualet apud filium,ut castigatione cōtineatur in officio. Rursum, si quis ne hos quidem terminos,ut lōginquos ualet attingere, huic interiores metæ præfixæ sunt necessariarum potentiarum,propitiæ,& præcipiētis quid agendum,ac uetātis nequid fiat quod fieri nō debet. nā quicunq; iam persuasum habet,deum esse nō indemētem,sed natura exorabilem, is etiāsi peccato præueniatur,mox pœnitet,dum sperat fore ut ille obliuiscatur.& quisquis credit deum esse legis autorem,mandata seruando felicitatem assequetur.postremus ultimum habebit refugiū,ut malis careat,si bonis superioribus potiri nō datur.Hæ sunt illæ sex ciuitates,quę refugia uocantur: ex quibus quinq; suas figuras habent ac imagines in sacris literis: præcepti quidem & interdictionis leges in arca reconditas:propitiationis autem,arcæ ipsius operculum. hoc em̄ uocatur propitiatorium. creatiuæ porrò ac regiæ potentiæ,duo Cherubim alata huic apposita. cæterum intellectus ille diuinus omnibus his superior, nō cadit in uisibilem speciem, ut qui nulli rei sensibili est similis,sed ipse imago dei,antiquissimus omniū intelligibilium,& summo proximus, quandoquidem nihil medium est inter ipsum & Ens illud uerissimū.Scriptum est em̄, Loquar tibi supra propitiatorium inter duo Cherubim:ut uerbum potentijs pro auriga sit, is uero qui loquitur pro uectore,ad cuius celeuma uniuersum hoc auriga regat & temperet.Ergo ille qui tantum abest ut sponte delinquat, ut ne imprudēs quidem id faciat,ipsum deum sortem habebit, in eo solo habitaturus. Cæterum qui non de industria,sed inconsulte labuntur,habebunt refugia ciuitates felices & diuites. Itaq; tres earum sunt transamnenses, multum à nostro genere dissitæ. Quæ nam hæ? Verbum illius summi principis, & potentiæ creatiua regia que. harum enim cęlum & uniuersus mundus est. confines autem & contiguæ humano mortali generi, quod solum peccato est obnoxium,tres citeriores,propitia,& imperatiua,atq; prohibitoria. nam hæ iam ad nos pertinent.quid enim opus est interdictione non aberraturis à iusticia? quid præcepto,nisi his qui suapte natura procliues ad lapsum

psum sunt: quid illa propitia potentia peccato nulli obnoxijs? Sed nostrũ genus his opus habet, sic natum ut ad sponte secus'ue peccandum procliue sit. Superest quarta quæstio ex propositis, reditus tempus præfinitum profugis, mors summi sacerdotis, quę mihi non paruum exhibet negotiũ. In eadem enim culpa dispar pœna lege statuitur, dum alijs lõgius, alijs breuius fit exilium. nam quidam pontifices longæui sunt, quidam cito defunguntur: & alij iuuenes, alij senes accipiũt sacerdotium. item inuolũtarię cædis rei quidam initio pontificatus profugiunt, quidam sub mortem põtificis: atq; ita quidam per longum tẽporis spatium carent solo patrio, alij per unum diem si fors ferat. quo elapso ceruicẽ erigunt, & superbi deridẽtesq; cognatos occisi, domos suas repetunt. hanc difficultatem in qua hęremus, ita licebit euadere, si rationes naturales omiserimus. Hæc est igitur nostra sentẽtia, pontificem hunc nõ hominẽ, sed dei uerbum esse, quod expers est peccatorũ omniũ, non solum spontaneorũ, uerum etiã inuoluntariorum. hũc enim negat Moses uel ob patrẽ intellectũ, uel ob matrem sentiẽdi uim contaminari, ut opinor ideo, quia parẽtes immortales purissimosq; sortitus est: patrem deũ qui omniũ rerum pater est, matrem uero sapientiã, per quam quicquid est, cum prius nõ fuerit, in lucẽ prodijt. & ideo caput eius ungitur oleo: principatus inquã eius splẽdido circumfulget lumine, ut merito existimetur amictus uestibus. nam antiquissimum eius Qui est uerbũ mũdo ut ueste induitur. uestitur enim terra, aqua, aere, ignẽ, & cæteris quæ ex his ortum habent. Anima autem particularis uestitur corpore, & sapiẽtis mens uirtutibus. Quod autem caput eius perpetuo mitra tegitur, significat diadema regium, insigne potestatis non summæ quidẽ, sed proregiæ, alioquin mirificæ, idem uetatur uestem scindere. nam & Entis illius uerbũ cum sit uinculum rerum omniũ, ut dictum est, cõtinet partes omnes, & cõstringit nõ sinẽs eas dissolui dilabiq;: & particularis anima, quantũ potest nõ permittit ullam partem corporis pręter naturã diffindi resecariq;, ita ut integræ omnes & inter se unitæ cohæreant indissolubiles. mens itẽ sapientis purificata integras & cõiunctas uirtutes cõseruat, conciliante eas naturali cognatione. Hic põtifex ad nullam animam mortuã, ut inquit Moses, superueniet. mors autem animæ est uita cum uitio. itaq; nullũ scelus attinget, qualia tractare solet insipientia. huic etiã uirgo è sacrato genere iungitur, pura, incontaminata, semper incorrupta sententia. nã uiduæ uel expulsæ uel profanæ uel meretricis maritus nũquam fiet, perpetuus inimicus harum omnium: odit enim uiduatas uirtutes, & expulsas profligatasq; ab ea, atq; etiam omnem profanam persuasionem, & promiscuam cõsuetudinẽ cum multis numinibus, proinde impiam meretricem ne aspicere quidẽ dignatur, amator eius fœminæ quæ unum maritum habet, & unum parentẽ profitetur deũ omnipotentẽ. in huiusmodi cõditione apparet eximia quædam perfectio. nã illum qui magnam precationẽ precatus est, cõstat si non sponte, lapsum certe per incuriam. Dicit enim: Quod si quis corã eo repente moriatur, in præsens contaminabitur. nam si quid præter uoluntatẽ repente ingruit, in præsens animam non in longum tempus contaminat, cũ non sit uoluntariũ. De his pontifex non est solicitus, quippe tum his tũ uo-

luntarijs superior. Hæc autem nõ extra propositũ dixi, sed ut docerẽ, non alienum esse à iure naturali, mortẽ pontificis præscribi profugis exilij terminum. nam quandiu hoc sanctissimũ uerbum uiuũ superest in anima, nõ est possibile uerti eam sponte in deterius. expers est em̃ peccati omnis, & suopte ingenio abhorret ab eo. quod si moriatur, non q ipsum pereat, sed disiungatur à nostra anima, confestim datur reditus peccatis inuolũtarijs. nam si illo saluo in nobis exulabãt, omnino post eius discessum redibunt. hic em̃ eximius honor impolluto põtifici à natura est exhibitus, ut illo pręsente mentis error locum non habeat. ideo uotis omnib. expetẽdum est, ut uiuat in anima pontifex, iudex simul & redargutor, qui pro mẽtis tribunali. erga reorum personas sit indifferẽs. Hactenus de profugis quantũ locus postulabat, deinceps sequemur contextum reliquum. Inuenit, inquit, eam angelus domini in uia.] Nimirum missus ut animæ præ pudore periclitãti ne aberraret, succurreret. tantũ nõ dux itineris futurus rediture ad expertem erroris sententiam. Profuerit autẽ & de inuentione quæsitioneq́ unà cum legislatore philosophari. Quosdã enim inducit nec quærentes nec inuenięntes, alios utroq; modo felices, alios alterutro frustratos: quòd ex his quidã quærendo non inueniunt, quidam non quærẽdo inueniunt. Quicunq; nec quærere nec inuenire cupiunt, rationẽ suam per ineruditionem & inexercitationẽ afflixerũt grauiter, & cum possent acute cernere, cæcati sunt. Sic ait uxorem Lot retrorsum uersam mutatam in statuã, nõ fabulam fingens, sed rei proprietatẽ indicans. Quisquis enim cõtempto pręceptore per innatam simul et consuetam socordiam, relinquit anteriora, per quę posset uidere, audire, alijsq́; uti potẽtijs ad res naturales dijudicãdas: & circumacta retrorsum ceruice, cæca uitæ negocia pluris facit q̃ partes sui corporis. infamis statua fit nihil à surdo inanimatoq́; lapide differẽs. nõ habẽt enim, ut Moses loquitur, tales mores cor ut intelligãt, oculos ut uideãt, aures ut audiant, sed cæcam, surdam, stupidam, omni sensu orbatam, minime uitalẽ uitam sibi reddiderunt, nihil curantes eorum quæ curare deberent. huius chori princeps est rex regionis corporeæ. Cõuersus, inquit, Pharao intrauit in domum suam, ac ne huic quidem rei mentem adhibuit. ac si diceret, nihil unquam curauit, sed passus est se tanquam plantã incultam arescere & sterilescere. nam consiliarij disceptando considerandoq́; intellectum acuunt: qui si se exerceat, domi natos fructus percipiet, perspicacitatẽ & solertiã: sin se tradat incogitantiæ, torpescit & hebetat aciem prudentiæ. Verum istam brutam & prorsus inanimatam sodalitatẽ ualere sinamus: præstat ad quęrentes & considerãtes conferre se. ac mox occurret mos ciuilis, nõ ambitiosus tamẽ, cupidus melioris generis quod uirtutes sortitæ sunt, & quod quærit inuenire inducitur. Inuenit, inquit, homo Iosephũ in campo, & interrogauit, Quid quęris? qui respondit, Fratres meos quæro: indica mihi ubi pascãt. Dixitq́; ei homo: Discesserũt hinc. audiui em̃ eos dicentes, Eamus in Dothain. & secutus est Ioseph fratres suos, & inuenit eos in Dothain. Interpretatur Dothain defectio non parua, quod significat animam non mediocriter, sed perfecte deseruisse uanas opiniones, quę mulierum magis quàm uirorum negotijs sunt similes. ideo pulchre uirtutẽ Saram

ram deficiunt muliebria, circa quæ occupati sunt qui parum uirilem effœminatamq; uitam sectantur. at sapiens etiam deficiens apponitur secundū Mosem, recte & naturaliter. quod enim uanę opinioni demitur, id ueritati apponitur. Quod si quis adhuc in mortali, promiscua multiformiq; uita degens, & copia rei familiaris abundans, circumspicit & quærit meliorem gentilitatē, solum summū bonum spectantem, dignus est qui suscipiatur, si non denuo somnijs & imaginationibus bonorū uulgarium obuersanti bus sibi delectetur. manens enim in non adulterina contēplatione quæ fit oculis animę, quæsitos assequetur per uestigia, nec prius desistet quàm ad eos perueniat. Sed neminem horum apud malos inueniet. Quare? Discesserūt hinc deserentes nostra studia: transiuerūt ad desertam à malis regionē pio rum hominum. Hæc aūt dicit uerus homo redargutor qui inest in anima: quam dum uidet hęsitantem, dubiam, quærentemq;, metuit ei ne aberrans rectam uiam non inueniat. Illos quoq; ualde mirari libet, alterum scitantē de extremorum medio, dicentemq;: Ecce ignis & ligna; sed ubi pecus in holocautoma? alterum respondentē, Deus prouidebit sibi de uictima mi puer, ac mox inuenientem suppositam. & ecce arietem cornibus implicitū in frutice Sabec. Videamus quid à dubitante quæritur, quid respondens ostendit, tertium, quid inuenitur. Percontatio talis est. Ecce ignis causa effi ciens, ecce ligna materia patiens, ubi effectus, quod requiritur tertium? ac si dicat, ecce intellectus, calidus candēsq; spiritus. ecce intelligibilia, tanq; materię, sed ubi tertiū illud, uidelicet intelligere? Rursum ecce uisus, ecce color, ubi uidere? & in uniuersum, ecce sensus iudex, ecce obiecta eius materiæ, ubi ipsum sentire? hęc scitāti par est respōderi, deus sibi ipsi prouidebit. nā illud tertiū dei propriū opus est. ipsius enim est prouidētia. Intellectus percipit, uidet uisus, sentit sensus quilibet. Sed aries inuenitur hęrens, hoc est ratio quiescēs & assensum cohibēs. opima eñ uictima est quies & hęsitantia in his rebus quarū certa fides nō est. nā scriptura hoc tantū dicit, Deus uidebit, cui nota sunt omnia, qui clarissima sua luce sibi ipse illustrat omnia. De cætero apud creaturā silentium est, quę magna caligine offunditur. in tenebris aūt nihil tutius est quàm quiescere. Itē qui quæsiuerūt quodnam esset alimentū animę (nesciebāt eñ, ut dicit Moses, quid esset) inuenerunt edocti esse id uerbum & rationem diuinā: unde omnes disciplinę sci entiæq; perennes fluunt: & hic est ille cælestis cibus. Quod sacra scriptura indicat ex persona dei dicens: Ecce ego pluo uobis panes de cęlo. Nā reue ra sapientiam æthereā deus superne instillat generosis & spectādi cupidis mentibus. At illæ hac uisa degustataq; delectatę, experimēto discunt, autorem tamē eius uoluptatis nesciūt. ideo percontātur, quid est hoc, melle dul cius, niue candidius? Discent autē ex uate suo, hunc esse panem quem dedit eis dominus ut ederēt. Quis igitur est hic panis, age dic. Verbū, inquit, hoc quod præcepit dominus. Hęc præcepta diuina Israeliticę, id est perspi caci animę afferunt lucē simul & dulcedinem, splendore ueritatis eam irra diantia, & dulcibus uirtutis persuasionibus sitim honestatis refrigerātia. Quin & propheta ipse quærendo quæ sit bene uiuēdi causa efficiens, inue nit quòd cū solo deo familiaritas. Cum eñ anxius quęreret, quis sum ego

ut Israelitas ab eo qui regnare uidetur more contra deum rebellante libe-
rem,monitus est oraculo pollicente dei præsentiam.Et habent quidem in-
quisitiones particulares dubio procul elegantem contemplationem phi-
losophicam: sed summũ illud bonum incomparabile deum autorem om-
nium si quis quærat, exhilaratur mox in primo eius contemplationis adi-
tu,nec frustratur suo proposito, prodeũte obuiam illa propitia natura per
uirgines gratias,& ostendente se uisendi sui cupidis: non qualis est, quod
fieri nequit,quoniã & Moses auertit suã faciem,ueritus coràm obtueri de-
um:sed quantum datur creaturæ ad res intelligibiles accedere.Hoc quoq;
inter præcepta relatum est. Conuertimini, inquit, ad dominum deum ue-
strum,& inuenietis eum,quando quęretis eum ex toto corde & ex tota a-
nima. Absoluto hoc capite consideremus tertium: ubi etiamsi non deest
quærendi uoluntas,inuentio tamen non sequitur. Laban quamuis scruta
tus totam animalem domum Meditatoris, non inuenit, ut Moses narrat,
simulacra.plenus enim erat negocijs, non somnijs & uanis imaginationi-
bus.Nec illi cæci mente Sodomitæ furiose conati uiolare sacros & impol
lutos sermones,inuenerunt ducentẽ ad eos uiam: sed ut ait scriptura, quę-
rendo præterierũt ianuã. quamuis circum ædes cursitando, & omnẽ mo-
uendo lapidem,ut explerent suas immanes & impias cupiditates. Nec de
fuerunt qui uolentes à ianitorũ conditione ad regnũ ascendere, &, quo ni
hil in uita pręstantius est, ordinẽ turbare, nõ solũ nefaria spe frustrati sunt,
uerũ etiã præsenti felicitate priuati fuerũt.nam eos qui cum Core conspi-
rarant,lex narrat excidisse ab utraq;.Sicut enim nõ eadem discunt uiri quę
pueri, sed suæ cuiq; ętati disciplinę conueniunt:sic interdum natura fert ut
animæ pueriles maneant etiã in senilibus corporibus, & cõtra perfectæ in
ueniantur in florentibus adhuc & pubentibus.Merito igitur stultitię no-
tam incurrũt,qui maiora ꝙ pro ingenio suo cupiunt, quia conatus omnis
maior ꝙ pro uirib.nimietate sua uanescet, & Pharao quærens extinguere
Mosem genus propheticũ,nunquã eum inueniet.& tamẽ obiectũ ei graue
crimẽ audierat, ꝙ moliretur totius corporei regni perniciẽ, bis id aggres-
sus,primũ opponẽs se instituto Aegyptio,uoluptatis arcem munienti ad-
uersus animã. percussũ eñ defodit in sabulo, re passim iacẽte,ratus unius
esse utraq; dogmata,de uoluptatis inter bona principatu, & de principijs
rerum ex atomis. Iterũ uero cõminuenti naturã boni resistens, & partem
eius animo,partem corpori,partẽ externis rebus tribuẽti. Vult enim id in
tegrum in sortẽ cedere mẽti,quæ pars nostri est præstantissima,nec digna
tur id cõmunicare cũ inanimis.ne illam quidã inuictã uirtutẽ, nõ admodũ
placentem ridendis theatris hominũ,cui nomẽ Thamar.is qui ad eam quę
rendam missus inuenit.Recte iuxta naturam. Legimus enim sic: Misit Iu-
das hædum per pastorem suum Odolamitã,ut reciperet pignus à muliere,
& non inuenit eã.Interrogauitq; homines loci eius, Vbi est meretrix quæ
fuit in Aenan iuxta uiã.qui responderũt:non fuit hic meretrix. & reuersus
ad Iudam dixit:nõ inueni.& homines loci eius negant ibi unquã fuisse me
retricem.ait Iudas:habeat sibi,modo ne irridear.ego misi hędũ hũc,tu eam
non inuenisti.ô mirum experimentũ, ô nõ alienã à sacris tentationẽ. ita'ne

pignus

pignus datur. Mens empturiens pietatē possessionē pulcherrimā, tribus sibi caueri uult pignoribus, anulo, armillo, baculo, ut sermo cum uita conueniat, uita uerò cum ratione, accedēte recta disciplina, qua fulciri profuerit. id pignus an bene datū sit, examinat. at quo examine noscitur? si aliqua esca obijciatur attrahendi uim habēs, ut sanitas, diuitiæ, integritas corporis, aut aliquid simile, & spectetur utrò tanquam in bilāce res proclinet. nam si ad aliquid horū proclinabit, pignus certū non erit. Misit igitur hædū ut reciperet pignus à muliere, non ut omnino reportaretur, sed si forte illa indigna esset id retinere. & quomodo indigna? si eximias res mutet mediocribus, & adulterina bona pluris quàm germana faciat. Sunt aūt germana bona hæc, fides, congruentia dictorū factorūque, & rectæ disciplinæ regula: sicut e diuerso mala, incredulitas, incōgruitas, ineruditio: adulterina uerò ad brutum impetū pertinēt. Quærens igitur nō inuenit eam, difficile enim est, uel potius impossibile, in cōfusanea uita uirtutē inuenire. et si quæratur in quo uis uirtutis loco, num ibi sit prostituta anima, aperte respōdebitur: nec est, nec fuit antea. nam impudica, uel prostituta, uel triuialis fœmina, uel ætatis florē uili uenditans, uel foris lauta ac nitida, intus sordida, uel pictæ tabellæ in morē colorib. fucata faciē ob natiuæ uenustatis inopiā, uel multos uiros tanquam rem bonā affectans, uel multinuba, uel ad multorū illusa libidinē, ibi nō est. His auditis qui quæsiturū miserat, uir non inuidus & natura benignus, nō mediocriter gauisus, inquit: Equidē optarim ut illa sit matrona bona mente prædita, honestate, tēperantia, cæterisque ornata uirtutibus, uno marito contenta, occupata cura et administratione rei domesticæ. Si talis est, habeat sibi quæ dedi, disciplinā, uerborū cum uita congruentiā, præcipue uero fidē summe necessariā. modo ne irridear, quasi erga indignam munificus, quamuis me credo ea donasse quæ maxime cōueniunt animæ. Equidē feci quod faciendū erat uolenti morū experimentū sumere, mittēs escam & offerens. sed cōperi tale ingeniū nō facile decipi. incertus sum tamen cur non facile capiatur. plurimos enim uidi admodū malos quæ ualde boni agunt facere, licet diuerso animo: quoniā in illis ueritas, in his est simulatio, quæ nō facile dignoscūtur. nā sæpe res minus felix fuit quàm opinio. Sed & hircum pro peccato, studiosus uirtutis quærit quidē, at nō inuenit. iam enim, ut docet scriptura, cōcrematus est. id considerandū quid significet. Nō peccare deo propriū est, sapienti uerò, pœnitere. & hoc quoque durū est ac inuētu difficile. Dicit igitur oraculū, quòd quærens quæsiuit Moses in uita mortali doctrinā de peccatorū pœnitentia. Conabatur enim inuenire uestitā peccatis animā, & sine pudore exuentē se eis nudantēque. non inuenit tamen, flamma, ocyssimo inquam bruto impetu descendente, depascenteque totam animā. uincuntur enim pauciora à pluribus, à uelociorbus tardiora, futura à præsentibus. est autem contractum quiddā & tardum & futurum pœnitentia: contrà multa uelox continua in hac uita occurrit iniustitia. Meritò igitur quidam in mutatione constitutus, negat se posse oblationem pro peccato comedere. conscientiā enim sibi nō permittere, ut nutriatur pœnitentia. Ideo dicitur: Audiuit Moses & placuit ei. nā res creaturæ à rebus diuinis multū disiunctæ sunt. creaturæ tantùm mani-

festa nota sunt,creatori etiam occulta. Delirat autē & contra ueritatē mentitur, qui pergens iniuste agere profitetur pœnitentiā: quod perinde est ac si ægrotus sanū se simulet.nā hoc pacto morbus reddetur grauior,dum ille nihil adhibere dignatur quod ad sanitatem sit cōducibile. Olim uir discendi cupidus solicitatus est desiderio cognoscēdi causas quibus efficiuntur res in mundo maxime necessariæ. Cum enim uideret quicquid creatū est corrumpi gigniq́;,tum ea quæ pereunt,& quæ permanent,obstupefactus exclamauit dicens:Rubus uritur & non comburitur. locum enim antea inaccessum non scrutatur curiosius,ut naturarum diuinarum habitaculum.& frustra laborasset,ni subleuatus fuisset misericordia prouidentiaq́; dei seruatoris omnium, qui ex adyto hoc oraculum edidit: Ne propinques huc:ac si dicat,ne accedas ad talem cogitationem. nam huic curiositati satagenti humanę uires non sufficiunt.sed facta quidem mirare stans,de causis uerò ex quibus gignantur corrumpantur'ue ne sis solicitus. Nam locus in quo stas, inquit,sanctus est. Qualis locus? nimirum ad rationes causarum pertinens,qui tantùm diuinarum naturarum est, quòd deus neminem mortalem dignetur causarum notitia.Tum ille scientię cupidus supra mundum totum emergēs scitatur de eius opifice,quisnā sit ille inuisibilis & inpalpabilis,corporeus an incorporeus,an aliquid his superius,simplex'ne natura qualis unitas, an concreta:aut quid tandem sit:& uidens id cogitatu perceptuq́; difficile, precatur ut ab ipso discat deo,quisnam deus sit.nec enim sperabat se id posse ex ullo alio cognoscere. nihil tamen audiuit interrogans de eius Qui est essentia.Posteriora,inquit,mea uidebis,faciem autem uidere non poteris. Sufficit enim sapienti ea quæ post deum sequuntur,cognoscere. Principalem autem illam essentiam siquis uelit intueri,nimio radiorum fulgore prius quàm eam uideat,cæcabitur. Hactenus & de tertio locuti capite,aggredimur quartum et ultimum ex propositis, quando nōn pręcedente inquisitione ultro solet occurrere inuentio. ad hunc ordinem pertinet omnis à seipso doctus sapiens. nec enim cogitationibus,meditationibus laboribusq́; proficit:sed mox natus paratam inuenit sapientiam irroratā sibi cælesti pluuia, cuius meraco haustu exhilaratus,perpetuo temulētus est ebrietate sobria,salua rationis integritate. Hic est ille quem Isaac uocant oracula, quem non tempore alio concepit, alio peperit anima. Conceptum enim,inquit,peperit,quasi sine tempore. non enim homo nascebatur,sed mens purissima,ingenio magis quàm arte bona. quamobrem genitricem eius dicuntur defecisse muliebria,hoc est consueta, humana & rationalia. nouum enim hoc prodit genus plus quàm rationale & uere diuinum,à seipso doctum, non humanis commentis eruditum, sed furore diuino. an ignoras quòd Hebrææ ad partum non habent opus obstetricibus? pariunt aūt,ut ait Moses,prius q̄ ueniant obstetrices, artes inq̄ et scietię,& à sola natura opitulāte adiuuātur. Pulchre aūt aptéq́; à seipso doctus definitur.primò, quod cito inuenitur: secundò, quod deus tradidit.siquidē quod dicitur opus habet longo tempore quod suopte ingenio percipitur, expeditū est & plus q̄ extēporale. illud hominē, hoc deū pceptorē habet.& prima quidē definitio per interrogationē ponitur.

quid

quid hoc est quod cito inuenisti mi puer? altera uerò per respōsionē, dicen te illo: quod tradidit dominus deus: est aūt et tertia definitio docti à seipso, quod ascendit per seipsum. Dicitur enī inter præcepta: Nō seretis, nec metetis, quæ per se ascendūt. nulla enī arte natura indiget, seminante illa deo, & per suam agriculturā perficientc tanquā sponte nascentia, cum nō spontenascantur, nisi quatenus nulla omnino adiuuantur humana industria. Nec tam præceptum est hoc q̄ sententia. nam præcipiens dixisset: ne seratis, ne metatis. decernens aūt ait: nō seretis, neq; metetis quę sponte nascuntur. nam quæcunq; natura ultro præbēte accipimus, eorum nec principia nec fines in nostra potestate inuenimus, siquidē in satione principium, in messe finis est. præstat sic intelligere hæc: omne initium & omnem finem esse spontaneum, hæc est naturæ opus, nō nostrum. uerbi gratia, principiū discendi utiq; ingeniū est docile, promptumq; ad contemplationē rerum particulariū. rursum finis quid aliud, si ingenue fatendum est, quàm naturæ? siquidem etiam præceptor promouet: sed summum fastigium solus deus imponit, natura illa optima. Qui his innutritur dogmatibus, in pace degit perpetua, immunis à molestis laboribus. pax autem & septimana idem est iuxta legislatorem. nam ea die creatio uisa est interquiescere. Conuenienter igitur scriptum legitur: Et erunt sabbata terrę uobis alimenta. id rectè intelligendum est. Vtilissimus enim cibus est in deo quiescere, maximum bonum conferēs, pacem ab omni bello tutam & securissimam. nam quæ inter ciuitates intercedit, mixta est seditionibus. at animę pax pura est ab omni dissidio. Sed manifestissime, ut mihi uidetur, discimus inuentionem non quæsitorum ex his uerbis scripturæ: Cum induxerit te dominus deus in terrā quam iurauit se daturum tuis patribus, ciuitates magnas pulchrasq; quas non ædificasti, domos plenas bonorum omnium quas non repleuisti, cisternas è saxo excisas quas non excidisti, uineta oliuetaq; quę nō plātasti. Viden' paratā copiam bonorū affluentiū tam ad uoluptatem quàm ad necessitatem? comparātur enim ciuitatibus generales uirtutes ut patentes latissime: domibus aūt speciales, circumscriptæ breuiore circulo: cisternis uerò generosæ animæ, capaces sapientiæ, sicut illæ aquarum. cæterum uinetis oliuetisq; profectus & incrementa, prouētusq; fructuū. fructus aūt scientiæ, uita contemplatiua est, sinceram læticiam qualem uinum affert conferens, & intelligibile lumen quale à flāma proficiscitur, cuius fomes est oleum. Hactenus de inuentione locuti transeamus ad ulteriorē textus consequentiā. Inuenit, inquit, eam angelus domini ad fontē aquæ.] Fontis crebra fit mētio, qui uno modo mēs nostra intelligitur: altero habitus rationalis & eruditio: tertio praua dispositio: quarto bona huic cōtraria: quinto rerū pater & conditor. horū probationes extāt in sacris literis. uideamus quænā sint. In primo limine legis, ubi mūdi opificiū tractatur, tale occurrit oraculū: Fons aūt ascēdebat è terra, & irrigabat totā terrę superficiem. Qui allegorias naturę occultātis sua mysteria nesciūt, hunc fontem putāt similē Aegyptio fluuio, qui quotānis effusus ex alueo stagnat in cāpis, tantum nō ostētans potentiā cęli æmulā. Quod enim per hyemem cælum pręstat alijs regionibus, hoc Nilus Aegypto horis æstiuis exhibet. nā illud

illud superne terrã cõpluit: hic, quod mireris, inferne pluẽs arua irrigat. Et hoc est cur Moses impietatis reos peragit mores Aegyptios, ꝙ terrã pluris ꝗ cælum faciant, terrestria quàm olympia, corpus ꝗ animam. Verùm ista in alium opportuniorẽ locum differenda sunt: nunc propositũ est paucis agere, & ideo redeuntes in uiam à diuerticulo dicimus, fontẽ ascẽdentẽ & rigantẽ totã faciẽ terræ, significare principalẽ nostri partẽ fonti similẽ à qua ceu per terræ uenas, per sensuũ instrumẽta manãt potẽtię, per oculos, aures, nares, & cætera. hi sunt in omni animante circa caput & faciem. itaꝗ tanꝗ à fonte à principali animæ parte rigatur principalis pars corporis facies, uisiuo spiritu tendente in oculos, auditiuo in aures, olfactiuo in nares, gustatiuo in os, tactiuo in totã superficiẽ. Sunt et eruditionis fontes uarij, apud quos proceri & cibo utiles sermones germinãt, tanꝗ palmarũ arbores. Venerunt, inquit, in Aelim, ubi erãt duodecim fontes aquarum, & palmarũ stirpes septuaginta: ibi ad aquas castra metati sunt. Aelim portæ interpretantur, & introitum ad uirtutẽ significãt. Sicut em̃ initium ædium est ianua: sic ad uirtutẽ primus aditus encyclopædia. perfectus aũt numerus duodenarius, quod testatur zodiacus in cælo circulus, illustratus tot sideribus: testatur etiam solis ambitus, nam intra duodecim menses circuitum suum peragit, et in totidem horas diurnas nocturnasꝗ tẽpus diuidũt homines. Moses quoꝗ non parum laudat hunc numerũ, descripta sua natione in tribus duodecim, & institutis duodecim propositionis panib. & totidẽ lapillis cum suis sculpturis, qui in pontificali ueste talari circũ rationale quod uocant, intexerẽtur. Laudat et septenariũ multiplicatũ per denarium, nunc septuaginta palmas ad fontes memorãs, aliàs septuaginta solos seniores, quibus datus est spiritus dei propheticus. totidẽ iuuenci mactantur ad epulum solenne festi tabernaculorũ, ut uocant, idꝗ certo ordine, non simul, sed per septẽ dies, incipiendo à tredecim. sic em̃ quotidie subtrahendo unum usꝗ ad diem septimũ, septuagenarius numerus cõficitur. Postquam aũt uentũ est ad uirtutis portas artes liberales, conspicati fontes & apud eos stirpes palmarũ, non apud arbores, sed apud aquas, castra metati narrantur. Cur ita? Quoniã palmis & lemniscis ornantur qui perfectæ uirtutis præmia reportant. qui uerò adhuc in rudimẽtis tripudiant, & eruditionem sitiunt, apud scientias animã rigantes collocãtur: quales sunt fontes artium indifferentium. Videamus & fontem insipientiæ, de quo legislator sic loquitur: Quisquis cubat cum muliere seorsum sedẽte, et fontẽ eius reuelat, ipsa quoꝗ retegente fluxũ sui sanguinis: ambo tollantur è medio. Mulierem sensum uocat, intellectum maritũ eius præsupponens. seorsum sedet sensus, hoc est in longinquo loco. quoties igitur mulier ista relicto marito legitimo assidet illicientibus se corrumpẽtibusꝗ rebus sensibilibus, & amatorie singulas cõplectitur: tunc si intellectus somno succũbat, qui uigilare deberet, detexit seipsum fontẽ sensuũ: hunc em̃ aio esse sensuũ fontem: hoc est, intectum, immunitũ, insidijs expositũ seipsum reddidit. at tamẽ nihilominus etiam mulier reuelauit fluxũ sui sanguinis. Omnis em̃ sensus pronus ut fluat foras ad suum sensibile, à ratiõe cohibetur atꝗ tegitur. Sed ista mulier deseritur solitaria, uiduata recto ductore. perniciosum

est enim

est enim sicut ciuitati carere mœnibus, sic animæ destitui à custodijs. Sed quãdo caret custode? An quoties uisum nõ continet, profundẽs se ad sensibilia, & per aures haurit uoces quaslibet, nec odoratũ cohibet aliasq́ potẽtias similes, sinẽs eas suopte impetu rapi ad quiduis agendũ patiendũq́. deniq́ quoties sermo nõ continetur, qui multa secreta nemine cohibente intempestiue prodidit, & liberius fluens splendidas fortunas tanquam in trãquillo nauigantes undis repẽtinis obruit. Hoc est illud magnũ diluuiũ, quãdo apertæ sunt cataractæ cœli, mẽtis uidelicet: & retecti sunt fontes abyssi, hoc est sensuum. nõ aliter eñ inundatur anima, nisi superne tanquã cœlitus è mẽte prorumpẽtibus iniquitatibus: inferne uero tanquã à terra, scilicet sensu inundantibus affectibus. Et hoc est cur Moses uetat turpitudinem patris matrisq́ retegi, quippe qui bene norat quantũ malum esset peccata mẽtis sensusq́ nõ cohiberi & cẹlari, sed tanquã pr̨eclare gesta pro ferri in medium. Hi sunt fontes peccatorum, uideamus fontẽ prudẽtiæ. ad hunc patientia descendit Rebeca, & toto animę uase repleto, per uiæ cliuũ ascendit, ut appositißime iuxta rei naturã legislator loquitur. Euadit enim ad uirtutis celsitudinẽ, quisquis à iactabunda descendit arrogãtia. Legitur eñ: Cumq́ descendisset ad fontem, impleuit hydriam, et cœpit ascendere. Hic fons est illa diuina sapientia, ex quo rigantur particulares scientiæ, & quotquot animæ cõtemplandi cupidæ amore summi boni tenentur. huic fonti sacra scriptura imponit aptißima nomina, Iudiciũ eum & Sanctũ appellans. Reuertentes, inquit, uenerũt ad fontẽ iudicij, qui est Caddes. Caddes aũt sanctus uocatur. tantum nõ clamat uociferaturq́, sapientiã sanctã esse, puram à rebus terrenis, & rerum iudicem, decernentẽ omnes controuersias. Nunc dicendũ superest de illo summo fonte optimo, de quo cœlestis pater per ora prophetarum cecinit: Me dereliquerunt fontem uitæ, & foderunt sibi cisternas contritas, quæ aquam continere non poterunt. Ergo deus est ille fons antiquißimus. et merito. uniuersus eñ hic mundus ab eo promanauit. Demiror aũt et stupeo cum hunc uitę fontẽ esse audio. solus enim deus animæ & uitæ, præsertim rationalis animæ, & prudentis uitę autor est. nam materia res est mortua. deus aũt plus q̃ uita, fons uiuendi, ut ipse ait, sempiternus. quẽ fugiẽtes impij nõ gustato potu immortalitatis, demẽtes foderunt sibi, non deo primùm, opera propria cælestib. præferentes & olympijs, pluris facientes cura quæsita quàm parata & ultro se offerentia. deinde fodiunt non ut Abrahã & Isaac puteos, profundas scientias præbentes sermonem potabilem, sed cisternas, quæ ex seipsis nihil boni ad recreandũ habent, & indigent externis affluentijs, quales è doctrina parantur, dum pr̨eceptores semper in discipulorum auditum affatim ingerunt sua placita contẽplationesq́, retinenda in mẽte & recondenda in memoria. Verũ istæ cisternę contritæ sunt, hoc est omnes male educati animi lacunę fractę perfluentesq́, quæ nec aliunde sibi parare nec cõseruare possunt influxum utilem. Hactenus de fontibus dixisse sufficiat. Cẹterũ ualde apte scriptura inducit Agarem inuentam apud fontem, nõ haurientem tamen, quia proficiens anima nondum est idonea haurire merum potum sapientiæ: non arcetur tamẽ quo minus in propinquo moretur. est autem omnis

omnis publica uia per doctrinam strata munitaq;. Ideo dicitur eam inuentam in uia Sur.] nam Sur interpretatur munitio uel directio. Alloquens igitur animam redargutor ait: Vnde uenis, & quò uadis? quod nõ tam dubitando percõtandoq; quàm exprobrando & pudorem incutiendo dicitur. non est enim fas ut aliquid in rebus nostris ignoret angelus: quod uel hinc colligitur, quia etiã secreta natiuitatis pernouit dicẽs: Ecce prægnans es, & paries filium, & uocabis nomen eius Ismael.] nam nosse fœtum esse masculum supra humanam facultatem est, sicut & uitę institutum eius qui nondũ natus est, q̃ ferus homo erit nõ mitis ac ciuilis. Ergo illud Vnde uenis, dicitur ad obiurgationẽ animę fugientis meliorẽ potiorẽq; sententiã, cui si re magis seruiret q̃ nomine, magnã inde reportatura esset gloriam. Quò uadis incerta sectãdo, certis cõfessisq; bonis relictis? meretur igitur laudẽ, libẽter admonitionẽ accipiens: quod uel inde apparet, q̃ nec dominam incusat, sibiipsi fugæ culpam tribuens, nec ad secundũ interrogatũ respõdet, quò uadat. incertum eñ hoc erat. de incertis aũt tutius suspenditur sententia. Gaudens igitur redargutor obediẽtia mulieris ait: Reuertere ad heram tuã. prodest eñ discipulæ doctricis magisterium, & imperfectæ seruitus apud prudentiã. Reuersa aũt humiliare sub manu eius humilitate honestissima, abiiciẽs præsentẽ brutam superbiam. sic eñ feliciter parturiens eniteris prolem masculã nomine Ismael, castigata diuinis monitis. interpretatur eñ Ismael auditus dei. est aũt auditus à uisu secundus. uisum uerò legitimus filius & primogenitus Israel sortitur. sonat eñ quod uidẽs deum. nam audire etiam falsa pro ueris possumus: uisus nequaquã fallax est, quo res certæ cognoscuntur. Mores aũt nasciturí describit, dum dicit ferum fore, id est, rustice sapientẽ, nondũ ascitum in dei ciuitatẽ. hæc aũt uirtus est apta nata mansuefaciẽdis moribus. iisdem scri mores indicãtur his uerbis: Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. Hoc est eñ sophistæ propositum, præseferentis curiositatem in disputando nimiam, & gaudentis contentiosis sermonibus. adeò & ipse ferit omnes disciplinarũ sectatores, tum singulis priuatim resistens, tum in commune omnibus: & uicissim ab omnib. percutitur suas fœturas defendentibus, hoc est placita quæ pariunt eorũ animæ. Tertia quoq; nota adiicitur hæc: Contra faciem omnium fratrum suorũ habitabit:] tantum nõ manifeste ostendens aduersam dimicationem perpetuam. Itaq; anima quæ sophistam gerit in utero, respondet redarguenti se: Tu es deus qui inspexit me.] Ac si dicat: tu es autor meorum consiliorũ & partuũ. & merito. liberalium eñ & uere ingenuarum animarum liber & liberator est opifex, serui uero seruarũ. angeli aũt dei famuli pro diis habentur ab his qui in seruitute detinẽtur & laboribus. Propterea huic puteo nomen indidit, Puteus coram quo uidi.] Sed fieri nõ potest ô anima proficiẽs, & liberalium disciplinarum profunda penetrans, ut in eruditione tanquã in speculo uideas autorẽ scientiæ. Commodus aũt huic puteo locus est Caddes inter & Barad. interpretatur aũt Barad In cõmunibus, Caddes uerò sancta. nam qui proficit, est in sacrorũ profanorũq; confinio, iam mala fugiens, sed nondum idoneus ut ad bona perfecta admittatur, habeatq; cum eis contubernium.

PHILONIS

PHILONIS IVDAEI DE EO, QVIS RERVM DIVINARVM HAERES SIT.



IN PROXIME prçcedēte libro de mercedibus pro uirili dißeruimus: nunc autem propositū est quærere, quis rerum diuinarum hçres sit. Postquam em̄ ille sapiens audiuit redditum sibi hoc oraculū: Merces tua multa nimis: percontatur: Quid mihi dabis ô here? Ego sine liberis decedā. filius aūt meus iste susceptus ex ancilla, hçres meus erit, Damascus Elie zer. ac rursū: Quia nō dedisti semē mihi, uerna iste meus hæres erit.] Et quis nō attonitus fuisset maiestate proferētis hoc oraculum, ut nec os posset diducere, si non prç metu, certe prç gaudio? adimit enim uocem ut uehemens dolor, ita nimia lætitia. quāobrem & Moses fatetur se parum uocalem & lingua tardum ex quo cœpit habere cū deo colloquia: quod testimonium prophetæ uerum est. tūc enim uerisimile est uocis instrumentum fieri tardius. rationem autem iam articulatā ferri liberiore impetu, sententiarum magis ꝙ uerborū ornamenta cōsectantem expedita quadā & sublimi eloquentia. Sunt autē admirandç uirtutes, uel fiducia, uel sermonis libertas aduersus præstantiores, quādo res eam postulat: ut illa comica sentētia uera potius ꝙ ludicra uideatur: Si seruus semper cōsuescat silentio, Fiet nequam dediscens loqui libere. Sed quādo solet hac libertate uti seruus cōtra dominum? non'ne quādo nullius maleficij sibi est cōscius, certus nihil sibi dictum factum'ue nisi in utilitatē sui domini? Quādo igitur decet dei quoq; famulum libertate linguæ uti cōtra suū rerumq; omnium principem atq; dominū, nisi quando à peccatis purus, & charitatis erga dominum sibi cōscius, magis gaudet se esse dei famulum ꝙ si absq; cōtentione adeptus esset imperium terra mariq; in omnes homines. Cçterū officia obsequiaq; Abrahā plena charitatis erga dominū cōmendat extrema clausula oraculi filio eius redditi. Dabo tibi & semini tuo terrā hāc uniuersam: & in eo semine benedicētur om̄es gētes terrç: propterea quod obediuit Abrahā pater tuus uoci meæ, & custodiuit mandata mea, præcepta mea, leges meas & iudicia. Est autē serui laus maxima: nihil ex iussis dominicis cōtēnere, sed impigre industrieq; uel supra uires conari cuncta exequi ex illius animi sentētia. Sūt igitur qui audire debēt potius ꝙ loqui: ad quos dicitur, Tace & audi: præceptum pulcherrimū. Nā inscitia res est mala temerariaq;, cuius primum remedium est, auditoris silentiū: secundū attentio ad ea quç auditu digna sunt. Caue aūt putes aliquid nihili docere hæc uerba, Tace & audi: maius quiddam est quod monent. non solum em̄ linguæ silentiū postulat & auditum auriū: sed utrumq; ab anima exigit. nā multi aures non mentem afferūt in auditoriū, ipsi foris interim uagātur, & multa de multis apud seipsos agitāt, ad cognatos alienos'ue, aut etiā ad ipsos pera-

ſos pertinentia,quę præſtaret ad tẽpus miſſa facere:quæ omnia dũ cogita-tioni obſtrepũt,fieri non poteſt ut exaudiatur qui loquitur. nam eius uox non ad homines fertur,ſed ad inanimatas ſtatuas, quę aures habent cũ au-ditu carcant.quod ſi mens quieta ab omnib.externis interniſq; motib. di-gnetur attentam ſe præbere, & iuxta Mōſis præceptũ auſcultare per ſilen-tium,poterit audire quę dicũtur:aliàs uerò non poterit.indoctos igitur de-cet ſilentiũ:ad ſcientiam autem aſpirantibus,& dominũ amantibus,eſt ne-ceſſaria cōfidẽs facũdia.Legitur enim in Exodo : Dominus pugnabit pro nobis,uos autem ſilebitis.ac mox tale oraculũ ſubiungitur:Et dixit domi-nus ad Moſem:Quid clamas ad me?quaſi deberent ſilere qui nihil auditu dignũ afferũt, loqui uerò qui præ amore ſapientiæ confidunt in domino: nec ſolũ loqui placide,ſed etiam proclamare:non ore linguaq;, à quibus i-ctum aerem aiunt in orbem moueri, atq; ita ad auditũ pertingere : ſed illo muſico ſonoroq; inſtrumento,quod mortalis audit nemo, ſoli ingenito il li immortaliq; exaudibile,iſtorũ uero qui in ſenſib.uolutãtur nemini. Cer te cũ totũ mẽtis inſtrumentũ per diapaſon & diſdiapaſon ſymphonias in-ſonat,auditor quaſi interrogatur,cũ reuera non interrogetur. nam deo no ta ſunt omnia.Quid ad me clamas mala deprecans,aut pro bonis acceptis agẽs gratias:aut utrũq; agẽs eadem opera?adeò hic parũ uocalis & lingua tardus ac pene mutus,aliubi non loqui ſolũ inuenitur,ſed & clamãs intro-ducitur,rurſum alibi loquens indeſinenter & eodem fluxu ſermonẽ con tinuans.Moſes,inquit,loquebatur, & deus ei uoce ſua reſpondebat, non docens eũ per certas orationis periodos, ſed ſemper & continenter ei re-ſpondens.Vbi aũt reſponſio, ibi utiq; & interrogatio.Rogat aũt quiſque quod ignorat,cupiens id diſcere.nam diſcentib.nihil tam propriũ ac utile, q̃ quærere,rogare,ſcitari,non uideri ſibi uel ſcire aliquid,uel percepiſſe ſo lide.Ergo ſapientes deo præceptore magiſtroq; utũtur,imperfecti uerò ſa piente illo,ad quem dicũt:Loquere tu nobis:nõ loquatur ad nos deus,ne forte moriamur.Tanta autem in loquẽdo libertate utitur hic uir bonus,ut nõ ſolũ clamet,ſed reclamet quoq;,fretus uera fiducia & affectu non fuca-to.Nam uerba hæc:Si remittis ei peccatũ hoc,remitte:ſin minus,dele me è libro tuo quem ſcripſiſti.& illa : Nũ ego in utero concepi totũ hũc popu-lum,aut peperi eum,quia dicis mihi:ſume eum in ſinũ tuum,& geſta tanq̃ nutrix infantulũ?& illa: Vnde mihi carnes ut dem uniuerſo huic populo, qui opplorat mihi? nũquid oues & boues mactabũtur, aut omnes piſces maris comportabũtur & ſufficient?& illa: Domine cur afflixiſti hunc po-pulũ?&,Cur miſiſti me?&,Ex quo profectus ſum ut loquerer ad Pharao-nem in tuo nomine,afflixit populũ.&,Non liberaſti tuum populum:hæc inquam & ſimilia nemo uel regi cuiuis auderet dicere. cæterum cũ deo lo-qui tam libere,ſummæ fuit non audaciæ ſed fiducię: quia ſapientes omnes amici dei ſunt,præſertim quod ad ſacras leges promulgãdas attinet.liber-tas aũt loquendi cognata eſt amicitiæ : alioqui cũ quo loquemur libere, ſi cũ amico non licet?Recte igitur in ſacris literis Moſes amicus dei celebra-tur,ut quoties audacius loquitur,amicitię potius id tribuatur q̃ arrogãtię. nam arrogãtis eſt temeritas, amici uerò fiducia. Sed conſidera iterũ quòd

fiducia

fiducia temperatur cum reuerentia. nam hæc uerba, Quid mihi dabis? fiduciam præ se ferunt: illud autem, ô here, reuerentiam. Cęterum cùm duabus appellationibus prout res postulat, rerum autor appellari soleat, aliquãdo deus, aliquãdo dominus, tunc harum neutra, sed herus assumitur, idq; per opportune & religiose admodũ: quamuis hæc uocentur synonyma herus & dominus. sed quamuis utrumq; nomẽ in unum eundemq; competit, distinguit tamen hæc cogitatio: quia dominus κύριος παρὰ τὸ κῦρος, hoc est, ab autoritate dicitur, qua ratum fit aliquid: sicut cõtra ἄκυρον uocatur irritum. herus autẽ δεσπότης παρὰ τὸν δεσμόν, id est, uinculum. Vnde ut opinor δέος, id est, timor. itaq; & δεσπότης dominus erit & quidem timendus, non solum propter autoritatem, uerum etiam propter metuendam omnipotentiam. uel fortasse quia colligat continetq; omnia constringens indissolubiliter, alioqui natura dissolubilia. Quare cum dicit, Here, quid mihi dabis? perinde est ac si dicat: Non ignoro tuam ingẽtem potentiam, scio & potestatem tuam terribilem. timens tremensq; te appello, & rursus fiducia subleuor. Tuum enim oraculum iubet ne timeã: tu mihi linguam eruditam dedisti, ut sciam quando loquendum sit. tu os meum consutum soluisti, aperuisti, & articulatum fecisti: dicenda quoq; suggeris, confirmãs illud tuum oraculum: Ego aperiã os tuum, & docebo te quid loqui debeas. Quis eñ sum ego ut loqui me doceas, ut mercedẽ pollicearis perfectiorem quouis dono & gratia? nõ'ne è patria sum profugus? nõ'ne cognatos deserui? nõ'ne careo paternis ędibus? nõ'ne omnes me relegatum, profugum, desertũ, & inhonoratũ nominãt? Verum tu mihi here es patria, tu cognatio, tu paterna domus, tu honor, fiducia, opulentia clara & perpetua. Cur igitur nõ audeam proloqui quæ cogito? cur nõ perconter de his quę cupio discere? attamen quamuis præ me ferre cõfidẽtiam uidear, nihilominus metum & stuporẽ fateor: nec tamen pugnare in me affectus cõtrarios, timorem atq; audaciã, sicut fortasse aliquis suspicabitur, sed cõtemperari aptissime. itaq; insatiabiliter fruor tam bene temperato poculo, quod facit ut nec liberius loquar q̃ pro reuerentia, nec reuerẽtia libertatem mihi adimat. Didici eñ meipsum metiri, quàm sim nihili, & nimiam tuam beneficẽtiam suspicere. & quoties puluerem cineremq;, aut si quid his est proiectius, meipsum sentio, tũc appellare te audeo, humiliatus & in terra prostratus, sic mutatus ut uix subsistere uidear. Talem affectum animæ impressit in meam memoriã uisitator Abraham. Appropinquans, inquit, Abraham dixit: Nunc incepi alloqui dominum, ego autem terra sum & cinis.] Tunc enim tempus est ut creatura suum factorem appellet, quãdo agnoscit quàm ipsa sit nihili. Illud autem, Quid mihi dabis? non tam dubitãtis est uerbum, quàm gratias agẽtis pro acceptorum beneficiorum magnitudine: Quid mihi dabis? Nũ est quod sperem præterea? Copiosæ sunt, ô munificẽtissime, tuę gratię, nullis circumscriptæ terminis, nec modum nec finem habẽt, fontium more inexhaustę & subscatentes perpetuo. Sed considerandus est non solum torrens exundans tuæ beneficentiæ, uerum etiã arua nostra quæ illo rigãtur. nam si nimis perfundantur, stagna & paludes erunt pro campis frugiferis. annõ & mihi certa mẽsura opus est? ideo percõtor Quid mihi daturus es?

qui iam dedisti plurima,& penè omnia quorum natura humana capax est.
quod enim adhuc cupio scire hoc est, quis'nam possit esse dignus hæres
tuorum operũ.Ego defungar sine liberis, acceptis bonis ad breue tempus
paucosq; dies duraturis,& ad finem properantibus,quamuis optem lon-
gæuitatem nec senio nec morti obnoxiam,ut possit iactis seminibus radi-
ces firmas extendere, & stipitem usq; ad cælum attollere. necesse est enim
ut humana uirtus in terra gradiens ad cælum erigatur, ut ibi gustato im-
mortalitatis nectare,sempiternam salutem habeat.nam scio quòd sterilem
animam odisti,ipse rerum omnium genitor. eximiam enim gratiam largi-
tus es perspicaci generi, ne unquam sterilescat & prole careat: cui quoniã
& ego contributus sum,iure hæredem desidero.Cũ enim uideam id inex-
tinguibile,turpe puto sinere ut naturæ meæ bonum intereat.Supplex igi-
tur imploro,ut semina scintillæq; foueantur,è quibus uirtutis lux salutaris
accendi queat, quæ tanquam lampas per manus tradita, mundo æquæua
fiat.Indidisti & meditatorijs uiris desiderium filiorum qui progignuntur
ex anima,quibus potiti exclamarunt præ gaudio:En pueri quorum miser-
tus est deus seruorum tuorum: quorum peregrinatio nutrix & altrix est,
quorum intactæ animæ teneræ generosęq; sunt,in omnes uirtutis formas
diuinas & pulcherrimas fingi faciles.Sed doce me & illud, an filius Masec
uernaculæ meæ, tuarum gratiarum hæres sit idoneus. nam ego hactenus
neq; speratũ accepi filium, neq; de hoc quem accepi spem habeo. Quænã
autem sit hæc Masec,& quis eius filius,non obiter cõsiderandum est.Ma-
sec interpretatur ex osculo.differt autem ab amore osculum. nam ille est a-
nimarum coniunctarum per mutuam beneuolentiam: hoc autem nudam
salutationem habẽt superficietenus in occursu fortuito. sicut eim in ἀνακύ-
πτειν non est κύπτειν,in καταπίνειν πίνειν, in μαρσίππῳ ἵππος, sic nec in καταφιλεῖν
φιλεῖν,id est,amor in osculo.nam multi etiam inimicis coacti aliqua necessi
tate hanc officij speciem exhibent.quæ sit autem illa ex osculo, non ex sin-
cera caritate,nobis commendata, dicam nihil dissimulans. Vita qua cum
sensibus conuiuimus,tota secura,quam nemo non amat, quam hominum
uulgus heram existimat,elegantiores famulam, non externam aut empti-
ciam,sed uernaculã & tribulem quodammodo:qui etiam didicerunt oscu
lari eam non amare,cum illi alteri ualde ament eam & desiderẽt.Laban au-
tem ille uirtutis osor ne osculari quidem potest attributas meditatori po-
tentias,sed ut assuetus simulationi fictisq; moribus,tanq; ęgre ferens,cum
reuera non doleat,ait: Nõ iudicasti me dignum ut oscularer pueros meos
& filias.Iuste ac merito. Simulationem enim implacabiliter odisse didici-
mus.Dilige uirtutes,& animo complectere,& non requires osculum, fu-
catum specimen amicitiæ.non est enim eis amplius portio uel hęreditas in
domo tua. non'ne pro alienis à te reputatæ sunt?non'ne uendidisti eas, &
deuorasti earum precium? ut ne in posterum quidem eas possis redimere
ac postliminio reuersas recipere. quid igitur osculari uult inimicus perpe-
tuus uirtutum omniũ? At non sic Aaron osculatur Mosem, sed ex animo
ut germanum carissimũ.Amanter,inquit,salutauit eum, & cõplexi sunt se
inuicẽ.Sũt aũt uitæ tria genera;una apud deũ,altera apud creaturam,tertia
media,

media,mixta ex utraq;.quæ apud deum est,non descendit ad nos, nec uenit in istas necessitates corporis:quæ apud creaturam,nec ascendit,nec curauit ascendere,degens in cauernis intimis,& uita minime uitali gaudens. at quæ mixta est,sæpe ad meliorem tracta ordinem numine corripitur,interdum retracta ad deteriorem retro se recipit.quod si ad hanc tanquam in bilancem melior uita accedat,adeò prægrauabit, ut in diuersa lance minimum ponderis appareat. Moses autē ei quæ apud deum est uitæ palmam decernens sine puluere, reliquas inter se comparat per duarum mulierum similitudinē,quarum alteram dilectam,alterā exosam, uocat aptissimis nominibus.Quis enim est qui non capiatur oculorum,aurium,gustus, odoratus tactusq; delicijs ac uoluptatibus? Quis non abhorret à contrarijs, frugalitate,continentia,austera castigataq; uita,lusus ac risus experte, plena curis & laboribus,contemplandi cupida, infensa ignorantiæ, contemnente pecuniam,gloriam,delicias,aspirante ad temperantiam,bonam existimationem,& uidentes non cæcas diuitias? Est quidem primogenitura ut antiquior ita honoratior: Moses tamen etiam posterius natos hoc honore dignatur,his duplum tribuens,alteris auferens dimidium. Si habuerit,inquit,homo duas uxores,dilectam & exosam,& ambæ pepererint,cū distribuet suam substantiam, non poterit primogenituram dare filio dilectæ,scilicet uoluptatis.iuuenis enim hic censetur, etsi tempore antiquior. sed dabit filio seniori nato è fastidita prudentia, qui à pueritia dignus fuit, cui duæ portiones debentur.Huius figuræ sensum moralem quia iam ante diximus,reuertamur ad proxime sequentia,præmonito lectore,q̄ exosæ deus uuluā aperuisse dicitur,ortū dans bonis studijs & honestis operibus,cùm ea quæ dilecta putatur,mox ab initio sit sterilis. Videns, inquit, dominus q̄ Lia fastiditur,aperuit uuluam eius:Rachel aūt erat sterilis.Sed quoties anima prægnans quales decet fœtus parturit, tūc altera sensibiliū genitrix sterilescens desinit parere, grata non propter amorem, sed propter oscula.Huius sensualis uitæ,quæ Masec nominatur,unusquisque nostrū est filius,honorans demiransq; nutricem altricemq; humani generis: quā terrenus intellectus Adam nomine,ubi factam uidit, quamuis mortē suam,uitam illam nominauit.Vocauit,inquit,Adam nomen uxoris suę uitam,q̄ ipsa sit mater omniū uiuentiū,reuera mortuorū iuxta uitam animę. At quotquot uere uiuūt,matrem habent sapientiam,sensus aūt utūtur seruitio,in hoc à natura factū existimantes,ut minister sit ad parandam scientiam. nomen aūt nati ex ea uita cuius nota est osculū, Damascus traditur, quod sacci sanguis interpretatur,apte admodū:quia per saccū significatur corpus,per sanguinem uita quæ est in sanguine.nam quoniam anima dupliciter dicitur, & in uniuersum, & pars eius præcipua, quæ proprie dici potest animę anima:sicut oculus & totus globus est,& ea pars qua proprie cernimus: existimauit legislator duplicem essentiā animæ: totius quidem, sanguinē:pręcipuę uero partis,diuinū spiritū.proinde aperte dicit: Anima omnis carnis,sanguis est. egregiè carniū turbæ influxū sanguinis attribuit ut propriū.mentis uero essentiā nulli creaturæ coaptauit, sed introduxit eā superne inspiratā à deo.Inspirauit,inquit,creator omniū in faciē eius spiri-

tum uitæ,& factus est homo in animã uiuentẽ,quę etiam ad imaginem sui factoris expressa narratur.Itaqȝ duplex est genus hominũ,alterũ quod uiuit iuxta rationẽ inspiratã diuinitus,alterũ quod sanguine uiuẽs seruit carnis uoluptatibus.hoc terræ figmentũ est,illud ad imaginẽ dei expressa effigies.ea terra sanguine macerata,ex qua ficti sumus, nõ mediocriter eget diuino auxilio.ideo dicitur:Iste Damascus Eliezer . Interpretatur autẽ Eliezer,deus adiutor meus.quoniã hæc moles sanguinea per se dissolubilis & mortua,cõsistit & fouetur prouidentia dei sua manu sustentantis & protegentis:alioqui ne per unũ quidẽ diem genus nostrũ durare poterat.Nõ uides ꝙ & Mosis secũdus filius eodẽ est nomine?Nomẽ,inquit,secũdi Eliezer.ac mox causam adijcit.nam deus meus auxiliator meus,& eripuit me è manu Pharaonis.Cæterũ sanguineæ sensualisqȝ uitę amicis præficitur ille pietatis dissipator & hostis Pharao nomine,cuius regnũ iniustũ & crudele nõ licet effugere,nisi Eliezer nascatur in anima, & auxiliũ à solo seruatore nos sperare iubeat.Recte aũt in stẽmate Damasci nõ patrẽ, sed matrẽ Masec memorat:ut ostẽdat ꝙ anima sanguinea,qua bruta uiuũt,ad mulierum maternũ genus proprie pertinet,expers masculini generis.At nõ sic uirtus Sarra : solã eñ uirilẽ stirpẽ sibi usurpat, ex solo deo nata qui pater est omniũ,ipsa matre carẽs principiũ. Vere,inquit,soror mea est,eodẽ patre, non itẽ matre progenita.Hæc de quib . præmoneremus,habuimus . erat eñ in prima parte argumẽti quædã obscuritas pene ænigmatica . Quid autẽ hic studiosus quærat,explicandum est diligẽtius. An possit aliquis huius sanguineæ uitæ cupidus,& sensib.deditus,incorporearũ diuinarumqȝ rerum hæres fieri.His dignus habetur solus ille qui superne inspiratus est,cęlestis diuinæqȝ portionis particeps intellectus purissimus,cõtemnens nõ modo corpus,sed & alterã partẽ animæ , quæ cum sit bruta sanguine fermẽtatur, furores feruẽtes & concupiscentias ardentes excitans. ergo sic interrogat: Quoniam mihi non dedisti semẽ illud à seipso doctũ & intelligibile, num uerna meus hæres mihi erit,sanguineæ uitæ filius? Vix id elocutus erat,cũ deus respondit.Mox,inquit,uox dei facta est ad eum dicẽs : Nõ hic hæres tuus erit,nec quisquam sensui conspicuus.nã incorporeæ naturæ intelligibilium rerũ hæredes fiunt.Et obseruandum ꝙ nec dixit deus , nec locutus est,sed uox dei facta est ad eum,tanquã intus in corde pulsans . Quis ergo hæres erit?nõ ille intellectus qui sponte detinetur in corporis carcere , sed qui solutus uinculis liberatusqȝ prodijt extra parietes,& ut ita loquar,seipsum dereliquit.Qui,inquit,egredietur ex te,hic hæres tuus erit. Ergo si cupis ô anima,hæres diuinorum bonorum fieri,non tantũ terram corpus,& cognationem sensuum,& domum paternã , rationẽ desere , sed & teipsam fuge rapta extra teipsam sicut lymphati & fanatici,bacchabunda & numine agitari te nõ dissimulãs.nã extra se raptę,afflatæqȝ diuino furore,& impulsæ cælesti cupidine, attractæqȝ à ueritate impedimẽta dimouẽte & uiã muniente,hæc est hæreditas. Sed quomodo migras ab illis priorib. ingenue dic nobis,ô mẽs,quæ audire doctis insonare soles intelligibilia dicẽs: Equidẽ migraui è corpore,quando carnem sensumqȝ contẽpsi , atqȝ etiam omnia sensibilia,si ad ueritatẽ conferantur spectra & phantasmata, damna

to sen-

to sensuũ iudicio corrupto & insincero plenoq́ falsis opinionibus: damnatis etiam his quæ iudicantur, ut paratis ad inescandũ fallendumq́, & ueritatem, quantum in se est, tollendam è rerũ natura. quin & è ratione migraui, quando multum irrationalitatis in ea cognoui, uteunq́ tumente & extollente se. ausa est em̃ quiddã nõ mediocre, per umbras corpora, per uerba res, quod fieri nõ potest, mihi ostendere. itaq́ labebatur per lubrica, & cogebatur multa circumloqui, quæ proprijs uerbis eloqui diserte non poterat. quapropter cum uiderem eam affectam ut infantem puerum, decreui satius esse migrare ab his omnibus, & ad deum referre singulorũ potentias, qui & corpus compingit ac corpora, & sentiendi uim indit sensibus, & rationi orationem suppeditat. Proinde age dum sicut dereliquisti cætera, excede ac emigra etiam ex teipsa. at quomodo? caue ne intellectum, cogitationem, perspicacitatem tibi ipsi thesaurizes, sed offerens hæc ei dedica, qui exacte intelligendi & infallibiliter percipiendi causa est. hæc autem donaria recipit alterum è sacratis templum, scilicet sanctius. Sunt enim opinor duo, alterum intelligibile, alterum sensibile. sensibilium naturarũ mundus hic, intelligibilium uero ille intelligibilis est receptaculum. Quod autem is qui iam dicta egressus cupit sectator dei fieri, prædiuitis naturæ laudatam hæreditatem assequitur, testis est scriptura dicẽs: Eduxit eum foras & dixit: suspice in cælum. quoniam hic est diuinorum bonorũ thesaurus. Aperiat tibi, inquit, dominus thesaurũ suorũ bonorũ, cælum uidelicet. ex hoc certe consummatas lætitias largitor ille cõtinue depluit. Suspice, ut arguas cæcũ uulgus hominũ, quod cum sibi uideatur cernere, orbatũ est luminibus. nisi forte nõ est orbũ dum mala bonis antefert, iustis iniusta, perturbationes tranquillitati animi, immortalibus mortalia: repulsisq́ monitorib. ac castigatoribus cum suis præceptis atq́ monitis, adulatores admittit & sermones inuitãtes ad uoluptatẽ, otiũ, ignorantiã, atq́ delicias. Ergo solus bonus uidet. quamobrẽ & prophetas prisci nominabãt uidẽtes. qui autem foras prodijt, nõ solum uidens, sed & deum uidens appellatus est Israel. sic enim hæc uox interpretatur. At isti etiamsi quando aperiunt oculos, terrã intuentur terrenorũ cupidi, & innutriti materię. nam ille attollẽs oculos ad ætherẽ suspicit, unde mãna uerbũ diuinũ, cælestis immortalisq́ cibus animæ spectãdi ac discẽdi cupidæ. istis uero animus est in cepis & allijs pupillas cruciãtib. & turbãtib. ita ut cõniueãt, atq́ in porris & salsamẽtorũ fœtoribus, cibis Aegypto peculiarib. Venerũt, inquit, nobis in mẽtẽ pisces quib. in Aegypto uescebamur gratis, cucumeres, pepones, porrũ, cepe, alliũ. nũc anima nostra exaruit, nihil pręter manna uidẽt nostri oculi. Facit aũt ad mores & illud Eduxit eũ foras, quod quidẽ indocti ridere solẽt, rogitãtes & quis intrò educitur, aut ediuerso foras intrat? Etiã, ô ridiculi & nimis faciles, nescitis em̃ uestigare mores animæ, sed solos corporũ locales motus in his uerbis quæritis. ideo mirũ uobis uidetur si quis intrat foras, aut intrò exit. nobis uero Mosis familiarib. nulla est hic absurditas. Annõ diceretis, perfectũ summum sacerdotẽ, quãdo in adytis operatur sacris patrijs, intus esse ac foris? intus conspicuo corpore, foris anima uagabũdanteq́. rursum aliũ uel alienũ à Leuitico genere, amicũ deo carũq́,

extra sacraria stantē, intus in penitissimis agere, qui peregrinationē putat totā uitā corporis: & quoties potest solam animæ uitā uiuere, credit se degere in patria. nam extra amicitiā est omnis insipiens, etiamsi ne monumētum quidem discedat à contubernio: intus uero omnis sapiens, etiamsi nō solum regionibus, uerū etiam immēsis terræ tractibus disiunctus sit. Moses aūt hunc amicū adeò deo propinquū ait, ut nihil ab anima differat. dicit enim: Amicus æqualis animæ tuæ. Iuxta eiusdem ęstimationē, nec sacerdos erit homo, tantisper dum est in sanctissanctorū, donec exeat, nō corporaliter, sed animæ motibus. Mens enim quādo pure deo sacrificat, non est humana sed diuina. cum aūt ad aliquid humanū auertitur, descendens de cælo, uel potius delapsa in terrā, egreditur etiamsi corpus intus maneat. Rectissime igitur dictū est, Eduxit eū foras, è carcere corporis, è cauernis sensuū, è fallacibus rationis sophismatibus: & insuper ex seipso, atq; opinione qua putabat, se nulli obnoxiū libere ac suapte facultate percipere atque intelligere. Producto aūt foras dixit: Suspice in cælū, & numera stellas, si potest iniri eorū numerus. Sic erit semen tuū. Egregie dictū, sic erit semen tuū, nō par stellarū numero. nō em̄ solam multitudinē, sed & alia multa ad perfectā felicitatē cōducentia uult indicare. Sic erit, inquit, sicut quod uides in æthere, sic cæleste, sic umbra carens, plenum splendore purissimo (nam nec in cælo nox locū habet, nec in uirtute tenebræ) dispositū ornatissime, immoto manēs ordine, semper sui simile. Vult em̄ cæli effigiē, aut quod plus est, cælū terrestre dici sapientis animā, ut quæ in æthere habet lucida sidera, statos motus, concinnas choreas, diuinos circuitus, uirtutū splendores fulgidissimos & stellis simillimos. quòd si sensibilium stellarū numerum inuenire est impossibile, multo magis intelligibilium. Nā quanto præstantius est quod iudicat quàm quod iudicatur: siquidē mens sensu est potior, hic uero illa hebetior: tantum & inter ea quæ iudicātur, interest. itaq; immenso intelligibilia sensibilium numerū superant. nam oculi animæ proprij minima quædam portio est oculus corporeus. Ille soli est similis, hic cādelabro quod modo accensum mox extinguitur. ideo necessario subiungitur: Credidit Abraham deo: ad laudē eius qui credidit. Dicat fortasse aliquis, hoccine laude dignum iudicas? Quis deo loquēti pollicētiq; fidem non adhiberet, etiamsi esset impius et omnium mortalium iniustissimus? Huic respondebimus: Caue caue ô præclare uir, ne temere aut illum sapientem fraudes suis laudibus, aut indignis perfectissimam uirtutem fidem tribuas, aut nostram super hac re incuses sententiam. Nam si penitius scrutari, non solum in superficie, uolueris, cōperies quàm difficile sit credere soli deo absq; ullo testimonio, propter cognationē quā habemus cum rebus mortalibus, quæ nobis persuadent ut credamus fidamusq; gloriæ, principatui, amicis, sanitati roboriq; corporis, & cæteris plurimis. has persuasiones eluere, & diffidere creaturę per se infidissimę, ac soli deo fidere, qui solus uere fidus est, res est animi magni cælestisq;, nō inescati ullis reb. nostratibus. Illud quoq; bene additur, imputatam ei fidē ad iustitiā.] Nihil enim tam iustum, quàm fide sincera deo credere. Id quātumuis iustum & naturæ consentaneum, mirum uidetur propter uulgus incredulū, quos

arguens

arguens sacra scriptura dicit,in solo deo firmum esse certumq́ præsidium, quantumlibet hoc mirentur homines uerorum bonorũ expertes, alioqui reuera non mirabile.est autem opus iustitiæ proprium. Et dixit,inquit, ad eum:Ego sum deus qui eduxi te de terra Chaldæorũ,ut darem tibi terram hanc in hæreditatem.]Hoc non solum noua pollicetur, sed & ueterẽ promissionem confirmat.Siquidem dudum donatum bonũ,exitus erat è meteorologia Chaldaica,quæ docebat credere,mundũ non opus dei, sed deum ipsum esse,& bona malaq́ imputare stellarũ certis ordinatisq́ cursibus,unde bonorum malorũq́ causæ pendeãt. hanc tam prodigiosam opinionem homines ad credendũ faciles hauserant ex ęquabili motu orbium cælestium.nam Chaldim interpretatur æquabilitas.Nouum autẽ bonum quod promittitur,est acquisitio sapientiæ eius quæ non sensu discitur,sed mente sincerissima percipitur,& confirmat migrationem optimam, anima se conferente ab astronomia ad physiologiam, & ad certam cognitionem à coniectura : atq; ut proprie loquar, à genitis ad Ingenitũ, à mundo ad eius patrem conditoremq́. Chaldaicam enim sectam cælo fuisse dicatam : hunc autem postq̃ inde migrauit,deo qui cælo uectatur & id gubernat,credidisse,narrant sacra eloquia. præclara sane hæreditas, fortasse maior q̃ pro captu hæredis,sed digna largientis magnitudine. Sed non sufficit bona spes & miræ felicitatis expectatio sapientię cupido per oraculum oblata,nisi & modum audiat,quo ad eam felicitatem peruenturus sit,quòd molestum sit illi hæc ignorare, ut insatiabiliter sitienti scientiam.Ideo percontatur:Domine deus,quomodo cognoscam quòd eam hæreditate possidebo?Dicat fortasse aliquis, nõ conuenire hoc ei qui crediderat.nam hæsitationem dubitantis esse,cum uero qui credit,nihil amplius quærere.Dicendum igitur eum hæsitare & credere,sed non de eadẽ re.absit hoc à fideli anima.credidit se hæreditario iure possessurũ sapiẽtiã,nihil aliud quęrit, q̃ quomodo sibi obuentura sit ea felicitas.nam obuenturã certo scit fretus dei promissiõe.Itaq; delectatus hominis prono ad discendũ desiderio pręceptor,incipit à primis elemẽtis eum erudire, primũ docẽs quod est summe necessariũ:Sume mihi.]Breue uerbũ,sed magna uis eius. nõ pauca eñ indicat.Ante omnia,propriũ,inquit,nullũ habes bonũ,sed si quid habere putaris,aliunde habes.Vnde colligitur q̃ accipimus à deo quicquid habemus nõ à post eum nata creatura,quæ ipsa manus ad eum tẽdit ut accipiat. Secundò inquit,quicquid sumis sume nõ tibi ipsi,sed quasi mutuũ aut depositũ redde ei qui deposuit,& quidẽ cũ auctario,ueterẽ gratiã noua pensans gratia,& decenter aliquid repẽdens bene merito.nã multi sacris depositis male usi,præ auaritia nimia uerterunt ea tanquã sua in propriũ commodum.tu uero uir bone da operã pro uiribus, ut nõ solum integra illæsaq́ serues quæ accepisti,sed omni cura efficias,ut qui deposuit,nõ habeat quod queratur de tua custodia,deposuit autem hæc,animã,rationem,sensum,nimirum factor animalium,quæ deposita figurate iuuẽca,aries,capra nominantur in sacris literis. hæc autem quidam sui nimis amantes usurpa runt sibi,alij reposuerunt ut tempestiue redderent.& fraudatores quidem sunt innumeri. quis enim est nostrum qui animã rationẽ sensum in bonis

suis non

suis non censeat, sibi acceptum ferens quod sentit, loquitur, intelligit: eorũ autem qui bona fide custodiunt depositum, exiguus est numerus. hi tria iam dicta deo dedicant, rationem, sensum, animam. Sumpserunt enim non sibi, sed illi hæc omnia: itaq; merito fatentur ab eo uenire uires horum singulis, menti cogitationes, rationi sermones, imaginatiões sensibus. cæterũ qui hæc adscribunt sibijpsis, merito sibi parant has miserias: insidiosam animam fermentatam brutis affectionibus, & uitijs plurimis obsitam, nunc gulę atq; libidini tanquã in lupanari prostitutam, nunc à plurimis iniquitatibus tanquam in carcere constrictam cum maleficis, nõ hominibus, sed studijs, quę omnibus tribunalibus facessunt negocium. rationem uero inaniloquam, exacutã ad impugnationem ueritatis, sibi dedecus afferentẽ, damnum aũt audientibus. præterea sensum insatiabilem, semper ingurgitantem res sensibiles, sed nunquam expleri ualentem, contumacem aduersus monitores, & conspuẽtem quicquid ad emendationem audit uidetq;. Qui autem hæc sumpserunt non sibi, sed deo, dedicarunt ei singula, ut sacra seruantes suo domino: mẽtem quidem, ne quid aliud quàm de deo uir tutibusq; cogitaret: rationem uero, ut ore frenato, laudibus hymnisq; ueneraretur parentẽ rerum omnium, ostentans in hoc tantum negotio suam eloquentiam: sensum autem, ut imaginando totum hunc mundum sensibilem, cælum terrãq; & naturas quę sunt in medio, animantes ac stirpes atq; uires harum & efficaciã, motusq; alios & habitus, sedulo & sine fuco nunciet animæ. mẽti enim deus dedit, ut intelligibilẽ mundum per seipsam, uisibilem autem per sensum, cognosceret. Quod si quis possit omnibus his partibus deo magis q̃ sibi quærere, per sensus introspiciendo sensibilia, in ueniendæ ueritatis studio, per animam autẽ in rebus intelligibilibus quæ ueræ sunt philosophando, deniq; per uocis instrumẽtum laudando hunc mundum & eius opificem, uiuet uitã beatissimã. Hæc puto significari per uerbum illud, Sume mihi. Cęterũ quoniam misericordi deo uisum est suę uirtutis excellentiã cælitus in terrã demittere, ut genus nostrum potioris sortis fieret particeps, figurate tabernaculũ cũ suis sacris apparauit, sapientiæ simulacrum & imaginẽ. nam in medio nostræ impuritatis collocatum tabernaculũ ait scriptura, ut esset quo purificaremur, elutis & abstersis sordibus ac maculis, quib. referta est hæc uita nostra misera. Videamus igitur quid præcipiatur de apparãdo tabernaculo. Locutus est, inquit, dominus ad Mosem dicẽs: Dic filijs Israel. Sumite mihi primitias, à quocunq; ultro dãte sumetis eas. Hic quoq; pręcipitur, ut nõ sibi sed deo sumãt, examinando dãtis animũ magis q̃ donum, & conseruando quæ dantur illæsa atq; integra. quod aũt primitias postulat, id ad erudiendos nos pertinet. nã reuera corporũ ac rerũ primitię deo debẽtur. id si scire uis, considera stirpes, animantes, artes, sciẽtias. prima stirpium semina sunt' nc agriculturæ an inuisibilis naturæ opera? quid hominũ cæterorumq; animalium generatio; nónne parentum operam habet accessoriã, supræma autẽ antiquissima ueraq; eius causa natura est? artium aũt scientiarumq; no'nne fons, radix, fundamẽtũ, aut si quod aliud est nomẽ potioris principij, natura supponitur, cui contemplationes omnes superstruuntur? naturã uero si subtrahas, im-

perfecta

perfecta erunt omnia. Et hoc est quod mihi quidam uidetur dixisse aptissi me: ἀρχὴ δ᾽ ἐστι ἥμισυ παντός. Dimidium facti qui bene cœpit habet. Merito igitur in sacris eloquijs primitiæ dedicantur deo rerũ principi. Ali ubi quoq; sic legitur: Locutus est dominus ad Mosem dicẽs: Consecra mi hi omnẽ primũ fœtum primogenitũ, aperientẽ uuluã, in filijs Israel, ab homine usq; ad pecora. itaq; sic etiã confessum fit, quòd quæ antiquiora sunt & præcipua deo debẽtur, præsertim primogenita. quoniã eñ omne genus est incorruptibile, incorruptibili deo iuste attribuitur, & quicquid in uniuersum uuluã aperit, ab homine, hoc est ratione, usq; ad pecora, id est sensus corporis. nã qui aperit uuluam singulorũ, mentis ad percipienda intelligibilia, rationis ad exercendũ sermonem, sensuum ad obiecta tractanda, corporis ad proprios eius motus atq; habitus: est ille dei sermo inuisibilis sator & artifex, qui conuenienter ad patrem refertur. atqui sicut principia dei sunt, sic & fines: teste Mose, qui præcipit ut separetur finis, & dedicetur domino. attestantur & mundanæ res. quomodo: stirpis principium semen est, finis uerò fructus: utrumq; opus naturæ, non agriculturæ. Rursum scientiæ principium natura est ut ostendimus, finis autem ne contingit quidem hominibus. nemo enim absolutus est in ulla scientia, sed reuera perfectiones & fastigia unius solius sunt. itaque nos uersamur in spatio medio finem inter & principium, discendo, docendo, agros colendo, cætera opera tractando quasi agamus aliquid, ut & generatio uideatur aliquid agere. Manifestius tamen principia finesq; deo tribuuntur in mundi creatione, dicente scriptura, In principio fecit: & rursum, Perfecit deus cælum & terram. Nunc igitur ait: Sumite mihi: sibi debita uindicans, & pręcipiẽs ne quẽ dãtur, uitiẽtur, sed ita ut oportet, seruẽtur. Rursum alíubi qui re nulla indiget, & ideo nihil accipit, fatetur nihil accipere, ut pietatẽ accẽdat, & ad sanctitatem religionẽq; prõptos faciat, quasi delectetur spõtaneis obsequijs animę et cultu legitimo. Ecce, inquit, accepi Leuitas pro omni primo genito aperiẽte uuluã apud filios Israel, erũt eorũ redẽptio. Damus igitur & accipimus. sed accipimus proprie, abusiue dare dicimur, ob causas quas diximus. apte aũt redemptionẽ Leuitas nominat. nihil eñ æque mentem ad libertatẽ erigit, ac confugere ad deũ suppliciter, id aũt sacrata Leuitica tribus profitetur. Quãdo igitur satis de his disseruimus, reuertamur ad textus reliqua. Sume mihi, inquit, iuuencã indomitã, illęsam, tenerã, iuuenẽ, lasciuã, sed rectoris patiẽtẽ animã. sume mihi arietẽ, rationẽ maturã, paratã certamini, idoneã soluẽdis & dissecandis nodis sophistarũ ex aduerso disputantiũ, idoneã & ad tuendũ ornandũq; eum cui contigit. sume mihi & sensum inducentẽ in hũc mundũ sensibilẽ, caprã, tria hęc omnia, iuxta numerum perfectũ cõposita, principiũ, finẽ, mediũ habentia. præterea turturem & columbã, diuinã & humanã sapientiã, ambas quidem uolucres & in altũ tolli exercitatas, differentes tamẽ à se inuicẽ, quatenus differt genus à specie, aut exemplar ab imagine. amat eñ diuina sapientia solitudinẽ, propter solum deũ cuius ipsa est possessio, & turtur figurate uocatur. altera uero mansueta, cicur & gregatim uolitans ciuitates hominũ libenter incolit, gaudens consuetudine mortalium, & ideo repręsentata per colũbę similitudinem.

tudinem.Has uirtutes opinor Moses subindicans, obstetrices Hebræarū Sepphorā & Phuam nominat:quarū altera auicula,altera rubor interpretatur.siquidem diuinæ scientiæ propriū est sublimia petere:humanę uero, modestiā & pudorem indere,quem erubescentia maxime indicat. Et sum psit,inquit,ei hæc omnia.hęc laus est probi hominis,sacrū depositū animę sensus,rationis,diuinæ sapientię,humanę scientiæ,sine dolo bona fide seruantis, nō sibi sed ei qui deposuit.Deinde addit:& diuisit ea per medium: nec dicit quis diuiserit,cogitationi tuæ relinquens intelligendū deum, secantem corporum ac rerum cunctarum cohærentes & unitas ut uidetur naturas,uerbo suo nihil non secante,quod ut acutißimum non desinit diuidere omnia sensibilia,donec perueniat ad ea quæ uocantur indiuidua. Idem uerbum incisorium etiam rationi cōspicua in plurimas portiones incircumscriptas diuidit,& bracteas auri secat in capillamenta, ut Moses ait, longitudinem sine latitudine,incorporeis lineis similē.Hæc igitur tria singula diuisit per medium,animam in brutam partem & rationalem,orationem in uerum & falsum,sensum in imaginationem certam & incertam:atque ita dimidiata inter se opposuit,rationali brutum,uero falsum, certo incertum,indiuisa sinens uolucria.nam incorporeæ diuinæq; scientię in cōtrarietates pugnantes non possunt diuidi.Et quia dicendum est de diuisione in æquales portiones & de oppositis,nec silentio rem præteruehemur, nec prolixius immorabimur, sed quanto poterimus utemur compendio, contenti huc proprie pertinentibus. nam sicut animam nostram & membra per medium diuisit opifex, sic et huius uniuersitatis essentiam mox in mundi huius initio.Primùm bifariam eam diuisit, in graue & leue, quod crassum est discernēs à tenui.horum utrumq; denuo diuisit, tenue in ignē & aerem,crassum in aquam terramq;,sensibilis mundi elementa sensibilia, pro fundamēto ei futura.ac rursus tum graue tum leue diuisit in alias species,leue in frigidum & calidū,frigidum appellans aerem,ignem uero quod est natura calidum:item graue in humidū & aridum.humidum uocauit aquam,terram aridum.hæc singula rursum aliter secta sunt.terra in cōtinentes & insulas:aqua in mare & fluuios, cæterosq; latices potabiles.aer in ęstiuas brumalesq; mutationes.ignis in hūc quo utimur quotidie,corruptiuū & insatiabilē,& in alium salutarē priori contrariū, ex quo cælum confectū est.ita secta sunt uniuersalia,nec minus particularia,nempe in animata & inanima. In inanimatis quædā semper manēt eadē, quæ habitu continentur ceu uinculo:quædā mouentur, non migratione sed incremento, quæ natura inenarrabili modo uiuificat. ex his alia sunt syluestria, quæ immites fructus cibū ferunt bestijs:alia frugifera,quæ ad curā agricolarū pertinent.horū fructus prosunt homini,omniū animaliū mitißimo. Nec hic cōsistit diuisio animatorū ab inanimis,rursum hęc singula subdiuiduntur. nam alterū horū diuiditur in brutorū & rationalium species: quæ & ipsæ denuo diuidūtur:bruta in fera & mãsueta,rationalia in mortalia et immortalia.mortales item secantur bifariã,distincti uirorū & mulierū uocabulo. aliàs quoq; animal in marem secatur & fœminā.nec desunt & aliæ sectiones necessariæ, quibus separantur uolucres à terrestribus, & ab utrisque

aquatilia.

aquatilia. Tam acutū eſt uerbū illud res omnes diſſecās, primū forma qualitateq; carentē eſſentiam, & ab hac diſcreta mūdi elementa quatuor, mox plantas & animātes ex his compactas. Quoniā aūt nō tantū ait diuiſit, ſed per medium diuiſit, neceſſum eſt ut pauca de portionib. dimidiatis addamus. ſic eñ æquales partes indicātur. Mortalis quidē nemo poſſet quicq; in partes pares diuidere, ſed neceſſe eſt ut alterutra maior minor'ue ſit, ſaltē paulo quod ſenſum fugiat, ſolitum grandiora quæq; expendere, minutias uero non ualentē percipere. inæqualitas aūt æqualitatem excludit, id quod ueris rationibus deprehēditur. probabile igitur eſt, ſolū deū exacte iuſtū eſſe, & ſolū poſſe per mediū diuidere uel res uel corpora, ut alterutra portio ne mica quidem alteram ſuperet, ſed pares ſint per omnia. Hæc dicta ſufficerent, ſi una eſſet æqualitatis ſpecies: cum autē plures ſint, non grauabimur quæ res poſtulat adiungere. dicitur enim ęqualitas uno modo in numeris, qua duo duobus, tria tribus æquiparantur, & cætera ſimiliter. altero modo in quantitate, quę ad lōgitudinis, latitudinis, altitudinis, dimēſiones pertinet. palmus enim palmo, cubitus cubito par eſt magnitudine. Sunt in quibus æſtimatur ualoris æqualitas, ut in menſuris ac pōderibus. eſt & ea ſpecies neceſſaria quam analogiam ſeu proportionem nominant, iuxta quam pauca multis, parua magnis, cenſentur æqualia, cuius in ciuitatibus uſus eſt interdum, quando ciues iubentur conferre ęqualiter nō numero, ſed pro rata, ut eſt cenſus eius temporis, quando centum drachmas conferens, tantundem iudicatur contuliſſe, quantum qui talentum repræſentauit. His præſuppoſitis uide quomodo qui per mediū diuiſit, æqualiter diuiſit iuxta has omnes æqualitatis ſpecies, in ipſius mūdi opificio, pari numero grauia diuidēs à leuibus, duo à duobus, terram & aquā pondus habentia, à ſuapte natura leuibus igne & aere. eadem parilitas eſt in ſingulis, aridiſſimo humidiſſimoq;, terra & aqua. eodem modo tenebris lux opponitur, dies nocti, æſtas hyemi, ueri autumnus, & id genus alia. Item magnitudine pares ſunt in cœlo quidē æquidiſtantes circuli, tam æquinoctiales uernus autumnaliſq;, q; ſolſtitiales ęſtiuus brumaliſq;: in terra uero zonę quas uocāt, duę inter ſe æquales quę circa polos ſunt frigidæ, & ob hoc inhabitabiles: duæ item inter has & exuſtam mediæ, quas propter tēperiē aiunt habitabiles, alteram ad auſtrum uergentem, alterā ad ſeptentriones. Lōgitudine uero paria ſunt temporum ſpacia, nox maxima diei maximæ, breuiſſima breuiſſimæ, mediæ media. de cætero dierū æqualitates ac noctium deprehēdūtur æquinoctijs, poſt uernum uſq; ad ſolſtitium die creſcente, nocte decreſcēte, donec dies lōgiſſima fiat, nox breuiſſima. poſt ſolſtitium uero ſol reuertens per eādem uiam, nec celerius, nec tardius, ſed eodem modo per eadem ſpacia, pari ordine ad autumnale æquinoctium incedit, æquataq; nocte diei, noctem augere incipit, diem minuēs ad brumā uſq;. tum uero nocte aucta in maximā longitudinem, die cōtracta maxime per eadem rurſum ſpacia reflectens ad uernum redit ęquinoctiū. ita ſpacia temporum quamuis inæqualia uideantur, parē habent longitudinē, nō tamen iiſdem anni horis, ſed diuerſo tempore. Idem cōſideratur & in membris animalium, præſertim hominū. pes enim pedi, manus manui, & cætera ferme

ra ferme omnia dextra sinistris sunt paria. Iã quæ ualore ęquantur, sunt plurima tam arida quã liquida, de quibus pondere mensuraq; decernitur. analogia uero æquat omnia propemodum parua magnaq;, in toto mundo quãtus est. nam qui rerum naturam scrutantur diligentius, aiunt pro portione paria esse elementa quatuor. qua analogia mundus temperatus æquante partes singulas comparanteq;, & factus est primũ, & durat in perpetuum. certe ista quatuor, aridum, humidum, frigidum, calidum, cõtemperata pro portione, constat nihil aliud esse quã potentiarum quatuor temperamentũ quoddam congruum & analogicũ. Quod si libeat percurrere singula, in infinitum protendetur oratio. Animalia minima maximis paria pro portione licet animaduertere hirundinem aquilæ, mugilem ceto, formicam elephanto. nam corpus & anima, item dolores uoluptatesq;, appetitus & fastidia, & quicquid est in natura animalium, omnia ferme sunt similia, æquante analogiæ regula. & hoc est quod quidam ausi sunt uniuerso mundo æquare hominem animal minimum, cum uiderent utrumq; cõstare ex corpore & rationali anima, ut permutatis nominibus, hominem quidem mundum paruũ, mundum uero magnum hominem dicerent. quę illi non temere docent, sed quoniam ars dei qua uniuersa condidit, nec intenditur nec remittitur, semper sui similis quantum ad excellentiam, opifice res singulas absoluẽte numeris omnibus, & nihil prætermittẽte quod merito desideres. nam & parua & magna, ut dicit Moses, iudicauit, creans & formãs singula, nec propter uilitatem materiæ de arte quicquam subtrahens, nec addens aliquid propter eius precium. quoniam laudati artifices, siue preciosas materias siue uiles accipiant, ipsi non parce insumunt operam. nec defuerunt qui affectate ostentarunt artem in uilibus, contendentes cũ preciosis operibus, arte supplentes quod materiæ deerat. dei autem existimatione materia nulla preciosa est, ideo cunctis ex æquo artem adhibuit: unde in literis sacris legitur, Vidit deus omnia quæcunq; fecerat, & ecce bona ualde. quæ autem laudantur ab illo, honore æquantur ipso iudice. Laudauit autem non materiam inanimam, redundantem, dissolubilem suapte natura & corruptibilem, rudem inęqualemq;: sed artificiosa opera sua, prę se ferentia unam eandemq; opificis facultatem ac scientiam æquabiliter elucentem per omnia. ideo seruata est ubiq; analogiæ regula, ratione artis ac scientiæ. eius æqualitatis, si quis alius, Moses laudator fuit. primum laudans ubiq; iustitiam, cuius proprium est æqualiter diuidere, ut Græcis ἀπὸ τοῦ δίχα τέμνειν dicta uideri possit, diuidens & res & corpora. Deinde uituperans iniustitiam, turpissimæ inæqualitatis opificem. hæc inæqualitas geminum bellum peperit, externũ & ciuile, sicut ediuerso pacem æqualitas. Sed nusquã apertius laudat iustitiam, damnat iniustitiã, quã his uerbis: Non facietis iniustitiã in iudicio, in mẽsuris, in libra, in pondere. Libra iusta, põdera iusta, modius iustus erit uobis. & in Deuteronomio: Nõ erit in pera tua pondus iniquum, uerum & iustum erit: non pondus magnum & paruum, ut fias longæuus super terram, quã dominus deus dabit tibi in hæreditatem, quoniam abominatus est deo quisquis facit iniustitiã. Ergo amator iustitię deus odit iniustitiã & abominatur ut seditionis & malorũ principium.

cipium. Sed ubi æqualitatē laudat legislator nutricē iustitiæ? Mox in principio cęli conditi. Et diuisit, inquit, deus lucem à tenebris, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem. diem enim & noctem, lucem & tenebras in rebus ordinauit æqualitas. Eadem diuisit & hominem in uirum ac mulierem, duas portiones inæquales quidem robore, sed quod natura spectauit, bene comparatas ut tertium quiddam gignerent sibi simile. Fecit, inquit, deus hominem, ad imaginem dei fecit eum, marem & fœminam fecit eos. iam non Eum, sed Eos adiecit pluraliter, inserens in genus species, diuisas (ut dixi) æqualiter. Frigus quidem & æstum, æstatem & uer descripsit in horas annuas, diuisas eodem incisorio. cæterum illi tres dies qui solem præcesserunt, eundem secutis numero pares sunt, senario diuiso æqualiter, ad notas seculorum & temporis: æuo enim tres præcedentes dicauit, sequentes uero tempori, quod imago æternitatis est. Item duas eius Qui est potentias primarias, beneficam qua mundum condidit, iuxta quam appellatur dominus: & punitiuam qua rebus imperat, iuxta quam deus agnominatur, ipse ait se medium stantem dirimere. Loquar tibi, inquit, supra propitiatorium inter duo Cherubim: ut ostenderet quòd antiquissimæ eius Qui est potentiæ pares sint, benefica & ultrix, utentes eodem incisorio. quid columnæ decem legū generalium, quas nominat tabulas? duæ sunt numero pares animæ partibus. nam brutæ pariter ac rationali debetur eruditio castigatioq;. hæ rursum à legislatore diuiduntur. ipsæ quidem opus dei fuerunt, exaratæ literis diuinitus insculptis in eas. Quin etiam legibus ipsis, quod proprie ius est, diuisis in pares quinarios, prior ius diuinum, posterior humanū continet. In diuino iure prima lex opponitur opinioni plures deos credentium, docens nos mundū esse sub unius imperio. secunda uetat ne quis sibi deos alios faciat præter creatorem, deceptus pictorum fictorumq; insidiosis artib. quas Moses eiecit è sua rep. damnatas exilio perpetuo ut solus uere deus colatur. Tertia est de nomine domini, non eo quod creaturam penetrat (hoc enim est ineffabile) sed quod prædicatur de eius potentijs. prohibitū est em̄ id in uanum assumere. Quarta est de semper uirgine sine matre nata hebdomade: ut creatura assueta eius ocio, reminiscatur eius qui omnia facit inuisibiliter. Quinta de honore habendo parentibus. nam hæc quoq; sacrata est, quippe quæ refertur nō ad homines, sed ad autorē geniture rerū omniū, cum quo pater & mater collati nō gignunt, sed instrumenta gignendi sunt. hoc præceptū situm est in cōfinio quinarij pertinentis ad pietatē, & alterius cohibentis iniurias mutuas ac maleficia: quandoquidē mortales parētes finis sunt immortaliū potentiarū, quæ naturales genitrices rerū omniū permiserūt huic infimo generi mortali ad imitationē earū seminare atq; gignere. principiū em̄ generatiōis est deus: finis uero hęc mortalis infima & uilissima species. alter aūt quinarius uetat adulteriū, homicidium, furtū, falsum testimoniū, cōcupiscentiā. hæ sunt generales regulæ peccatorum ferme omnium, ad quas referri possunt singulorū species. quotidiana quoq; sacrificia uides diuisa æqualiter, alterū sacerdotib. pro seipsis offerentib. è simila, alterū pro tota natione, in quo agni duo rite mactantur. horū quæ dixi dimidiū mane offeri lex

ri lex iubet, reliquum uespere, ut etiã pro nocturnis beneficijs agantur deo gratiæ. Vides & panes in sacra mensa propositos, ut in senos distributi æqualiter, monumentum sint xij. tribuũ, quarũ dimidiũ ad uirtutẽ Liã pertinet matrẽ sex phylarcharum, alterum dimidiũ Rachelis est & cæterarũ. uides & in talari ueste gemmas xij. pariter senas dextras ac sinistras, quib. insculpta fuerunt xij. patriarcharum nomina, notata diuinis literis, naturarũ diuinarum monumenta. An'non & duos montes significantes duo genera, pro æqua portione discretos, alterum tribuit benedicẽtib. alterum execrantibus, phylarchas utrobiq; præficiens? ut doceret eos quibus monitore opus est, benedictiones & maledictiones pares esse numero, atq; etiam honore propemodum, si dicere fas est. similiter enim laudes bonorũ prosunt & malorũ uituperia: quandoquidem rerum malarum fuga & bonarum optio similes iudicantur à prudentibus. Libet mirari etiã duorũ hircorum qui pro peccatis offerũtur selectionem & distributionem incertæ sorti cõmissam. cum eñ sermo sit duplex, alter qui diuinas uirtutes tractat, deo consecratur: alter qui humanis inhæret miserijs, profugæ creaturæ dedicatur, quem oraculo uocant emissarium, quia procul à sapientia repellitur. Cæterũ quia sicut numi, sic res ueris falsisq; notantur characterib. nõ'ne inuisibilis ille sector tibi uidetur diuisisse has æqualiter, dum notatas & probas eruditionis amatori assignat, notis uero & signis carentes incrudito? Obtigerunt, inquit, non signata Labani, signata Iacobo. nam anima ceræ (ut quidam priscus ait) more, si dura sit, formas respuit, nec sibi sinit imprimi, & rudis permanet. sin autem sit obsequẽs aut saltem mediocriter facilis, profunde sigilla recipit, & amoto signaculo, fideliter seruat impressas species. Nec minus miranda est uictimarũ sanguinis æqua distributio, quẽ summus pontifex Moses ex naturæ præscripto diuisit. Sumpto, inquit, dimidio sanguinis infudit eum in crateras: reliquum uero dimidium profudit apud altare: ut doceret esse duplex genus sacratæ deo sapientiæ, alterũ diuinum, alterum uero humánum. & diuinum quidem esse sincerum nulla mixtura uitiatum, quam ob rem deo sincero atq; impermixtæ unitati libatur. humanum uero mixtũ temperatumq; profundi & dispergi in nostrum genus mixtum, temperatum & cõpositum, quod inducit membrorum morumq; temperamenta & concordiam. Enimuero animæ pars sincera puraq; mens est uigẽs ac uiuida, superne inspirata cælitus: quæ si quãdo sana integraq; seruatur, æquũ est & dignum sacris ipsius studijs, ut reddatur deo qui eam conseruauit incolumem & illæsam à malis omnibus. altera uero mixta pars est tota sensuũ, cui suas crateras natura fabricauit: hæ crateræ, uisus quidem sunt oculi, aures uero auditus, item nares odoratus, & sua cuiusq; receptacula, in has sanctum illud uerbum infundit sanguinem, ut bruta nostri pars animetur, & rationalis fiat quodammodo, parendo admonitionibus, & purã se seruando ab illecebris sensuũ. quid didrachmum sacratum, non'ne ad eundem modum intelligendum est? ut eius dimidium, scilicet drachmam seponamus in redemptionem animę, quam ille solus liber & liberator è crudeli molestaq; affectuum & iniquitatum dominatione uel rogatus uel nõ rogatus potẽter asserit: reliquum dimidium

illibe-

illiberali & seruili relinquamus generi, ex quo fuit ille qui dicit: Sufficit mihi meus dominus, mens quæ in me principatũ habet: & uxor mea, charus ille sensus custos domesticorum affectuum: & pueri mei, mala quæ ex his nascuntur. Nolo abire liber. Necessum est enim ut huic quoq; generi sors exors & emissaria detur è didrachmo, opposita drachmæ quæ unitati sacrata fuit. Vnitas enim nec additionem nec subtractionẽ potest recipere, imago dei qui solus plenus est. Cætera suapte natura sunt inania, quibus si quid inest solidi, uerbo diuino astringitur. Hoc enim ceu uinculo & glutine solidatur omnis essentia. Ipsum uero connectens contexensq; singula, sibijpsi complementum est, nullo prorsus egens alio. Meritò igitur dicit Moses: Diues non apponet, pauper non detrahet de didrachmi dimidio: quod est (ut dixi) drachma & unitas: cui omnis numerus dicere potest illud poeticũ: A te principiũ, tibi desino. Nã uel infinities infinitus numerus in unitatem desinit, & facto ab hac initio crescit in innumerabilẽ multitudinem. ideo non numerum, sed elementum & principium numeri hanc dixerunt, quibus curæ est consectari talia. Ad hæc cælestem illum cibũ animæ qui manna uocatur, omnibus petentibus dei sermo ex æquo distribuit, æqualitatem haudquaq; negligens. Testis est Moses, dicens: Nec plus colligenti superfuit, nec minus colligenti defuit: quando miranda optandaq; analogiæ mensura usi sunt: ex qua didicerũt hunc cibum non tam hominibus q̃ rationib. & moribus colligi. quantũ enim cuiq; competebat, tantũ sibi præparauit, ut nihil uel deesset uel superesset. Similem analogicam æqualitatẽ licet inuenire in pascha, ut uocant. est autẽ pascha, quando anima brutos affectus meditatur dediscere, & rationalem animi tranquillitatem ultro aduocat. Præcipitur enim sic: Si pauci fuerint in domo, adeò ut non possint agnũ absumere, assumatur uicinus proximus pro animarũ numero, ut supputatiõe facta cedat cuiq; sua portio, qua & dignus est & indiget. Cum autem agri nouellis colonis diuiduntur, maior portio pluribus, minor paucioribus attribuitur, quod iniquũ uideatur parua multis, magna uero paucis tribui magnitudinis eius non capacibus. Aequalitatis autem quæ iuxta numerũ iudicatur exemplũ euidentissimũ est in undecim principum sacris oblationibus, & earum in sacerdotes distributione. Vnicuiq; inquit, ex filijs Aaron erit æqua portio. Est & in compositione aromatum ad suffitum pulcherrima æqualitas. præcipitur enim: Sume tibi odoramẽta, stacten, onycem, & galbanũ suaueolens, & thus perlucidum, omnia lectissima & inter se paria: facientq; ex eo suffitum, unguentũ opus unguentarij, puræ compositionis, opus sacratũ. singulas portiones ait pares oportere esse ad totius temperamentũ. opinor aũt has quatuor species ex quibus suffitus componitur, figuram esse elementorũ ex quibus constat mundus hic uniuersus. nam per stacten aquam, per onycem terram, per galbanum aerem, per thus perlucidum ignem significat. siquidem stacte à stillando dicta, est liquida, onyx terrestris & aridus, galbanum suaueolens cognominatur ad significandum aerem. odor enim locum habet in aere. thuri quoq; perlucidi cognomen additur, ut ignem subindicet: ideo grauia separauit à leuibus, altera per copulatiuam cõiunctionem uniens, altera dis-

iunctim proferens, dicendo, Sume tibi odoramenta, stacten, onycem. hæc disiunctim significatiua grauium, aquæ terræq́. deinde incipiens denuo per copulam, & galbanum suaueolens & thus perlucidum, quæ iam leuẽ aerem & ignem significant. Temperaturam autem ex his compositam antiquissimũ perfectissimumq́ opus uere sanctum dicimus hunc mundum, qui per figuram suffitus admonetur, ut agat suo creatori deo gratias: ut uerbo quidem unguentaria compositio adoleatur, sed re uera totus mundus per dei sapientiã fabricatus mane ac uespere accensus exhalet uaporẽ suaueolentissimũ. hæc enim uita decet mundũ, ut parenti suo factoriq́ indesinenter agat gratias, tantũ non euaporans & in elementa resoluens seipsum, ut declaret se nihil sibi recondere, sed totũ seipsum offerre creatori ac dedicare. Illud quoq́ mirari subit sacrum uerbum, quod magna contentione ac celeritate intercurrit inter uiuos & mortuos. Mox enim, inquit Moses, cessauit attritio. non cessatura profecto, nec releuatura ab afflictione confractioneq́ nostram animam, nisi amicus dei diremisset sanctos, qui uere uiuunt, à profanis, qui mortui sunt, si rem uere consideres. Sæpe enim etiam sani, propter uiciniam ægrotorum, contagione periclitati sunt. id periculum hinc sublatũ fuit interposito medio termino ualidissimo, qui arceret à parte meliore deterioris impetum. Sed magis etiam miror dum è sacris eloquijs disco, quomodo nubes interiecit se mediam inter Aegyptiacas & Israeliticas copias. Nam hæc nubes ceu scuto protegens & cõseruãs deo charum populũ temperantiæ deditum, non sinebat exagitari, arcẽdo impiam gentem seruientẽ affectibus. Mentibus enim uirtute præditis paulatim irrorat sapientiam securam à malis omnibus: in duras autem ac bonarum artiũ steriles, more niuis densissimæ pœnas ingerit, intentãs eis inundationis perniciem miserabilem. cęterum illi angelorum principi sermoni antiquissimo hoc eximiũ donũ concessit pater omnipotens, ut in confinio stans, facturã à factore discerneret. idem supplex immortalem appellat pro mortalib. deprecãs, & à summo rege legatiõe ad subditos fungitur. Quod donum tam libenter accipit, ut iactet etiam, dicẽs: Et ego steteram medius inter uos & dominum. uidelicet nec ingenitus ut deus, nec genitus ut uos, sed inter extrema medius, apud utrosq́ agẽs obsidem, apud creatorem, ut fides fiat nunquam eum deleturũ aut deserturum uniuersum genus reuolutũ in perturbationẽ ab ordine: apud creaturam uero, ut ea certam spem habeat, nunq̃ deo propitio curã operis sui defore. nam ego denuncio creaturæ pacẽ ab eo qui bella tollit deo, pacis custode perpetuo. Postq̃ igitur de sectione in portiones æquas sacra scriptura nos docuit, ducit nos & ad oppositorum scientiã, dicens portiones eas oppositas inter se inuicem. nã reuera propemodũ omia quę mundo cõtinentur, suapte natura sunt cõtraria. Incipiendo à primis, calidum contrariũ frigido, aridũ humido, leue graui, tenebræ lumini, nox diei. In cælo stellarũ fixarum orbis fertur in contrarium erraticarum orbibus: in aere contraria sunt nubilum & serenitas, uentus & tranquillitas, æstas & hyems, uer & autumnus. Nam illud floret, hic marcescit. In terra dulces aquæ amaris sunt cõtrariæ, fertiles agri sterilibus. Videmus etiã in alijs contrarietatẽ, ut sunt corporea incorporea, animata

mata inanima,rationalia irrationalia,mortalia immortalia,sensibilia intelligibilia,perceptibilia inperceptibilia,rudimēta absoluta, principium finis, generatio corruptio,uita mors,sanitas infirmitas,album nigrū, dextrum sinistrum,iusticia iniusticia,prudentia imprudentia,fortitudo timiditas, tēperantia intemperantia,uirtus uitium,& utriusq; omnes species. item literaturā literarū inscitia, musica amusia,eruditio ineruditio, solertia inertia: & quæ ad artes pertinent, elementa muta & uocalia, acuti & graues soni, rectæ & circulares lineæ. In animalibus ac stirpibus,fœcūda sterilia, multipara paucipara,ouipara uiuipara,mollia testacea,fera mansueta, solitaria gregaria. Item,paupertas diuitiæ,claritas obscuritas,nobilitas ignobilitas, copia inopia,bellum pax,ius iniuria,gnauitas ignauia, otium negotiū, iuuentus senectus,potentia impotentia,robur debilitas. & quorsum attinet percensere singula,quorū infinita multitudo est? Itaq; recte naturæ interpres pigritiā & incuriam nostram miserans, unumquenq; manifeste monet nūc quoq; ut singula contra se inuicem ponamus non integra sed dimidiata. unū enim constat ex ambobus contrarijs,quo secto noscuntur cōtraria. Annon hoc est quod ferunt Græci suum illū magnū & celebratum Heraclitum iactasse tanq; commentum propriū, & in eo collocasse caput totius philosophiæ? atqui uetus Mosis inuentum est,in eodem contrarias portiones animaduertere,sicut nunc apparuit. hæc igitur & aliàs persequemur diligentius. Nunc illud quoq; uidetur nō prætereundū silentio,q; dimidiatæ partes trium animaliū diuisorū sex factæ sunt, ut septimus sit sermo ille incisor,dirimens terniones & seipsum in medio statuens. Cui simile opinor,quod manifeste memoratur de sacro candelabro. sic enim fabricatum est,ut sex cauliculos habeat,ternos utrinq;: ipsum extans in medio, terniones dispescit & dirimit. est ēm tornatile opus diuinū, insigni arte factum ex auro purissimo. Nam illud unum solum sincerū Ens, hebdomadam sine matre ex seipso solo genuit,nulla prorsus adhibita materia. cæterū inter laudes auri multas duæ referuntur præcipuæ: una quòd non sentit rubiginis iniuriam: altera quòd in tenuissimas bracteas sine scissura diducitur. Merito igitur maiorem naturam significat, quæ diffusa & protensa usquequaq;,tota per totū plena est,aptissime contexens cætera. De hoc candelabro ipse artifex disserens rursum dicit,quòd cauliculi utrinq; terni procedebant pari proceritate,habentes in summo lucernas nucibus similes in floris speciem lucernam sustinentis, extante in summo candelabro flore septimo ex auro solido, & super impositis septem lucernis aureis; ut multis probabile fiat, senionem in duos terniones diuisum mediante sermone illo septimo,sicut & hodie. totum enim candelabrum cum sex præcipuis sui partibus compactum est è septem cauliculis,septem floribus,lucernis totidem. diuiduntur autem sex lucernæ interueniente media septima,similiter & flores & cauliculi eminente septimo in medio. Cauliculi autem illi compares è medio septimo stipite proueniunt. Verùm de his quia multa dici possunt, differantur in tempus aliud: unum in præsenti dixisse sat erit, quòd septem erraticorum siderum cursus simulacrum sit hoc sacrum candelabrum cum septem lucernis superpositis. Quomo-

do, rogabit aliquis. Respondeo, quia sicut lucernæ, sic & planetarum quisque prælucet. Cum enim plus splendoris habeant, lucidissimos ad terram usque mittunt radios, sed præcipue sol eorũ medius. mediũ autem uoco, nõ solum quia iuxta multorũ opinionem in medio situs est: sed quia merito utrinque stipatur tali satellitio pro dignitate sua & magnitudine atque utilitate quam terrenis rebus omnib. exhibet. cæterũ homines qui non possunt in solidũ percipere horũ siderum ordinem (quid enim illi certò intelligunt in reb. cælestibus?) coniecturas suas sequuntur. nec male conijcere mihi uidentur, qui soli medium locum tribuunt, tres super eum, totidem infra locando, superiores Phænonta, Phaëthonta, Pyroenta, deinde Solem: post ipsum uero Stilbonta, Luciferum & Lunam uicinam aeri. itaque uolens artifex imaginem cælestis sphæræ septilustris apud nos effingere, iussit pulcherrimũ hoc candelabrum affabre fieri. idem quam cum anima similitudinem habeat iam antea dictum est. Anima tripartita est. singulæ partes eius (ut ostendimus) secantur bifariam. ita factis sex portionibus, septimus iure annumeratur ille incisor omniũ sermo sacer & diuinus. nec illud silentio prętereundũ, quod cum tria sint in sacra supellectile, candelabrũ, mensa, altare: hoc quidẽ ad eam quæ pro acceptis elementis fit, gratiarũ actionem refertur, ut ante demonstratũ est: quãdo & ipsum portiones accipit ex his quatuor: terræ ligna, aquæ aromata quę liquefacta primo in humorem uertũtur, uaporem aeris, denique flammã quæ ex igne accenditur. quin & illa cõpositio thuris, galbani, onycis, stactes, elementa figurat. At mensa ad gratiarum actionem pro rebus mortalibus parata est. panes em̃ & libamina super eam ponuntur, quæ nutrimenta necessitas humana postulat. Cęterum candelabrum ad eam fit pro cælestib. omnibus, ne qua mundi pars expers gratiarũ actionis uideatur, sed omniũ partiũ gratitudo cuidẽter appareat, elementorum, & eorum quæ ex his consiunt, nec solũ terrestriũ, uerũ etiã cęlestiũ. Hic considerandũ occurrit, cur mensæ atque altaris mensuris proditis, de candelabro nihil tale scribitur. an ob illã causam, quod elementa, & quicquid mortale constat ex his, quarũ rerũ figuræ sunt mensa & altare, dimensa sunt cælo terminata. semper enim contentũ à cõtinente metitur. Cælum aũt cuius figura est candelabrum, infinitã habet magnitudinem. continetur enim, sed non à uacuo, sicut Moses docet, nec ab ullo corpore uel pari magnitudine prædito, nec ab infinito, iuxta prodigiosas fabulas quas in mentione turris attigimus. Est autẽ eius terminus deus, idem rector & gubernator. itaque sicut Ens ipsum est incõprehensibile, sic quod ab eo terminatur, mensuris nobis ignotis circũscribitur. Et fortasse quia rotundus est in orbis absoluti speciem, caret longitudine & latitudine. De his rebus ita ut decet locutus, addit: Aues autem nõ diuisit: aues uocans uolucres & natura sublimes sermones, alterum archetypũ nobis superiorem: alterũ eius imaginẽ, qui inter nos uersatur. illũ Moses uocat imaginẽ dei, hunc autem nostrum, sigillum expressum illa imagine ceu signaculo. Fecit, inquit, deus hominẽ, non imaginẽ, sed ad imaginem. itaque uniuscuiusque nostrum mens, quę proprie uereque homo est, tertia creatoris est effigies, intercedẽte exemplari huius, illius uero imagine. ipsa mens suapte natura est indiuisibilis.

nam

nam brutam animę partem in sex alias portiones subdiuisit opifex, uisum, gustum, auditum, odoratū, tactum, & uocem pronunciatiuam. rationalem partem, quæ mens nominatur, indiuisam reliquit ad totius cæli similitudinem. nam & illic aiunt extremum orbem indiuisum manere: interiorē uero in sex diuisum, planetarū (ut uocant) septem circulos efficere. quod enim est in homine anima, hoc (ut opinor) cælū in mundo. Ergo duæ rationales & intelligibiles naturæ, altera in homine, altera in uniuerso, integrę manēt & indiuisæ. ideo dicitur, Aues autē non diuisit. siquidem columbæ nostra mens, ut mansueto & nobiscū degenti animali, assimilatur: huius autem exemplari turtur. nam dei sermo amat deserta solitarius, non miscens se turbis rerum corruptibilium, assuctus petere sublimia, & unius delectari consuetudine. Sunt igitur hæ duæ naturæ indiuisibiles, & nobis insita ratio, & illa diuina altera: & cum sint indiuisibiles, plurima secāt alia. nam & dei uerbum res naturæ diuisit omnes atque distribuit: & nostra mens quicquid rerū ac corporū cōcepit intellectu, in infinities infinitas partes diuidendo finem nō facit. id accidit propter eam quā cū uniuersorū creatore patre que habet similitudinem. nam cęleste numē purum, sincerū, indiuisibile cum sit ipsum, autor est omniū mixturarum partitionū temperaturarū quotquot in toto mundo fiunt. ideo non debemus mirari, si eius similes mentes, nostra & illa nobis superior, cū sint indiuisibiles & insecabiles, tamen diuidere & discernere ualent singula. Postque autē dixit de indissectis & indiuisis auibus, pergit narrare: Et descenderunt aues in corpora diuisa bifariam.] ubi quāuis utatur homonymia, tamē rerū diuersitatē manifeste aperit duntaxat lectori nō indocili. præter naturā enim fit ut aues descendant, quæ ad sublimē uolatū pennas acceperūt. quēadmodū enim terrestrib. nullus locus magis quam terra cōuenit, pręsertim reptilib. quę ne super ea quidē reptāt, sed fouearū quærūt penetralia, fugiēdo superna ob cognationē quā habēt cū inferis: eodē modo uolucribus aer est propriū habitaculū, leuibus propter pennas ipse quoque natura leuis. cū igitur aeriuaga relicto æthere suo descēdunt ad terrā, nō possunt iuxta naturā uiuere. ediuerso Moses quęcūque reptilia possunt se saltu attollere, probat nō mediocriter: quādoquidē sic pręcipit: Quæcūque de uolucribus ambulāt super quatuor pedes, & habēt crura longiora, ut saliant super terram, hæc comedetis. sunt aūt hæ figurę animarum, quæ reptiliū more affixæ terreno corpori purificantur ut mox se possint attollere, cælū terra permutantes, & corruptione immortalitatem. omnium igitur miserrimæ iudicandæ sunt illæ, quæ in aere æthereque purissimo enutritæ, nō possunt perferre saturitatem diuinorū bonorum, sed ad terram mortaliū malorum regionē demigrant. incidunt enim cogitationes plurimæ de rebus plurimis, quædā ultro accersitæ, quædā obrepentes per ignorantiā, quæ nihil differūt ab istis uolucrib. descēdentibus. cogitationes aūt quæcunque superna petunt, meliorē sortiuntur ordinē uirtute comite indicāte uiā in cęlum: quæ autē deorsum feruntur, deteriorē occupāt, detractæ & degrauatæ uitijs. horum locorum cōtrarietas nonnihil apparet in Græcis eorum nominibus. uirtus enim ἀρετὴ non solum παρὰ τὴν αἵρεσιν ab electione nominatur, uerum etiam παρὰ τὸ αἴρεσθαι, attollitur enim & in sublime

ſublime fertur cæleſtia ſemper appetens. uitium autem κακία ἀπὸ τοῦ κάτω κεχωρηκέναι, ꝙ deorſum uergat, & deditos ſibi deprimat. nam cogitationes noxiæ deſcendentes in animam uel accitæ uel irrumpentes, tum ipſæ deſcendunt, tum mentem degrauant uolutantem ſe turpiter cum corporibus, rebus ſenſibilibus imperfectis & parum integris, non uiuis ſed mortuis. nõ ſolũ enim corpora, uerùm & dimidiatas eorũ portiones appetunt. quæ autem ſic diuiduntur, coaptari & in unũ redire non poſſunt, diſſectis ſpiritualibus neruis & natiuis nexibus. ex quo diſcimus ſentẽtiam uerißimam, ꝙ omnis uirtus animas amat, omne autem uitium corpora: & ꝙ quicquid alteri gratũ, alteri exoſum eſt, ſicut nunc quoq;. nam animæ bella nobis ſubindicans aues inducit cupientes corporibus inſidere, & immerſis roſtris ſatiari carnibus: quarum incurſus cohibere uolens uir bonus aſsidere dicitur, quaſi curator & præſes. cũ enim & domi laboretur ſeditionibus, & foris inuadant hoſtiles acies, intra ſe uerſat uaria conſilia, ſi quo modo ſuadẽdo queat efficere, ut externũ bellum ceſſet unà cum inteſtinis tumultibus. opus enim eſt & illam ceu nubem hoſtiliter infeſtantem repellere, & domeſticorum priſtinã redintegrare neceſsitudinem. Sũt eñ pertinacißimi hoſtes animę affectus ſtulti & intemperantes, iniuſti & timidi, & id genus aliæ concupiſcentiæ nimię nobis innaſci ſolitæ, petulantes & ceruice iugũ iactãtes, & exorbitãtes à recto itinere, ſocialium autem copiarum cõflictationes tales ſunt, quales lites ſophiſtarũ de contentioſis dogmatibus. ſi enim ad unũ finem tendunt, ſcilicet contemplationem rerum naturaliũ, haberi poſſunt pro ſocijs. ſin autem in particularibus quæſtionib. diſſentiũt, ciuilem tumultum excitant, ſicut mundũ factum aſſerentibus male conuenit cum id pernegantibus. ſimile diſsidiũ eſt dum alij dicunt eum interiturum, alij uero concedunt quidem eſſe natura corruptibilem, negant tamẽ unq; corrumpendũ, eo quod ualido nexu cõtineatur, nimirũ creatoris uoluntate. ſic qui nihil eſſe opinantur, ſed omnia fieri, diſſentiunt ab id negantibus. item qui aiunt omniũ rerum menſuram hominem, à damnantibus ſenſuũ atq; mentis iudiciũ. & in uniuerſum qui dicũt cuncta incomprehẽſibilia, ab his qui aiunt percipi plurima. ſiquidem ſol, luna, cælũ, terra, aer, aqua, & quæ his continentur omnia, ſcepticis negotiũ & contentionum materiam exhibent, eſſentias, qualitates, mutationes, uerſiones, generationes corruptionesq; eorũ in diſquiſitionem uocantibus. quin & de motu magnitudineq; rerũ cæleſtium non obiter diſſerunt, uariantes & diſcrepantes opinionibus, donec aliquis obſtetricandi & iudicandi ſcientia præditus uir in conſeſſum eorũ adhibitus ſingulorum partus animæ inſpiciat, & alios ut indignos educatione proijciat, alios ut probatos conſeruet habiturus curam eorũ. Hæ autem philoſophorum controuerſiæ natæ ſunt dum ueritatem coniecturis adſequi nequeunt, rei difficultate gignente diffidia. Cum'q; ſol occideret, exceſſus irruit ſuper Abraham, & horror magnus ac tenebroſus inuaſit eum.] Exceſſus alius eſt inſanus faciẽs delirum, præ ſenio, bile atra, aut ob aliam cauſam ſimilem. alius fit ob nec opinatum pauorem magnum ac repentinum: alius in tranquillitate quando mens otiatur. ſed longe optimus quando illa furore diuino corripitur, qualis eſt

pro-

prophetici generis. Primæ speciei mentio fit in maledictionibus scriptis in Deuteronomio: Deliratio, inquit, cæcitas, & excessus mentis corripiet impios, ut nihil differant à cæcis meridie palpãtibus tanꝗ in densis tenebris. Alterius item non uno loco. Correptus, inquit, Isaac stupore magno dixit: quis igitur uenationem mihi obtulit, & gustaui de omnib. quæ oblata fuerunt priusꝗ uenires, & benedixi eum, eritq́ benedictus. item de Iacob nõ credente nunciantib. Iosephũ uiuere Aegypto uniuersæ præpositũ: Excessit, inquit, mente: non credebat enim eis. & in Exodo de concione: Mons, inquit, Sina fumabat totus, quia descenderat in eum deus in igne: & ascendebat fumus ut uapor fornacis, & obstupuit totus populus uehementer. item in Leuitico de consecratione sacerdotum octauo die, quãdo descendit ignis de cælo depastus est quæ altari fuerant imposita unà cum corona mentis totas uictimas. nam hic quoq; scriptũ est: Et uidit uniuersus populus & obstupuit ceciditq́ pronus in faciem. nam talis excessus pauorem ac stuporem inducit. Sed non est mirum de Esau, quòd peritus uenandi præda ipse fit & supplantatur, quippe qui artem hanc in damnũ suum, non ad utilitatem accepit, non magna cura usus in uenãdo ut caperet aliquid: nec de Iacob, ꝗ captata præda potitur, ingenio magis adiutus ꝗ peritia, & eã, id est, affectionem, offert examinatori, ut an proba sit, iudicet. ideo de omnibus gustat. quicquid enim ad meditationem pertinet uescendum proponitur, inquisitio, disceptatio, auscultatio, lectio, precatio, continentia, indifferentium rerum discretio. degustat autem omnia non comedit. oportet enim & meditatori aliquid cibi relinqui operæ præmium. Priusquam uenires. apte pro rei natura. Nam si affectus intrarit in animam, non fruemur temperantia. simulq́ arguitur malus ut cunctator & piger, tardus ad disciplinam, non ad intemperantiam. At Moses longe aliter iubet absumi propere paschales epulas ad solennem migrationis memoriam. & Iudas inquit: Nisi procrastinassemus, iam reuersi descendissemus in Aegyptũ: imò iam domum rediuissemus iterum. Et hoc est quod Iacob miratur, si mens adhuc in corpore constituta uiuit uirtuti, & imperat corpori, non eius imperata facit. Possent & alia exempla proferri ad confirmandam rei ueritatem, sed non hoc nunc agitur. ideo redeundum est à diuerticulo. Tertiam uerbi huius significationem uidere licet in creatiõe mulieris. Immisit deus ecstasim in Adam & sopiuit eum. ubi excessus pro quiete mentis ac tranquillitate accipitur. Somnus enim mentis est uigilia sensuum: nam & uigilia mentis est sensuum otium. Quartæ uero ecstasis exemplum est quod nunc uersamus in manibus: Et cum occidisset sol ecstasis incubuit in Abraham correptum numine afflatumq́ diuino spiritu.] quibus uerbis ostenditur eum prophetam etiam fuisse. quod aliubi diserte sacris literis exprimitur, cum quidam naturalem uirtutem Sarram sibi usurparet, quasi non solius sapientis propriam, sed cuiusuis simulatoris prudentiæ, Redde, inquit, homini suam uxorem, quia propheta est, & orabit pro te ut uiuus permaneas. Quin & omnibus probis uiris sacra scriptura prophetiam tribuit. nam propheta nihil ex se proloquitur, sed omnia submonente alio. malum autem uirum non est fas esse interpretem numinis: ergo nemo ma-

mo malus proprie correptus furore diuino dicitur, sed in solū sapientem hoc competit: quandoquidem is solus est instrumentū dei resonans, ab eo contactum & pulsatum inuisibiliter. proinde quotquot inter iustos censentur, inducūtur prophetæ pleni cęlesti numine. Noe iustus non'ne prophetat etiam? alioquin quomodo poterāt benedictiones eius maledictionesq; uim suam obtinere apud posteros? Quid Isaac? quid Iacob? & hos multis argumētis, præcipue uaticinijs quæ cecinerunt de suis posteris, prophetas fuisse credimus. Nam illud, Cōgregamini ut annūciem uobis quæ uentura sint uobis in diebus nouissimis: diuinantis erat oraculum: siquidē futurorum cognitio non est hominis propria. Quid Moses, non'ne ubiq; propheta celebratur? Scribitur enim: Si fuerit uobis propheta domini per uisionem ei me manifestabo: Mosi autem ore ad os loquor palam non per ænigmata. & rursum: Nullus propheta qualis Moses exortus est, quem alloquutus est dominus facie ad faciem. & merito, nēpe afflatum suo numine. quod enim in nobis est ratio, hoc in mundo sol. quia lucent ambo, alter mundo prębens lucem sensibilem, altera nos illustrans radijs intelligibilibus. siquidem donec mens nostra lucet uelut meridianū splendorem diffundens per totam animam, intra nosipsos manemus. cæterū illa uergente ad occasum, meritò ecstasis & diuinus furor incidit. exoriēte enim diuino lumine humanū occidit: ac rursum occidente illo hoc exoritur: id quod solet accidere prophetico generi. emigrat enim è nobis mens, immigrante diuino spiritu: quo recedente illa rursum reuertitur. nō est enim fas ut mortalis cū immortali habitet. ideo rationis occasus & offusæ tenebrę excessum & diuinum furorem inducunt. Deinde pergit scriptura: Et dictum est ad Abraham. Sic enim propheta etiam cum loquitur, uidetur reuera quiescere. Alius autem eius uocalibus instrumētis ore linguaq; utitur ad indicanda quæcunq; uult: quæ pulsans arte musica inuisibiliter, sonoram concinnamq; symphoniam efficit. Audiamus igitur quid prænunciet oraculum. Ante omnia quòd amatori uirtutis non cōcedit deus, ut tanq; in terra propria habitet in corpore, sed inquilinum agat in eo tanq; alienigena. Certò scias, inquit, q; semen tuū inquilinum erit in terra aliena.] Omnis autē mali uiri cognatus locus corpus est, in quo habitare mauult q; inquilinū agere. hoc unum documētum est. alterum uero, q; seruitutem & grauem afflictionem, atq; ut ipse uocat humiliationem inferant animæ terrena ista habitacula. sunt enim externæ & uere alienæ à mente affectiones corporis, è carne natæ in qua radicantur. fit autem quadringentorum annorum seruitus iuxta quatuor affectionum potentias. nam incipiente uoluptate fastus inflatur ac erigitur, elatus inani leuitate: sed crescente concupiscentia nascitur absentium rerum desiderium, pendentem ab incerta spe relinquens animam. Sitit enim semper, nec unquam potest bibere, Tātalium luens supplicium. Quoties autem dolor præualet, contrahit se anima, more arborū marcescentium & frondes amittentium, decrescente uigore huius & pinguitudine. At pauore tyrannidem adepto, iam nemo audet manere, omnes de fuga cogitant, & in hac sola salutem collocant. Nam concupiscentia uim habens attractoriam, uel fugientem amatorem cogit, ut se sequatur. Con-

tur. Contrà timor à se alienans repellit homines, & longissime remouet. Quorum affectuum dominatio grauem seruitutem affert subditis, donec deus pręses & iudex afflictum ex affligentis potestate eripiat, restitutum libertati pristinæ, alteri uero mercedem peccati persoluat. sequitur enim: Gentem autem cui seruient, ego iudicaturus sum: & post hæc egredientur cum magna substantia.] Necessum est enim, ut mortalis homo prematur ab affectuum genere, & quicquid natum est, expectet mala fatalia, sed dei uoluntas cognatas nobis calamitates subleuat. Itaque si nos mox à principio nostrum fecerimus officium, & nobis ipsis seruiuerimus, deus quoque nobis pro sua clementia nō deerit, remissionē atq; libertatem animabus ad se suppliciter confugientib. pollicitus, non tantum exitum è carcere custodijs septo & uinculorum solutionem offerens, sed & uiaticum insuper, quæ uocatur substantia. Hoc quid sit, dicam apertius. Quando intellectus è cælo delapsus illigatur corporis necessitatibus, uel absq; illecebris, ut androgynus & effœminatus propria mala cōplectitur: quòd si persistit in natura sua mascula paratus ad conflictationem, potest adscribi studiosis artium liberalium, & adeptus ex harum cōmercio temperantiā fortitudinemq; robustas uirtutes, remigrare in patriam unà cum suis scientijs, quas scriptura uocat substantiam. Addit deinceps: Tu autem abibis ad patres tuos, cum pace nutritus in senectute bona.] Ergo nos imperfecti & bellum & seruitutem sustinemus, ægre inuenientes liberationem è periculis impendentibus. At illud perfectum genus perpetua libertate fruitur, in pace innutritum constantissima. inest autē dogma his uerbis, bonum uirum non mori, sed abire, ut ostendat inextinguibile & immortale genus perpurgatæ animæ, quæ hinc in cęlum proficiscatur, absq; dissolutione ac corruptione, quā mors uidetur inducere. Abibis, inquit, ad patres suos.] Quos nam patres dicat, considerandum existimo. Nam de illis qui uixerunt in terra Chaldæorum, in quorum familia hæserat Abraham, intelligi non potest, quando oraculo iussus est à cognatis secedere. Dixerat enim dominus ad eum, Exi è terra tua, & è cognatione tua, & è domo patris tui, ad terram quam ostendam tibi, et faciam te in gentem magnam. hunc diuino monitu profectum peregre, non est credibile reddi domesticis: quod ne fieri quidem poterat, ut futurus princeps noui generis contribueretur ueteri. nequaquam enim ei deus daturus erat nouam gentem & nouum genus, nisi prius in totum separato à ueteri. hic est enim ueterus princeps gētis et generis, ex quo ceu è radice pullulauit illa cōtēplatiua rerum naturæ planta nominata Israel. siquidē præceptū est, ut à facie nouorum auferantur uetera. Quis em̄ est usus antiquitatis & morum obsoletorum, quando repente nec opinantibus confertim noua bona imbris more impluunt. Patres igitur non illos relictos dicit, defossos in monumentis Chaldaicis, sed ut quidam aiunt, solem, lunā, stellasq; cæteras. nam hæc terrena cuncta ex illis gigni putantur. Alij hoc dictū interpretantur de ideis archetypis intelligibilibus & inuisibilibus, ad quarum exemplar hæc sensibilia quæ uidemus facta sunt: et harum sapienti destinari contubernium. Rursum alij suspicantur patres dictos illas principales potentias quatuor,

ex quibus mundus constat,terram, aquã,aerem, ignemq́. in hæc enim res singulas aiunt dissolui necessario. sicut enim nomina,uerba,& omnes orationis partes conficiuntur ex elementis grammaticis, ac rursum dissoluuntur in eadẽ:sic unusquisq; nostrum contemperatus ex his quatuor,& à singulis mutuatus quasdã portiunculas, ad certũ tẽpus reddit debitum,nimirũ aridas terræ, humidas aquæ,calidas igni,frigidas aeri.& hæc quidẽ corporea. Cæterum intelligibile illud atq; cæleste genus animæ ad ætherem purissimũ,tanq; ad patrem perueniet.sit enim hæc,ut prisci docent, quinta quædam essentia motu orbiculari prædita, cæteris quatuor melior, ex qua & cælum & sidera facta fuisse uidentur: & quantum colligere possumus,humana quoq; anima eius est particula. Illud porrò,in pace nutritus, non temere additur: sed quia maxima pars hominum nutritur in bello & bellicis calamitatibus. est autem bellum alterum externum,quod infert obscuritas,ignobilitas,& quicquid est simile. alterum ciuile,quo partim corpus impetitur à morbis,læsionibus,mutilationibus,alijsq; pestibus innumeris:partim anima oppugnatur ab affectibus,ægritudinibus,stulticia,iniusticia,similiumq; tyrannorum insultibus grauissimis & inuictis uiribus. itaq; in pace nutritur,cui serena tranquillaq; uita contigit,uere felix ac beata.at quando hæc contingit? quando in rebus externis bene se habẽt facultates & existimatio,corpus robore ac prospera ualetudine fruitur, anima uero uirtutib. opus est ẽm his singulis suo satellitio.corpori pro satellitib. sunt gloria,diuitiæ,potentia : animæ autem,sanitas atq; integritas corporis:at menti,contemplatiuæ scientiæ.Nam de ciuili pace hęc non intelligi, liquet è sacræ scripturæ lectione.Maxima enim grauiaq; bella & suscepit & debellauit Abraham. Quin & derelicta patria, nec ulla certa sedes concessa, homini ultro citroq; uaganti per deserta & inuia, graue bellum fuisset,ni sustentatus esset fide oraculi. Erant enim ei ferendæ calamitates non mediocres,fames, exilium,& bellum his molestius. Qualem igitur pacem habuit? Nam,ut opinor,peregrinatio,sedes incertæ, cum potentibus regibus contentio,famis onus, non simplicem afferebant belli speciem. Verùm si rem penitus introspicias,hæc ipsa sunt sinceræ pacis indicia.nam ex affectibus emigratio,& perturbationum inopia, & deletæ iniquitatum infestæ copiæ,& à Chaldaicis opinionib. ad pias ac religiosas transitus, hoc est à sensibilibus creaturis ad autorem earum intelligibilem, tranquillam firmamq; pacem conciliãt.In tali pace degenti bona senectus promittitur, non longæuitas,sed uita cum prudentia.nam felices dies multis annis meliores sunt,sicut breuis lux melior quàm æternæ tenebræ. Salubriter enim dixit uir propheta,malle se unã diem cum uirtute uiuere, q̃ mille annos in umbra mortis,per umbrã uitã malã subindicans. idem nunc quoq; re magis q̃ uerbis Moses docet.nã hunc cui bonam senectutem pollicetur,breuioris æui facit quàm ullum ex eius maioribus,philosophice nos erudiẽs, quænã sit uere bona senectus, ne hoc promissum intelligamus de senectute quæ apparet in corpore,plena probrosis fœditatibus: sed de prudentia cõstantiaq; animi dictũ accipiendo honestatẽ prædicemus de senectute, à qua seniores denominamus honoris gratia. Disce igitur hoc dogma nostri legis


legislatoris, soli bono uiro bonam senectutē & longæuitatem cōtingere. malum autem breuissimo tēpore mortem meditari, uel potius uirtuti iam esse mortuum. Sequūtur hæc uerba: Quarta generatione reuertētur huc] ut nō solum sciat tempus post quod posteri deducendi erāt in coloniam, uerumetiam discat perfectam uirtutis absolutionem. hęc autem quarta (ut ita loquar) generatione absoluitur. id quomodo fiat, consideremus. Infans per septennium à natiuitate proximum in ętate puerili puram naturā sortitur, leui tabulæ similē nullis bonis malis'ue signatæ formulis. quicquid enim imprimitur, propter molliciem deletur aut cōfunditur. Secunda ætas quæ puerilem excipit, cum uitijs incipit habere cōmercium, quæ solet uel secum adducere, uel aliunde libenter accipere. complures enim habet magistros nequiciæ, nutrices, pædagogos, parentes, mores & leges receptas in singulis ciuitatibus, à quibus discunt mirari quæ ridere debuerant, etiā absq; his sponte procliues ad crimina, adeò feraces uitiorū ut his scateant. Prona est, inquit, mens hominis ad maliciam, iam inde ab ætate tenera. hęc est illa maledicta quæ figurate generatio, proprie uero ætas dicitur, quo tempore tum corpus quod pro fundamento est, tum animus turgescit, accensus affectibus se proferentibus, segetes & campos & obuia cuncta exurentibus. Hanc morbidam seu generationem seu ætatem tertia sequitur, quæ philosophiam ei ceu medicinam adhibeat, curaturam morbos salubribus sermonibus, per quos exhauriatur uitiorū nimietas, et suppleto quod ad uirtutem deerat, uoluptas ablegetur q̄ longissime. Post hāc curationē iam quarta generatione anima solidum robur prudentiæ colligit, & constantiam in omnibus uirtutibus. Et hoc est quod dicitur, Quarta generatione reuertentur huc. nam circa hunc quartum numerum à peccatis auersus animus declaratur hæres sapientiæ. primus numerus, nec bonorū nec malorum capax, est nondum formatæ animæ. in secūdo ubertim uitia proueniunt. tertio sanitatem recipimus deferuentibus affectibus: quarto in ea confirmamur, & solidum robur acquirimus, quando à malis auersi bona tractare aggredimur, quod antea non licuit. Quid autem remoretur ipse indicat dicens, Nondum enim consummatæ sunt iniquitates Amorrhęorum.] Hinc quidam infirmiores occasionem arripiunt, ut suspicentur Mosem fatum ac necessitatem causas rerum inducere. Sciendum est autē, consequentiam seriemq; causarum inter se implexarum nō ignotam fuisse homini philosopho diuinis assueto colloquijs, attamē euentus eum his non attribuere. Videbat enim aliquid antiquius quod hoc uniuerso uectetur tanquam auriga uel gubernator. hic enim communis nauis, uidelicet mundi, clauo assidet, in qua omnes nauigant, & uolucrem cæli currum agitat pro imperio. Quid igitur super his rebus dicendum est? Amorrhæi loquētes interpretantur. Maximum autem bonum homini à natura datum sermonem plurimi uitiauerunt acceptum, ingrate perfideq; hoc usi contra largitricem. Hi sunt adulatores, prętigiatores, inuētores sophismatum persuasibilium, impostores fallaciarum peritissimi, de mendacio uitando haud soliciti, & insuper affectatores obscuritatis. est aūt obscuritas caligo profunda in sermone, res commodissima furib. Quapropter Moses sum-

mum pontificem claritate ornat & ueritate, uolens perspicuam simul et ue racem esse uiri boni orationem. At uulgus hominū obscuram atq; menda cem mauult sectari, in quorū grege censetur, contēptissimus quisq;, ultro se decipiendum offerens. Ergo donec consummentur Amorrhęorum pec cata, hoc est sermones sophistici, qui non facile cōuincuntur, sed ualēt nos rationibus persuasibilibus ductare, non possumus eos auersari talibus ine scati illecebris, & manere apud eos cogimur. Quod si omnes mēdaces per suasiones bona fide coarguātur, & ad hostimentū peccata cōpleantur, cō tinuato cursu fugiemus, & orā soluentes nauigabimus à regione menda- ciorum ac sophismatū ad ueritatis stationes portusq; tutissimos. Atq; ita satis demonstratum puto, esse impossibile auersari, odisse, deserere, menda cia probabilia rationibus uerisimilibus, nisi detegatur ad plenum eorū ini quitas: quæ tum demum apparebit, si diligenter cum ueritate conferatur. Sequitur deinceps: Post occasum autem solis emicuit flāma] quibus uer- bis significatur, uirtutem esse rem serotinam, atq; etiā ut quidā aiunt, sub uitæ finem cōstabiliri. hāc flammæ dicit similem. nam sicut flāma urit sub- iectam materiam, illustrans uicinū aerem: ad eundē modum uirtus exurit uitia, totam mentem replens lumine. Sed donec sermones non examinati collatione & indiscreti ualent persuasionibus, quos Amorrhæos uocāt sa cræ literæ, lucidissimum purissimūq; splendorem uidere nō possumus: ue rùm more fornacis igne carentis, & ut ipse uates ait fumātis, affecti sumus, scientiæ scintillis uaporati, nondum tamen idonei ut igne probemur cōfir memurq;. Gratias ingentes agamus ei qui tales nobis scintillas indidit, ne mens tanquā cadauer frigeat, sed tepida fomento uirtutis caleat, donec in ignem sacrum mutemur sicut Nadab et Abiud. Fumus autem ante ignem exoritur, & appropinquantibus ciet lachrymas. Vtrūq; nobis etiam solet accidere. ad uirtutis nuncios accedendo perfectionē speramus, quæ ni con tingat nō temperamus à lachrymis. siquidem amator desiderio tabescens ad fores amorū suorū properat, mœstus donec eis potiatur. Confertur au tem nunc cum fornace anima discendi cupidi & sperātis absolutam scien- tiam, quia in hoc utroq; uase cib. coquitur, alter è frumento corruptibili, al ter è uirtutibus incorruptibilibus. Cęterum faces ardentes sunt dei facē ge rentis iudicia clara & splendida, quę solent per mediū dimidiatorū, cōtra- rietatū inquā, ex quibus totus mundus cōstat, incedere. Legitur enim sic: Et faces ardentes trāseuntes inter dissecta animalia.] Vt scias quòd diuinæ potentiæ transeuntes per medium rerū & corporum, nihil tamen corrum pant. manent enim illæsę partes dimidiæ. pulchrè aūt per has potentias di uidūtur naturæ singulæ. Et harū rerū sciētiæ quis iustior hęres declaratur, q̄ uir sapiens? In illa die, inquit, pepigit dominus fœdus cum Abrahamo, dicens: Semini tuo dabo terram hanc. Quam terram, nisi de qua supra di- ctum est. ad quam hæc referūtur, cuius fructus est certa firmaq; perceptio dei sapientię: per quam sapientiā ille cūcta conseruat, suis incisorijs bona à malis illæsa separans, ut genera incorrupta maneant. post hæc addit: A' flu mine Aegypti ad magnum flumen Euphratē] docens quòd perfecti prin cipia quidem habent à corpore & sensu & instrumentalibus partibus, sine

quibus

quibus non uiuitur, utilibus ad inſtituendã uitã quã in corpore degimus: deſinunt autem in dei ſapientiam, magnũ reuera fluuium, gaudio lætitiaq; redundantem, & bonis cæteris. nõ eſt enim cur putes circũſcribi hanc terram Euphrate flumine alteroq; illo Ægyptio. nunquã uirtus ad corporeos affectus demittitur. magis conuenit dicere: ab Ægyptio flumine ad magnum illum Euphratem. nam à mortalibus trãſitus fiunt ad immortalia.

PHILONIS IVDAEI
VITA VIRI CIVILIS,
SIVE DE IOSEPH.



RES ſunt ſpecies per quas ad optimum finem tendimus, eruditio, natura, meditatio: tres item ſapientũ antiquiſsimos à Moſe accepimus ab his cognominatos, quorũ uitas quoniã ſcripſi, tum eam quæ per doctrinam, tum eam quæ ſuapte natura contingit, eam etiam quæ meditatione paratur, quartã deinceps ſcripturus ſum ciuilem, à qua unus è phylarchis commendatur, qui à tenera ętate in eam inciderat. Cœpit enĩ in hoc genere uerſari annos natus circiter ſeptẽdecim, præfectus curãdis gregibus, quæ diſciplina cum ciuili conuenit. Et hoc eſt, opinor, cur poetæ reges uocant paſtores populi. Nam qui ſummus eſt in arte pecuaria, facile bonus rex euadet, pulcherrimo gregi hominum præpoſitus, approbata induſtria in minore negotio. Siquidẽ quemadmodũ futuro imperatori neceſſaria ſunt exercitia uenatoria: ſic admouendis ad curam reipublicæ, propriè paſtoralis ars congruit, uelut præludium quoddam magiſtratuum. Proinde cum pater in eo generoſum animum confideraret, & maiorem quàm pro priuata fortuna, mirabatur fouebatq;, diligẽs eum præ cæteris filijs, eo magis quòd proles erat ſerotina, qui nõ exiguus eſt ad beneuolẽtiam ſtimulus: & quia delectabatur honeſtate pueri, accendebat eius ingeniũ accuratiore tractatione, ne premeretur diutius, ſed quã primum eluceſceret. Sed inuidia magnarũ felicitatũ aduerſaria perpetua, tunc quoq; domum fortunatã aggreſſa perturbauit, cõcitatis cõtra unum pluribus fratribus, qui tanto odio eum proſequebãtur, quanta pater beneuolentia, tegentes tamen id & diſpenſantes in tẽpus aliud: unde magis augebatur in dies. nã affectus qui premuntur ne per uerba expirent, grauiores redduntur. At ille innocenter ſimplex non intelligẽs domeſticas fratrũ inimicitias, uiſo ſomnio non irrito, ut amicis id aperuit. Vidi, inquit, meſsi me præpoſitum, & omnes nos in campo ad colligẽdas fruges pręſto fuiſſe cum falcibus. ibi repente meum manipulum erectum conſtitiſſe, ueſtros uero tanquam ex compoſito accurriſſe ad deũ uenerabundos, & reuerenter adoraſſe. Tum illi prudentia pollentes, & ſignificatum per coniecturas ueriſimiles ueſtigare idonei: Putas'ne, inquiunt, regem te fore noſtrum & dominũ? Id enim ementita uiſione ſubindicas. atq; ita odium magis ac magis accen-

gis accendebatur, auctum quotidianis occasionibus, ille tamen nihil suspicans, cum post paucos dies uidisset alterum magis stupendum somniũ, & hoc narrauit fratribus. Visus erat uidere ad se uenientem solem & lunam & stellas undecim: quod pater miratus in mente recondidit de euentu præsagij solicitus. Grauiter autem obiurgabat filium, timens ne quid ille peccaret, Potest'ne, inquit, fieri ut ego materq; & fratres adoremus te? nam per solem patrem, per lunam matrem, per undecim stellas fratres significare uideris: quod caue ne unquam in mentem tibi, mi puer, ueniat. trade potius obliuioni uisiones istas nefarias. Nam sperare & expectare principatũ inter domesticos, res abominanda est, me iudice: nec aliter iudicare puto cæteros, quibus æqualitatis & cognationis iura nota sunt. Veritus autem ne forte præsentibus omnib. aliquid seditionis inter fratres orietur ex ingrata somniorum memoria, illos ablegat ad pascua, hunc domi seruat ad tempus, gnarus quod affectuum animæ ac morborum tempus dicatur medicus, & luctui tollendo, & furori sedãdo, & timori percurando efficax. cuncta enim reddit leuiora, etiam quæ non facile sanantur. Vbi uero cogitauit iam euanuisse simultates domesticas, misit filium, tum ut fratres salutaret, tum ut renunciaret satin salui sint uel ipsi uel eorum pecora. Hoc iter initium fuit magnorum & bonorum & malorum, utrorumq; præter expectationem. profectus est ille ad uisendos fratres, ita ut pater iusserat. Qui procul conspicati uenientem, mutuo se appellabant uerbis nihil sanum ominantibus, quando ne nominare quidem eum dignabantur, sed somniatorem appellabant attonitum uisionũ prodigijs. Tantum autem irarum conceperant, ut in cædem eius si non omnes certe plures cõspirauerint, uolentes eum in baratrum aliquod proijcere, ne deprehenderetur facinus. Sunt autem in ijs locis multæ cisternæ profundæ admodum. itaq; minimũ abfuerunt à fratricidio, quod solus fratrum maximus ægre dissuasit, iubens abstinerent ab inexpiabili scelere, tantum in unam quampiam cisternã eum proijcerent, de salute adolescentis cogitans, ut post aliorum discessum ipse patri restitueret incolumem. Quo impetrato uenientem cõplexus est, cæteri hostiliter comprehensum spoliant, spoliatum demittunt per funem in profundam foueam: uestem eius cruentam hœdi sanguine trãsmittunt ad patrem, cum prætextu quasi absumptus esset à bestijs. eadẽ die negotiatores quidam iter faciebãt ex Arabia in Aegyptũ cum sarcinis: his fratrem extractum uendunt, autore fratre quarto à primogenito. Hic enim (ut opinor) metuens, ne ab iratis frater per dolũ interimeretur, eum uendi quàm mori maluit, leuius malum seruitutem existimãs. At natu maximus qui abfuerat interim, postquam introspexit cisternã, nec uidit quem paulo ante ibi reliquerat, uociferabatur & furibundus discursabat scissis præ dolore uestibus, capillos sibi uellens, et quid accidisset rogitans. Viuit ne puer an extinctus est? Si non superest, saltem cadauer ostendite, ut deplorando calamitatem leuiorem faciam. Solatium erit uidere uel mortuum. Cur mortuum quoque odio prosequimur? certe sublatis nemo inuidet. Quod si uiuit, quò abijt? apud quos seruatur? nam me suspectum non opinor, ut etiã de mea fide dubitari debeat. illis uero falsis uenditum, & pretium proferentibus:

ferentibus:Bella,inquit,negotiatio.partiamur lucrum, & prædonū quos malicia uincimus,referamus præmium. Egregia uero crudelitatis palma, quæ nobis merito placeat.Illi in alienos conſpirant, nos in domeſticos, & chariſsimos. Admiſſum eſt probrum maximum, inſigne dedecus. Maiorum noſtrorum probitatis monumenta nuſquam terrarum non extant, relinquamus et nos inhumanitatis perfidięq́ maculas ineluibiles apud poſteros. Volat enim ubique fama nuncia magnorum facinorum, nō ſine admiratione laudabiliū, & noxiorum uituperio. Quomodo cōmunis pater hunc caſum accipiet? cui cætera beato feliciſsimoq́ uitæ affertis tedium. illius ne miſeri ſeruitutem, an noſtram deflebit ſæuitiam? noſtrā uicem magis dolebit ſat ſcio: quando leuius malum eſt pati, quàm inferre iniuriam. Nam alterum ſubleuatur duobus magnis remedijs, ſpe atq; miſeratione. Alteri autē obnoxius, damnatur publico mortaliū iudicio. Sed quid ego hæc clamito? præſtat ſilere, ne mihi quoque aliquid obueniat, quod non libet dicere. Exaſperati enim eſtis implacabiliter, & palàm ſpiratis iracūdiam. Cæterum ubi ad patrem perlatum eſt, nō quod uerum erat, uenditum eſſe filium, ſed commētum illud de abſumpto à beſtijs, ictus aures nuncio, ſimulq́ oculos ſpectaculo (allata enim fuerat tunica lacera cruētaq́ fœdū in modum) dolore turbatus, obmutuit per longum temporis ſpatium, ne caput quidem ualens attollere oppreſſum tanta calamitate. Tandē repente effuſus in lachrymas, uelut è fonte prorumpentes, plangebat pectus & faciem, ſciſsis ueſtibus lamentans: Non tam mortem tuam, fili mi, doleo, quàm ſepulchri iacturam. Nam ſi tibi ſepulchrum contigiſſet in terra propria, nec mihi deeſſet ſolatium. Officioſe aſſediſſem ægrotanti ante mortem, impendiſſem morienti extrema oſcula, clauſiſſem oculos, mortuum perfudiſſem lachrymis, extuliſſem magnifice, nihil omiſiſſem è iuſtis funebribus. Atque etiam ſi peregre defunctus eſſes, dixiſſem ad meipſum, perſolutum eſt naturæ debitum, noli triſtari. Viui habent ſuas patrias, mortuorum omnis terra ſepulchrū eſt, breuis æui ſunt omnes homines. Nam qui maxime longæuus fuit, quantillum temporis uixit ſi ad æternitatē id conferas? uel ſi omnino moriturus eras per uim et inſidias, leuius fuiſſet extingui manibus hominū, qui mortuū ſaltē miſerati obruiſſent terra, & cadauer tumulaſsent, aut, ut crudeliſsimi fuerint, quid amplius potuiſſent q̄ inſepultum proijcere? quem mox uiator aliquis præteriens, memor naturæ cōmunis, humaſſet tactus miſericordia. Nunc ut fertur, immites & carniuoras beſtias pauiſti & ſaturaſti meis uiſceribus. Hactenus multos labores inopinatos exantlaui, in his miſerijs abunde ſum exercitus, errando, peregrinando, mercede ſeruiendo, dura ferēdo imperia, uſq; ad uitæ periculum exagitatus à quibus minime oportuit. multa uidi, multa audiui, multa paſſus grauia, quibus ad patientiam eruditus perdurari. Sed nihil pręſenti caſu intolerabilius, qui totū animi mei robur ſubuertit atq; deiecit. Quis enim luctus poteſt eſſe maior aut miſerabilior? ueſtis pueri ad patrem perlata eſt: ex ipſo non membrum, non fruſtum, non uel minimę reliquiæ: totum deuorarunt beſtiæ, nihil ſupereſt quod ſepulchro inferatur. ac ne ueſtem quidem recepi, niſi ut ad eius aſpectū recrudeſcat doloris memoria,

ne unquam tantæ calamitatis obliuio posit obrepere. Sic ille sortē suam deplorabat. Negotiatores autem uendunt puerum in Aegypto eunucho cuidam regio qui culinæ præerat. Cæterum post denarratam historiam uidendum quid sub eius cortice lateat. Nam pleræque & propemodum omnes in lege scriptæ suam habent allegoriam. Hic uitæ modus de quo agitur, apud Hebræos Ioseph uocatur, apud Græcos Domini appositio, aptissimo nomine ac rei præsenti conuenientissimo. Est enim rerum naturæ auctarium ciuilis administratio qua utuntur populi. Nam mundus hic est magna ciuitas, unam reipublicæ formam, & unum ius habens. Continentur autem edicto naturę iussa de agendis, & uetita de non agendis. Ad id ius alij alias leges ac institutiones adijciunt. in causa est separatio, non solum Græcorum à barbaris, sed & barbarorum à se inuicem, & Gręcorum à suæ nationis hominibus. Nec sunt audiēdi qui temere culpam referēdo in difficultates temporum, infelicem prouentum fructuū, agrorum sterilitatem, loci situm in maritimis aut mediterraneis, in continente aut insulis, & id genus alia, ueritatem dissimulant. Est autem uera causa auaritia & mutua perfidia, dum non contenti iure naturali, quæ in commune conducere uidentur consentientibus cœtibus, ea leges nominant. itaque merito additamenta naturalis iuris censentur instituta particularium ciuitatum. Nam leges oppidatim receptæ, sunt appendices rationis rectę à natura nobis insitæ, sicut & ciuilis uir auctarium est iuxta naturā uiuentium. Nec alienum est à proposito, quòd tunica uaria uestitus dicitur. Nam rerū ciuilium administratio res est multimoda & uaria, multas mutationes recipiens, personarum, rerum, causarum, sequestrorum proprietates, locorum item diuersitates & temporū. Sicut gubernator pro ratione uētorum mutat nauigationis subsidia, non uno modo nauem dirigens: & medicus nō uno ad omnes morbos utitur remedio, ac ne in uno quidē morbo si is uariet, sed obseruans intētiones, remissiones, repletiones, uacuationes, causarum mutationes, multa ad salutem uariat, nunc hoc, nunc illud experiens: sic opinor & reipublicæ moderator debet esse multiformis & multiplex, alius in pace, alius in bello, aliter se paucis aliter multis opponens aduersarijs, contra paucos constanter agens, multos uero flectēs persuasionibus. idem ubi periculum publicum postulat, ipse rem aget: ministeria uero quę labore tantum indigent, cedet alijs. Recte autem dicitur, uendi hunc hominem. Nam qui auram populi captans cōcionaturus locum superiorem ascendit, sicut uenalicij, seruus fit ex ingenuo, propter honores quos uidetur accipere, addicens se innumeris dominis. Idem à feris circumuentus inducitur, quòd huic insidietur immanis bestia uana gloria, corripere ac deuorare tales solita. at emptores eum reuendunt: quoniam non unus est dominus tractantium rempublicā, sed uulgus, alijs post alios dominis succedentibus. Qui autem tertio uenduntur, nequam mācipiorum more mutāt dominos, nō ferendo priores propter fastidiū ut rerum nouarū cupidi. De his hactenus. Cæterū adolescens in Aegyptū abductus, & eunucho ut diximus in seruitutē traditus, cū intra paucos dies generositatis & honestatis dedisset specimē, cōseruis est prępositus curator totius familię.

iam

iam enim herus multis argumẽtis collegerat,eum nõ ſine diuina prouidẽtia ſingula tũ dicere tum facere. Ergo in ſpeciẽ ab emptore ſuo domui præfectus eſt:re uera aũt à natura cõciliante illi magnę gentis ac regionis principatum.oportebat enim futurũ adminiſtratorẽ reip.præexerceri in rebus œconomicis.nam & domus eſt quædam parua ciuitas, & œconomia cõpendiaria reſpub.ſicut etiam ciuitas magna domus eſt, & politia cõmunis quædã œconomia. Vnde facile diſcimus eundẽ eſſe aptum & diſpenſationi domeſticæ & adminiſtrationi publicæ, quãuis hæc multitudine magnitudineq́ differant, ſicut in pictura quoq; ac fictura uſu uenit.nã bonus ſtatuarius aut pictor, ſiue coloſſeas magnitudines faciat, ſiue pauca paruaq́ opera,eandẽ artem oſtentabit. Cæterũ poſtq́ egregiam laudem in diſpenſatione conſecutus eſt,inſidias herilis uxoris pertulit inſano amore correptę.Capta em̃ adoleſcentis pulchritudine, & affectu indomito rabida, de ſtupro eum tentauit repugnantẽ ualide, ac ne audire quidem tale quicquã ſuſtinentẽ propter innatam ſibi & continua meditatione cõfirmatã honeſtatem atq; temperantiam. Sed ubi creſcente in dies flãma cupidinis atq; inceſta concupiſcentia continue tentando ſemper repulſam paſſa eſt mulier,tandẽ libidinis impatiens & ad uim uerſa in adoleſcẽtis palliũ manus iniecit,magna contentione trahendo illum in thalamum,robur addẽte affectione,quæ ſolet confirmare uel debiles. At ille præſentem importunitatem fortiter ſubmouens, in has liberas & ſuo genere dignas uoces erupit: Quid moleſta es? Bonis moribus & legibus utimur nos Hebræorum poſteri. Aliæ gentes puberibus quatuordecimum annum ætatis egreſsis permittunt uſum ſcortorum & fœminarum corpore quæſtum facientium: apud noſtrates nulla eſt meretrix, capitali ſupplicio propoſito talẽ quæſtũ exercentibus. Ante legitimam copulam alios congreſſus cum muliere neſcimus,caſti caſtis uirginibus coniungimur, nõ uoluptatis, ſed liberorum quærendorum gratia. Qui ad hanc diem purus manſi,non incipiam ab adulterio leges contemnere flagitio peſsimo, qui etiam ſi aliàs perperam educatus eſſem,& obſecutus ætatis affectibus,aut ueſtram imitatus laſciuiendi licentiam: tamen non deberẽ alieno inſidiari matrimonio, quod crimen cui mortalium non cæde uindicãdum uidetur? nam de cæteris diſſentire ſoliti,in hanc ſolam conſpirant ſentẽtiam, ita ut omnes ubiq; rem capitalem pronunciẽt,& deprehẽſos iniudicatos læſo dedant necandos. tu uerò quaſi res per ſe parum dãnata ſit,eam tertio ſcelere cumulas, cogens me non tantum ad adulterium,ſed & ad thori herilis iniuriã. niſi fortè ideo in ueſtras ædes ueni,ut relictis ſeruilibus miniſterijs inebrier et debaccher in ſpes domini,coniugium, familiam,cognationẽ eius adulterans.atqui non ſolum officium ei ut hero, ſed & honorẽ ut benefactori debeo. omnia ſua cõmiſit meę fidei nihil excipiens,niſi te uxorem ſuam. hanccine gratiam ut ei referam autor es? Bonã ſcilicet gratiã dignamq́ illius meritis. herus me ex captiuo & extero ſua benignitate libertum & ciuẽ reddidit tractatum liberaliter: ego uerò ſeruus domino iniuriam, ne captiuo quidẽ & extero tolerabilem,inferam? & qua fronte potero poſt admiſſum tantũ ſcelus illum aſpicere? conſcientia carnifex inteſtina nõ ſinet me oculos in eum erigere,ut

gere, ut nemo prodat alius. sed non deerunt qui prodant. præsto sunt latentes exploratores plurimi, quibus silere non licet. taceo quòd etiamsi nemo factum uel sentiat uel renunciet, ipse meus ero proditor, colore, aspectu, uoce, ut modo dixi detegens conscientiam. fac nullum delatorem fore, assidentem Deo iustitiam res cunctas inspicientem nec timebimus nec reuerebimur? Huiusmodi multa ille canebat surdis auribus, obtundente omnes sensus improba concupiscentia. id ut animaduertit puer aufugit, relicto in hæræ manibus pallio quod apprehenderat. hinc illa occasionem comminiscendæ calumniæ rapuit, de uindicta cogitans. reuersо enim è foro marito honestatē et pudicitiam incesta simulans, indignabunda dixit: Adduxisti in nostras ædes istum seruum Hebræum puerum, adeò corruptū iam tua indulgentia, qui pudēda facilitate inexplorato commisisti totam familiam, ut adulta audacia ne à me quidem iniuriam abstineat. nam conseruæ non satis sunt libidini eius nunquam explebili. Nunc me matronam tentare haud ueritus, uim adiecit contumeliæ. En tibi manifestum insani conatus indicium. nam cum exclamassem præ indignatione opem domesticorum inuocans, territus hanc uestem reliquit fugiens ne comprehenderetur. Ea uestis prolata fidem adstruxit muliebri calumniæ. herus uerum crimen ratus trudit hominem in carcerem, ipse peccans non simpliciter: primò quia non facta defendendi se potestate damnauit insontem tanquam obnoxium sceleri grauissimo: deinde quia non animaduertit uestem quam ab adolescente relictā mulier proferebat, esse indicium uiolentiæ, sed muliebris, ipsius uerò adolescentis patientiæ. nam si uim tentasset inferre dominæ, retinuisset eius amiculū: nunc reluctans suo pallio spoliatus est. uerùm huius inscitiæ uenia fortasse danda est ei qui degens in culina inter lanienas & fumos ac cineres, non poterat uacare causæ cognoscendæ ita ut postulabat ratio, immersus rebus corporis. Iam tres notas uiri ciuilis expressi, pastoralem artem œconomicam'que & tolerandi scientiam, de quibus dictum est, sed temperantia non minus confert ad tractandam rempub. hæc enim cum in omni uita salutaris est, tum maxime in negotiis publicis, ut abunde liquet rem considerare uolentibus. quis enim ignorat, gentibus, regionibus, magnis terrarū tractibus terra mariq́ calamitates inflictas ab incontinentia? quandoquidem plurima & maxima bella ob amores, adulteria, muliebres'que illecebras conflata sunt, quæ potiorem Græci barbariciq́ generis partem absumpserunt, & iuuentutem exhauserunt è tot ciuitatibus. Quod si ex intemperantia tum seditiones ciuiū, tum bella & calamitates cumulate proueniunt, satis apparet è sobrietate tranquillitatē pacemq́ nasci, & possessionem felicitatis integram. Nunc indicandum quid sub his figuris tegatur. Qui hunc de quo disserimus, emit, eunuchus meritò dicitur. Nam emptor hominis ciuilis uulgus reuera eunuchus est, & uidetur quidem habere genitalia, sed ui genitiua destituitur: quemadmodū qui suffusos habent oculos, orbati sunt eorum efficacia, non ualentes cernere. Quę'nam igitur similitudo intercedit inter uulgum & eunuchos? quòd utriq́ steriles sapientiæ, uirtutem tamen approbāt. Cum enim confluit promiscua multitu-
do homi-

do hominum, loquūtur ut oportet, sed sapiunt contrarium, posthabendo insinceris legitima, quia student existimationi tuendæ, ueram honestatem negligunt. Hinc quod mireris sequitur, ut eunuchus uxorē habeat. Nam uulgus deditus est concupiscentiæ, sicut uir mulieri, in cuius gratiam dicit facitque omnia, in consilium clam & propalā hanc adhibens in rebus minimis æque ac maximis, rationi uero nusquam obtemperās. Recte sane præfectus etiam coquorū uocatur. Nam sicut coquus nihil aliud curat, quàm inutiles ac superuacaneas uentris uoluptates: eodē modo populus dedit se totum oblectamentis aurium, per quæ mentis intentio relaxatur, & nescio quo pacto eneruatur anima. Quid autem inter medicos & coquos interfit, quis non uidet? illi quicquid ad sanitatem conducit, etiamsi ægroto ingratum uideatur, solum magno apparant studio. Hi contrà, suauia curant, utilia negligunt. Ergo medicis similes sunt in ciuitate leges & magistratus legitimi, senatores iudicesque, prouidentes communi saluti ac securitati, quibus adulator non facile palpatur: cupedinarijs autem iuniorum turba est similis. Nam securi de commodis, pręsentem tātum uoluptatem uenantur. Et sicut impudica mulier, sic concupiscentia uirum ciuilem adamat, sic alloquens: Heus tu, prodi ad uulgum cum quo habitas, obliuiscere morum tuorum, studiorum, dictorum, factorum, in quibus educatus es. mihi obsequere, me cole, age quicquid mihi placet. Nam tetricum, pertinacem, ueritatis amicum, rigidum, perpetuo grauem, nunquam flexibilem, solum commodum spectātem, securum quid auditoribus placeat, nō fero: sicut nec quorundam calumnias, quæ multæ deferuntur ad uulgum meum maritum, tuum dominū. Hactenus enim abusus libertate uideris, immemor te seruire tyrannico domino. Quod si scires liberos suum negotium, seruos alienum agere, iam doctus esses omissa tua peruicacia me concupiscentiam uxorem illius respicere, & omnia meo arbitratu facere, ut & illi charus sis. At uere ciuilis uir non ignorat quidem penes populum esse potestatem tanquam dominum, se tamen non seruum profitetur, sed liberum, & qui suo morem gerat animo. reclamabit igitur: populi fauorem captare nec didici, nec unquam uolui, sed magistratum mihi commissum bona fide gerere, ut bonū procuratorem decet, aut patrē beneuolū, absque dolo & mihi semper inuisa simulatione. hāc meā uoluntatē approbabo, nihil subtrahens aut cælans furis in morē, sed conscientiam tanquam in sole ac luce aperiens. nam lux est ueritas. nec me terrebit ullum intentatū periculum, ne mors quidem. mori malo quàm simulare. cur enim simulē? Si populus est dominus, ego certe sum ingenuus, patricius, qui cū primis in ciuitatē optimā maximā, hūc inquā mundū adscribi cupio. Cum em̄ nec muneribus, nec precibus, nec ambitioni, nec arrogātiæ, nec simulationi, nec luxui, nec timiditati, nec iniusticię, nec ulli affectui uitio'ue seruiam, cuius præterea timerem dominium? an fortasse hominū? at hi potestatē in corpus meum, non in me habent. equidē me à potiore mei parte censeo, iuxta quā decreui uiuere, parum solicitus de mortali corpore: quod in conchę morē adhęrens mihi, etiamsi conteratur à quopiam, non ægre feram me molestis affectib. eximi, & effugere necessitatē grauissimā. Itaque si iudicandū erit, iudicabo,

nec diui-

nec diuiti propter opes gratificans, nec pauperi propter misericordiam: sed omisso respectu personarum incorrupte pronũciabo, quod iustum apparebit. In senatu etiam autor ero sententiarum reipublicæ conducibiliũ, uel si parum iucundæ auditu fuerint. pro concione quoq; si dicẽdum erit, adulationes relinquam alijs, contentus uerbis utilibus, increpans, admonens, castigans, non arrogantem insanamq́;, sed sobriam libertatem proferens. Quod si quis tales castigationes non amat, reprehendat parentes, tutores, præceptores, & omnes curatores, quia suos liberos, pupillos, discipulos obiurgare non desinunt, interdum etiam uerberant, nec tamen sæuire, sed amanter castigare dicuntur. Indignum enim esset, si cum meæ fidei commissa sit administratio reipublicæ, in præuidentis cõmoditatibus cederem cuiuis medicinæ professori. Nam ille in ægroto nullam splendoris fortunæ rationem habens, nec quod claro genere natus, aut opulentus, deniq; rex aut tyrannus sit, unum hoc spectat, quomodo seruare queat hominem: et si forte sectione ustione'ue opus uidet, secat uritq; principem suum ac dominum seruus ipse atque subditus: ego qui non unum uirum curandum suscepi, sed integram ciuitatem laborantem morbis grauioribus, contractis ex innatis concupiscentijs, quid agere debeo? num prodita utilitate publica, illius aut illius aures mulcere adulatione illiberali, & ne seruo quidem decora? Emori præstat, q̃ loqui ad gratiam, dissimulata ueritate, & utilitate neglecta. Vsurpandum est hic illud dictum poetæ tragici:

Accedat ignis, accedat & gladius.
Combure carnem hanc, concrema, repleto te
Meo cruore. nam prius uel sidera
Terram subibunt, terra uel scandet polum,
Quàm mollis à me extorqueatur uox tibi.

Hanc tam masculam mentem alienam ab omnibus affectibus uoluptate, timore, dolore, concupiscentia, non fert in uiro ciuili dominus populus, sed hominem amicum atq; beneuolum pro inimico arripit, nec tam illum, q̃ seipsum afficit pœna grauissima, uidelicet inscitia, quippe qui non didicit id quod in omni uita utilissimũ est, imperata facere, unde imperandi quoque scientia discitur. uideamus sequentia quando de præsenti loco satis diximus. Adolescẽs ab amatrice apud herum insimulatus criminis quod in ipsam competebat, inauditus in carcerem ducitur: ubi tanta uirtutis edidit specimina, ut etiam facinorosis illis esset miraculo, ad suæ calamitatis solatium credentibus sibi cõtigisse hunc hominem. nota est autem custodum crudelitas, qui ingenio feroces magis efferantur assuetudine, indies crescẽte sæuitia, dum nihil boni uident, nec dicunt, aut faciunt, sed sæua uiolenta'que omnia. nam sicut bene compacta corpora exercitatione cõfirmantur, & acquirunt robustam inuictamq́; habitudinem: sic ferox & immitis natura occupata sui similib. studijs duplo fit durior, inaccessa misericordię, qui unus affectus bonus ac humanus est. & quemadmodum qui cum bonis uiris habent familiaritatẽ, ex iucundissimo eorum conuictu in melius proficiũt moribus: sic etiam qui cum malis uersantur, affricant sibi eorum uitia. facile enim consuetudo abit in naturæ similitudinem. degunt autem carcerum

carcerum custodes inter plagiarios,fures,parietum perfossores, facinorosos,uiolentos,stupratores,homicidas,adulteros,sacrilegos,à quorū singulis nonnihil nequitiæ contrahūt, ut ex huiusmodi collatione miscellaneaque temperatura cōficiatur una scelesta malorum colluuies. attamen talis homo honestate adolescentis mitigatus, non solum securitatem & otium ei præstitit,sed etiam uinctis omnibus eum pręfecit,ita ut penes ipsum species nomenq; custodis esset,rem autem & officiū adolescēti cederet, quod nō parū carcere inclusis proderat.iãq; locus nō tã erat carcer, quã disciplinæ meditatoriū.Omisis eñ tormētis, quib. antea noctu atq; interdiu cruciari solebãt uarijs malis obruti,admonebãtur sermonib. & præceptis philosophicis,sed maxime ipsius doctoris exẽplis utilisimis.Postquã eñ suã uitam continentia,cæterisq; uirtutib.plenam, uelut tabulam bene pictam in medio proposuit,conuertit etiam eos qui uidebantur insanabiles, affectos inueteratis morbis animi,ita ut iam damnarent uitam præteritam,exprimente has uoces resipiscentia: Vbi tãtum bonum tam diu latuit, à quo pridem aberrauimus.Ecce iam affulgente hoc,tanquam in speculo nostra dedecora uidentes,erubescimus.In hoc rerum statu duo eunuchi regis introducti sunt,alter pincernis præfectus, alter pistoribus, accusati damnatiq;, quòd non recte fungerentur suis ministerijs. Hos quoq; ille in suam curam accepit,orans deum ut sibi daret facultatem corrigendi commissos suæ fidei.Aliquanto post,cum obiret uinctos, animaduertit hos duos eunuchos cogitabundos mœstiores solito,unde coniectans eis accidisse aliquid,mœroris causam scitabatur.Quibus respondentibus ortam ex somnijs anxietatem,quòd non adesset interpres: Bono animo este, inquit, & narrate.intelligentur deo uolente.Vult autē ille ut res obscuræ aperiantur ueritatem desiderantibus.Tum prior pincerna, Visus sum, inquit, uidere magnam uitem, habentem tres palmites onustos maturis uuis, quasi autumni tempore.deinde inuitante harum pulchritudine, uidebar decerpere,& exprimere in regium poculum, moxq; regi offerre mustum meracū. Ioseph post modicum silentium,Felicitatem,inquit, hęc uisio tibi nunciat, & restitutionem in pristinum officium.Nam tres palmites tres dies significant,quibus elapsis reminiscetur tui rex,accitoq; hinc,dabit ueniam: & ut in dignitate confirmeris, offeres domino poculum. Sic illi lætum fuit suū somnium.tum pistorū præpositus interpretationem miratus,quasi & ipse faustum uidisset somnium,quod ualde ominosum erat,deceptus bona spe alterius,narrare incipit.Ego quoq; somniaui me tria canistra baiulare in capite plena operibus pistorijs.ex his summū continebat ea, quibus rex delectatur ut delicatioribus & elaboratis curiosius.ea uidebantur aues in meum caput deuolantes diripere,& deuorare auide,donec in totum absumpta sunt.Ad hæc iuuenis.Vtinam tale somniū non uidisses,aut non enunciasses:aut si narrandum erat,saltem id fecisses procul à meis auribus ne ex audirem quod non libet.piget enim me esse infelicitatis nūcium, quia cōpatior miseris,memor communis sortis hominum. Sed quoniam somniorum coniectoribus ueritas est necessaria,tanq; uatibus & oraculorū interpretibus,nihil celabo: quandoquidem mendacium ubiq; fugiendum,in

facris confultationibus etiam religio uetat admittere. Tria caniftra dies tres fignificant,quibus elapfis rex in crucē te tolli iubebit, truncatū prius capite: atq; ita uolucres pafcentur tuis carnibus, donec totum abfumant. Sic piftor recefsit territus, tempus præfinitum expectans, & futura mala iam tum cogitatione præcipiens. Poft triduum natalis regis illuxit, feftiuitatem publicam afferens, præfertim aulicis. cumq; epulum præberetur optimatibus, ut fieri folet in hilaritate domeftica, rex eunuchos requirens iuffit produci è carcere: moxq; confirmauit euentu fomniorū præfagium, iubens alterum in cruce fufpendi abfcifo capite, alterum in priftinam dignitatem reftitui. At pincernarum princeps oblitus eft eius qui futura prædicendo præfentem eius calamitatem fubleuarat, uel quia nemo ingratus beneficiorum meminit, uel quia deo uifum eft, iuuenem non humana, fed diuina ope ad felicitatem prouehi. Nam poft biennium regi futurus eius regionis ftatus, bonus malus'que præmonftratus eft diuinitus duobus fomnijs, quo certior res fieret. Vidit enim feptem uaccas emergere in ripam è flumine, pingues ualde obefas'que, uifu pulcherrimas, & pafci fecundum fluuium. Poft eas totidem macilentas, & uix ofsibus hærentes, uifu turpiffimas afcendere, pafci'que cum prioribus. Dein repente meliores deuorari à deterioribus, manente in faturatis eadem macie, imò aucta etiam. Tum experrectus, ac mox in fomnum relapfus alia uifione terretur: qua uifus eft uidere feptem fpicas triticeas ex uno culmo enatas pari magnitudine, plenas & proceritate pulcherrimas. Deinde feptem alias exiles ac languidas enatas in proximo, quæ mox impetu facto abfumpferunt culmum illum cum fuis fpicis nitidifsimis. Poft hanc fecundam uifionem noctis reliquū infomnis exegit, curis ftimulantibus, & animum folicitum fauciantibus: fub auroram fophiftis accitis, denarrat obuerfatas fibi dormienti fpecies. Cum'que nemo poffet uerum earum fignificatum conie̜cturis affequi, accedens eum pincernarum princeps, inquit, Here, fpero me inuenturum qualem cupis hominem. Mififti dudum ob quafdam noxas me & piftoribus præfectum in carcerem, in quo erat feruus principis coquorum, Hebræus genere, ei narrauimus ambo, quæ uideramus fomnia. Ille rem coniecturis certifsimis attigit, adeò ut euentus in utroque noftrum eius interpretationi refponderit: alter dedit fupplicium, mihi tu propitius donafti ueniam. Rex his auditis iubet propere acciri iuuenem. miniftri attonfum poft longam carceris illuuiem, & detractis fordidis pannis eleganter ueftitum, cæterisq; nitoribus expolitum, ad regem introducunt. qui primo afpectu iudicans hominem ingenuum & bene natum (elucent enim in ipfa facie notæ, non omnibus tamen confpicuæ, fed folis perfpicaces mentis oculos habentibus) Præfagit, inquit, mihi animus, non femper in obfcuro fore quod tegitur fomniorum ambagibus. præ fe fert enim hic iuuenis fapientiam: qui ueritatem, tanquam lumen tenebris inferens, aperiet, & fua fcientia noftratium fophiftarum infcitiam abiget. His dictis ordine denarrauit utrunque fomnium. Tum Iofeph maieftate loquentis nihil territus, tanquam rex fubditum, non fubditus regem, libere fed reuerenter allocutus eft, dicens: Quæ facturus eft deus in hac regione oftendit tibi. Duæ ui

fiones

siones(crede mihi)unum somnium sunt,geminatum nō temere, sed ut res fiat credibilior. nam & septem uaccæ pingues, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis annos significant: sicut totidem famis annos illæ septem macilentæ uaccæ turpissimæ,& septem spicæ cassæ ac marcidæ. Veniet igitur prius septennium fertilissimum,tota regione quotannis bene rigata stagnante per arua flumine,& campis solito maiores prouentus afferētibus. sequetur deinde longe diuersum septennium,grauem inopiam allaturum & rerum uictui necessariarū penuriam,nec flumine se diffundente, nec terra limo eius pinguescēte,ut accolæ obliti superioris ubertatis nihil ex eius prouentu reliquum faciant. Hæc sunt quæ somnia præmonent: sed mihi numen quiddam suggerit,quod in tantis malis salutem afferre queat. Vrbium regionumq́ grauissimus morbus fames est, cuius uires oportet frangere,ne nimium auctus incolas deleat.at quomodo succurendum est huic periculo? è septem annorum fertilitate quod supererit satietati hominum, hoc est quinta pars, reponatur oppidatim uicatimq́, non transportando fruges aliò longius, sed ubi demetuntur asseruando in usum eius loci hominum. eas fruges censeo cum suis manipulis condendas, nec trituratas, nec purgatas,quatuor de causis.quarum una est, ne citius uitientur nudatæ suo tegmine.altera ut per singulos annos renouetur pristinæ copiæ memoria,rusticis triturantibus & fruges euentilantibus. tertia ne iniri possit frumenti numerus dum incertum est quantū spicæ manipuliq́ contineāt, ne animus colonos deficiat reputantes quantum absumptum sit,sed securitate non minus q̄ cibo se sustineant.spes enim alit cum primis,graue penuriæ malum subleuans. quarta causa est, ut & iumentis condatur pabulum,quibus aristæ paleæq́ purgamenta frugum proderunt. ea cura committenda est uiro prudenti,cordato,probatoq́, qui possit sine inuidia reprehensioneq́ hoc consilium exequi tanta dexteritate, ut nihil populo de fame futura suboleat.durum est enim iam ante ægris animis spem in futurum adimere.quod si quis causam scitabitur,respondendum est, oportere sicut in pace parantur quæ belli tempore futura sunt usui, sic in copia prospicere inopiæ. incertum autem esse quando bellum uel fames immineat, quid'ue futurum tempus ferat:parandum igitur mature subsidium, ne desit cum tempus postulauerit.Rex audita somniorum interpretatione aptissima,ueritati cōgrua,simulq́ consilio,ut apparebat in futurum utilissimo, familiaribus proprijs accitis submissa uoce dixit: Num inueniemus talem hominem afflatum diuinitus? Cumq́ uideret eis probari hāc sententiam, uersus ad iuuenem stantem ait:Prope est quē quæri iubes,non longe quærendus est homo cordatus ac prudens qui exequatur tua monita: tu is es. nec enim sine numine hæc locutus uideris. I præfecturam mei palatij suscipe,simulq́ totius Aegypti procurationem.nec est cur quisquam meam facilitatem accuset,se digniorem iudicans. nam excellentes naturæ non habent opus ad experimentum longo tempore,sed incunctanter se rebus ingerunt:& pręsens status moras non patitur,imminente necessitate cui prospiciēdum est.His dictis eum proregem instituit,uel regem potius, relicto sibi solo imperij nomine,potestatem illi cedens & agens quicquid pertine

bat ad honorem iuuenis. dat ei regium anulum signatorium, uestem augustam, torquem auream, currum secundum à regio, atque ita iubet per urbem circumuehi, præcedente præcone & indicāte noui magistratus electionē. nomē quoque nouum indit ei, quod interpretem significat lingua uernacula: & nuptum dat filiam clarissimi apud Aegyptios uiri, qui Solis habebat sacerdotium. id actum est circiter annum eius trigesimū. hi sunt euētus piorum. nam etiamsi proclinantur, tamen non corruunt, sed erecti stant firmiter, ne supplantari queant. Quis enim expectasset intra unam diem è seruo dominum, è uincto prçstantissimū omnium, è carcerarij uicario proregem fieri, & regiam inhabitare pro carcere, extrema ignominia uersa in honorē maximum. facta sunt tamen hæc, & fient sçpius, quando deo placuerit: modo subsidat aliqua probitatis scintilla in animo, quam necesse est per occasionem excandescere. Quoniam autem propositum est post rei narrationem figuram etiam explicare, dicemus & de hac quantum opus est, quam uis fortasse ridebit hoc aliquis temerarius. Ego tamen nō dissimulanter dico, ciuilem uirum utique somniorum esse interpretem, non quales isti nugatores garruli mercenarijque sophistæ quæstum facientes ex nocturnis somniorum ludibrijs: sed qui magnum illud somnium cōmune publicum'que uigilantium nō dormientium exacte intelligat. id somnium, ne quid mentiar, est uita hominum. nam sicut in somniorum uisionibus uidentes nō uidemus, audientes non audimus, gustantes aut tangētes nec gustamus nec tangimus, loquentes non loquimur, deambulantes nō deambulamus, sed cum uideamur uti motibus & habitibus nullo prorsus utimur, mente inaniter sine ullis ueris obiectis pingente sibi simulacra rerum non existentiū tanquam existentiū: eodem modo etiam uigilantium imaginationes somnijs sunt simillimæ. ueniūt, abeunt, occurrunt, refugiunt, prius quàm comprehendantur, auolant. Disquirat quisque apud se, & domi testimoniū inueniet ut ipse taceam, præsertim si quis est ætate prouectior. is fuit aliquando infans, mox puer, deinde pubens, dein adolescens, postea iuuenis, postea uir, postremo senex, sed non simul omnia. non'ne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adolescenti, adolescēs iuueni, iuuenis uiro, uir seni, senectus morti? & fortasse singulæ ætates decedēdo præmoriūtur, natura nos paulatim docente nō timere mortem extremam omnium, quādo priores facile tulimus, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, iuuentutis, uirilitatis, quæ omnes ætates ante senectutem euanuerunt. Quid aliæ res corporis non'ne somnia sunt? non'ne pulchritudo momētanea pene prius marcescit quàm floreat? sanitas incerta infirmitatib. obnoxia? robur morbis expugnabile per occasiones plurimas? sensuum integritas humorib. uitiosis facile corrumpitur? Iam quanta sit in rebus externis obscuritas quis nescit? ingentes opes sæpe una dies abstulit. multi honoratissimi antea, uersis rerū uicibus in contemptum uenerūt cum ignominia. imperia regum maxima breui temporis momento subuersa sunt. fidem meis uerbis astruit Dionysius in Corintho, quondam tyrānus Siciliæ, mox pulsus & Corinthū profugus, literator factus è tanto principe. attestatur & Crœsus rex Lydiæ, ditissimus regum, qui sperans se deleturum Persarum potentiam, nō modo

proprium regnum amisit,sed & ipse uiuus in potestatē hostium redactus, minimum abfuit quin exureretur. Testantur de huiusmodi somnijs nō sin guli tantum,sed ciuitates,gētes,regiones, Gręcia,Barbaria, insularū conti nentisq; incolæ,Europa,Asia,oriēs,occidēs.nihil enim usquam permanet sui simile. Aegyptus quondam in multas gētes habuit imperium, nūc ipsa seruit. Macedones aliquandiu tam potētes fuerūt,ut iura toti orbi redde rent:nūc imperatas à dominis pecunias tributi nomine quotannis quæsto ribus numerant. Vbi est illa Ptolemæorum familia, cuius splendor per sin gulos successores ad extremos terræ maris'q; terminos emicuit? ubi sunt gētes ciuitatesq; sui iuris & liberę? rursum ubi subditorū seruitutes? nō'ne Persæ Parthis imperauerunt? nūc subduntur eis uersa rerum humanarum alea. Quidam fingunt sibi prolixas felicitates, at hæ sunt magnorū malorū initia.itaq; dum ad magnorū cōmodorum possessionē properant, graues miserias inueniunt:& ediuerso malum expectando,in bona fortuita incur runt.athletæ robore freti ac bona corporis habitudine, dum certā sibi pol licentur uictoriā,uel exclusi sunt è certamine,uel uicti ab aduersarijs.alij ne secundam quidem palmam sperantes,primam coronam reportauerūt pręmium.quidam æstate soluentes tempore opportunissimo,fecerunt naufra giū. alij hybernis tempestatibus pene obruti, portū attigerūt incolumes. Quidam negociatores certa lucra sibi proponūt,securi de periculis: alij de damno soliciti,magnum fecerunt operæ pretium. tam anceps est fortuna, rebus humanis tanquā in statera pendentibus,& inęquali pōdere nūc huc nunc illuc uergētibus:tanta offēduntur caligine. Proinde tanquam altum dormiētes erramus, non ualentes quicquam ratiocinatione uel penetrare uel certo comprehēdere,quando cuncta umbris spectrisq; sunt similia. & sicut cùm pompæ traducuntur prima quæq; conspectum prætereunt, itē in torrentibus fallente uisum celeritate undæ præterfluūt:sic uitæ negocia currentia præterlabentiaq; uidētur manere,cum ne momentū quidem ma neant,nunquam non subterfluentia.Interea qui uigilāt, quantum ad incer tam perceptionē attinet, nihil à dormientibus differunt seipsos fallendo, dum se putant rerū naturas certo perspicere,quamuis interturbantibus sci entiam sensibus per spectaculorum,saporū,uaporumq; illecebras,quibus inescatus animus nō finitur recte inoffensēq; per uiā publicam progredi. itaq; cōfusis celsis cum humilibus,magnis cū paruis, exoritur inæqualitas inducens caliginem atq; uertiginē. Cum igitur tāta perturbatione obscu ritateq; uita referta sit,oportet interuenire uirum ciuilem,& tanquam do ctum somniorum interpretem, diurna somnia uisionesq; hominū qui ui gilare sibi uidentur,dijudicare coniecturis uerisimilibus,persuasionib. ra tioni cōsentaneis persuadentem singula: hoc honestum, illud turpe: hoc bonum,malum illud:hoc iustum,iniustū illud,& cætera similiter: hoc pru dēter factum,illud fortiter:hoc pie,hoc sancte,hoc utiliter:& ediuerso hoc factum inutiliter,hoc imprudēter,hoc timide,hoc impie,hoc profane,hoc noxie,hoc ambitiose.Item:hoc alienum est,ne concupiscas:hoc tuum,ute re non abutere. Affluunt opes? impartire.nam diuitiarum pulchritudo est non in crumenis,sed in egenorū auxilio. Pauca possides? caue inuideas di

uitibus. Pauperem inuidum nemo miserabitur. Honoratus es? caue insolentiam. Humilis conditionis es? noli despondere animum. Succedunt tibi omnia ex sententia? mutationem time. Offendis sæpius? bene sperato. nam res humanæ mutantur in contrarium. quandoquidem sol, luna, cælum uniuersum, manifeste aperte'que noscitur, quæ perpetuo manent eadem, ueris definita regulis, ordinatis, aptis, optime congruentibus. At res terrenæ totæ perturbatæ sunt, incongruæ incomposita'que, ut proprie dicere liceat, has mersas profundis tenebris, illas similes lumini fulgentissimo, uel potius lumen ipsum sincerissimum atque purissimum. Si quis igitur uelit res introspicere, inueniet cælum esse diem sempiternam umbræ ac noctis expertem, quippe illustratum inextinguibilibus purissimisq; splendoribus. Et quanto apud nos sunt potiores uigilantes dormientibus, tanto in mundi uniuersitate cælestia terrestribus, ut quę insopita uigilant, propter certas irrequietasq; uires, nunquam frustratas suis effectibus. At terrestria etiamsi paulisper excitētur, rursum degrauata in somnum recidunt, deficiente uisu animæ, ut errare necesse sit atque offensare. nam his rebus falsæ opiniones caliginem inferunt, ut uitari non posint somnia inania, nec quicquam firmiter prehendere liceat. Figuratum est & quod in secundum à regio currum ascendere dicitur, ob causam hanc. qui rempublicam tractat, secundus à rege habetur, cum nec priuatus sit nec rex, situs in amborum confinio, priuato ciue potior, regia potestate inferior, subiectus tanquam regi populo, cui per omnia uult gratificari bona fide ac sedulo. Fertur autem sublimis ceu sella curuli, tum à negocijs tum à multitudine in altum elatus, præsertim cùm parua magna'que succedunt ex sententia, nemine reflante aut opponente se, sed ut in nauigatione prospera deo gubernante omnia salutariter. Anulus à rege datus insigne est fidei magistratum inter & populum regem intercedentis. Cæterū torques aurea, non ad gloriam solum, sed & ad pœnam pertinere uidetur. quamdiu enim res ciuiles ei bene procedunt, placet sibi honoratus à ciuibus. cum autem aduersitas accidit, non uolenti, quod damnandum esset, sed fortuitò, quod meretur ueniam, nihilominus iniecta in torquem manu trahitur, tantum non increpante suo domino: Hanc torquem donaui tibi, ornamentum in prosperitate, uinculum in aduersitate. Audiui tamen & aliam huius loci expositionem figuratam talem. Regem Aegypti esse nostrum intellectum, principem regionum corporearum particularium, qui tanquam rex potestate utatur in adamato corpore. tribus enim potissimum occupatur negocijs, circa cibos, potus, cupedias: ideo tres habet procuratores, pistorum, pincernarum, coquorum'que principes: quorum alius cibos, alius potus, alius condimenta præparat. omnes autem eunuchi sunt, quia uoluptatis amator sterilis est rerum ualde necessariarum, sobrietatis, pudoris, continentiæ, iustitiæ, uirtutum omnium. Nullæ enim res adeò pugnant inter se, ut uirtus & uoluptas, propter quam multi negligunt quæ sola curanda erant, dantes se concupiscentijs, & sequentes quacunque illæ inuitant. Princeps coquorum nec in carcerem ducitur, nec mulctatur, quia condimenta non sunt admodum necessaria, non tam deli-

tam delicię, quàm uoluptatis irritamenta leuia. Reliqui duo misero uentri apparatus faciunt, pistorum pincernarum'que præfecturam gerentes, quandoquidem hæc duo maxime cibus potusq; uitam fulciunt: quę ubicunque sunt in precio, laudantur eorum procuratores, & si quando cessant in officio, pœnam indignationemq; incurrunt. Puniuntur autem non eodē modo, quādoquidem etiam in harū rerū usu est differentia: cibus necessario sumitur, uinum minus utile censetur. nam sine mero uiuunt homines contenti fontanis laticibus sitim restinguere. Quamobrem princeps pincernarum recipitur in gratiam pristinam, quippe qui peccauit in minoris momenti negocio: coquorum uero princeps non impetrat ueniam, usque ad ultimum supplicium procedente ira, haud secus ac in culpa grauissima. nam ciborum defectum mors sequitur. Quapropter qui hac in re peccauit, lege talionis suspensus necatur, & quod alijs intulit, ipse patitur, quippe qui esurientes & ab ipso pendentes diuturna fame cruciauit. De his quoque hactenus. At regius uicarius assumpta Aegypti procuratione obibat eius regionis præfecturas & oppida, omnibus nouum magistratum officiose ac hilariter excipientibus, quos tum beneficijs, tum comitate sibi deuinciebat, elucente in ipso uultu hominis eximia quadam gratia. Postquam autem euentu somnijs respondente aduenit illud prius septennium fertilissimum, quintam partem frugum quotannis exigens per subpræfectos & ministros publicos, tantum comportauit manipulorum numerum, quantum nemo antea collectum meminerat. Nec enim iniri potuit eorum numerus, quamuis plurimi occupati essent in eo negocio, quibus mos est curiose dinumerare talia. Elapso autem ubertatis septennio fames incepit, quæ usq; crescens & procedens non continuit se Aegypti terminis, sed diffusa per omnes deinceps ciuitates regionesq; quàm longe lateq; patet orbis habitabilis, peruenit ad extremos orientis occidentis'que populos. fertur nunquam ante sic laboratum malo communi uniuersis gētibus, quale medicorum filij serpiginem nomināt: quod omnes partes corporis inuadens ignis more depascitur. quam ob rem quæque gens per honoratissimos legatos frumētum in Aegyptū petebat. iam enim fama prouidētiam iuuenis pręfecti ubiq; uulgauerat, qui commeatus copiosos seruasset ad futuram penuriam. ille primum aperiri iubet omnia horrea, ut aspectu ipso & spe recrearet animos, prius quàm succurreretur corporis necessitatibus. deinde institutis annonæ curatoribus uendebat frumentum semper in futurum prospiciens, cuius temporis maiorem quàm præsentis rationem habebat. Interea pater etiam illius, deficientibus paulatim rebus ad uictum necessarijs, ignorans felicitatem iuuenis, mittit frumentatum decem filios, retento domi natu minimo, qui pro regis uterinus frater erat. Illi in Aegyptum profecti fratrem tanquam alienum adeūt, & maiestate stupefacti adorant prisco more hominem, confirmantes euentu somnia. qui uenditores suos conspicatus mox omnes agnouit, ipse agnitus à nemine, deo nōdum uolēte ueritatem aperire ob causas quasdam necessarias, quas tum dissimulari fuit satius: is enim aut uultū eius mutauit in augustiorē speciem magistratu summo dignam, aut mentes obtuentiū hebetauit quo mi

nus cernerent. Ille non ut iuuenis ad tantum principatum euectus, & regi longe potentissimo dignitate proximus, elatus ætate ac potestate de uindictæ occasione cogitauit, sed imperauit suis affectibus, premens atque recondens eos in animo, magno consilio personam infensi assumens, toruo aspectu uoce'que obiurgatoria miseros territans. Heus uos, inquit, nihil pacatum habetis in animo. aliquis ex regis hostibus exploratores uos submisit, cui sceleratam operam polliciti, putastis uos posse fallere: sed non latent me insidiæ uestræ, quantumuis eas tegere conamini. fratres crimen intentatum à se depulsuri, negant se huic culpæ affines, qui nec ab hostibus ueniant, nec ipsi affecti sint hostiliter, nec induci queant ad tale ministerium. esse enim se natura pacis cupidos, & à tenera ætate legibus parere didicisse sub patre uiro sancto religioso'que, qui duodecim genuerit filios: ex quibus unum domi mansisse propter ætatem nondum peregrinationi maturam, decem coram adstare, reliquum sublatum è medio. Hæc de seipso loquentes audiens tanquam de mortuo, quid animi habere potuit? Quamuis enim ne tunc quidem affectum suum protulit, tamen intus urebatur in pectore. nihilominus pari oris grauitate: Si, inquit, uerum dicitis uos exploratores non esse, ut certior fiam manete hic paulisper, & fratrem minimum uocate per literas. quod si patris necessitas uos manere non sinit, ne grauiter ferat diuturnam uestram absentiam, abite omnes obside hic relicto uno, donec reuertamini cũ natu minimo. si secus feceritis, capitale fuerit. Hæc truculente, ut uidebatur, interminatus destitit. illi mœsti damnabant suam in fratrem sæuitiam dicentes: Nunc ueterem iniuriam præsenti calamitate luimus, pœnas à nobis exigente iustitia rerum humanarum præside, quæ scelus ad tempus dissimulatum inclementer arguit, ut dignum est. quis enim pœna dignos neget? qui fratris innocentis preces immaniter contempsimus, quem miserari debuissemus, nocturnas uisiones narrantem quasi familiaribus. at nos efferati & crudelissimi nefarium (quod negari non potest) scelus perpetrauimus: propter quod & hęc patimur, & tristiora expectamus: qui cum simus penè omnium hominũ nobilissimi paternis, auitis, cæterorumque maiorum uirtutibus, cognationẽ dehonestauimus admisso probro maximo. Tum grandior natu, qui iam inde à principio cõspirationi sese opposuerat: Actorum, inquit, inutilis est pœnitẽtia. rogabã, supplicabam, ostendens quàm impius esset conatus uester, dehortans ne iræ indulgeretis. cum mihi assentiri debuissetis, maluistis sequi uestrum insanum consilium. ergo fructum dignũ peruicacia tam impia carpimus, & mercedem accipimus debitam. Inquisitio fit in paratas insidias iuueni, nec homo inquirit, sed deus, aut diuinum ius aut prouidẽtia. Hęc submisse colloquentes fratres audiebat ille uẽditus, qui per interpretem cum eis egerat: iamque impar affectui prorumpentibus lacrymis, ne deprehẽderetur, auersus est: & postquam delacrymauit, dolore paulũ leuato, abstersaque facie reuersus ad eos iubet uinciri fratrem à grandissimo proximũ, idque inspectantibus cæteris omnibus, quasi sibi ex aduerso oppositũ. nã inter cõplures secũdo penultimus opponitur, sicut primus ultimo. Et fortasse maxima pars culpæ in eo fuerat, quasi autore cõspirationis nefarię, qui cohortem fra-

tem fratrum animauerit, & ad odium incitauerit. nam si fratri bene clementer'que consulenti, quo uno minor, cæteris erat grandior, suum adiunxisset suffragium, uix admissum fuisset facinus, præualente per consensum honore ætatis & ordine, præsertim in tanti momenti negocio. nunc maluit à meliore parte ad deteriorem deficere, & in immitem duram'que sententiam discedere, tanta contentione, ut eius ductu hortatu'que sine mora perpetratum sit impium facinus. hoc est, cur soli ex omnibus iniecta puto uincula. cæteri iam parabant se ad reditum, proregis iussu impletis per frumentarios omnibus saccis fratrum tanquam hospitum, & reposito precio in eorum orificijs, nemine tamen super hac re præmonito. insuper auctarij uice additum est quantum redeuntibus in itinere posset sufficere, ut quod coemerant, deportarent integrum absque ullo detrimento & dispendio. Ingressi uero iter cum iusto uincti fratris desiderio, nec minus de patre soliciti, ægre laturo numerosam prolem decrescere singulis profectionibus, ac ne credituro quidem de uinculis, sed prætexi morti hoc commentũ suspicaturo, ut solent de cętero suspicaces esse qui semel impegerunt, sub uesperam deponunt iumentorum sarcinas, ipsi curas adeò non deponunt ut premantur grauius. sic enim usu uenit, ut interquiescente corpore mens improuisos casus per ocium pensitãs angatur magnis molestijs. tum aperto uno quopiam sacco reperta est in eius ore crumena plena pecunijs: quibus numeratis inuentum est solidum frumenti precium, duntaxat quantum saccus capiebat. qui inuenerat, rem fratribus indicat, stupens miraculo. hi non gratiam, sed insidias rati & animo destituebantur & consilio: cum'que uellent omnes saccos excutere, metu persecutionis inde profecti, penè continuato cursu aliquot dierum iter absoluerunt magno compendio. Tum uero alius post alium ruentes in patris complexus, deosculabantur senem præbentem se, quamuis iam præsagientem inexpectatum nescio quid. sensit enim deesse unum salutatorem, cuius mox tarditatem accusauit, subinde prospectans in uiam, & requirens integrum filiorum numerum. sed cùm nemo superueniret amplius, uidentes eum metu solicitum sic alloquuntur: In casibus inopinatis, mi pater leuior est cognitio quàm dubitatio. nam re cognita potest inueniri ad salutem aditus, hæsitatio nihil expedit. audi nunc ualde molestum nuncium, sed auditu necessarium. Frater quem nobiscum misisti ad frumentum emendum, non reuersus uiuit tamen. bene habet quòd salus eius in tuto est, detinetur autem in Aegypto uiuens apud præsidem: qui siue aliorum calumnijs, siue suspicioni suæ credulus, pro exploratoribus nos habuit. cum'que in defensionem nostram afferremus quod in mentem ueniebat ex tempore, narrantes de te reliquisq; fratribus, uno defuncto, altero apud te manente, quẽ dicebamus propter ætatem teneriorem domi substitisse: atq; ita omnia de tota cognatione nostra proderemus nil dissimulando quo magis suspicio eximeretur homini, nihil profecimus, illo negante se crediturum nobis, nisi uiso fratre nostro natu minimo. eam ob causam secundo genitus retentus est pro obside, dimittendus q; primũ alter exhibitus fuerit. id imperatum fuit longe molestissimũ. sed durior etiam est necessitas præsentis tẽporis,

cuipare-

cui parere oportet propter uictualia, quæ nunc fame pressis sola Aegyptus suppeditat. Tum senex gemitum ducēs ex imo pectore, Quem ergo primū, inquit, deplorabo? penultimū'ne, non extremū sed primū in calamitatū ordine? an secundo genitum, qui miseria primo proximus non prius mortem sensit q̃ uincula? an natu minimū, cui abominanda profectio suscipienda est, si modo proficiscetur, fratrū infortunio factus nihilo cautior. interim ipse membratim pereo. nam parentū partes sunt liberi. modo numerosa feliceq; prole stipatus ad orbitatem recido. tum maximus natu, En tibi pro uno filio duos obsides, quos solos genui: in hos ut libet sæuito, ni fratrem meæ fidei committendū incolumem restituo, cuius in Aegyptum profectio duo maxima nobis afferet commoda. unum q; credetur nec hostes nec exploratores nos esse: alterū q; recipiemus fratrem è uinculis. Mœstus pater hærebat, è duob. eadem matre genitis orbatus altero, de alterius profectione solicitus, metuens ne impar anxietati ante reditum eius moreretur, memor præteritorū casuū. tū adhibitus est qui inter fratres excellebat animo, autoritate, facūdia, quartus ætatis ordine. is communem sententiā parenti aperuit. ea fuit. quādoquidē deficiebant necessaria, absumptis quæ priore frumētatione parauerāt, unà omnes proficisci, non sine fratre natu minimo. nā præfectus regionis diserte interdixerat eis reditu, ni & illū adduceret. id uir sapiēs reputās, tolerabilius esse unius incertū periculū q̃ certam tot fratrū perniciē, quæ propter domū fame pressam uitari non poterat, respōdit: Cedēdū est necessitati ut uideo. Fortasse natura uiā munit ad melius aliquid, quod nondū præuidere mente sumus idonei. Ite, & minimū quoq; quādo ita uidetur, assumite. Verū aliter eundū est q̃ antea. tunc pecunia tantū opus erat ignotis ad emendum frumentū euntibus, & nullā passis iniuriā. nūc adiungēda sunt munera trib. de causis. ad parandā præfecti annonæ gratiā, cui uos innotuisse dicitis: ad fratrem citius redimendū è uinculis: ad tollendā quantū fieri potest explorationis suspicionē. proinde ex omnib. quæ nostra regio fert ceu primitias ferte homini, & duplex preciū, annumerato quod retulistis proxime. fortassis enim per alicuius ignorantiā id accidit. ego faustis precationib. abeuntes prosequar commendās salutē uestrā seruatori deo, ut & apud illius regiōis indigenas hospitib. cōciliet gratiā, & uos restituat incolumes in patriā, unà cū fideicōmisso quod parēti debetis, tum alterum priorem relictum in uinculis, tum huncce quē nūc abducitis adolescentulum per ætatē imperitum rerū omniū. Ita cuncti contenderūt in Aegyptū. Post aliquot dies præfectus regionis cum reuersos uidisset, gauisus est supra modum: mox q; iubet dispensatorem suum parare opiparum epulum, & uiros ad salis mensæq; communionem adducere. Introducti adhuc causæ ignari timebant, suspicando furti calumniam ob non redditum frumēti precium, quod in saccis inuenerāt, & apud dispensatorem excusabant factum quod nemo accusabat, ut conscientiæ satis facerent, simulq; proferebant pecuniā parati reddere. ille comiter hortabatur, essent bono animo. si quid inuenissent deo propitio, id eis fraudi nō fore, neminem eis inuidere dona dei. nā hūc impulisse in saccos pecuniā, prouidentem non solum fami, sed & inopiæ. Sic consolati prompserunt

allata

allata munera, quæ mox domino superuenienti obtulerũt. percontãti deinde, satin saluæ, & an pater superſit, respondent de se nihil, sed patrem uiuere ualereq́;. cui bene precatus, & mactũ dei fauore pronũcians, circumspexit requirens fratrem uterinum: quo uiso iam non ualens affectum reprimere, prius quàm eum proderet auersus, secessit quasi ad aliud negociũ (nõdum enim erat aperienda ueritas) & in quodam angulo effudit se in lachrymas. tum ablutus, & dolorem rationi subijciens, ad hospites epulo excipiendos reuertitur, reddito quem retinuerat obside. adfuerunt & alij cõuiuæ, optimates Aegyptiorum. Tractatio fuit iuxta morem cuiusque patriæ, quod durum uideretur discedere à consuetis moribus, præsertim in conuiuio, ubi maxime hilaritati prospicitur. Iussi deinde sedere iuxta ætatis ordinem (nondum enim discumbendi mos receptus erat) mirabantur quòd Aegyptij non aliter quàm Hebræi rationem ætatis haberent in honorandis hominibus, sic cogitantes: fortasse hic magistratus pro sua prudentia non solum serijs & magnis rebus ad pacis belliq́; recta munia spectantibus induxit decorum ordinem, uerum etiam honestatem in istis leuioribus & penè ludicris, quam Aegyptij hactenus rudiores nesciuerant. nam in conuiuio semota grauitate lætitia quæritur. Interim cibi nõ ualde lauti apponuntur, q̃ conuiuatori non liberet uti delicijs in publica penuria: & hoc ipsum homines prudentes in laudem uertebant, uitari luxum intempestiuum & inuidiosum: probantes consilium memoris quid uel præsentem læticiam, uel publicum statum deceat, & utriq; se accommodantis tempori. atq; ita opportunus & minime inuidiosus apparatus fuit. quod deerat, supplebatur hospitali comitate, propinationibus, faustis ominationibus, ad hilaritatem hortationibus, & id genus iucundis alloquijs, quę ingenuis ac liberaliter educatis gratiora sunt q̃ cibi potus'ue lauticiæ, non magnifaciendæ nisi apud istos epulones luxus ostentatores. Postera die sub lucem accitum dispensatorem domesticum iubet saccos quotquot allati fuerant frumento replere, ac rursum in cuiusque ore precium cum crumena reponere: in minimi autem saccum indere argẽteum poculũ omniũ pulcherrimum, ex quo ipse solebat bibere. Hæc iussa ille diligenter executus est, semotis omnibus arbitris & testibus. Discedunt hospites ignari doli, atq; etiam læti insperatis successibus. expectauerãt enim subituros se interceptæ furto pecuniæ calumniã, nec recepturos fratrẽ obsidem, fortasse ne minimũ quidẽ fratrũ, ui detentũ ab eo qui tam accurate illũ adduci iusserat. at illis omnia supra uotũ euenerant, nõ solum nullã passis calumniã, uerũ etiã ad salem mẽsamq́;, quod præcipuũ habetur pignus amicitiæ, adhibitis: receptus est & frater illæsus, idq́; absq; ullo deprecatore: alter natu minimus reducebatur ad parentẽ incolumis: suspicionẽ explorationis eua serãt, reuertebãtur onusti cõmeatibus, bonã spẽ & in futurũ conceperant, etiamsi sæpius reditura esset penuria, pollicentes sibi securum iter, nõ trepidum ut ante, sed lætum, ut ad familiarẽ & hospitem regionis eius summũ magistratũ. Sic affectis & sic cogitantibus repentinus inexpectatusq́; pauor ingruit. Missus dispensator cum cohorte domestica, ut maneãt manu significat, ipse cursum accelerat. mox anhelus: Confirmastis, inquit, & priora crimi-

ra crimina, pro gratia referendo bene meritis iniuriam, reuersi ad pristina maleficia. recepto per furtum frumenti precio maius addidistis facinus, impunitate augente, ut fit, maliciam, poculum herile pulcherrimum preciosissimumque, ex quo uobis præbibit, surripuistis homines grati pacatique, qui ne nomen quidem nostis exploratorum, qui duplicatū attulistis frumēti precium, nimirum ut tali esca obiecta ex insidijs, maiorem prædam auferretis. sed non semper felix est malicia, interdum cum maxime se celat, deprehēditur. Ad hæc cum illi præ stupore ne mutirent quidem, repēte oppresi dolore metuque duobus malis grauissimis, hærebāt uerba in faucibus, ut solēt inopinati casus uocem adimere. Tandem ne uiderentur silentio fateri conscientiam, Quomodo, inquiunt, causam dicemus, aut apud quem? nam tu cōtra nos extitisti & iudex & accusator, qui etiam ab alijs accusatis nobis patrocinari debueras, quales simus expertus. Certe pecuniam prius in saccis inuentam, nemine arguēte ut redderemus, retulimus. num sic mutati sumus, ut hospiti per furtum damnū daremus pro gratia? nec factū est hoc, & absit ut unquam ulli nostrum in mentem ueniat. Quod si apud aliquē è fratribus poculum deprehensum fuerit, is luat capite. si uere admissum est facinus, ipsi capitale iudicamus ob causam non simplicē. primùm, quia cōcupiscere aliena est iniquissimū. tum quia nefarium ducimus uelle nocere bene meritis. tertio, quia genus deductū ab illustrib. maiorib. ignominiosis factis dehonestare probrū est turpissimum. quibus criminibus si quis nostrum est obnoxius, pereat dignus non uno supplicio. & cum dicto iumenta sarcinis exonerant, ultro ad scrutandum inuitando. Dispensator nō ignarus latere id in sacco natu minimi, quò ipse clam abdiderat, tamen arte rem tegebat, initium à maximo natu faciens, & inquisitionem secundum ætates persequens, nemine tergiuersante, singulis iuuātibus, donec uentū est ad minimum, apud quem repertū est quod quærebatur, magno fratrū gemitu: qui scissis uestibus præmaturo luctu complorabant fratrem uiuētem etiam tunc, nec minus suam uicem & parentis miseri, præsagiorū eius memores, propter quę fratrem cunctanter & inuitus cōmiserat itineri comitem. mœsti deinde turbatique retro in urbem redeunt eo casu attoniti, nō tam fratris cupiditatem suspectam habentes, quàm externas insidias. Tum ad regionis præfectum adducti, uere fraternam pietatē proferunt. accidentes enim uniuersi ad illius genua, quasi omnes furti conuicti, miserabile dictu, diffluebant lacrymis, supplicabant, seipsos offerebant, pollicentes seruitutem uoluntariam, illum herū appellando, se externa mancipia, empta precio, à nullis abstinendo seruilibus nominibus. qui magis etiam eos tentando, seuere admodum respondit: Absit ut ob unius culpam in tam multos sæuiam, aut durius aliquid statuam. Quid opus est pœnas ab insontib. exigere? qui solus peccauit, solus puniatur. Audio iam ante à uobis prędānatum quicunque deprehensus fuerit, ego tamen æquitatis respectu mitigabo pœnam remisso supplicio in seruitutem eum uindicans. Hac comminatione perculsis cæteris, & exanimatis calumnia, quartus ætatis ordine, uir audax, & saluo pudore facundus libere: Precor, inquit, here, ne iræ indulgeas, ne'ue fretus potestate regiæ proxima, contra inauditos indefensosque

feras

feras ſententiã. Cum primum huc uenimus, percontanti tibi de patre fra-
treq́ꝫ,reſpondimus patrem conſenuiſſe non tam ætate grauatũ quàm mul
tis infortunijs, quibus more athletarum exercitatũ,uitã exegiſſe in perpe-
tuis miſerijs atque laboribus.fratrẽ adhuc puerum, patri ualde carum eſ-
ſe, ut prolem ſerotinam,& è duobus eadem matre prognatis ſuperſtitem,
eum domi relictum ſolum, maiorem eius germanum uiolenta morte ſubla
tum.cumq́ꝫ iuſsiſſes eum huc adduci, malũ minatus ni faceremus, ac ne re
ditum quidem ad te permittens,mœſti diſceſsimus: & reuerſi domũ rem
totam patri narrauimus.Ille diu reluctatus, quòd uehemẽter puero metuẽ
ret,tandem cogente penuria nobis redire ad frumẽtationem ſine minimo
fratre propter tuas minas nõ audentibus,ęgre perſuaſus hũc unà miſit,ual
de incuſans quòd indicaſſemus nos habere fratrẽ alium, & ſortẽ ſuam mi-
ſerans quod diſiungeretur à puero chariſsimo.eſt eñ pro ætate imperitus
rerum omnium,nõ externarũ tantum, ſed & domeſticarum patriarumq́ꝫ.
ad ſic affectum parẽtem quomodo reuertemur? hoc non reducto quibus
eũ intuebimur oculis? miſera morte morietur, uel hoc ſolo audito ꝙ puer
nõ reuertitur.nos homicidę patricidęq́ꝫ audiemus ab inimicis infortunio
noſtro inſultãtibus. maxima criminis eius pars in me recidet. multa enim
patri ſum pollicitus ut pateretur abire puerũ,ultro pignus offerẽdo,quod
ſuo iure quãdocũq́ꝫ libuerit,poſſet à me repetere.quod ni tu propitius fias
reddere qui potero? Miſerere ſenis obſecro, reputans ꝙ̃ impotenter hanc
calamitatem laturus ſit,nõ recepto quem nobis inconſulte cõmiſit filio.tu
tamen pro iniuria quam uideris accepiſſe,pœnas ſumito, en me uicariũ ex
hac die ſeruorum tuorũ numero aſcribito. libẽter cẽſebor inter tuos noui
tios, modo puerum digneris dimittere,id non tam puero dabitur,ſi cõdo
nabitur,ꝙ̃ ſeni abſenti,ſubleuãdo tot anxietatibus,atq́ꝫ adeò ipſi parẽti o-
mniũ.ad tuã eñ dextrã ceu ad arã, utinã nõ fruſtra, cõfugimus. Miſerere
ſenis per totã ætatẽ exerciti honeſtis laboribus: qui totius Syriæ ciuita-
tes in uenerationẽ ſui cõuertit,quãuis alio ritu uiuẽs & alijs legibus,longe
diuerſis ab indigenarũ moribus.Sed uicit uitæ honeſtas,& perpetuus di-
ctorũ factorũq́ꝫ conſenſus, ut etiam à ſuis inſtitutis alienos ad beneuolen-
tiam flexerit.ei ſic gratificaberis,ut nihil poſsit contingere gratius. quid e-
nim poteſt eſſe gratius,ꝙ̃ deploratũ recipere? Verum hęc omnia tentamẽ
ta erãt,queãdmodũ & priora, regionis præfecto explorante horũ erga fra
trẽ ſuũ uterinũ beneuolentiã. Verebatur eñ ne quod odiũ inter eos inter
cederet nouercale, ut ſolet in familijs prognatis è matrib. diuerſis,honore
inter ſe paribus. ideo tanq́ꝫ exploratores incuſabat,ſciſcitãdo quo nati eſ-
ſent genere,ut per eam occaſionẽ de germano cognoſceret, num ſupereſ-
ſet,an periſſet inſidijs.Nec dimiſit niſi obſide retento, donec adduceretur
quẽ deſiderabat maxime, ut liberaretur à moleſta ſolicitudine,quo in con
ſpectum adducto, nõnihil cura leuatus, omnes ad hoſpitalẽ menſam adhi
buit,germanũ honorans potioribus partibus, interim obſeruans uultus
ſingulorũ,ex his iudicaturus numqua ſubeſſet inuidia. cumq́ꝫ uidiſſet om
nes gaudere & fauere honori pueri, nõ contentus duobus argumẽtis fra-
ternæ erga illũ beneuolentiæ,tertiũ experimentũ cõmentus eſt,intentato

furti crimine. nam inde certissime conijcere poterat de cuiusque animo erga fratrem petitū calumnia. atque ita certo persuasus maternā familiā non impugnari seditione domestica, probabiliter de suo casu ratiocinatus est, id accidisse nō tam fratrum perfidia, quàm prouidentia dei prospicientis in futurum, & imminentia nō minus cernentis quàm præsentia. tum ad reconciliationem uersus ac fœdera, succumbens charitati domesticæ, ne fratribus propter ueterē iniuriā obueniret aliquod dedecus, noluit agnitioni primæ interesse quenquā Aegyptiū: sed semoto uniuerso famulitio, repente profusis tanquam è fonte lachrymis, dextra ut propius accederēt, innuit, ne uel fortuito uerba eius exaudire posset quisquam alius: tum sic eos allocutus est: Rem longo tempore tectam & obliuioni mandatā ut putatis, nunc reuelaturus, solus solos appello. Fratrem quē in Aegyptum uēdidistis, meipsum præsentē nūc cernitis. Ego sum. Hac insperata uoce perculsis perterritisque, & tanquam præ graui onere uultus ad terram demittentibus, ac sine uoce stupentibus: Nolite tristari, inquit, obliuionē omniū in me patratorū polliceor. nullo uobis deprecatore opus est. mea sponte in gratiā uos recipio, duabus de causis, propter pietatē erga patrem cui plurimū debeo, & propter innatam humanitatem, qua omnes præsertim sanguine coniunctos cōplector. cæterum hunc casum non uobis imputo sed deo, qui me suorū beneficiorum difficilimis temporibus humano generi exhibendorū ministrum executoremque esse uoluit: id uerum esse his quæ uidetis credite. Totius Aegypti procuratio mihi cōmissa est: rex honorē mihi habet eximiū, & ut parentem ueneratur quamuis ætate senior. color obseruorque nō tantum ab indigenis, uerum etiam à plurimis gētibus uel prouincialibus uel liberis. nam omnes opus habent meo subsidio propter inopiam. argentū aurumque, & quod his maius est, cōmeatus apud me solum reponuntur, distribuendi in singulos quantū cuique ad necessariū usum satis est, ut nec ad delicias supersit quicquā, nec desit ad satietatē. Quod nō iactāter dico, sed ut intelligatis neminē mortalē potuisse seruo tantā conferre felicitatem, & quidem detruso in carcerē. nam & uinctus fui quondā passus calumniam. Deus extremā calamitatem miseriamque in summam felicitatem uertit, qui solus est omnipotēs. id cum mihi sit persuasissimum, nō est cur timeatis, deponite omnē solicitudinem, lætitiam recipite. nunc properandū est uobis ad patrē, ut à uobis potius quàm à fama accipiat lætum de me inuento nuncium: solet enim illa præcurrere. Tum fratres certatim collaudabāt hominem, alio aliam uirtutē deprædicante, clementiam, charitatem, prudentiam. pietatem uero omnes uno ore laudabant, felicē euentum ad deum autorem referētes, & pristinos casus ferētes æquo animo: nec minus mirabātur insignem eius modestiam ac patiētiam, qui neque seruiens male locutus est de fratribus ut perfidis uenditoribus, neque in carcerē trusus prę dolore ullum secretum effutijt, neque tam longo tēpore inter uinctos degens, ut miseri solent, suum detexit infortunium, tanquam ignarus omniū suorum casuum, ac ne tum quidē cum uel eunuchis uel regi interpretaretur somnia, occasionem arripiens suam ingenuitatē aperuit, imò nec cum uicariam regis potestatem accepit Aegypto uniuersæ præfectus, ut saltē obscuritatis opinionem

opinionem aboleret docēs se natum honesto genere, non uernam, sed insi
dijs quorū minime oportuit deuolutū in graues ęrumnas ac miserias. ad
has laudes accedebat etiā ęquitatis eius mētio, dexteritatisq; in obeundis
munijs publicis. conferentes eņ eum cum uulgata magistratuum aliorum
tam arrogantia q̄ imperitia, mirabantur ostentationis pomparūq; cōtem
ptum in uiro tam egregio: & quòd alienus ab omni maleficio tragico, quā
uis potuerit mox in prima profectione agnitos opprimere, aut certe fame
pereuntibus frumentū non præbere, adeò pœnam ab eis abstinuit, ut tan-
quam bene meritis daret munera, reddito precio. In tantū eņ perfidia pa-
tratumq; scelus latuit, ut optimates Aegypti præfecto gratularētur fratrū
præsentiam, quasi tum primū uenissent. quibus hospitaliter exceptis, rem
indicarūt suo regi propere, ita ut omnia plena essent gratulationibus & læ
ticia publica, non aliter q̄ si felici prouentu frugū fames mutata esset in a-
bundantiam. Rex cognito patrē eius adhuc esse superstitē, & numerosam
familiam, hortatus est ut uniuersi cōmigrarent, uberrimā Aegypti partem
eis se donaturū pollicitus. moxq; multa carpēta & plaustra cum iumentis
ad subuectionem donat fratribus, & honestum famulicium, ut patrē secu-
re deducerent. illi uerò ad eum reuersi, & narrantes incredibilē insperatāq;
felicitatem, non ualde senem mouebant, non q̄ dubitaret de fide testium,
sed propter rei magnitudinem assensum suspendebat. tandē conspecto ap
paratu copioso, non discrepante ab his quæ nunciabātur, cōfirmatus lau-
dabat deū, qui suppleuisset quod in familia desideratū fuerat. sed hoc gau
dium metu solicitabatur, ne desererentur mores patrij, norat eņ iuuentu-
tis lubricum, & apud exteros peccandi licentiā, præsertim Aegyptijs circa
uerum deum cæcutientibus, & cæcas creaturas consecrātibus atq; colenti
bus. sciebat etiā honores diuitiasq; insidiari parū cautis mētibus, ideo me-
tuebat filio, quòd solus semotus à paterna familia uidebatur egere castiga
tore, qui ad uirtutē reuocans non sineret eum corrumpi tot prosperitatib.
Hęc cogitantem uidens qui solus inuisibilem animā introspicit, miseratus
dormiēti in somnis apparuit. Ne dubites, inquit, in Aegyptum proficisci,
ipse itineris dux ero, secura tutaq; facturus omnia. restituā tibi & desidera
tissimum filium, qui iam aliquot annis deploratus pro mortuo, nō solum
uiuit, sed & maximæ regioni pręfectus est. sic senex bona spe plenus, mane
lætus se dedit in uiam. Hoc audito filius (nā speculatores nunciosq; in iti-
nere disposuerat) propinquāti circa regni fines occurrit obuiā. cumq; con
uenissent circa Heroopolim ut uocāt, effuderūt se in complexus mutuos,
ubertim uestes rigando lachrymis, atq; ita hærentes aliquātisper explebāt
diutinum desideriū, & tandem unà contenderunt ad regiam. Ibi rex con-
spicatus uenerandā senis faciem, non ut præfecti, sed ut suum patrem exce
pit honorifice: dein post solēnia humanitatis officia, donauit ei agrū uber-
tatis precipuę: & quia huius filios audierat esse pecuarios, facultatesq; illo
rum constare pecoribus, cōmisit eorum curæ proprios greges ouiū capra
rumq; cum armentis regijs. Iuuenis aūt tanta fide usus est in administrādis
negocijs publicis, ut cum ratio tēporum plurimas occasiones ei præbuis-
set ad congerendā pecuniā, potuissetq; facile ditissimus sui seculi euadere,

terinis diuitijs ueras prætulerit, & cæcis perspicaces, totũ argentũ aurũq; & frumẽti precio collectũ referẽs in thesauros regios, ne drachma quidẽ sub tracta, cõtentus donis quib. rex eum remunerabatur. nec aliter q̃ Ægyptũ cæterasq; regni eius prouincias, externas quoq; gẽtes fame pressas hic uir nunq̃ satis laudatus curauit, paterna prouidẽtia distribuẽs alimẽta, futuris etiã necessitatib. prospiciẽs, nõ solum præsentib. nam ineunte anno egestatis septimo, accitis agricolis (iam enĩ ubertatis spes affulgebat) dedit hordeũ & triticũ ad sementẽ, diligenter cauens ne quis hæc in alium usum uerteret, appositis custodijs ex optimatibus, qui sationẽ obseruarẽt. Post aliquot aũt annos à finita fame defuncto patre, fratres nõdum à suspicione in totũ liberi, ueriti ne ille ulcisceretur iniuriã ueterẽ, denuo cum uxoribus ac liberis supplices petierũt ueniã. Qui lacrymãs respondit: Iam tẽpus ipsum hanc solicitudinẽ exemisse uobis debuerat, nisi molesta esset cõscientia. Obitus cõmunis patris renouat uobis metũ ueterẽ, quasi ad tẽpus data uenia, nequid ille contristaretur. Verũ ego nõ mutor tẽpore, nec unq̃ uiolabo pacem semel redditã fratrib. nõ distuli uindictã in tẽpus opportunius, sed cõdonaui pœnã in solidũ, partim in honorẽ patris, ne quid mẽtiar, partim propter fraternã necessitudinẽ. quãuis etiamsi patris solius respectus apud me ualuisset in hoc humanitatis officio, par est ut etiam illo defuncto ualeat. nam mea sententia nemo bonus moritur, sed uiuet in sempiternũ expers senij, propter immortalẽ naturã animæ solutæ corporis necessitatibus. Cur aũt geniti patris tantum meministis? habemus aliũ ingenitũ, immortalẽ, æternum, inspectorẽ auditorẽq; omnium etiam quæ fiunt per silentiũ, introspicientẽ intimos secessus animi: eum ego testẽ inuoco meæ conscientiæ, q; bona fide uobiscũ in gratiã rediui. nam ego (absit dicto inuidia) dei sum, qui in uestrum bonum uertit mala consilia. Deponite metum, posthac meliore conditione apud me futuri q̃ ante parentis obitum. ita confirmatis fratribus, facta conueniẽtia dictis addidit, nihil omittẽs quod pertineret ad eorũ cõmoda. Insequutis aũt felicioribus temporibus, & regione restituta in abundantiã pristinã cum magna incolarũ lætitia, honorabatur ab omnibus, gratiam referentibus pro acceptis beneficijs in difficultate superiorũ temporũ. fama quoq; apud exteras ciuitates celebrabat hominis uirtutes inclytas. Vixit annos decem supra centum in senectute defunctus prospera, formosus admodũ & prudens facundusq;. testatur de eius corporis pulchritudine amor qui mulierẽ adegit ad insaniam: de prudentia uero æquanimitas perpetua in tantis circa fortunã eius mutationibus, illo casus omnes bene uertente, & coaptante quæ uix coaptari posse uidebãtur. quantũ aũt ratione orationeq; polleret, declarauit & somniorũ interpretatio, & in fortuna uaria semper sui similis cõstansq; facundia, ad persuadendũ efficacissima, ut omnes uolentes libentesq; non coacti iussa facerẽt. Ex hac ætate decem & septẽ annos usq; ad exitũ adolescentiæ uixit in paternis ædibus: tredecim sequẽtibus improuisos casus pertulit: insidijs petitus, uenditus, seruiens, calumnias ferens & uincula. reliquos octuaginta exegit in principatu summaq; prosperitate, famis ubertatisq; præses ac dispẽsator optimus, egregie prospiciens utriq; tempori.

PHILONIS

PHILONIS IVDAEI
DE EO QVOD A' DEO MITTANTVR SOMNIA.



VPERIORE tractatu diximus de priore somniorũ diuinitus missorũ specie, quando cœleste numẽ ul- tro per somnum uisiones immittit. in hoc, quãtum poterimus, dicemus de posteriore, quando nostra mens unà cum uniuersali mota, uidetur per seipsam diuinare, præsagireq́ue, quid ferant futura tempora. Huius generis primum somnium occurrit in sacris uoluminibus de illa cœlesti scala, quod sic describi- tur. Viditq́ue somniũ Iacob, & ecce scala stans super terrã, cuius caput per- tingebat ad cœlũ: & angeli dei ascendebant descendebantq́ue per eam. & ec ce scala stans super terrã, & dominus innixus ei. & dixit: Ego sum deus A- braham patris tui, & deus Isaac, noli timere. Terram in qua dormis, tibi da bo & semini tuo, eritq́ue semen tuũ quasi puluis terræ, & multiplicabitur ad mare, ad austrũ, ad septentriones, ad orientẽ: & benedicẽtur in te tuoq́ue se- mine cunctæ trib. terræ. Et ecce ego ero custos tuus quocũq́ue perrexeris, et reducã te in terrã hanc: quia nõ deseram te, donec fecero omnia quæ dixi ti bi.] Verum hæc uisio postulat ut repetamus rem altius, quo facto fortasse facilius quid significet intelligere poterimus. Quæ sunt igitur quæ præce dũt? Digressus, inquit, Iacob à puteo iuramenti, profectus est in Charras. cumq́ue uenisset ad quendam locum, uolebat ibi requiescere, quia sol occi- derat. & sumpsit de lapidibus ibi iacentibus quos supponeret capiti, dor- miuitq́ue in illo loco. Deinde subiungitur statim hoc somniũ. Occurrũt igi tur mox in principio tres quæstiones: prima, quis sit ille iuramenti puteus, cur'ue sic nominatus: secunda, quæ ciuitas sit Charra, & cur ad eam uentũ sit mox post discessum à prædicto puteo: tertia, quisnã sit locus ille, & cur postquam eum Iacob attigit, occidente sole decumbit. Consideremus pri mã. Mihi uidetur hic puteus significare scientiã, quæ suapte natura in pro- fundo sita est nõ in superficie: nec in propatulo solet esse, sed in abdito: nec facile, sed uix multo labore inuenitur: id quod uidemus nõ solũ in magnas obscurasq́ue contẽplationes habentibus, uerum etiã in uilissimis. Elige quã cunq́ue libet artẽ, nõ eximiã inq́ue, sed omniũ obscurissimã, quã nemo liber in urbe educatus spõte exerceret, ruri uerò uix seruus coactus à duro mo rosoq́ue domino multa facere præter sententiã. inuenies hanc quoq́ue multi- plicem, uariam, querulã, difficilẽ, aduersam pigritiæ, secordiæ, negligentiæ, plenam studio curaq́ue, & laboribus ac sudoribus. Quin & aquã in hoc pu teo fossores inuentam negant: quoniã fines scientiarũ non solùm difficiles inuentu sunt, uerumetiam nunq́ue inueniuntur. Verum ideo alius alio do- ctior est in grãmatica geometria'ue, quia profectus & incrementa nõ pos- sunt circũscribi certis terminis. Semper enĩ plura q́ue discuntur, supersunt, ut etiam is qui se putat attigisse finem scientiæ, semiperfectus habeatur sub

alio iudice.quod si subeundũ sit ipsius ueritatis iudiciũ, adhuc circa principia hærere uidebitur.Breuis enim uita,ut quidam inquit,ars longa: cuius amplitudinem is optime cognoscit, qui in eam descendit profundius tanquam puteũ fodiens: qualis quidem iam canus, decrepitus, capularis senex illacrymasse fertur,non ob ignauiã metum'ue mortis, sed scientiæ desiderio,quasi tum primum eam adiret,quãdo relinquenda erat. Viget enim semper ad scientias anima,cum uires corporis longa ætate marcescant & languēt.ergo prius ꝙ ad quandam ceu pubertatem exquisitioris doctrinæ peruenia tur, periculosus lapsus est. est autē id cõmune omniũ studiosorum,quibus aliæ post alias contēplationes suboriuntur, multas ex se pariente anima,modo non sit sterilis,multas natura ultro ingerente nõ obtusis mentibus.hic est igitur ille scientiæ puteus fundo fineq; carens sicut ostendimus.cur aũt iuramēti nominetur,iam dicemus. adhibito iureiurãdo quod ambiguum erat,decernitur,quod incertũ confirmatur, quod fidem nõ inueniebat,creditur.unde illud colligitur,nihil certius affirmari, quàm sapiētiã carere fine ac termino.itaq; uel iniurato id credere debemus. quod si quis est parũ credulus, saltē iurato assentietur. nec est cur quis detrectet iusiurandũ huiusmodi, cum sciat quòd qui rectè iurat, inscribitur in tabulas.De his hactenus.proximum fuerit cõsiderare,cur quatuor effossis puteis per Abrahami & Isaaci domesticos,quarto eideq; ultimo iuramēti nomen est inditum.An illud forte subindicare uult,quòd cum omnino quatuor elementa sint ex quibus constat hic mundus, & in nobis ipsis totidē, ex quibus formati sumus in humanam speciem:tria possunt intellectu percipi,quartum uerò est incomprehensibile omniũ iudicio.quandoquidem in mundo insunt hæc quatuor,terra,aqua,aer,cælum:ex quibus cætera,tametsi difficile,sunt tamē scrutabilia. nam de terra,esse hanc corpus graue, compactum,solidum,in mõtana campestriaq; diuisum, diremptũ mari ac fluminibus, partim continenti attributũ partim insulis: item alibi esse tenuem,alibi profundos sulcos admittere:alibi asperam,saxosam,sterilē,alibi planam,mollem,fertilissimã, & alia præterea plurima nouimus. itidem de aqua,habere hanc quædam ex his quæ diximus, cum terra communia, quædam propria.est eñ partim dulcis,partim salsa, partim fontana in uarias discreta proprietates,alia potabilis, alia nõ,alia potabilis sed nõ omnibus,his noxia nõ illis, & ediuerso.item alia frigida naturaliter, alia calida. sunt eñ multi passim fontes manãtes aquis feruidis,nõ solũ in terra,sed & in mari.certe deprehēduntur tales uenæ scatentes in mari medio,quas per tot secula fluctus inundantes nõ potuerunt extinguere, imò neq; diluere. De aere quoq;,habere hunc naturã tractilē,facile cedentē corporib. quib. circumfunditur, instrumentũ uitæ,respirationis,uisus,auditus,cęterorum sensuũ:capacem densitatis raritatisq;,tum quietis & motuũ,uariabilem,ac mutabilem, autorem æstiuorum, hyemalium,autumnalium,uernorumq; temporum,quæ anni absoluunt circulum.hæc certe sentimus omnia.Cælum uero naturam habet incomprehensibilem, nec ulla eius noticia certa demanat ad nos. Quid enim possumus de hoc pronunciare?esse concretã glaciem,ut quibusdam placuit,an ignem purissimum, an quintum quodam

dam corpus in orbē mobile,nulli affine ex elementis quatuor? Quid illa extrema sphæra fixorum siderū, habet'ne soliditatem, an superficiem tantum sine altitudine,figuris in plano pictis similis? Quid stellę ipsæ,sunt'ne terreæ moles ignitę? nam quidā aiūt eas colles saltusq; ignitos, ipsi digni pistrino & carcere,ubi hęc instrumenta sunt torquendis impijs istorum similibus.an forte sunt densi quidam ætheris glomi nō dissimiles? sed animati ne ac rationales, an ratione simul carentes & anima? uoluntarios'ne an necessitate coactos motus habent? Quid luna? natiuo'ne an mutuaticio lucet lumine? suis radijs micans,an illustrata solaribus? an horum neutrum est,sed quiddam mixtū ex utroq; igne tum alieno tum proprio? nam hæc & huiusmodi omnia in præcipuo mundi corpore quarto, id est cælo incerta incomprehensibiliaq; coniecturis uerisimilibus magis quàm certis uerisq; rationibus nituntur, ut iurare fas sit, neminem mortalem posse unquam quicquā horum certo percipere. Hæc est causa cur puteus quartus aridus Iuramentum nominatur,quòd quarti huius mundi elementi cęli uidelicet,inquisitio infinita est & inperspicua. Videamus amplius quomodo & in nobis illud quartū præ cæteris est incomprehēsibile. quatuor sunt in nobis præcipua,corpus,sensus,mens & ratio. horum tria non sunt in totum obscura,sed habent quædam indicia in seipsis per quę cōprehendantur. Dicam apertius.Corpus tres dimensiones, sex motus,habere scimus:dimensiones in longitudinem, altitudinem,latitudinem:motus uero duplos sex, sursum deorsum,dextrorsum sinistrorsum, ante retroq;. idem ante conceptaculū esse nō ignoramus, atq; etiā florescere deflorescere, senescere, interire, dissoluiq; in suas origines.ne sensuum quidē obscurā habemus notitiā,possumus dicere quinquefariā eos diuidi, habere sua quęque instrumēta naturæ opificio,uisum oculos,auditū aures, nares odoratum,& cæteros pariter.hos menti nuncia de colorum,figurarū,uocum,uaporum saporumq; proprietatibus,& in uniuersum de corporibus eorūq; qualitatibus.eosdem esse animæ apparitores, ad quam quicquid uidēt audiunt'ue,deferūt:& si quid extrinsecus immineat noxium, præuident præcauentq;,ne quod improuisum & immedicabile malū dominæ obrepat.similiter de uoce nostrū est iudiciū,aliam esse acutā,graue aliam,et quantū à cōcinna incōcinna discrepet, ab exiliore grādior,deq; alijs plurimis discriminibus generū,colorū,distantiarum, coniunctorū disiunctorūq;, de diatessaron diapente diapasōn symphonijs.atq; etiam de articulata uoce,quā solus homo sortitus est,quædā nouimus:à mēte hanc proficisci, in ore articulari,linguæ plectro absolui,atq; ita expressam sermonē iam nō nudam uocem informēq; fieri.cum mentis esse interpretē. At quartū illud principatum obtinens num est comprehensibile? Minime gentiū. Quid em̄ putamus eius essentiam,spiritū,an corpus, an sanguinem? Corpus dici non debet,cum sit incorporeum.Quid igitur dicemus,terminū,an speciem,an numerū, an endelechiam, an harmoniā,an quid aliud? innascitur'ne an infunditur,an à circumciso aere ipsa suapte natura calida,tanquam ferrum in officina ignitū, & in frigidam mersum,temperatur solidaturq;:unde Græcum nomen ψυχὴ παρὰ τὴν ψύξιν. Quid in morte,extinguitur'ne cum cor

H 4 poribus

poribus & interit, an aliquandiu superest, an immortalitate fruitur? mens uero ubi habet conceptaculum? habet'ne aliquod domicilium? nam quidam caput ceu arcem nostri corporis dedicant, in quo sensus excubant, aequum censentes circa magnum regem statione habere satellitium. qui uero circa cor delubrū ei tribuunt, ne ipsi quidē inter se cōsentiunt. En quartum incomprehensibile, cęlum in mundo solum ex elemētis reliquis, mentem in homine cū caetera intelligātur in eo, corpus, sensus, & oratio. Quid si & quartus annus sanctus laudabilisq́; ob easdē causas in sacris literis dicitur? nam in rebus creatis caelum in mundo sanctū est, in quo immortales sempiternaeq́; naturę obābulant: in homine mens numinis particula, sicut Mosi credimus dicenti: Inspirauit in faciem eius spiritū uitae, & factus est homo in uiuentē animā. Vtrumq́; etiam laudabile non temere dictum mihi uidetur. nam quae laudare hymnisq́; celebrare suum patrē possunt, sunt haec duo, caelum & mens. nam homo hunc praecipuū honorē sortitus est praeter animalia caetera, q deū colit: caelum perpetuo cōcentu suorū motuum reddit harmoniā suauissimā: quae si posset ad nostras aures peruenire, in nobis excitaret impotentes amores & insanū desiderium, quo stimulati rerū ad uictum necessariarū obliuisceremur, nō pasti cibo potuq́; per fauces demisso, sed quēadmodum immortalitatis cādidati, consummatae musicae diuinis cantibus: quales cum Moses extra corpus raptus audiuisset, fertur per quadraginta dies totidemq́; noctes nec panem nec aquā gustasse. itaq́; caelum instrumentū musicae archetypū uidetur mihi non propter alia sic elaboratum, q ut rerum patris hymni scite decantentur & musice. Quin & uirtutē Liam audimus post editum quartū filium desijsse parere, non effoetā, sed cessantem, uel potius retentam aliquandiu. Sensit enim opinor uim gignendi elanguisse in se, quando Iudā, hoc est confessionem, perfectum fructum protulit. Est autem idem significatum in Lia post quartam prolē interquiescente à pariendo, & in quarto puteo in quo Isaac serui nullam aquam inuenerunt: quoniā apparet ex utraq; figura ab omnibus sitiri deum, qui & genituras & alimēta in enatorū usum irrigat. nō deerunt tamen fortasse quidam pusillanimi, qui haec de puteorū effossione à legislatore dici suspicabuntur uerbosius. sed quotquot habēt ius magnae huius ciuitatis mūdanae, sapientiores caeteris, manifeste intelligent, perspicaces & discendi cupidos non quaerere de quatuor puteis, sed de quatuor uniuersi partibus, terra, aqua, aere, caelo: quae singula persequendo cogitationib. accuratissimis, in tribus inuenerūt quaedā cōprehensibilia, quib. & nomina indiderūt, iniquitatē, litē, amplitudinē: quarto aūt nullū, cęlo uidelicet, sicut paulo ante docuimus. nā quartus puteus sine aqua siccus inuenitur, & Iuramētū ob praedictā causam nominatur. Secūda quęstio de Charra quęrit, quęnā sit ciuitas, & cur ad eā ueniatur à puteo. Est igitur, quantū equidē uideo, Charra metropolis quędā sensuū. interpretatur eñ nūc fossa, nūc specus, unā rē signantib. duob. nominib. nā corpora nostra ad sensuum instrumenta quodammodo perfossa sunt, & unusquisq; sensus pro instrumēto habet suā foueā. ergo q primū aliquis à iuramēti puteo uelut à portu soluit, necessario ad Charran peruenit. nā qui peregre proficiscitur ab am-

ab amplissima optimaq́ regione scientiæ, necesse est ut ad sensus absque ductore ueniat. anima enim sæpe à seipsa mouetur, emergens è tota mole corporis, & è turba sensuum profugiens, nonnunquam etiam uestita sensibus. Sed nudo motu tantum intelligibilia comprehendit, amicta uerò sensibilia. si quis igitur non potest omnia sola mente persequi, ad sensus secundū refugiū inuenit: & quisquis fallitur circa intelligibilia, prolabitur ad sensibilia. ad sensum enim est secunda nauigatio, quādo prima ferēs ad intellectū nō succedit. bonū aūt fuerit in hac nō cōsenescere, sed tanq́ in aliena regione pro inquilinis se gerere, semper quærendo migrationē & reditū in patriā. Laban enim nō speciē, nō genus, nō ideam, nō aliud quicq́ sciens ex his quæ solo intellectu cōprehenduntur, sed à rebus manifestis tantum pendens quæ in conspectū auditumq́ & similes potētias ueniūt, ciuitatis ius in Charris habet, ubi amator uirtutis Iacob ut peregrinus nō diu habitat, semper de reditu cogitās. eum Rebeca mater, id est patiētia sic alloquitur: Surge, fuge ad Labanē fratrē meū in Charras, & habita cū eo ad dies aliquot. Intelligis'ne q̄ nō sustinet noster meditator in regione sensuū perpetuo uiuere, sed dies aliquot & ad breue tēporis spatiū, propter necessitates cōpositi corporis? longa aūt uita ac ætas ei seruatur in ciuitate illa intelligibili. quamobrem (opinor) & auus eius à scientia denominatus Abrahā nō diu in Charris durare potuit. Legitur enim eum natū annos lxxv. quando hanc ciuitatē reliquit: quāuis pater Tharra, qui interpretatur odoris speculatio, usq́ ad obitū ibi uixerat. diserte enim in sacris literis dicitur Tharrā in Charris mortuū. siquidē speculator uirtutis, nō ciuis, odorib. nō alimentis fruebatur, nō dū idoneus ut saturaretur prudētia, imò uel degustaret, sed tantū olfaceret. Quemadmodū enim canes uenaticos aiunt è longinquo ad feras peruenire odorem secutos cuius eximio sensu à natura sunt præditi: eodem modo à iusticia cæterisq́ uirtutibus exhalantes suaues auras amator scientiæ uestigat, cupiens originem tantę uoluptatis assequi, huc illuc cursitans, & uel ipso honestatis odore tanquam sacro nidore se recreans. non negat enim se liguritorem scientię prudentięq́. macti ergo quibus datum est bibere de amatorio sapientiæ poculo, fruiq́ contemplationum eius & placitorum epulis, exhilaratis etiam sitire denuo propter inexplebile sciētiæ desideriū. his proximi cēsendi qui sunt tametsi ad sacram mensam non accedūt, nidore tamē pascunt suas animas. nā hi aura uirtutis refouebuntur, sicut ægrotis deficientibus propter inediam & fastidium odores admouendo medicorum filij remedium salutare procurāt, ut uires recipiant. Attamen Chaldæa relicta Charras migrasse Tharra dicitur, ducens secum & filium Abrahamum & cæteros consentientes domesticos: non ut tanquam ex historiarum scriptore cognoscamus eos peregrinos fuisse desertores patriæ, cui sedes externas prætulerint, sed ut re penitus intellecta discamus quiddam uitæ utilissimum, non negligēdum hominibus. hoc aūt quid est? Chaldæi uacāt obseruādis siderū cursib. Charrenses circa sensus occupantur. cęterū sacra eloquia sic scrutatorē naturę interpellāt: Quid de sole quæris sit'ne pedali latitudine, an tota terra maior, an aliquotuplo amplior? quid de lunæ lumine, propriū'ne an mutuatū præferat? quid de reliquorum

quorum siderum natura,cursu,respectu inter se mutuo,uel etiam ad terrestria? cur in terra incedens super nubes exilis? cur æthereas res a:s te posse attingere cum terræ affixus hæreas? cur audes coniectare de rebus omni coniectura superioribus? cur es curiosus in rebus sublimibus nihil ad te attinentibus? cur disciplinarum commentationes usq; ad cælum extendis? cur subtiliter nugaris de sideribus? non ea quę oceano submota sunt, ô bone,sed propinqua cōsidera.imò teipsum absq; adulatione scrutare.at quomodo id fiet? In mente Charras in ciuitatē cauernosam,perfossam specubus corporis,considera oculos,aures,nares,cætera instrumenta sensuum,& disce summam philosophiam, uel potius summe necessariā decentissimāq;, ueritatem quærendo,quid uisus,quid auditus, quid gustus, quid odoratus,quid tactus & sensus in uniuersum.deinde quid sit uidere, & quomodo uideas, quid audire,& quomodo audias, quid odorarē, quid gustare, quid tangere, & quomodo fiant hæc singula. prius aūt quàm propriam domū bene cōsideres,uniuersalē examinare annō extrema est insania? nec dū tibi maiora præcipio,ut tuam animā mentēq; uideas, quæ tibi placent tantopere.hæc ipsa nunq; comprehendere poteris. ascende nunc cælum, & arroganter de illis rebus disserere, cum nondum scias uulgatum uersum:

Aedibus in nostris quæ praua aut recta geruntur.

Desine speculari cælestia: diuulsus ab illa scrutatione,nosce teipsum, & ut hoc possis da operā,utq; curis humanis uaces.huiusmodi hominem Tharram Hebræis,Socratē Grçci nomināt.nam & illum ferunt usq; ad senectutem in hoc præceptū, Nosce teipsum, incubuisse, omissa reliqua philosophia.uerum hic homo erat,Tharra aūt ipsa ratio noscēdi seipsum,proposita ceu arbor uiretissima, unde studiosi facile morū fructus carpēdo satiarētur cibo salubri ac iucūdissimo.tales sunt apud nos prudētię speculatores: athletarū aūt & certātium natura est perfectior. nā hi postq; perdidicerūt omnē rationē sensuū,dignos se iudicāt maiorib. contēplationibus, relinquēdo sensus quasi cauernas,qui Charrę nominabātur.ex hoc numero est ille per multiplices profectus ad summā scientiam progressus Abraham. cum em̄ se maxime cognouit,tūc agnouit minime,ut eum Qui uere est bene cognosceret. Sic enim solet euenire. qui em̄ seipsum ualde cognoscit, ualde cōtēnit,reputās q; nihili sit quicquid creatū est.qui aūt seipsum spernit,eū Qui est cognoscit.Hactenus quæ sit Charra, & cur post relictū luramēti puteū ad eā perueniatur.Superest tertia quęstio,Quis locus ille ad quē occurrit.Dicitur em̄:Cūq; occurrisset ad locū.] Tripliciter locus intelligitur,primo modo spatiū quod impletur corpore.secūdo,sermo ille dei, quē deus ipse totū expleuit incorporeis potentijs. Vidi,inquit,locum in quo stetit deus Israel,in quo solo permisit sacra facere,alibi uetuit. Præceptū enim est ascēdere in locū quęcunq; elegerit dn̄s deus, & ibi sacrificare holocautomata et pro salute,cæterasq; integras uictimas adducere.tertio significato ipse deus uocatur locus,eo q; omnia contineat,à nullo prorsus contineatur.& omnibus ad eum refugiū pateat,et quia solus sui capax est, seipsum explens atq; cōtinēs.ego non sum locus,sed in loco,& unaquęq; creatura similiter.nam contentū differt à cōtinente.at numē à nullo cōtentum,

tũ,sibi ipsum locus est necessarius, sicut scriptura testatur de Abrahamo loquẽs: Venit in locum quem ei deus prædixerat: attollensq; oculos, à longe locũ eum prospexit. Quid ais? qui in locum uenerat, eum è longinquo prospexit? sed fortasse uocabulũ unũ duas res significat, & dei sermonẽ, & ipsum deũ. ille uerò qui sapiẽtia duce iter faciebat per inhospita, peruenit ad locũ priorẽ, doctus propitiatiõis caput et summã esse dei sermonẽ: ubi constitutus nondũ ad eum Qui est deũ penetrat, procul eum aspiciens: imò ne hoc quidẽ assecutus, tantũ uidet eum longe abesse ab omni creatura, quò nullius humanæ mẽtis cõceptus posſit accedere. Fieri tamẽ potest ut hæc allegoria per locũ nõ illum rerũ autorem significet, sed intelligẽda sit hoc modo: Venit in locũ, et attollẽs oculos uidit ipsum locũ in quẽ uenit, lõge disſitũ ab illo innominabili & ineffabili deo modis omnib. incõprehensibili. His ita prædefinitis, quando Charras, id est in sensus peruenit Meditator, nõ occurrit in locũ implendũ mortali corpore: hic eñ communis est omnib. terrigenis necesſitate locum aliquẽ occupãtibus: nec in illũ tertiũ optimũ, de quo uix cogitare poterat accola putei denominati à iuramẽto, ubi à seipso doctũ genus Isaac habitat, nunq; à dei fide discedẽs: sed in mediatorẽ sermonem diuinũ suggerentẽ præcepta optima & cuiq; opportuna tempori. Deus eñ nõ dedignatus sensui se ingerere, suũ uerbum auxiliare mittit uirtutem amantib. id medetur morbis animæ, sacra præcepta ceu leges nunq; antiquandas statuens, & ad hæc exequenda inuitans, atq; etiam more pædotribarum robur ad inuictã habitudinẽ promouens. Merito igitur qui ad sensum peruenit, nõ deo, sed uerbo eius occurrit, sicut auus in cuius sapientiam successerat. Legimus enim: Discesſit dominus postq; desiit loqui Abrahamo, & Abrahã reuersus est in locum suum. Vnde colligitur, ea uerba obuenire sacerdotibus, à quib. uerbis deus discesſit, nõ per seipsum imaginationes porrigens, sed per suas potentias. Illud aũt egregie dictũ est, nõ uenisse in locũ, sed occurrisse. Venimus eñ sponte, occurrimus sæpe inuitati, quando repente dei sermo allucens inexpectatum gaudium spe maius animæ desolatæ comes futurus porrigit. nã & Moses ut occurrat deo ducit populũ, gnarus uenturũ ex improuiso & inuisibiliter ad desiderantes animas, & cupiẽtes occurrere. adiungitur aũt causa propter quam Iacob occurrit eò. Occiderat eñ, inquit, sol.] nõ hic õmnib. cõspicuus, sed lucidisſimũ lumẽ inuisibilis dei maximi. Hoc quoties mẽtẽ illustrat, secũdarij splẽdores uerborũ occidũt, loci uerò sensibiles multo magis obscurãtur: quo decedẽte, illi mox existũt & exoriuntur. Nec mirũ solẽ iuxta regulas allegoricas adsimilari patri principiq; rerũ omniũ: quãdoquidẽ re uera nihil dici potest deo simile, opinione autẽ hominum duo tantum, alterum inuisibile, alterũ uisibile, anima inuisibilis, sol uisibilis. Animę similitudo indicatur aliubi, scriptura dicẽte: Fecit deus hominẽ, secundũ imaginẽ dei fecit eum. Et iterũ in lege aduersus homicidas lata: Qui effundit sanguinẽ hominis, talione sanguis eius effundetur: quoniam ad imaginẽ dei feci hominẽ. Solẽ aũt hic figurate intelligendum aliũde quoq; facile potest colligi: quoniã deus est lux primaria. Dominus lux mea & seruator meus in hymnis canitur. nec tantũ lux, sed omnis aliæ

lucis

lucis archetypum, imò plus ꝗ archetypum si repetatur antiquissimę origines, sui sermonis exemplar. nam effigies illius uerbū est & lumen integerrimum, ipse uerò nulli creaturæ similis. præterea sicut sol diem noctemq; discriminat, ita deū Moses dicit discreuisse lucē à tenebris. Diuisit eñ deus lucē à tenebris. Alioquin etiā sicut sol occulta corpora detegit, sic deus omnia creans, nō solum in lucē produxit, sed & quæ prius non fuerant, condidit, creator magis quàm opifex. Cæterum sol multa in scripturis sacris subindicat: uno modo mentem hominis, quam ædificāt sicut ciuitatem & muniunt, qui creaturam creatori præferunt, in quos dictum illud competit: quòd ædificauerunt ciuitates munitas Pharaoni, Pitho sermonem persuasibilem, & Ramesem sensum, more tineæ rosurum animā. sic enim hoc nomen interpretatur, quassatio tineæ, uel efferans mentem, quod pòst in Heliupolim uersum est. nam mens sicut sol in uniuerso, in nobis principatum gerit, extendens ubiq; suos radios. Sacerdotem autem & cultorem mentis socerū sibi adsciscit quisquis in ius corporeę ciuitatis adscribitur, quib. Iosephi nomē cōuenit. Dedit, inquit, ei coniugē filiā Petephræ sacerdotis Heliupoleos. altero modo sol sensum figurate significat: quia sensus mēti indicat omnia sensibilia: in quo significato dicūtur hæc: Exortus est ei sol, quando præterijt dei uisio. Ita est profectò, cum à sacratissimis ideis & tanquam imaginibus incorporeis, non ualentes earum cōtemplationem diutius ferre, auertimur, alio lumine sensibili utendum est, quod cum illo collatum nihil differt à tenebris: quod exortū, excitat quidem uisum, auditū, gustum, tactum, odoratūq;, sed prudentiā, iustitiam, scientiam, sapientiā, uigilantes mētes, in somnū uertit, quamobrē ante uesperā neminē purum eloquia sacra pronunciant, turbantibus mētem incompositis sensuum motibus. Ibidem & sacerdotibus lex sancitur, interdicens sic: Non edet de sacris, nisi abluto aquis corpore, purificatus post solis occubitum. docemur enim aperte his uerbis, neminem satis sanctum esse ad obeunda sacra mysteria, qui mortalis uitæ claret honoribus: sed si quis horum contemptor ut par est, illustratur à prudentia, ut sic possit eluere uanæ gloriæ maculas. No'nne uides solem ipsum aliud orientem aliud occidentem efficere? post exortum eius illustrantur in terris omnia, in cælo uerò cælantur. ediuerso post eius occasum sidera quidem promicant, terrestria uerò cuncta obteguntur umbris superuenientibus. ad eum modum res nostræ se habent: quoties sensuum splendor tanquam sol oritur, tunc scientiæ reu era cælestes occultantur: quoties autem ad occasum accedit, tunc fulgētissimæ uirtutum stellæ se proferunt, quando etiam mens ipsa re nulla uelante fit sensibilis. In tertio significato sol uocatur dei sermo, imago cælestis numinis, ut ante diximus, de quo dicitur, Sol exortus est super terram, & Lot intrauit in Segor, & dominus pluit super Sodomam ac Gomorram sulfur & ignem. Cum enim dei uerbum in terrenam istam nostram compagem peruenit, uirtutis cognatis sectatoribusq; auxiliatur, salutare præbens refugium: aduersarijs uero immittit perniciem ineuitabilem. In quarta porrò significatione sol dicitur ipse deus omnipotēs, ut iam dixi, qui peccata insanabilia, quamuis latere uideantur, reuelat. nam deus & potest & nouit omnia

omnia. Quapropter eos qui diuertunt à rebus animę, & lasciue conuersantur cum mentis filiabus, id est sensibus, tanquã cum meretricibus, contra solem tolli iubet. Scriptum est enim, Et diuertit populus in Setin. quę uox sentes interpretatur, nimirũ quod pungãt animam. Et profanatus est, inquit, scortando cum filiabus Moab. sensus aũt nunc uocantur filiæ. nam Moab ex patre interpretatur. moxque subiungit: Sume omnes qui populo fuerũt autores huius flagitij, & tolle hos contra solẽ domino, & auerteturira domini ab Israel. nam nõ hoc tantũ hic agitur, ut occulta scelera in solẽ proferantur, uerum etiã ut figurate sol uocetur pater ille omnipotẽs, cui sunt omnia conspicua, etiã quæ in mentis intimis uersantur cogitationibus. post sublatos aũt scelestos pollicetur deũ fore propitiũ, cuius unius fauore opus habet populus. Quamobrẽ? Quia si mens rata posse malefacta sua latere deũ, quasi non cernentẽ omnia, clam peccat: deinde uel ipsa resipiscẽs, uel ab alio monita cogitat impossibile esse ut deũ fallat aliquid: excutiens'que omnia sua facta tanquam in solem profert spectanda inspectori omnium, fatendo se pœnitere prioris opinionis impię (nihil enim ignotum deo, nõ scenti non solum præterita, sed & futura pro immensa sua potentia) purgata & percurata est, placato exactore pœnæ qui iam instabat iratus non immerito, sed fratris pœnitẽtiam libens uolensque ut innocentiã accipit. Idem significatũ solis & alibi reperitur, sicut in lege scripta de datis creditori pignoribus. Si pignus acceperis uestem à proximo, ante occasum solis reddes eam. est enim eius amictus, quo solo tegit suam turpitudinẽ, in quo cubat etiam. si cõtra te clamauerit ad me, exaudiã eum. sum enim misericors. Qui uident legislatorẽ tam diligenter de amictu præcipere, possent si nõ obijcere, certe taciti cogitare, Quid dicitis ô boni? Omnipotẽs rerum conditor misericordem se uocat ob tantillum negocium, ob uestẽ debitori à creditore nõn redditã? Istæ opiniones sunt ignorãtium dei magnitudinẽ. quam æstimantes è pusillanimitate hominum, beatæ illi naturæ ingenitæ immortalique tales affectus pręter ius ac fas tribuunt. Quid enim absurdi faciunt creditores si pignora detinent tantisper dum res suas recipiãt? Dicet aliquis creditores pauperes & dignos miseratione: no'nne igitur fuit satius legem scribere de collationibus faciẽdis in subsidium talium prius quam petãt mutuũ: aut uetare pignus à debitore accipere? cęterũ qui iam id permisit, non æquũ facit dum ante tempus non reddẽtibus indignatur tanquam impijs. & homo ad extremã redactus pauperiẽ, amictus pannis detritis ac uilibus, onerabit se nouis debitis, obuiorũ miseratione negligens, quæ miseris & egenis ostiatim patet pro templis, in foris, & passim aliubi? at iste mauult unicum pudoris tegmentũ, quo uerẽda uelabat, creditori suo porrigere. cuius rei pignus dic obsecro. num uestis melioris? nam alimenta necessaria desunt nemini, quamdiu fluuij manant è fontibus, torrentes inundãt imbribus, terra fructus reddit annuos. Potest'ne inueniri tam auarus, aut crudelis, aut importunus fœnerator, ut quatuor pauciores'ue drachmas fœnerari malit quam donare? & unicũ illud uestimentũ nõ uerebitur accipere pignori? id uero spoliatoris magis quam fœneratoris fuerit. nam prædones solent detractis uestibus nudos dimittere. Quid porrò sibi uult, quod

solicitus de illo ne noctu detectus cubet, diurnę uigilantis nuditati pudoriq; nō æque prospicit? noctu certe omnia tegūt tenebræ, ut aut minus aut nihil pudeat: dies lucem infert, & pudorē magis incutit. Cur aūt non dare uestem iubet, sed reddere? quæ reddūtur, aliena sunt: pignus creditoris magis q̃ debitoris cēsetur. Sed non animaduertis, quòd debitor accipiens uestem in usum stragulæ, non iubetur redeunte luce fœneratori eam restituere? Alioqui si proprietas locationis cōsideretur, uel tardiori liquet aliud in his uerbis intelligi. pronunciant eñ magis q̃ præcipiunt. nam si præciperet, diceret: uestem oppigneratā, si creditor aliam nō habuerit, reddito ante uesperam, ut ea se posit noctu obuoluere. pronuncians autē ita ut contextus habet, loquitur. id enim solum ei restat amiculum, operimentū turpitudinis, in quo cubabit. Hoc cauillatorib. & criticis respōsum sit, nos secundum allegoriæ leges rem explicabimus. Dicimus igitur per uestē figurate sermonē intelligi. nam frigoris ac ęstus iniurias uestis depellit à corpore, uelat quæ natura uelari uult, & pro ornamēto est quadrās corpori. similiter etiā sermo à deo datus est homini munus pulcherrimū. primùm pro telo esse potest aduersus insidiatores. nā sicut cæterę animātes suas quęq; uires habent à natura datas ad arcendos impetus lædere uolentiū: sic eadē natura homini dedit maximū propugnaculū & arcem munitisimā sermonem, quo tanquā armatura tegatur undiq;, domestico aptisimoq; protectus satellite, & hostem infestantē lacessentemq; ipse illæsus submoueat. secundus eius usus est necessarius, q̃ probra operit & dedecora. efficax eñ est sermo ad prætexēda peccata hominum. tertius, q̃ totam uitam ornat. quid enim aliud uniuersa & singula in melius promouet? nō desunt tamē pestilentes homines, qui sermonē quoq; pro pignore capiunt, & habentibus adimunt, & quem augere debuerāt, succidunt: quemadmodū hostes faciunt dum agros uastāt, fruges cęterosq; fructus depopulādo, qui seruati potuissent esse usui. quoniā sunt quidā hostes perpetui rationalis naturæ, qui ante tēpus detondent eius segetes, et prima germina deterunt, ut ei sterilitatem inducant bonorum operū. cùm enim illa eruditionis sacræ desiderio rapitur, uerę philosophię cupida, prę inuidia timētes ne si res ei succedat ex sententia, obscœnitates eorū ac fucata cōmenta more torrētis subruat, impetum eius uertūt aliò malis artibus, deriuando in artes illiberales & uulgares ac sordidas. interdū etiam præclaris ingenijs sepes obdunt, ut occulta maneant, tanquam perfidi tutores qui pupillorū fertiles agros uepretis sinunt obsolescere. nec pudet immitissimos omniū, sermonem unicam hominis uestem diripere. Est enim, inquit, hoc unicum eius amiculū. Quid nisi sermo? nā sicut equi hinnitus est proprius, latratus canis, bouis mugitus, rugitus leonis: sic sermo hominis. hic est enim proprie munimentū, indumentū, armatura & arx hominis, animalis deo charissimi. ideo subiungit, hoc solum est tegmentum eius turpitudinis. quis eñ ęque ac sermo tegit uitæ probra & dedecora? nam inscitia est brutæ naturæ cognatū dedecus, eruditio rationis germanū ornamētum & domesticū. Ergo ubi cubabit, hoc est requiescet, homo nisi in sermone? sermo eñ ęrumnosissimū genus nostrū subleuat. Et quēadmodū doloribus, timoribus, alijsq; malis pres-

lis pressos fauor, sedulitas dexteritasq; amicorum sępe refouet: sic nō sępe, sed semper, grauissima onera, quę nobis imponit uel corporis cōiuncti necessitas, uel externus casus aliquis ex improuiso irruēs, dimouet pręsentissimū sermonis rationis'ue remedium: qui socius et amicus familiarissimus à natura nobis est nō tā additus q̃ adglutinatus ut inuisibiliter sic insolubiliter. ideo præmonet quid conferat, & si quid secus accidit q̃ uolumus, nō uocatus succurrit, præstans nō alterū tantū officiū, ut adiuuet sine consilio, uel consulat sine auxilio, sed utrūq; pariter. nec enim uires habet semi perfectas, sed omnibus partibus integras. qui etiā si quādo frustretur consilio, aut erratum opera corrigit, aut quod tertium superest auxiliū, ad consolationem se uertit. nam affectibus ceu animę uulnerib. oratio remedium est saluberrimū, quod legislator ante solis occasum admoueri uult: hoc est prius q̃ illustrissimi maximiq; dei splēdor occidat, quē misertus nostri mēti humanæ inserit. Nam quādiu in anima lucet lumen illud diuinissimum, reddere debemus sermonē oppigneratū ceu uestē, ut homo recepta possessione propria, turpitudinē uitę obtegat, & fruatur diuino munere, quiescatq; securus præsentia talis adiutoris et consiliarij, nunq; deserturi suum ordinē. proinde splendente tibi adhuc diuino lumine sacratissimo, cura ut interdiu pignus restituas suo domino. nam post occasum, sicut tota Agyptus, palpabiles habebis huius seculi tenebras: percussusq; cæcitate atq; ignorantia, omnib. quæ in tua potestate fuerāt, spoliaberis ab Israele perspicace, cuius tenebas pignora, ingenuū in seruitutē uindicās. Hæc prolixius paulo disseruimus, nō ob aliam causam nisi ut doceremus, q; meditatoria mens mota inæqualiter nunc ad ubertatē, nunc ad sterilitatē, & quodam modo semper iter faciens, quando sublimis fœcundatur, ab archetypis incorporeisq; illustratur radijs fontis rationalis, id est dei perficiētis omnia: rursum quādo descēdens sterilescit, incidit in motas ab eis immortales intelligentias, quæ uocantur angeli. Ideo nunc quoq; dicitur: Occurrit in locum: occiderat em̄ sol. nam quando anima luce dei destituitur, inducēte in rerū cognitionē, exoritur secundariū & debilius lumē uerborū iam nō rerum, sicut & in hoc mundo inferiore. Luna em̄ secundum luminare à sole, post illius occasum lumē in terrā mittit debilius. Quin et illud occurrere in locum aut sermonē, pro magno beneficio conceditur his qui nō possunt deum loco sermoneq; superiorē cernere, ut qui non in totū caligantem habeant animam: sed quia purissimus ille splendor eis nō apparet, uel temperato fruantur. Nam filijs Israel lumen erat quocunq; uenirent, ut narratur in Exodo, nocte ac tenebris semper fugientibus, in quibus uiuūt homines orbati mentis oculis, non uidentes uirtutis radios. Alij, qui solē accipiunt pro sensu menteq;, in quib. iudicandi uim collocant, locū uero pro dei sermone, sic allegoriam intelligūt: occurrisse meditatorē sermoni dei, post occasum mortalis humaniq; luminis. nam quādiu sensus aut mens existimat se intelligibilia tenere firmiter, & uersari se in sublimibus, lōge abest sermo diuinus. quando uero utrūq; suam debilitatem fatetur, & abdens se quodāmodo occidit: mox prompte occurrit rectus ille sermo gratulabundus desperāti de suis uiribus, & præstolāti opem aduenientis inuisibiliter. Legimus

gimus deinceps, quod sumptis lapidib. eius loci supposuit eos capiti, & dormiuit in loco illo.] Miranda sunt hec non solum propter allegoriā & physiologiam, sed etiam propter simplicem narrationem pertinentē ad exemplum laboris ac patiētiæ. non decet em̄ uirtutis sectatorē uita delicata, nec imitatio beatorū istorū ut uocantur, re uera miserorū quantumlibet sint in honore ac pretio: quorū tota uita somnus est & somniū si sacrarū legum latori credimus. Hi postquam per totū diē in tribunalibus, in curijs, in theatris & ubique, molesti fuerūt alijs, reuersi suam domū destruunt infelices: non loquor de ædificijs, sed de animæ cognata domo hoc est corpore, quod immodicis delicijs alijs super alias ingestis obruūt, & mero multo rigant, donec ratio mersa pereat, & affectus qui sub uentre nascūtur ex saturitate, in effrenem rabiem conciti, quicquid obuiam fit corripiant ad sedandos libidinis furentis stimulos. noctu uerò dormituri in auratas spondas & pictos tapetas decumbunt molliter more mulierū, quibus natura uictū delicatum permittit, & ideo corpus etiā earū mollius fecit opifex. Talis nemo sacro uerbo familiaris est, sed ueri uiri, sobrietatis, honestatis, pudoris amatores, qui ad continentiā, frugalitatē, patientiam, ceu ad crepidines quasdā iactati uitæ procellis animam tantum non mergentibus in stationē tutissimam se recipiunt, contemptores pecuniæ, uoluptatis, gloriæ, atque etiam cibi potusque, nisi quantum ad arcendam famem sufficit, parati propter uirtutem perferre sitim æstus frigora, & difficultates cæteras, quos ne uestitus quidem pudet simplicissimi, imò luxū uestium ut ignominiosum fugitant. his pro cubili pretioso est solum herbidum, pro stragulis congestæ frondes & folia, pro puluino saxum aliquod aut tumulus paulo accliuior: quorum uictum delicati durum uocant, honestatis autem sectatores existimant iucundissimum. conuenit enim uiris qui re uera uiri sunt. Vides ut nunc quoque innutritus regijs facultatibus athleta uirtutis inducitur humi cubare saxo pro puluino supposito capiti: & paulo post dū precatur, panem ac uestem petit naturæ diuitias, quippe cui luxus ostentatioque nunquam placuit, nec admiratores rerum talium. hic est uerum exemplar exercitatæ animæ, infensus effœminatis omnibus. Hactenus de laude uirtutum sectatoris hominis industrij. nunc quærendum quid hæc figura significet. Sciendum autem quòd Dei locus & sacrata regio plena est rebus incorporeis. eæ sunt immortales animæ siue intelligētiæ. ex his unā selectam hic noster, tanquam caput coniuncti corporis, ad mentem suam propeadmouet. mens enim quodammodo est caput animæ. id uerò facit quasi dormiturus, sed reuera quieturus in uerbo Dei, & totius uitę suæ onus posthac iam leuius depositurus in eo. ab hoc aūt uerbo libēter athleta noster excipitur, futurus nouus discipulus: qui mox approbata naturæ dexteritate uelut à pædotriba instituitur, & inuitatur ad exercitia, assuescitque colluctari, donec inuictum robur acquirat, auribus in diuinis contemplationibus utendo uice oculorum, ascitusque in nomen ad gentem Israeliticā, hoc est uidentium. tunc etiam insigne uictoriæ lauream à uerbo accipit. id genus coronæ nomen habet mirum & absurdum, quod ominosum forte uideri posit. nam Torpor uocatur à præside certaminis. Scriptum est

enim quòd obtorpuerit latitudo præmiorum præconiorumq; & honoratissimarum uirtutum omnium. nam anima fortita uires inuincibiles, & absoluta in uirtutũ exercitijs, assecutaq; metam honestatis ultimam, non solet se iactanter extollere, & summis (ut uulgus loquitur) digitis incedere, quippe quæ potest integris pedibus ingentes passus facere. torpescet autem & contrahet amplitudinem opinione dilatatã antea. deinde ultro succumbens claudicabit, ut incorporeis naturis inferior, atq; ita dum uinci uidetur, uictrix euadet. debemus enim cedere præstantioribus, et honoris eorum rationem habere. Nam secunda palma in hoc certamine maiorem dignitatem affert quàm prima in reliquis. Hæc uice præfationis in somnium diuinitus missum dicta sint. iam tempus est ut ipsum tractemus excutiendo diligenter partes eius singulas. Et uidit in somnis, inquit, & ecce scala stans in terra, cuius caput attingebat cælum, & angeli dei ascendebant descendebantq; per eam.] Scala in hoc uniuerso, quod mundus dicitur, aer figurate intelligitur, cuius basis terra, caput cælum est. nam à lunari orbe, qui extremus est circulorum cœlestium, primus autem uersus nos, ut describunt contemplatores rerum sublimium, usq; ad superficiem terræ per totum id interstitium aer extenditur. hoc est animarum corpore carentium domicilium. quia opifici mundi omnes eius partes animalib. implere placuit. ideo terrestria terris attribuit, mari fluuijsq; indidit aquatilia, cælo uero sidera. nam hæc singula nõ solum animalia dicũtur, sed & mentes purissimæ. itaq; et in reliqua parte huius uniuersi, uidelicet aere, animalia creata sunt. quod si non patent sensibus, quid tum postea? nam & anima est inuisibilis, & uerisimile est aerem potius quàm aquã alere animalia. quamobrem? quia aquatilia quoque animantur aere. fecit enim eum conditor ut sit immobilibus corporibus habitus, mobilibus uero natura inuisibilis, impetu aũt imaginationeq; utẽtibus, ut sit anima. annon igitur absurdũ uidetur elementum quo animantur omnia, animabus carere? ideo nemo optimam naturam animalium optimo in terris aeri adimat. adeò enim non est desertus solus ex reliquis partibus, ut instar populosæ ciuitatis ciues incorruptibiles immortalesq; habeat animas stellis pares numero. harum aliæ descendunt illigandæ corporibus mortalibus quotquot uiciniores sunt terræ amantioresq; corporum. aliæ sursum redeunt separatæ denuo post præfinitos à natura terminos. & ex his aliæ tactæ uitæ desiderio rursum ad eam recurrunt. aliæ pertæsæ huius uanitatem corpus ceu sepulcrum aut carcerem fugiunt, & sublimem ætherem petentes pẽnis leuibus totum æuum ibi exigunt. Sunt item quædam purissimæ optimæq; omnium, quæ altius diuiniusq; sapiunt, aspernatæ ista terrestria & humilia, ministræ omnipotentis, tanquam magni regis aures & oculi, uidentes audientesq; omnia. has genios philosophi, angelos uocant sacræ literæ nomine aptissimo, sunt enim internunciæ, patris mandata perferentes ad filios. & ad illum uicissim preces filiorũ. ideo inducuntur ascendere & descendere: non q; indicib, opus habeat deus qui iam ante scit omnia: sed quoniã id cõducit nobis mortalibus habere mediatores illos & arbitros, quo magis reuereamur rerũ omnium præsidẽ, & eius maximã potentiam, quã reputantes

olim rogauimus quendam mediatorem: Loquere nobis tu: deus non loquatur ad nos, ne moriamur. adeò enim non possumus ferre illū castigantem, ut ne mera quidē eius beneficia queamus capere, si ea per se ipsum sine alijs ministris porrigat. Pulchre autem scala terræ infima sui parte hærens figurat aerem. exhalationes enim è terra expirantes tenuātur in aerem, ut terra quasi radix, cælum uero quasi caput sit aeris. Sunt certe qui dicant, lunam non esse globum puri ætheris, ut cætera sidera, sed mixtum ex æthere aereq;: & apparentē in ea maculam. quam nonnulli uocant faciem, nihil aliud esse quàm admixtum aerem, qui suapte natura niger usq; ad cælum tenditur. hæc est igitur illa mundi scala, quam in præsenti figura intelligimus. quod si eam quæramus in hominibus, inueniemus animā, cuius basis est penè corporea, & tanquam terrea scilicet sensus: caput uero tanq; cæleste mens illa purisśima. per eam sursum deorsumq; feruntur indefinenter diuinæ intelligentiæ: quoties ascendunt trahentes eam secum diuellentesq; à rebus mortalibus, & pro dignitate tantum ostendentes ei spectacula: sed non detrahentes secum, quando descendunt. nam nec deus, nec dei nuncius, detrimenti causa est: sed condescendunt propter caritatem, ut succurrant misero nostro generi, & animam quasi à flumine raptā fauore suo seruent incolumem. purgatisśimas quidem mentes solus deus omnipotēs insensibiliter inuisibiliterq; dignatur inuisere. Sic enim legimus in quodā oraculo uiro sapienti reddito: Inambulabo in uobis, & ero deus uester. eas uero quę adhuc lauantur, nondū absterśis omnibus sordib. contractis ex corpore, interuisunt angeli & exhilarant aspectu honestisśimo, quibus immigrantibus quātum malorum pellatur, quantum'que bonorum substituatur, manifestum est. Da igitur operam ô anima, ut fias dei domus sacrosancta, robusta reddita è debilisśima, potens ex impotente, ex imprudente intelligens, è delira sapientisśima. Quid si autem suammetipsius uitam meditator in somnis uidet scalæ similem? est enim naturaliter inæqualis res meditatio, nunc proficiens in altitudinem, nunc deficiens in contrarium, & tanquā nauis nunc secundis nunc aduersis uentis nauigans. alternis enim diebus, ut quidam ait, mutatur uita exercentium se in uirtutis studio, modo uiuens ac uigilans, modo mortua dormiensq;. nec absurde dictum id uidetur. sapientes enim olympiam cælestemq; regionem habitandam sortiti sunt, docti semper altiora petere: mali uero inferorum specus intimos, qui ab initio finem usque mori didicerunt, assueuerunt'que usq; ad senectutē ab incunabilis. at meditatores, inter extremos medij, susq; deq; per scalam feruntur, aut meliore fato subducti, aut reiecti contrario, donec huius cōtentionis digladiationisq; præses deus parti potiori addicat præmium, in totum profligata deteriore. Est & alterius cuiusdam rei similitudo hoc somnium, non prætereundæ silentio. Res humanæ habent naturalem quodammodo scalæ imaginem, propter cursum inæqualem inconstantemq;. una enim (ut ille ait) dies, alium de fastigio detrahit, alium tollit in altum, cum nihil in eodē statu apud nos perpetuo maneat, sed cuncta uarijs omnifarijsq; mutentur uicisśitudinibus. Annon ex plebeijs principes, plebeij fiūt ex principibus: pauperes è diuitibus, è pauperibus

bus locupletiſſimi,honorati è contemptis,ex obſcuris clariſſimi, mutatione pulcherrima?nam fieri poteſt ut is cui totus mundus eſt domicilium,apud te quoq; habitans curam gerat ſuarum ædium, easq; ſartas tectas ſemper tueatur.hæc eſt uia rerum humanarum accliuis decliuisq;,incertis obnoxia caſibus,quorum inæquabilitatem ipſum tempus ueritatis amiciſſimum non obſcuris argumentis indicat. Somnium autem oſtendit innixũ ſummæ ſcalæ principem angelorum dominum. Credẽdum eſt enim ſicut in curru aurigam aut in naui gubernatorem,ita rebus omnibus ſuperſtare eum Qui eſt,corporibus,animabus,animantib.mentibus,angelis,cunctis quæ terra uel aere uel cælo continentur naturis tum uiſibilibus tum inuiſibilibus.totum enim ille mundum ex ſe pendentem regit. Cum autem dicitur innixus ſcalæ,nemo intelligat deum laborare ut eam molem ſtabiliat:illud potius cogitet his uerbis ſignificari, deum eſſe robur firmitatemq; rerum,quibuſcunque uult aſſignare ſtabilitatem perpetuam. tantiſper enim dum ab illo ſuſtentantur,incõcuſſæ manent atq; integræ.ille igitur cæleſti ſcalæ innixus ſic dormientẽ in ſomnis alloquitur: Ego ſum dominus deus Abrahami patris tui,& deus Iſaaci:noli timere.] Hoc oraculũ & uiſio fuit & confirmatio meditatricis animæ,quod eam docebat,omnium rerum dominũ deumq; utrumq; eſſe humano generi, cuius patres auosq; adoptat, eorum dominum deumq; ſe profitendo,ut eadẽ ſit uiri boni quæ mũdi totius ſors & cõditio:quia ſcriptũ legimus,Dominus ipſe ſors eius eſt.Caue autẽ putes temere dici hic Abrahami dominũ deumq;, Iſaaci uero deũ tantummodo. Nã hic figura eſt ſuopte ingenio partæ abſq; præceptoris operа ſciẽtiæ:Abrahã aũt ex præceptorib.cognitæ:& hic indigena fuit, ille peregrinus & aduena. ille eñ omiſſa externa barbaraq; lingua Chaldęorum de ſiderali ſciẽtia ſubtiliter differentiũ,uertit ſe ad rationali animali conuenientem cultũ creatoris rerum omnium : cuiuſmodi homini duarum potẽtiarũ opus eſt auxilio,principalis & beneficæ:ut & imperio legibusq; domini ſit obediens,& ualde adiuuetur eius beneficentia. alter uero ſola indiget gratia.nec eñ caſtigatione profecit in melius,innatã uirtutẽ habẽs, ſed iã inde ab initio propter accepta diuinitus dona perfecte bonus euaſerat. cæterum beneficæ potentiæ deus nomen eſt,regiæ uero dominus. utrum igitur dicendũ eſt antiquius?an dignum haberi pura putaq; beneficentia? utrum autẽ poſterius?non'ne quod & ex dominio tẽperatur & ex gratia? quod intelligens meditator ut mihi uidetur,precatur rem mirificã,ut ei dominus fiat in deum.uolebat eñ nõ amplius timere ut principem,ſed amanter honorare ut bene meritum.His atq; huiuſmodi cæteris ſacræ ſcripturę locis non'ne decebat homines, qui modo integros habeãt mentis oculos, illuſtratos perſpicere quis ſenſus interius lateat, ſcrutariq; naturæ ſecreta potius q̃ in apertis dictis conſiſtere?attamẽ etiamſi nos conniuentib.animæ oculis aut non curauerimus aut non potuerimus cernere, ipſe ſacrorũ antiſtes ſubmonet,addens animum ne deſperemus donec nos introducat in penetralia,illatoq; lumine oſtẽdat myſteria pulcherrima nunq; uiſa profanis hominibus.ita profecto decet facere. At uos animæ quotquot diuinum amorẽ guſtaſtis,tanq; ex alto ſomno excitatæ, diſcuſſa caligine pro-

perate ad mirificum spectaculum, & tardam cunctationem deponite, ut cō sideretis quàm multa spectatu audituq́ dignissima noster agonotheta ad uestram utilitatem præparauerit: quandoquidē plurima ostendi possunt memorabilia, & in his unum illud quod paulo ante diximus. nam auum meditatoris, patrem uocat oraculum: uero autem eius patri non addit hāc appellationem. ait enim: Ego sum dominus deus Abrahā patris tui. atqui auus hic fuit. & rursum, deus Isaac, nec addit patris. hæc non'ne digna quæstione sunt? maxime. inspiciamus igitur non negligenter quid sibi uelint. aiunt uirtutē parari uel natura, uel meditatione, uel doctrina. ideo tres nostri generis autores sapientes ciues describuntur, non eodem modo ad eundem finem contendisse. nam horum antiquissimus Abraham doctrina duce uiæ ad uirtutem ferentis usus est, sicut alibi quoq́, quoad fieri potuit, ostēdimus: medius uero Isaac natura, eadem magistra atq́ discipula: tertius autem Iacob, meditatorijs exercitijs, quæ uersantur in certaminum laboribus. cum igitur tribus modis acquiratur sapientia, extremi uniuntur maxime. nam doctrinæ progenies est meditatio. cæterum natura cognata quidem ut radix omnium, sine certamine tamen sortita est præmium. Itaq́ merito Abraham qui per doctrinā profecit, pater Iacobi dicitur meditatione prouecti, ut non tam homo cum homine conferatur, q̄ uis audiendi ad discendū paratissima, cum ui meditādi ad sentiendū idonea. Attamē si hic meditator bene ad finē decurrat, & clare cernat quę prius per somniū uiderat, in meliorē notā transformatus, & appellatus Israel id est, deū uidēs pro Iacob supplantatore, nō amplius ex patre Abrahā docto censebitur, sed ex bono Isaac naturali parēte suo. hæc nō mea cōmēta sunt, sed oracula inscripta sacris tabulis. Sublatis, inquit, Israel omnib. reb. suis uenit ad Iuramenti puteū, & immolauit uictimā deo sui patris Isaac. Intelligis iā nō de mortalib. hominibus, sed de naturæ negotijs pręsentē sermonē accipi? ecce enī idē modo Iacob ex patre Abrahā natus, modo Israel ex patre Isaac uocatur ob causam iam redditam. Ergo postq́ dixit: Ego sum dominus deus Abrahā patris tui, & deus Isaac, subiungit, Noli timere. merito. Quomodo enim posthac timere possumus cū habeamus te pro clypeo depellēte omnes metus & affectus alios, qui etiā exemplares institutionis nostræ formas proposuisti in propatulo bene doctū Abrahā & bene natum Isaac. alterius enī magister, alterius pater nominari sustinuisti, illum in familiariū, hunc in filiorum, recipiens ordinē. Quapropter etiā terram, uirtutem in quā fertilissimam, in qua dormit meditator quiescens, eo quod sensibus dormiat, anima uero uigilet, daturū ei se pollicetur, pacata ipsius quiete delectatus, ad quā nō sine bello bellicisq́ laboribus peruenerat, non armatus aut homines interimēs (absit) sed aduersarios uirtutis affectus debellans & prosternens phalanges uitiorum. progenies autē sapientiæ cum arena confertur, tum propter multitudinē incōprehēsibilem, tum quia marinas undas litoralis arena obiecta repercutit, sicut peccatorū fluctus recta per uerbum diuinū institutio. nā hoc iuxta dei promissum propagatur usq́ orbis terminos, & eos qui recipiunt illud facit totius mundi hæredes, omniū'q́ huius partium uersus orientē, occidentē, septētriones, meridiē. Scriptum est enī,

Dilata-

Dilatabitur ad mare,austrum,septentrionem,orientem'q;.] est autem uir probus non suum tantùm,uerumetiam publicum bonum omnium,prom pte suam opem offerens. Sicut enim sol omnibus lucet habentibus ocu- los,sic sapiens omnibus quotquot sunt ratione prædíti. In te, inquit, om- nes tribus benedicentur.]Hoc oraculum uel singulis cõuenit, uel complu ribus.nam siue mea mens uirtute perfectè purgata fuerit, etiam meæ terre næ tribus simul purificantur; uidelicet sensus & corpus eorum concepta- culum. siue quis in domo aut ciuitate aut regione aut gente prudentiæ a- mator exoriatur, necesse est domum illam ciuitatem'ue gentem'ue mores ac uitam corrigere.sicut enim odoramẽta replent suaueolentia proximos: eodem modo uicini sapientis & contermini ex afflatu eius latissime se dif- fundente meliores euadunt.cæterum maximum beneficium animę certã- ti laborantiq; contingit comes deus omnipotens. Ecce, inquit,ego sum te cum.]Quid igitur nobis deest amplius, cũ te possideamus ueras diuitias, seruantem in uia ducente ad uirtutem per omnes eius species? nõ est enim simplex rationalis uia tendens ad iustiticiam & uirtutes cęteras,sed sunt plu rimę,per quas commode peruenitur ad sapientiam.ualde pulcre autem di citur & illud,Reducam te in terram hanc. Bonum enim fuisset rationem a pud seipsam manere,nec ad sensus proficisci:secundaria uero nauigatio est reuerti ad seipsam. Et fortasse de immortalitate animæ dogma hic subindi catur.relicto enim cælesti loco,ut paulo ante dixi, in corpus quasi peregre profecta est,ei pater pollicetur,non semper se passurum illam teneri carce- re,sed misericorditer soluturũ eius uincula, liberatamq; tutò deducturum in ueterem patriam,nec prius desitum opitulari, quàm effectus fidem pro missionis approbauerit.deo enim proprie conuenit, id quod omnino fu- turum est prædicere,imò quod plus est, ab operibus sermones eius nõ dif ferunt. Excitata igitur experrectaq; ad eum Qui est quærẽdum anima me ditatoria, primùm suspicatur eum adesse inibi. suspenso deinde aliquanti sper assensu,ob hęsitationem eius cogitationis in metum incidit iam pœni tens.Experrectus,inquit,Iacob dixit:Dominus est in loco hoc:ego autem nesciebam.]Cui libenter dicerem:& prę stat ignorare,quàm in loco deum esse credere,qui circumquaque complectitur omnia.meritò igitur timuit, & stupens dixit,Quàm terribilis locus iste.] Vere enim in physiologia dif ficilis est de loco tractatio,in qua quæritur ubi, & in uniuersum an alicubi sit Ens: alijs dicentibus quicquid est occupare locum aliquem, & alijs a- lium ei tribuentibus, uel intra mundum, uel quendam ultra mundanum. rursum alijs contendentibus, nulli creaturæ illum increatum similem, sed in tantum excellere,ut mentem quoq; omnium uelocissimam, ipsius con- fessione post se relinquat interuallo lõgissimo. quã ob rem exclamat con- festim,non est quod putabam,non est in loco dominus. continet enim nõ continetur,ut docet ueritas.mũdus iste quẽ uidemus sensibilis, nihil aliud q; domus est dei,unius ex Entis ueri dei potentijs, qua bonus est.Mundũ nempe domũ & ueri cæli portã nominat.hoc quid sit dicã.Mũdum intelli gibilem illũ qui decreto dei cõstat ex ideis,non licet nobis aliter percipere quàm ex collatione ad hunc nostrum uisibilem ac sensibilem: quia nec aliã

ullam

ullam rem incorpoream cogitare possumus, nisi occasione sumpta à corporibus. quiescentium enim locus intelligitur, tempus uero mobilium. puncta autem lineæ superficiesq́ꝫ, & in uniuersum fines, uelut circundati amictus extimi. eadem ratione cum intelligibilis mundi noticia contingat nobis per sensibilem, hic illius porta dicitur. nam sicut ciuitatē uisuri per portam intrant: sic qui mundum illum inuisibilem uolunt cognoscere, tanquā peregrini sequuntur imaginationem huius uisibilis. At ille mundus essentiæ tantùm intelligibilis absq́ꝫ conspectu cuiuscunq́ꝫ figuræ, solam ideam referens exemplaris ad quod effictus est, ad clarissimam illam speciem umbra carentem reuocabitur, sublatis & mœnibus & portis omnibus, ut nō per aliud spectetur sed per seipsum, ineffabili spectaculo exerens pulchritudinem nunquam mutabilem. De his quoq́ꝫ satis. Huiusmodi somnium est & illud alterum de grege uario, quod ipse qui uidit, experrectus narrat dicens: Angelus domini per uisionem inclamauit me: Iacobe. respondi, quid est? & ait: Leua oculos, & uide hircos arietesq́ꝫ salientes super oues & capras, albos, uarios, intersparsos cinericij coloris maculis. Vidi enim quæ facit Laban. Ego sum ille deus qui apparui tibi in loco dei, ubi unxisti mihi lapidem, & uotum uouisti. nunc ergo surge, & egredere de terra hac, & proficiscere in terram natalem, & ero tecum.] Vides in sacris literis diuinitus mitti somnia, non solum per causam rerum antiquissimam, sed & per ministros eius apparitores'q́ꝫ angelos, qui diuinam felicem'que sortem à summo parente acceperunt? considera tamen & quod sequitur. Sacer sermo alijs ut rex facienda imperat, alios ut præceptor familiares discipulos utiliter instituit. alios item tanquàm consiliarius sentētijs optimis instruit, non ualentes ipsos sibi consulere. rursum cum alijs tanquàm cum amicis fidenter amanterq́ꝫ secreta consilia communicat, quæ profanos audire nefas est. interdum scitatur ex quibusdam, sicut ex Adamo illud, Vbi es? ad quod proprie responderi poterat, Nusquàm: eo quod humanę res omnes nunquàm in eodem statu maneant, subinde mutātē se tum anima, tum corpore, ac rebus extraneis. instabiles enim sunt cogitationes, cum earundem rerum imaginationes non semper easdem, sed interdum contrarias concipiant. corpus quoque pariter instabile, ut indicant mutationes ætatum cōtinuæ ab infantia usque senectutem ultimam. nihilo stabiliores etiam res extraneæ, pendentes à fluctuantis fortunæ arbitrio. Cæterum quando sermo ille uenit in amicorum consistorium, non prius incipit dicere quàm unumquenq́ꝫ nominatim appellet, ut arrectis auribus attenti quietiq́ꝫ audiant oracula ad perpetuam memoriam: quoniā & aliubi dicitur, Sile & audi. ad hunc modū è rubo Moses uocatur. Vt uidit, inquit, eū accedere ad rē uisendam propius, uocauit eum è rubo deus, dicens: Moses Moses. qui respondit, Quid est? Sic & Abraham, quando deo tentante pietatem eius, parans immolare dilectum filium unigenitū, uetitus est genus illud per se doctum, cognominatum Isaac, extinguere. sic enim incipit narratio: q́ꝫ deus tentans eum dixit, Abrahā Abraham, qui respondit, Ecce ego. tum ille: Sume filiū tuū unigenitū quē diligis Isaac, & offer eū mihi in holocautoma. Iamq́ꝫ uictima erat altari imposita, cum reuocauit eum angelus domini è

cælo di-

cælo dicens: Abraham Abraham. qui respondit, Adsum. dixitq; ei, Ne extendas manum tuam super puerum, neq; facias illi quicquam. Ex hoc diuino sodalitio unus hic meditator, meritò & ipse ut non postremus nominatim uocatur. Dixit, inquit, angelus ad me, Iacobe. Cui respondi, quid est? Vocatus attendit diligenter, ut uisa bene percipiat. ea sunt orationum, ceu pecorum, coitus & generatio. Leuatis, inquit, oculis uidit hircos arietes'que salientes super oues & capras.] Hircus caprarum gregis dux est, aries autem ouium. Hæc animalia duos sermones perfectos significant, quorum alter purificat animam, & facit peccatis uacuam, alter eam nutrit, & replet bonis operibus. Tales sunt in nobis duces gregum sermones. greges autem ut oues capræq; quarum gerunt nomina, currentes properantesq; ad iusticiam. Tunc igitur leuatis mentis oculis, quos prius clauserat, uidit similes hircis arietibus'que perfectos sermones, paratos ad minuendas iniquitates & augenda officia. at quomodo? Dum super oues capras'que, uidelicet iuuenes adhuc teneras'que animas, pubentes & uigentes ætate saliunt, non propter brutam uoluptatem, sed propter inuisibilem genituram sapientium dogmatum. fœcundum enim est hoc connubium, non amplexus concilians corporum, sed bene natas animas iungens perfectis uirtutibus. Salite igitur omnes recti sermones, coite, seminate, & quamcunque animam uideritis fœcundam fertilemq; uirginem, ne sinatis præteritam. inuitatam autem ad complexus initiate, redditeq; grauidam. elegantem enim prolem pariet, masculam, albam, uariam, interspersam cinericijs maculis. hæc uerba quid significent, quærendum est. διάλευκοι albi sunt clarissimi & manifestissimi, quòd διὰ sæpe in compositione uerborum augeat rem, ut διάδηλον & διάσημον, quæ uoces aliquid perspicuum insigneq; significant. proinde requiritur ut animæ sacra genitura grauidæ primogeniti fœtus albidi sint, similes non sublustri colori, sed splendido, quales per meridianam serenitatem fulgent solares radij. requiritur etiam uarietas, non illa in lepræ impuræ morem multiformis ac multiplex, quæ propter sententiæ inconstantiam adsimilatur uitæ huc illuc raptatæ incertis casibus: sed literis picturata sigillis'que uarijs, effictis probe omnibus quorum proprietates inter se temperatæ mixtæq; musicam symphoniam conficiant. quidam enim picturandi artem adeo neglectam uilemq; existimant, ut eam ad textores relegent, ego uero etiam nomen eius admiror, præsertim quando terræ segmenta, cælestes circulos, animalium stirpiumq; differentias, & hunc mundi multiformē contextum aspicio. quæ admiratio cogit me credere, huius opificem inuenisse artem uariegandi: atq; ita & inuentorē ueneror, & inuentum eius honoro: operis uero ipsius spectaculo stupeo (quamuis quotā eius portionem uidi?) ex eo quod apparet, si tamen satis apparet, diligentem cōiecturam sperās me posse facere de cętero. Quin & amatorem sapientiæ miror ob eiusdem artis studiū, qui multa uariaq; hinc inde collecta scit cōtexere. Sumens enī à puerili grāmatica hęc duo prima, scribēdi legendiq; facultatē, à perfectiore poematū noticiā & antiquitatū memoriā, ab arithmetica geometriaq; certitudinē in iudicio proportionū ratiocinationūq;, à musica rhythmos, metra

metra concinna,colores,tonos,melos coniunctumq́ disiunctumq́,à rhetorica inuentionem,elocutionem,ordinem,dispositionem,memoriam,pronunciationem,à philosophia quicquid in his est prætermissum, & reliqua ex quibus constat uita hominum, unum opus floridissimum cõficit eruditionem uariam,admiscens ei opificem quoq; huius negotij, quẽ sacra scriptura uocat Beseleel, & interpretatur In umbra dei. hic enim rerũ simulacra fabricat,exẽplaria uero architectus,Moses nomine.ideo ille tanq̃ umbras delineat:hic uero non umbras facit, sed naturas archetypas speciesq́, & picturis ornat sacraria. ille autẽ doctus ornator pictorq́ loci sapientiæ, monumẽtis sacrarũ literarum inseritur.Hoc ipsum quoq; pulchrum opus dei,uariumq́,mundus uidelicet,eadem arte sapienter absolutũ est. Et non mirabimur picturam ut magnam scientiã, cuius sacratum opus extat factũ ratione sapientissima,terra cœloq; tot simulacra cõtinens,unde meditatori uariarum cogitationum materia.post albos enim mox uidit uarios,eruditionis notis insignitos. tertij sunt aspersi cinericij. hos tamen quis sanus nõ diceret uarios? uerùm hic nõ tam de differentijs pecorum agitur, q̃ de uia ducẽte ad uirtutem.uult enim propheta in hac incedentẽ aspergi aqua & cinere: quia terrã aqua maceratã proditum est formatã esse ab hominis fictore in corpus hoc nostrum,non manu factum opus,sed naturale.est ergo principium inuisibilis sapientiæ,non obliuisci suijpsius,& habere semper præ oculis suas origines. Sic enim superbia, uitium cum primis exosum deo, potest elui. Quis enim cogitans se aquam & cinerem iam inde à creationis suæ primordijs,inflabitur:& cristas tollet per arrogãtiam? ideò sacrificaturos etiam ad hunc modum aspergi legislator iubet,neminẽ censens dignum his munijs,qui sibi non sit notus antea,& ignoret uilitatẽ hominis, quam ex elementis è quibus constat, coniectando intellexisse debuerat. Hæc insignia, album, uarium, sparsum cinericium, quantum ad Meditatorem attinet, qui nondum perfectus ea uidit, imperfecta sunt: quantum autem ad uirum perfectum, & ipsa perfecta uidentur. Consideremus quomodo. Principem sacerdotum, quoties rite immolaturus præscriptas uictimas accedit ad altare,ante omnia cinere & aqua lustrari sacra lex iubet,ut in sui memoriã redeat: nam & ille sapiens Abraham supplicaturus terrã se ait esse ac cinerem: deinde talarem stolam induit,& ornatũ pectoralem uarium,cælestium siderum quandã imaginem. Duo enim dei templa esse uidẽtur: alterum hic mundus, cuius sacerdotium est penes dei sermonem primogenitum:alterum anima rationalis,cuius sacerdos est ille uerus homo: cuius hominis imago sensibilis est pontifex, qui patrio ritu uota & sacra facit.huic præceptũ est ut iam dictã stolam induat referentem cæli similitudinem: ut & mundus unà cum sacerdote operetur, & homo cum hac uniuersitate. atq; ita duarũ specierum typi declarantur, sparsæ & uariæ:iam tertiã perfectissimãq́, quæ alba nominatur,explanabimus:quãdo hic ipse põtifex intrat intima sacraria,uariam illam uestem exuit, sumẽs aliam lineã,factam è bysso purissima.hæc significat firmitatem splẽdidissimi luminis. nã hoc telæ genus difficile rumpitur, nec fit ex ulla re mortali, & cum bene purgatur,candorem habet eximium.per quæ illud subindicatur,

tur, ꝙ ex his qui ſedulo pureq́ colunt illud Ens, nemo eſt qui non primũ firma utatur ſententia, contemptis humanis negotijs, quæ illectos lædunt & reddunt infirmiores: deinde immortalitatem cupiat, irriſis figmentis cæcorum hominum: poſtremo illuſtretur ueritatis ſplendore puriſsimo, nullam poſthac admiſſurus falſam opinionem pertinentem ad tenebras. Hactenus de magno pontifice inſignito tribus dictis ſignaculis, albo, uario, ſparſo cinericio. at ille rerum humanarũ adminiſtrationis cupidus, nomine Ioſeph, extremas notas, ut apparet, non affectat, ſed ſolam mediã uariã. narratur enim habuiſſe tunicam uariam, nec aſperſus ſacris luſtralibus, unde agnoſcere poterat ſe lutum factum ex aqua & cinere, nec uirtutis ueſtẽ adeptus candidiſsimam: amictus tantum textura ciuilium rerum uaria, cui minimum quiddam de ueritate inſpergitur, maxima uero ex parte conſtat è mendacijs ratione fucatis, perſuaſibilibus, & præferentibus quãdam ueritatis ſpeciem: unde origo ſophiſtarum Aegyptiorũ omnium, ut ſunt augures, uentriloqui, prodigiorum procuratores, aduerſarij graues & præſtigiatores maximi, quorũ inſidioſas artes difficile habetur euadere. ideo tunicam hanc Moſes inducit naturaliter infectam ſanguine: quoniam tota uita remp. adminiſtrantis contaminatur, dum bellum aut infertur aut propulſatur, infeſtãtib. ſubinde alijs atq; alijs improuiſis caſibus. ſcrutare quẽlibet gratioſum apud populũ, cui bene ſuccedunt negotia. caue te miratores eius decipiant, inuenies multos morbos, multas peſtes in eo latere, huc illuc obtorto collo trahẽtes eius animam inuiſibiliter licet reluctantem ne opprimatur, uel offenſa tandem plebeia multitudine, uel alicuius potentioris inſidijs. huc accedit inuidia grauis inimica & uix ſuperabilis, omnes quæ uocantur felicitates impetere ſolita, quam euitare non eſt facile. quid eſt ergo cur nobis placeamus adminiſtratione reip. tanquam ueſte uerſicolori, decepti eius externa ſpecie, nec animaduertentes latentem in inſidijs periculoſam turpitudinem? quin potius exuta iſta tunica florida ſacram illam ueſtem induimus intertextam uarijs uirtutibus? ſic enim inſidias euademus, quas nobis ſtruit inertia, inſcitia, ineruditio, Labanis ſodalitium. poſtq́ enim nos purificatos luſtrationibus ſanctitatem inducentibus ſacer ille ſermo ueris ornauit philoſophiæ rationibus, adiunctosq́ probatis inſignes ac illuſtres reddidit, incuſamur à malicioſis moribus modo dicta bona infeſtantibus. ait enim: Vidi quæ tibi Laban facit: nimirum contraria meis muneribus, petens te impuris, improbatis, clancularijsq́ artibus. ſed non eſt timendũ freto diuina ope, qua propter dicit, Ego ſum ille deus quem in loco dei uidiſti.] Egregia laus animæ, dignam habitam eſſe quæ deum uideat & audiat. Hic locus non eſt curſim prætereundus, ſed diligẽter examinandus, an duo dij ſint. Legitur enim, Ego ſum ille deus qui tibi apparui, non in loco meo, ſed in loco dei, quaſi alterius. quid igitur dicendum? Re uera deus unus eſt, abuſiue autem plures: ideo ſacra ſcriptura nũc illum uerum per articulum indicat: dicens, Ego ſum ille deus. cæterum abuſiue dictum ſine articulo enunciat, qui apparui tibi in loco dei, nihil adiungens ad dei uocabulũ. uocat autem deum nunc antiquiſsimum ſermonem ſuum, non ſuperſtitioſe de nominibus ſolicitus, ſed unum ſpectans fi

nem propositum.nam & alibi considerans an sit aliquod Entis nomen, satis didici nullum esse proprium:& quodcunque dicatur dici abusiue. non potest enim dici aliud quàm solū Ens. attestatur mihi oraculum illud percontanti de nomine redditum,Ego sum ille Ens: ut cum homo non possit cogitare nisi quæ non adsunt deo,saltem eum esse credat.hunc cum animabus corpore carentibus dicatis ipsius ministerio tanquàm amicum colloqui uidetur probabile: cæterum cum degentibus in corpore, per speciem angelorum,natura nihil mutata interim, quandoquidem est immutabilis: animabus tantum,per uisionem concipientibus formam imaginariam, & ueram speciem se uidere putantibus. est enim decantatum priscorum fabulis,numen humana specie ciuitates obire,obseruando quid in eis cōtra ius & fas fiat.id ut uerum non sit,tamen fortasse uulgatum fuit utiliter. at scriptura,semper sanctè reuerenterꝗ de Ente loqui solita, nihilominus stultorum hominum uitam erudire cupiens, homini quidem eum assimilat, sed nō personis particularibus.ideo manus,pedes,os,uocem, iram furoremꝗ & uindictam etiam,introitus exitusꝗ,sursum deorsum & quaqua uersum motus ei tribuit,hac parte non uerborum ueritatem respiciens, sed utilitatem discentium.nimirum quia nota est quorundā naturæ obtusitas,ut omnino non possint deū cogitare sine corpore,quos non est possibile ad officium reuocari modo alio,nisi audiant deum more humano ire atꝗ redire, descendere ascēdereꝗ,uociferari & indignari propter peccata hominum, interdum etiam inclementer irasci & implacabiliter. imò etiam tela gladiosꝗ & instrumenta ultionis alia contra sceleratos ei parata esse.Bonum certe fuerit,si uel talibus minis intentatis ad sanam mentem redeant. uix enim aliam uiam præter has duas ullus legislator ingreditur: quarum una uergens ad ueritatem docet,non esse deum sicut hominem: altera tardioribus se accommodans ait:Castigabit te dominus deus sicut homo castigat suum filium.quid igitur mirum est eum adsimilari angelis,quādo propter egentium utilitatem non refugit similitudinem hominum:sicut quādo dicit,Ego sum ille deus qui apparui tibi in loco dei. quod sic intelligendum est,eum tenuisse locum angeli ut tunc uidebatur, salua sua natura, ut prodesset nōdum ualenti uerum deum cernere.nam quemadmodum radios solis repercussos uident etiam qui non possunt ipsum obtueri, & in lunaribus radijs,sicut in ipsa conspicitur mutatio:sic imago dei sermo ipsius nuncius,tanquàm ipse intelligitur. Viden' Agar, hoc est liberalem eruditionē angelo dicentem,Tu es ille deus qui respexit me? nō erat enim idonea uidere illum antiquissimum rerum autorem,mulier Aegyptij generis.at nūc mens incipiens proficere,omnium potētiarum regem imaginatur. ideo dicit ipse:Ego sum dominus deus, cuius imaginem tanquàm me prius uidisti,& lapidem mihi inscriptum dedicasti.quę inscriptio docet ꝙ solus ego sto,& omnium rerum naturam statuo, perturbatione confusioneꝗ in ordinem ornatumꝗ reducta,suffultis rebus omnibus, ut firmo nitantur fundamento & solido, potenti meo sermone uidelicet, qui mihi est uicarius. nam lapidea columna tria significat,statum,dedicationem, inscriptionem. de statu inscriptione'que diximus, superest ut explicemus dedicationem.

nam

nam cælum & mundus dedicantur suo creatori: & animæ quotquot ciues mundi charæ deo sunt, seipsas cõsecrant, nullo distractæ mortalium rerum desiderio. consecratæ autem per totam uitam indefessæ uacant bonis operibus. Stulte porrò facit qui non seipsum sed aram deo dicat, putans esse in rebus creatis quicquam stabile, aut dignum titulo, uel tale ut non etiam in scriptum mox aboleri debeat, uituperabile magis quàm laudabile. ideo clare in sacris literis pręcipitur, Non statues tibiipsi statuam. nihil enim humanum uere stat, etiamsi crepuerint qui reclamant mentientes. putant enim se non tãtum stare firmiter, uerum etiam esse dignos honoribus ac titulis, obliti eius qui solus uere stat, & solus honorari debet. deflectentes enim eos & auersos à uia uirtutis, magis etiam in errorem sensus inducit, ceu cognata uxor eorum, & cogit in sirtes & breuia: ut anima tanquam nauis defixa hæreat more statuæ. Nam & Loti uxorem postquàm respexit, scriptura narrat uersam in salis statuã. & meritò. Quia si quis in anteriora uisu auditu'q; digna non prospicit, hoc est in uirtutes & earum opera, malens à tergo relicta respicere, uanam gloriam, cæcas diuitias, insensatam corpulentiam, dementem formositatem, & id genus alia consectando, stabit inanima statua tabescet'q; paulatim. Sal enim est res parum solida. Rectissime igitur meditator exercitatione continua doctus, creaturam suapte natura esse mobilem, creatorem immobilem, ponit deo columnam lapideam, & inungit. Dicitur enim: Vnxisti mihi columnam lapideam. Caue autem putes unctum oleo lapidem, sed intellige totum de deo stante in anima, id quod incredibiliter eam ungit confirmat'q;, addendo menti robur insuperabile. est enim certaminum exercitiorum'q; cupidus quisquis se honestis studiis dedidit. itaq; merito qui germanam medicinæ artem alipticem excoluit, omnes ad uirtutem pietatem'q; pertinentes sermones inungens cõponens'q;, aram deo dicauit pulcherrimam & firmissimam. ideo post dedicatam columnam lapideam ait se uotum uouere. Votum autem intelligitur proprie deuotio, quando quis non sua tantum, sed etiam seipsum eorũ dominum, Deo donum dedicat. Sanctus est, inquit, qui alit comam capitis, qui uotum fecit. Quod si sanctus, utiq; dedicatus, nihil profanum post hac attrectaturus. Adstipulatur mihi Anna prophetissa & prophetæ genitrix, cuius nomen interpretatur gratia. Ait enim se dedicare sacris Samuelem, non tam hominem, quàm uitæ genus afflatum diuinitus, & extra se raptum numine. Samuel autem interpretatur ordinatus Deo. Ergo quid insanis anima & in uanum laboras, quin ad Meditatorem accedis, sumptis armis quibus affectus arceas & luctando superes? Sic enim breui disces præesse gregibus, non ignobilis bruti male'q; pasti pecoris, sed probati rationalis & pulcherrimi: quorum magistra si fueris, miserum hominum genus miseraberis, indesinenter ad diuinum cultum hortando: Deum quoq; incessanter laudabis, sacros hymnos inscribens tabulis, ut non solum expeditis uerbis, sed & carminibus musicis uirtutes eius celebres. sic enim poteris & in paternam domum restitui postliminio, finitis longis duris'que peregrinationis laboribus.

PHILONIS IVDAEI
DE VITA MOSIS, HOC EST, DE THEOLOGIA ET PROPHETIA,
Liber Primus.



OSIS ut quidam censent legislatoris Iudæorum, ut alij sacrarum legū interpretis, uitam scribere est animus, uiri modis omnibus maximi absolutissimi que, & eum lectoribus dignis notū facere. nam inclita fama legum, quas reliquit posteris, totum orbem habitabilem peruagata, extremos eius terminos attigit. ipse uerò quis fuerit, non multis satis notum est: fortasse propter inuidiam, aut propter instituorum eius ab alijs ciuitatibus in plerisq; discrepātiam, scriptoribus Græcis non dignatis eum memoria: quorum maior pars facultate scribendi abusi sunt tum in oratione soluta tum in poematibus. uersi ad comœdias & fabellas sybariticas notæ turpitudinis obscœnitatisq;: cum debuissent naturæ donis uti ad prodendas res gestas uitasq; bonorum uirorum: ut nec honesta exempla uetera nouaq; traderentur obliuioni ac silentio cum prælucere possint posteris, nec omissis melioribus argumentis auditu indigna anteponerētur, prætexta probris honestatis specie. uerum ego istorum inuidiam prætereo, malens de hoc uiro dicere quę è sacris libris didici, quos reliquit mirandū monumentum suæ sapientiæ, & à quibusdam nostræ gētis senioribus, qui ueteri lectioni semper attexebant aliquid: quo magis uita hominis est mihi cognita. faciam autem initium unde necessum est incipere. Moses genere fuit Hebræus, natus in Aegypto educatusq;: eo quòd maiores ipsius ob diuturnam famem quæ Babylonem ac propinquas regiones tum premebat, alimenta quærendo in Aegyptum cum uniuersa familia migrauerant, terram campestrem, sulci profundi, fertilemq; omnium quibus natura humana indiget, frumenti præcipue. nam huius fluuius æstate adulta, quando alios fertur decrescere, perennes æque ac torrentes, crescens & diffusus arua inundat aquis stagnantibus. atq; ita nullo pluuiarum desiderio, genus omne frugum fructuumq; quotannis copiose prouenit, ni manifesta numinis ira incidat, propter nimiam impietatem inhabitantium, parentes habuit eius ætatis optimos, quos non magis communis tribus quàm idem animus iunxerat. septima progenies hic est à primo, qui peregrinus ipse, princeps fuit uniuersi Iudæorum generis. educatus est regio more, per occasionem hanc. Rex cum animaduertisset hanc gentem in dies magis ac magis crescere, ueritus ne inquilini superante numero cū indigenis de principatu contenderent, uires eorum nefarijs artibus conatus est accidere: iussit'q; ut ex recens editis alerentur fœminæ, propter sexum bello inutiles, mares tollerentur, ne oppidatim inualescerent. quando quidem uiris armisq; florentes copiæ sunt murus inexpugnabilis. eo tempore na-

renatus hic puer uisus est præ se ferre haud uulgarem indolem, adeò ut eius parentes edictum tyranni contemnerent. fertur tribus mensibus domi lacte nutritum nemine conscio. deinde cum non deessent (ut fit sub regibus) qui scrutarentur etiam recondita captando gratiam nouis delationibus, timentes ne dum uni consulunt, ipsi necis eius fierent accessio, deploratum puerum exponunt in ripa fluminis: atque ita gementes discedunt, miserantesque tum suam necessitatem qua expressum sit infanticidium filij, tum pueri necem iniquam & miserabilem. deinde seipsos incusabant, qui calamitatem auxissent. Debueramus recens natum exponere, quādo prius quàm nutricis intercedat officium, uulgus uix habet pro homine. nos nimia cura per tres integros menses aluimus, nobis maiorem tristitiam parantes, maiorem cruciatum puero, ut uoluptatum dolorumque per ætatem capacior se perire sentiat. hæc illi de futuro incerti, præsenti tantum indulgentes luctui. interea puella soror infantis expositi, affectu mota domestico, paulum digressa expectabat exitum, nimirum cuncta dispensante dei prouidentia. Erat regi unica dilecta filia, eam ferunt dudum nuptam non potuisse matrem fieri, quamuis liberorum cupidam pręsertim sexus potioris, ut esset qui in fortunatā auiti regni sortem succederet, migraturi alioquin in familiam aliam nepotum penuria. Qua cura pressam, & ea die maxime anxiam cum hactenus solita esset domi se continere, ac ne limen quidē trāscendere, proripuisse se cum puellis familiaribus ad fluuium, ubi puer fuerat expositus. deinde lauantem aspergentemque se inter opaca condensaque stagnorum, conspicatam iussisse afferri puerum: tum à capite ad calcem cōtemplatam, miratamque formam & habitudinem, ploranti condoluisse, affectu iam ad maternam pietatem uergente, ac si ex ipsa infans fuisset progenitus. cumque didicisset eum esse natum ex Hebræis parentibus tunc edicto regis territis, consultasse de alendo puero. nec enim tutum uidebatur confestim eum ferre in regiam. sic hæsitanti sororem infantis superuenisse tanquam è specula, & coniectantem de causa, rogasse num iuberet eum nutriri apud quandam Hebræam mulierem non dudum partu leuatam. annuente uero illa, infantem ut alienum suæ matri commendasse: eamque libenter pollicitam suam operam in nutricando, tanquam mercedis gratia, deo prouidente, ut prima educatio contingeret infanti domi apud hos ipsos ex quibus procreatus fuerat. post hęc nomen ei datur sumptum ex ipsa re, quòd esset ex aqua sublatus. Nam Aegyptiorū lingua Mos aqua dicitur. ubi uero maioribus quàm pro ætate incrementis auctus, mature ablactatus est, mater eadem & nutrix eum reddidit ei à qua acceperat, eleganti sanè præditum indole. illa uidens eum supra ætatem proficere, ex aspectu renouata accensaque beneuolentia, facit filium suppositititiū, quæ iam ante muliebri arte finxerat se grauidam, ut natiuus putaretur non ascititius. Tam facile succedit quicquid deo placet quantumuis arduum. Ita nactus educationem regiam, nequaquam infantium more delectabatur assentatiōibus, iocis lusibusque, quamuis indulgenter haberetur ab educatoribus: sed iam tum modestiam grauitatemque præferens malebat audire spectareque utilia. confestim enim accesserunt aliunde præceptores, quidam ultro uenientes

è præfecturis Aegypti proximis, alij magnis præmijs inuitati è Græcia. eos intra modicũ tempus ille superauit, natiua docilitate institutionem prçcurrẽs, ut reminisci uideretur non discere, in rebus difficilioribus de suo cõminiscens aliquid. nam præclara ingenia multa nouant circa scientias. Et quẽadmodũ bonæ habitudinis corpora membris omnibus agilia securos pædotribas faciũt exhibendo illis uel nihil negotij uel minimũ, itidemq́ agricolis generosæ plantæ per se proficiẽtes in bonas arbores: sic anima bene nata præceptis obuiã se offerens, à seipsa magis q̃ à magistris adiuuatur: arreptisq́ rudimentis cuiuscunq́ scientiæ, equus (iuxta prouerbiũ) fertur in planiciem. Itaq́ numeros & geometriam, uniuersamq́ musicã, rhythmicã, harmonicam, metricam, siue cõtemplatiuam, siue per instrumẽta uoces'q́ promẽtem se modis uarijs, accepit ab Aegyptijs doctoribus: & insuper occultã philosophiã descriptam literis (ut uocãt) hieroglyphicis, hoc est notis animaliũ, quæ ipsi uenerantur etiã pro numinibus. reliquas liberales artes Græci docebant: ex propinquis aũt regionibus euocati, Assyrij suas literas, Chaldçi siderale scientiã. hæc & ab Aegyptijs didicit, mathematicę cũ primis deditis: obseruansq́ quid utrisq́ conueniat, in quo discrepẽt, intactus à cõtentionib. ueritatẽ quærebat: quippe qui nihil præter eã admittebat, lõge aliter q̃ isti qui accepta semel qualiacunq́ dogmata obstinate defendũt, siue probata siue improbata, more causidicorũ mercenariorũ, ius & æquum negligentium. Egressus deinde pueritiã magis curam intendit, nõ ut quidã frena laxans cõcupiscentijs, quamuis nõ deessent incitamenta plurima, quæ se ubertim offerũt in regum domibus: sed sobrietate atq́ tẽperantia tanquam habenis quibusdam eas cohibens, ne ferrẽtur impetu nimio. atq́ ita singulos affectus suapte natura impotentes & indomitos cicurabat quantum poterat. Quod si alicubi decessisset ab officio uel offendisset nonnihil, seuere à seipso pœnas exigebat: & in uniuersum dabat operã ut ad primos impetus animi resisteret, quasi cõtumacem equum obseruãs, nimirum ne inuito auriga ratione cursum plus satis accelerantes cõfunderent perturbarentq́ omnia. hæ sunt enim bonorũ & malorũ origines: bonorum, si ratio teneat imperiũ, contrariorũ, si affectus dediscãt obedientiã. merito igitur stupori erat omnibus familiaribus tanq̃ nouum naturæ miraculũ, incertis qualis mẽs habitaret in eius corpore, humana an diuina an mixta ex utroq́, cum nihil uulgare haberet, augustiora cæteris omnia. Nã nec uentri quicquam dabat præter tributum naturæ necessariũ, nec uoluptatum sub uentre nascentium nisi liberorum causã meminerat: frugalitatem colebat ut nemo alius, in uniuersum abhorrens à delicijs. Animo eñ uiuere malebat q̃ corpore. philosophiæ præcepta quotidie factis repræsentabat, mentẽ uerbis exprimens, facta dictis accõmodans, ut cũ sermone uita cõgrueret. In summa qualis erat uita, talis & oratio, cum nihil discreparet haud aliter q̃ in instrumẽto musico. cęteri mortales si uel leuis aura felicitatis aspiret, inflantur & immane spirãt, superbe illudẽtes obscurioribus, appellando piaculares, conturbatores, onera terræ, alijsq́ uerborum cõtumelijs, tanquam sua felicitate probe cõstabilita munitaq́, fortasse ne in crastinum quidem eodem statu mansuri. nihil enim fortuna mutabilius, susq́

deq́

deq; uersante rerum humanarum aleam: adeò ut una sæpe dies alium affligat, extollat alium. hæc illi cum nunq; non uideant ac intelligant, tamen amicos despiciunt, contemnunt leges sub quibus nati educatiq; sunt, mores patrios quantumuis probatos mutant pro libito, & intenti præsentibus obliuiscuntur ueterum. At hic euectus in summum rerum fastigium, nepos tãti regis habitus, spe omnium destinatus successor auiti solij, nec aliud q; rex iunior appellatus, secutus est maiorum suorum instituta gentilia, ad optiuorum parentum bona & si splendida, tamen adulterina iudicans: ediuerso naturalium parentum & si ad tempus uiliora, uera tamen & propria. itaq; utriusq; partis iudex incorruptissimus tũ eius ex qua natus, tum eius in quam adoptatus fuerat, alteri beneuolentiam præstabat alteri gratitudinem: & retulisset abunde gratiã, ni animaduertisset in ea terra impiam regis sæuiciam. nam externi generis (ut ante dixi) erant Iudæi, quorũ primi conditores ob famem & inopiam à Babylonis prouincijs in Aegyptum migrauerant, & propemodum supplices tanquam ad asylum in regis fidem confugerant & indigenarum misericordiam. Hospitibus enim (quantum ego iudico) iura debentur eadem quæ supplicibus. erant igitur supplices, inquilini, socij honore ciuibus iam proximi, uicini minimũ differentes ab indigenis. Hos tales qui relictis pristinis sedibus in Aegyptum se contulerant, ut eam secure incolerent, tanquam alteram patriam, rex in seruitutem uindicabat, quasi belli iure captiuos, aut emptos de lapide, adigebatq; ad opera seruilia, homines non solum ingenuos, uerum etiam hospites, supplices, inquilinos, nihil ueritus numen cui exosæ sunt id genus iniuriæ. Ad hæc imperabat eis grauiora quàm ferre possent, alios super alios labores cumulans. Si quis interim labori ob infirmitatem se subtraheret, capitalis noxa iudicabatur. Operibus præerat immitissimus quisq; crudelissimusq;, quos exactores operarum appellabant ab hoc officio. Operabãtur autem partim lutum formando in lateres, partim comportando paleas. Nam paleis cohærent lateres. Alij iussi sunt publica & priuata ædificia struere, fossasq; fodere, dies noctesq; conuehendo materiam sine successione, ne tantisper quidem permissi quiescere, dum somno se reficerent, ipsi & opificum & ministrorum præstantes operas, ut breui primum animi mox & corpora deficerent. Itaq; alij post alios emoriebantur pestilentia, quos insepultos proijciebant extra terminos. nec puluerem sinẽtes corporibus inijcere, nec lachrymis cognatos aut amicos tam misere mortuos prosequi: adeò etiam affectibus animi, quos penè solos natura fecit liberos, iugum intentabant homines impij, prementes eos necessitate grauissima. Hæc ille continuè ferebat indignissime, cum nec prohibere iniuriam posset, nec oppressis succurrere: uerbis tamen quantum poterat, subleuabat, præfectos subinde admonens, ut moderarentur laxarentq; nimiam in urgendo duriciã: operarios uero, ut præsentem statum ferrent fortiter, sicut uiros decet, nec animis deficerent unà cũ corporibus, utq; sperarẽt mutationem in melius. omnia enim mũdana uerti in cõtrariũ, nubila in serenitatem, procellas in quietũ aerẽ, tempestatẽ in tranquillitatẽ, res uero humanas eo magis quo instabiliores sunt. talibus incãtationib. tanq; bonus me

dicus putabat se leuaturum mala quamuis grauissima: quæ tamen ad tempus lenita mox exasperabantur denuo, & ex interuallo augebantur nouis erumnarum accessionibus. erant enim inter præfectos quidam efferati rabie, nihil differentes à uenenatis carniuorisq; bestijs, humana specie beluę, sub qua mores ferinos celabant, ferro adamanteq; duriores. ex his unū immanissimum, quia nihil remittens exacerbabatur etiam precibus, nisi celeriter iussa fierent pulsans miseros, uerberans, excrucians, interemit fas esse ratus. & re uera fas erat eum occidere, qui uiuebat in perniciem hominum. hoc auditum rex ægre tulit, ut indignum facinus, non quòd aliquis occisus esset, aut occidisset, siue iure siue iniuria: sed quòd nepos ab eo dissentiret, nec eosdē quos ipse haberet pro socijs & hostibus, amans quos ille oderat, infensus uero dilectis ab eo, & miserans quos rex inclementer exagitabat. hanc occasionem nacti purpurati, & suspectum habentes iuuenem, quem norant aliquando exacturum pœnas præsentis crudelitatis quamprimum potuerit, patulas aui aures impleuerunt plurimis calumnijs, hinc inde insusurrantes ut de amittendo principatu reddiderint solicitum. dicebant enim: Teipsum aggredietur. nihil mediocre sapit, semper molitur aliquid, ante tempus ad regnum aspirat, alijs pollicetur, alios territat, indemnatus interficit: quo quisq; est tui amantior, eo magis eū persequitur. quid cunctaris? an ut quæ conatur, efficiat? proderit insidiatori hæc dilatio. Moses interea secessit in finitimam Arabiam, ubi tutius degere poterat, deum inuocans, ut alteros eripiat è grauissimis calamitatibus, alteros nihil non per uim agentes puniat, atq; ita ipsi duplex gaudium prębeat. nec fuere uota irrita, deo probante mentem hominis fauentem bonis, malis infensam, ut paulo post declaratum est manifesta eius sententia pœnaq; genti scelerate inflicta. ipse interim exercebat se in uirtutis stadio sub ratione magistra, parans se ad optima uitæ genera, actiuum contemplatiuumq;, simul euoluens philosophiæ dogmata, atq; etiam expedite dijudicans, recondensq; in memoriam, ut postea posset in suum usum depromere, ueram laudem quærens non inanem opinionem hominum, quippe qui nihil nisi rectam rationem spectabat, fontem originemq; uirtutum omnium. Alius certe à rege infesto elapsus, & tum primum ingressus regionem exteram, nōdum assuetus indigenarum moribus, incertus quibus offendantur uel gaudeant, conatus fuisset quietus latere: aut si maluisset uersari cum alijs, utiq; optimates sibi conciliasset in spem auxilij, si forte ab aliquo ad deditionem deposceretur. at hic diuersam uiam ingressus, sequebatur sanum suum animū non sinēs se transuersum abripi. & ideo nonnunq; audētior quàm pro uiribus, fidebat iustitiæ, qua fretus ultro ferebat opem infirmioribus. Dicā unum eius facinus quod in hoc tempus incidit, paruū in speciē, sed indiciū magni animi. Arabes exercent pecuariam, pascuntq; greges promiscue uiri, mulieres, iuuenes uirginesq;, non plebeij solum, sed & nobiles. Septē puellæ unius sacerdotis filiæ gregem ad quendā fontem adduxerāt, demissisq; per funem urnis, per uices certatim hauriebāt, fundebantq; aquam in proximos alueos donec implerentur. superuenerunt alij pastores, qui contempta debilitate uirginum conati sunt eas submouere unà cum suis gregibus,

bus,ad paratum potum agētes sua pecora,fruituri alienis laboribus.id Moſes qui non longe aberat conſpicatus confeſtim accurrit, clamitans: Non deſiſtetis ab iniurijs in ſolitudine, qua ad fraudem abutimini? non pudet uos circumferre ignaua brachia inertes'que humeros? capillos, barbas carnes'que uiriles uideo,uiros non uideo. puellæ iuueniliter tractant quæ tractanda ſunt,uos iuuenes eſtis puellis delicatiores. non abitis? non ceditis his quæ priores uenerunt, quæ ius aquæ habent hauſtæ ipſarum opera, quo uberior eſſet copia:ita ne paratam auferetis? Non facietis per cæleſtem oculum iuſticiæ, qui uidet quicquid fit etiam in locis deſertiſsimis, non auferetis impune. is me præter opinionem miſit in auxilium. nec enim deero iniuriam patientibus,fretus illa magna manu, quam uos excæcati cupiditate non cernitis, nec fas eſt uos cernere. ſentietis tamen eam ex occulto ferientem,niſi reſipiſcitis. His uerbis territi, quæ uidebantur hominis afflati diuino furore: ueritiq; ne uera caneret, paruerunt:admiſsis'que uirginum gregibus ad alueos, paſsi ſunt earum pecora prius bibere. Illæ domum lætæ reuerſæ, inſperatum caſum patri denarrauerunt, ita ut caperetur magno deſiderio uidendi eius hoſpitis. obiurgabat igitur earum ingratitudinem: Cur dimiſiſtis hominem? quin adduxiſtis,& ſi forte recuſabat,exoraſtis etiam? eſtis ne mihi alicuius inhumanitatis conſciæ? aut non timetis ne iterum incidatis in uiolentos & iniuſtos alios? neceſſe eſt ut auxilio deſtituamini tam obliuioſæ erga bene meritos. recurrite unde ueniſtis,donec erratum poteſt corrigi. ite propere, uocate non tam ad hoſpitium,quàm ad recipiendam gratiam. Debetur enim. Reuerſæ ad fontem,in propinquo eum inueniunt,& patris uerbis perſuaſum, domum deducunt. Qui primum ſpeciem, mox & mentem eius admiratus (nec enim opus habet fœlix ingenium longa experiētia) dat ei uxorem filiarum formoſiſsimam,hoc uno facto uirtutem eius approbans, per ſeipſam amabilem,ut externa commendationē non egeat,modo detur innoteſcere. Poſt eas nuptias præfuit gregibus, ad principatum ſe præparans. Nam paſtoralis ars ad regnum eſt præludium, hoc eſt ad regimen hominum gregis manſuetiſsimi: quemadmodum bellicoſa ingenia præexercent ſe in uenationibus.in feris enim experiuntur futuri præfecti militiæ,brutis præbentibus materiam exercitij tam belli quàm pacis tempore. nam præfectura manſueti pecoris habet quiddam ſimile cum regno in ſubditos. ideo reges cognominantur paſtores populorum, non contumeliæ ſed honoris gratia. Imò quantum ego intelligo,non iuxta uulgarem opinionem,ſed rei ueritatem ueſtigans(rideat qui uolet) ſolus poteſt eſſe rex undequaq; perfectus,qui bene callet artem paſtoriciam, & curando minora animalia didicit,quomodo debeat præeſſe præſtantioribus. impoſsibile eſt enim ut magna prius quàm parua perficiantur. Factus igitur omnium ætatis ſuæ paſtorum optimus,& utilitatis pecorum prouidentiſsimus,dum nullum laborem fugitat,ſed ultro & iniuſſus alacriter eis proſpicit,prompte bonaq; fide auxit gregū copiā,adeo ut iam inuidioſus eſſet apud paſtores cæteros, nihil ſimile uidentes in ſuis gregibus,qui præclare ſecū agi putabāt ſi nihil detrimenti acciperent,mirātes illius numerū indies creſcere,nec tātum ſingulas

gulas oues pulchre pinguescere, sed præter egregiam corporum habitudinem fœcunditate quoq; laudari, & pascuis frui longe saluberrimis. Accidit quondam ut dum sectatur loca herbida rigua lætaq; pascuis, in quodã nemore uideret uisionem horribilem. rubus erat, frutex spinosus & inualidus. is nemine ignem admouente subito incensus est. correptusq; totus à radice usq; cacumen flamma in morem fontis scatente, manebat integer & illæsus, quasi non esset incendij materia, sed ipse ab igne aleretur. è medió promicabat forma quædam pulcherrima nulli uisibili similis, diuinum simulacrum, luce fulgens clarissima, ut suspicari posset dei esse imaginẽ. Vocemus eam angelum, quandoquidem futura prænunciauit tanto clarius, quanto magnificentior erat uisio. significabat enim ardens rebus oppressos iniuria, urens uero ignis oppressores. Quòd autem nõ exurebatur materia, portendebat non perituros qui affligebantur inimicorum uiolentia, sed conatum eorum fore irritum, illos uero euasuros incolumes. Porrò nũcius diuinæ prouidentiæ faciebat spem, tot horrendorum periculorum fore lætum & facilem exitum, ea coniectura excutiatur diligentius. Rubus (ut dixi) frutex debilis est & senticosus, ut uel solo contactu uulneret. Nec absumitur ignis uoraci natura, imò cõseruatur etiam, qualis antea fuit permanens, adeò nihil amittens ut nitesceret etiam. Hæc omnia designabant exhortationem quandam, tantum non inclamãtem pressis calamitate: Nolite succumbere. Hęc uestra infirmitas est potentia, quę punget uulnerabitq'e plurimos. Qui delere cupiunt uos inuiti seruabunt, tot mala illæsi euadetis, & cum maxime uastari uidebimini, tunc maxime enitebit uestra gloria. Vos quoque crudeles & igni uoraci similes ne nimium confidatis uestris uiribus, cogitate inuictißimas opes aliquãdo deletas & resipiscite. Ecce flamma suapte natura urens ut lignum uritur: lignũ uero cremabile urit euidenter ignis in modum. Hoc ostento mirifico postquam deus Mosem de rebus futuris manifeste præmonuit, addit & oraculum, ut sine cunctatione ad curam suæ gentis reuertatur, pollicens se non solum libertatis autorem, sed etiam ducem nouæ coloniæ paulo post deducendæ, & promptum fauorem offerens ad omnia. Iamdudum, inquit, me miseret oppressorum intolerandis iniurijs, quos nemo uel miseratur uel subleuat. & uideo tum singulos tum uniuersos unanimiter supplices implorare sperare'que meum auxilium. Sum autem exorabilis & propitius ueniam petentibus ex animo. I regem accede nihil omnino solicitus. Qui tum regnabat cum præ metu fugeres, defunctus est, in regnum successit alius, cui nulla tecum simultas intercedit. Eum accedens unà cum tuæ gentis senioribus, dic oraculo meo iuberi uniuersam gentem, ut extra fines regni progreßi trium dierum itinere, sacra patrio ritu mihi faciant. Ille non ignarus tribules suos cæteros'que omnes haudquaquam his dictis credituros: Quid si, inquit, percontabuntur, quod sit nomen eius qui misit me, nec dicere potero, non'ne impostor uidebor? Cui deus: Primùm dic eis; Ego sum qui sum: ut discant differentiam inter ens & non ens, & nullum nomen de me dici proprie, cui soli esse competit. Quod si ut sunt debiliores ingenio requirent appellationem, indica eis, non tantum esse me deum, sed etiam trium uiro-

uirorum à uirtute denominatorum, deum Abraham, & deum Isaac, & de um Iacob: quorum alius doctrina, alius natura, alius meditatione quæsitæ uirtutis est regula. Quod si etiã tunc nolint credere, tribus prodigijs docti flectentur, quæ antea nemo unquã uel uidit uel audiuit. erant autem hæc. uirgam quã habebat, in terrã proijcere iussus est. ea mox animata reptabat, uersa in draconem serpentum principem. ille territus monstro, præ timore fugam parans reuocatur, & à deo confirmatus, iubetur caudam eius prehẽdere. quo facto draco adhuc repens ad tactum constitit, extensusq; in longum, mox denuo in baculum uersus est, mirante utramq; mutationem homine, & uix discernente utra esset horribilior, intantum erat ambiguus animo. Sequutum est confestim aliud prodigium. Alteram manum iussus est in sinum mittere, & paulo post eximere. eo facto manus niue candidior repente apparuit, rursumq; condita in sinum ac prolata, pristinam speciem coloremq; natiuum recepit. Hęc solus à solo discebat tanquam à magistro discipulus, habens secum instrumenta prodigiorum, manum & baculum, quibus quasi uiatico instructus est. tertium nec circumferre secum nec prædiscere potuit, quod Aegypto seruabatur nõ minus horrẽdũ stupendũq;. id tale fuit. Sume, inquit, aquã fluminis, & effunde in terram, eritq; sanguis cruẽtissimus cũ colore mutatis & cæteris uiribus. uisum est aũt hoc quoq; credibile, nõ solũ propter certã autoris fidẽ, uerumetiam propter præterita manus uirgæq; miracula. nihilominus deprecabatur hanc functionem, causatus exilitatem uocis & linguæ tarditatem, negansq; sibi adesse facũdiam, præsertim postq; deum loquentem audierat. ratus enim mutã esse humanam eloquentiam cum ueritate collatam, & uerecundo ingenio præditus, subtrahebat se grauiori quàm pro uiribus, ut putabat, oneri: rogabat'que ut alius eligeretur ad exequenda mandata magis idoneus. Deus pudore delectatus respõdit: An nescis quis os homini dederit, & linguam indiderit, quis guttur cęteraq; uocis rationalis instrumenta fecerit? ego sum. noli timere. meo nutu articulate differes omnia, facũdia mutata in melius, & usq; proficiente, nec aliter absq; impedimẽto fluẽte & cogitationes pro mente, quàm fontes manãt limpidissimi. quod si opus fuerit interprete, fratrem habebis sermonis ministrum ac uicarium, qui ad populum tua dicta perferat nuncius: tu uero illum dei mandata docebis. His auditis, quia periculosum erat amplius cõtradicere, profectus unà cum uxore ac liberis iter faciebat in Aegyptum: inuentoq; fratre qui uenerat obuiam, adiunxit eũ sibi comitem, communicatis oraculis. Is iam ante habebat præparatam diuinitus animam ad obsequium, ut incũctanter assentiret sequereturq;. Sic ingressi Aegyptum unanimiter, primum senioribus gentis clam conuocatis indicant oraculum, Dei miseratione instare libertatem & migrationem ad sedes meliores: idq; ipsum Deum polliceri, offerreq; se ducem itineris. post hæc regem ipsum audent appellare, ut populum extra fines regni emittat ad sacrificium. Aiebant enim solitudine opus esse ad peragendos ritus patrios, diuersos ab aliorum ceremonijs, & ideo secessum requirentes, ne uel offendant alios, uel profanentur exterorum oculis parum fauẽtium spectaculo. At rex ab incunabulis innutritus maiorum suorum fastui, nęc

credens

credens ullum deum præter ista uisibilia,contumaciter reſpõdit: Quis eſt cui me obedire iubetis? non noui iſtum quem prędicatis nouum dominũ. non dimitto gentem prætextu celebritatis ſacrorumq́ꝫ cupientem iugum excutere. Deinde homo iracundus & inclemens ignominia notat præfectos operum,qui ſinerent otio laſciuire populum, alioqui non deſideraturum feſta & ſacrificia.Hæc enim non eſſe intentorum operi neceſſario,ſed ſuauiter delicateq́ꝫ uiuentium. Ergo cum populus grauius quàm ante premeretur,& Moſi ſocijs indignaretur ut impoſtoribus,eis clamq́ꝫ palamq́ꝫ impietatem obijciens ac ementita oracula, tandem propheta aggreditur exerere miracula quæ didicerat,quo ſpectatoribus incredulitatem eximeret.interfuit & rex cum cohorte purpuratorum. Itaq́ꝫ confluente ad regiã multitudine,frater Moſis baculum,elatum prius ut eſſet omnibus conſpicuus,in terram proijcit,qui mox in draconem mutatur. Tum circulus ſpectatorũ præ metu ſtuporeq́ꝫ ſolutus diffugit. Sophiſtę uero magiq́ꝫ quotquot aderant, quid uos terret,inquiunt. Nec nos ſumus rudes talium artiũ.& nos talia patrare poſſumus. Deinde cum quiſq́ꝫ ſuam uirgam proiecisſet, multi dracones circa primum illum uoluebantur ſinuoſis orbibus. ille uero arrecta ceruice immani hiatu non aliter quàm obiectos piſces circumquaq́ꝫ petitos abſorbuit: atq́ꝫ ita deglutitis in priſtinam uirgæ naturã redijt.id tam magnificum ſpectaculum etiam iniquis animis omnem ſuſpicionem exemit,ne putarent hæc agi humanis uaframentis aut artib. excogitatis ad ludibrium,ſed diuina potentia,qua nihil nõ facile perficitur. Attamen cum ne tam manifeſta quidem efficacia poſſet eis exprimi ut uictos ſe faterentur,ſed nihilominus pertinaci audacia reſiſterent,addicti obſtinate inhumanitati impietatiq́ꝫ tanquã laudatis uirtutibus, nec miſerantes oppreſſos iniquo ſeruitio, nec diuina mandata exequi inducentes in animũ, tum manifeſtis oraculis declarata, tum oſtentis ſubſecutis atq́ꝫ prodigijs: opus fuit grauiore cenſura, ut afflictionibus agminatim ingruentibus caſtigarentur ſtolidi,qui dedignabantur erudiri bonis rationibus. Decẽ pœnæ regioni inflictę ſunt, ut qui in peccando nihil ſibi reliquum fecerant ad ſummam maliciam,punirentur modis omnibus,ferirenturq́ꝫ perfecto pœnarum numero.ne genera quidem pœnæ fuerunt uulgaria. Nam elementa mundi,terra,aqua,aer,ignis,conſpirarunt in impios deo uindice, ad declarandam eius potentiam,ea quibus ad creationem ſalutemq́ꝫ rerum uſus eſt,uertentis quando libet in impiorum perniciem. Hæ pœnæ trifariam diſtributæ ſunt:tres pertinentes ad craſsiora elementa, terrã & aquã, ex quibus conſtant corpora cum ſuis qualitatibus,fratri Moſis commiſſæ: totidem ſoli Moſi,quas inflixit per ignem & aerem, unde animarũ origo pręcipua:una utriq́ꝫ cõmunis,ordine ſeptima.tres reliquæ ad complendũ denarium deo ſeruatæ ſunt.ab aqua fuit initium. hãc quoniam honorãt Aegyptij præ cæteris, tanquã rerũ omniũ principiũ primã adhibuit deus ad terrẽdos caſtigãdosq́ꝫ noxios. Quid igitur mox accidit? Moſis fratre iuſſu Dei percutiente uirga fluuiũ, in ſanguinem uertitur quàm lõgus eſt ad mare uſq́ꝫ ab Aethiopia.idẽ in ſtagnis,foſsis,puteis,fontibus, & omnibus Aegypti aquis euenit,ut deficiẽte aqua potabili ripas nemo peteret, & nouas ue-

uas uenas aperiētibus pro limpido liquore sanguis emicaret tanq̃ è uulne re. piscium quoq; genera extincta sunt cuncta, uitali facultate uersa in pestiferam, ut foetore complerētur omnia, putrescētibus simul tot corporibus. hominum quoq; siti enectorū magnus numerus aceruatim iacebat in triuijs, non sufficientibus domesticis ad sepulturę officia. nam per septē dies hoc malum durauit, donec Ægyptijs suppliciter Mosem inuocātibus, & illo deprecante, deus misertus est pereuntiū. is cum sit exorabilis, mutauit sanguinem in aquam dulcē, redditis amni fluētis salubribus, qualia prius fuerant. sed non multo post remissam mulctā scelerati ad eandem crudelitatem redierunt, quasi omnino è terris migrasset iusticia, aut quasi elapsi ex una poena non possent aliam incurrere. itaq; more puerorum per ætatem nondum sapientium suo malo didicerunt non contēnere. nam uindicta secuta euestigio, ut illis cessantibus tardauerat, ita ad iniquitatem properantes pręuertit. rursus enim Mosis frater iussus ad fossas & stagna paludesq; uirgam porrexit. uix manum extēderat, cum ranarum tanta uis prorepsit, ut non tantum fora compleret ac loca subdiualia, uerum etiam domos uillasq;, & cuncta ædificia, tam sacra quàm profana, tam priuata quàm publica, haud secus ac si hoc genus aquatilium missum esset in diuersi elementi coloniam, natura mutante rerum uicissitudines. Nam terra est aquæ contraria. Itaq; cum nec foras progredi possent homines uijs oppletis, nec intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, & ad summas quoq; contignationes ranis obrepentibus, ad extremam desperationem redacti, rursum ad eosdem, ut ante confugiunt, rege pollicitante permissurum se Hebræos abire impune ac libere. Sic exorato deo populi sui precibus, ranæ partim receperunt se in fluuium, partim mortuæ cumulabantur in triuijs, etiam è domibus eodem cōgestæ propter intolerabilem graueolentiā exhalantem è cadaueribus bestiolarum, quæ uiuæ quoq; molestæ sunt sensibus. Postquam autem ab hac poena respirarūt modicum, sicut athletę collectis uiribus, quo uehementius urgerent, ad consuetam reuersi maliciam, obliti sunt eorum quæ pertulerant. At Deus aquis cessare iussis, terrestrem poenam induxit eodem usus castigatore: qui ubi terrā uirga percussit, tot scnipes ex ea profusi sunt, ut uelut extęnsa nubes totam obtineret Ægyptum. id animal est molestissimum, quamuis minutum admodum. Nam non solum superficiē cutis lædit pruritu noxio, uerumetiā interiora per aures naresq; penetrat. inuolat & in oculos, nisi quis caueat. sed qui caueri poterant tot dira examina? Quæret fortasse aliquis, cur deus tam uilibus animalibus ad uindictam uti maluerit, quàm ursis, pardis, leonibus, cęterisq; feris carniuoris: aut si hæc non placebant, saltem familiaribus Aegypto aspidibus, quarū morsus sine mora enecat. Is si nescit, discat, deum uoluisse incolas castigare non tollere. Nam si eos omnino delere uoluisset, non opus erat animalium opera, sed diuinitus immissa fame ac pestilentia. Præterea discat & illud in omni uita profuturum. Quid nam? Homines quando bella gerunt, auxilia sibi asciscere potentissima, quibus suam infirmitatem suppleant. Deum uero omnipotentem, & nullius egentem opera, si quando uult tanquā instrumentis quibusdā uti ad exigenda suppli

cia, non ualida eligere, quorum robur curat minime, sed uilia paruaq; instruere inuictis uiribus,atq; ita noxios plectere,quod nunc quoq; accidit. Quid enim scnipe uilius? tamen tantũ effecit, ut tota Aegyptus deficiens exclamaretur, hunc esse dei digitum. manum enim ne à tota quidem terra quanta est sustineri posse, imò nec à mundo uniuerso. Hæc sunt inflicta per fratris ministerium. Nunc uideamus quas pœnas ipse Moses sumpserit,& ex quibus naturæ partibus. Aer ac cælum mundi portiones purissimæ,aquis & terræ successerunt in Aegyptiorum castigatione, cuius administrator Moses electus fuit. Aer prior turbari cœpit. Nam Aegyptus penè sola inter regiones in meridiano tractu sitas,unam ex quatuor anni temporibus ignorat hyemem:uel quia (ut fertur)non longe abest à zona torrida, cuius occulto afflatu calescunt finitima:uel quia circa æstiuum solstitium inundans fluuius nubes absumit. Incipit enim crescere æstatis initio, & sub eius finem desinit:quo tempore etesiæ quoq; impingunt ex aduerso in Nili hostia,impediturq; aquarum exitus,mari tumescente per uentorum uiolentiam,& fluctibus,quasi pro muro se opponentibus, ita ut amnis fluenta retro agantur. Ita fit ut aquis sibi inuicem occurrẽtibus,tum his quæ superne à fonte descendunt,tum his quæ repelluntur ab hostijs,& dilatari nequeuntibus propter ripas eminentiores exaggeratasq;, tandẽ necessariò superesfundatur. Est & alia causa cur hyems Aegypto sit superuacanea. Nã quod imbres alibi,hic restagnationes fluminis efficiũt,arua fœcundantes ad prouentus frugum annuos. Natura autem non solet ita in uanum operari,ut pluuias terræ non indigenti largiatur, simulq; gaudet uarietate sui artificij,concentum è contrarijs qualitatibus temperans. & ideo alijs superne è cælo, alijs inferne è fontibus ac fluuijs prębet aquarum commoda. In hoc statu regionis uernantis alienis mensibus,quæ circa brumam irroratur paruis raris'que pluuijs duntaxat in locis maritimis, supra Memphim autem regiam nullas omnino sentit, repente aer nouã sumpsit faciem,ut hybernis regionibus consuetę tempestates simul ingruerent,imbres,grandines,procellæ atq; turbines,collisiones nubium, continua fulgura & tonitrua prodigiosa specie. Grãdo enim intermixta nec ipsa liquescebat,nec extinguebat fulmina,sed utraq; uno eodemq; deferebantur impetu. Nec solum inclementia cæli contristabat incolas,uerum etiam rei nouitas. Credebant enim,nec falso,ab irato deo mutari omnia,tempestatibus insolitis arbusta segetesq; uastantibus,pereuntibus simul non paucis animalibus,partim frigore absumptis, partim elisis grandine ruente more lapidum,nonnullis etiam ictis fulmine, ex quibus si quæ supererant,ambusta circumferebant uulnera ad terrorem uidentium. Post finem autem huius cladis rege cum suis reuerso ad contumaciam, Moses iubente deo uirgam extendit in aerem. Moxq; auster incubuit uiolentissimus, per totam diem noctemq; inualescens,malum uel per se ualde noxium. Est enim aridus inuehẽs dolorem capitis & grauedinẽ,languorisq; tedium, pręsertim in Aegypto regione ad austrũ opposita,& exposita solibus, ut quãprimũ is uentus mouetur æstu exurat omnia. Tunc uero intulit etiam locustarũ agmina in stirpium perniciem,quæ indesinenter affluentes absumpserunt

quic-

quicquid post tẽpestates superfuerat, ut in amplissima regione nihil relinqueretur uiride. ad has extremas calamitates redacti uix resipuerũt regi oc clamãtes: Quousq; nõ permittis his uiris exitũ? an nondũ sentis Ægyptũ perditã? ille, ut tũ uidebatur, assensit: relaxataq; clade ad Mosis deprecationẽ uentus à mari exortus locustas dispulit. Verùm hoc quoq; malo defunctis, quia rex manebat ut ante difficilis, superuenit calamitas maior, q̃ ulla hactenus. Sereno ẽm die repente offusæ sunt tenebræ, siue ob defectũ solis maiorem solito, siue cõtinuis densisq; nubibus cælũ subtexentibus, & nimia constipatione interclusis radijs, ut dies nihil differret à nocturna caligine: qua per triduũ cõtinuata, uidebatur una perpetua nox longissima. tũc aiũt eos aut nõ ausos è cubili surgere: aut si necessitates naturales urgerent, more cæcorum palpando parietes, & si quid erat præ manibus, ægre potuisse progredi. Nam ignis quo utimur quotidie, uel aere turbato extinguebatur, uel uincebatur à crassissimis tenebris, ita ut saluis oculis summe necessarium uidendi sensum ceu exoculati requirerent: quo adempto cæterorum nullus usus erat. Nam nec loqui, nec audire, nec cibis frui licebat, sed per silentium fame cruciabantur, nulli uacantes sensui, præsenti malo prægrauante, donec Moses miseratione motus deum exorauit. Tum demum successit lux tenebris, & nocti dies serenissima. His plagis percussos ferunt à Mose, mixta fulminibus grãdine, & locustis, & tenebris lumen nullum admittentibus. Vnam de communi sententia fratres ambo inflixerunt in hunc mundũ. Deo iubente cinerem è fornace hauserunt manibus, quem solus Moses iactauit in aerem. Moxq; puluis excitatus, & longe lateq; dispersus, hominibus brutisq; dira per totam cutem inusit ulcera, carnibus simul intumescentibus & fœdis pustulis scatentibus, ac si succensæ clam efferuescerent. Quo cruciatu, sicut par erat in exulceratione ac inflammatione, oppressi, non minus animo laborabant quàm corpore, misere uexati doloribus. Videbatur enim unum ulcus à uertice usque ad imos pedes, his quæ umbratim sparsa erant, continua serpigine in unum coeuntibus: donec rursum legislatore supplicãte pro affectis morbus leuatus est. Cæterum hæc castigatio commissa est ambobus: propter puluerem fratri penes quem erat cura pœnarũ è terra prouenientiũ, Mosi propter aerem mutatum ad affligendos incolas. nam hic erat minister calamitatũ ex aere cæloq; nascentium. Supersunt tria genera inflicta ab ipso deo, sine ullo humano ministerio, quæ singula indicabo quantum potero, primum per animal omnium audacissimum cynomyiam, cui uerã appellationẽ imposuerunt periti nominum, ut erant sapientissimi, compositam è duobus impudentissimis animantibus, musca et cane, altera uincente omnes uolucres temeritate, altero omnes terrestres quadrupedes. Accurrunt enim intrepide, & si quis arceat, non cedunt peruicacia, donec satientur carnibus et sanguine. At cynomyia particeps amborum audaciæ, mordax & insidiosum est animal. Nam è longinquo cum stridore in teli morem magno impetu aduolat, infixaq; cuti hæret pertinaciter. Tunc uero diris exagitatę, multo molestiores erant, ultra natiuã sitim sanguinis armatæ ad ultionem diuini tus contra homines impios. Post hãc pœnã successit alia, nemine tũc quo-

que ministro irati numinis, uidelicet interitus pecudũ. nã armenta & greges ouium caprarumq́ꝫ, præterea iumenta omnis generis, una die tanquã ex composito gregatim moriebantur, portendẽtia paulo post secuturã pestem hominũ: quemadmodũ aiunt publicas pestilẽtias solere primum in bruta sæuire animalia. Tandem accessit extrema pœna decima superiorib. omnibus atrocior, ipsis Aegyptijs morientibus, nõ tamẽ omnib. nolebat enim deus regionẽ desertam reddere, quam castigatam tantum uoluit. itaque parcens maximæ turbæ omnis ætatis uirorũ atqꝫ mulierũ, morti addixit solos primogenitos, exorsus à maximo natu regio filio, & in uilissimæ ancillę pistrinarię filiũ desinẽs. Nam circiter noctẽ mediam quotquot primi patris matrisq́ꝫ appellationẽ iucundissimam attulerunt parentibus, & uicissim ab ipsis primi nominati sunt filij, sani ualentesq́ꝫ, nullo præcedente morbo repente interierũt ad unũ, ut nulla familia sine domestico luctu tunc inuenta sit. Prima uero luce cum quisqꝫ suos charissimos inopinata nece sublatos uideret, cum quibus superiore die suauiter usqꝫ uesperam cõuixerat, ut in publico luctu grauissimo, cõploratione impleuerũt omia. cum em̃ nemo esset exors eius calamitatis, unus erat clamor omniũ, uno luctu obtinente totã regionem quacunqꝫ patebat: qui tantisper dum intra priuatos parietes se continebat, singulis aliena mala ignorãtibus, priuatus etiam tum uidebatur. Vbi uero alij didicerunt ex alijs, geminabatur cõploratio, accedente grauãteq́ꝫ dolore publico, ut ne consolator quidẽ existeret. quis enim solaretur alterũ, ipse cõsolatione indigens? cæterum ut in tali casu solet fieri, putantes hæc esse maiorũ malorum initia, & soliciti de interitu superstitum, flentes cõuolabãt in regiam, scissisq́ꝫ suis uestibus regi causam calamitatis imputabãt, dicẽtes nihil mali se passuros fuisse, si Moses impetrasset quæ petierat. Nũc habere se obstinatę peruicaciæ cõtentionisq́ꝫ intẽpestiuæ præmia. deinde pro se quisqꝫ certatim hortabatur populum, ut propere tota regione decederent. uel unã diem horam'ue differre longum rati et periculosum insuper. ad hunc modũ expulsi protrusiq́ꝫ, memores ingenuitatis pristinę, ausi sunt facinus quo iniurias acceptas repẽderent, multũ enim prædæ nacti sarcinas partim suis humeris, partim iumẽtis, imposuerũt, nõ præ auaricia (ut obtrectatores dicerẽt) aut alienarũ fortunarũ concupiscentia (quæ em̃ esse poterat?) sed primũ ut diuturni laboris necessariã mercedẽ reciperẽt: deinde ut pro acceptis tempore quo seruierãt iniurijs, si nõ pro merito, aliquid tamẽ damni reponerẽt. Nec enim est par iactura libertatis & pecuniæ, cũ nemo sanus nõ malit uitæ q̃ libertatis adire periculũ. itaqꝫ utrũqꝫ factum iure tueri possunt, siue ut in pace mercedẽ receperũt, qua tam diu fraudati fuerant: siue ut bello uictores uictos bonis spoliauerũt. ab illis em̃ orta fuerat iniuria, qui hospites supplicesq́ꝫ suos (ut ante dixi) quasi captiuos in seruitutẽ redegerãt. Tandem ubi se obtulit occasio meliorũ temporũ, populus inermis illatam sibi uim ultus est, protegẽte ipsa iusticia. Tot plagis Aegyptus castigata est, quarũ tamen nulla Hebræos attigit. quãuis cohabitantes in eisdem oppidis, uicis, domibus, terra, aqua, aere, igne, præcipuis naturæ partib. conspirantibus, ut impossibile esset effugere. id quod maxime mirũ fuit, ab eisdem rebus

uno

uno eodēq; loco ac tempore, alios seruari, alios interimi. Fluuius uersus erat in sanguinem, at non Hebręis: his eñ haurientibus fiebat potabilis. Ranæ ex aquis in terrã subrepentes fora, uillas, domos impleuerãt, solos Hebræos deuitabant, ac si scirent discernere qui puniẽdi essent, qui nequaq;. Nõ scnipes, nõ cynomyiæ, non locustę, quæ arboribus, satis, animalibus, hominibus uastitatẽ intulerant, ad hos aduolauerunt. non imbrium, grandinum, fulminum continuata uis ad hos usq; peruenit. exulceratione molestissimam ne in somnis quidem senserunt. cum densissimę tenebrę offunderẽtur alijs, ipsi in diurna puraq; luce degebãt. cum interirent Aegyptiorum primogeniti, nemo Hebręus perijt. & merito, quãdo ne pecudũ quidem pestis ad horũ greges ulla uenerunt contagia. Nec aliud uideri poterant illo tempore q̃ spectatores calamitatum alienarũ, ex quibus utilissimam doctrinam pietatis perciperent. nunq; enim tam manifestum bonorum & malorũ iudicium extitit, alteris exitium, alteris salutẽ afferẽs. Erant autem uiri demigrantes supra DCM. reliquę turbę senum, puerorũ, mulierum iniri non poterat numerus. huc accedebat seruitiorũ multitudo promiscua & quasi suppositicia. hos Hebræi susceperãt è fœminis Aegyptijs, contributos paterno generi, quidã etiam pietatis amore se adiunxerãt, & erant qui tot continuis castigationib. profecerant in melius. Horũ omniũ princeps Moses electus est: quam potestatẽ accepit nõ ut alij fretus armis & machinis, aut equestribus, pedestrib. naualibusq; copijs: sed uirtutis ergô honoratus & charitatis qua uniuersos prosequebatur indesinẽter, deo quoq; fauente honori uiri optimi. Nam quia regnũ Aegypti dereliquerat cum esset nepos regius, & offensus incolarũ superbia uiolentiaq; adoptatores suos abdicauerat, simulq; spes illas abiecerat præ generosa magnanimitate & amore iustitiæ, uisum est omnipotẽti rerũ gubernatori, frequentioris meliorisq; gentis regnũ ei reponere, quę una omnium erat functura sacerdotio, & uota factura pro uniuerso humano genere, quibus & mala auerterentur, & impetrarentur prospera. Assumpto aũt principatu non hoc egit, sicut nonnulli solent, ut augeret suam familiã, & filios quos duos habebat, extolleret, socios ac mox successores habiturus: sed ubiq; incorrupte se gerẽs in rebus minimis ęque ac maximis, superauit naturalẽ affectũ erga liberos, malẽs rationis obtemperare iudicio. Vnicum enim habebat propositum necessariũ, iuuare subditos, et dictis factisq; utilitati eorũ consulere, nullam occasionẽ prætermittendo in promouendis eorũ negocijs. Solus hic omniũ qui unquam principatũ gesserunt, non aurum, non argentum in thesauros condidit, non tributa exegit, non palatia, nõ latifundia, non greges, nõ famulicia, nõ reditus, nõ alias opes sibi parauit, quamuis posset habere omnium harũ rerum copiam: sed existimans animæ pauperis indicium esse mirari materiales diuitias, has quidẽ ut cæcas contempsit, illas uerò naturales perspicacesq; honorauit & amauit si quis unquã alius, in uestitu uictuq; quotidiano nihil præ se ferẽs fastus tragici, sed simplicitatem frugalitatẽq; exercẽs priuati hominis. Regem autem in his solis agebat quę uere sunt regia: ut sunt cõtinentia, fortitudo, sobrietas, solertia, prudentia, scientia, industria, tolerantia, iusticia, uoluptatis contẽptus, ad

uirtutem exhortatio, obiurgationes castigationesq; peccantiũ legitimę, et recte facientium laudes atq; præmia. Itaq; quoniã auariciæ renunciauerat & diuitijs honoratis apud homines, perfectas maximasq; diuitias pro his ei deus reddidit: hoc est, ut tantundẽ posset quantũ terra & mare ac flumina elementaq; cętera, & quæ ex his sunt condita. fecit enim eum suę potentiæ participem, totum mundum ei subdens tanquam hæreditariũ. quamobrẽ singula elemẽta obediebant ut domino, ad iussum eius suas uires mutantia. Nec mirum, quandoquidẽ iuxta prouerbium, Amicorum omnia sunt cõmunia, amicus aũt dei propheta dicitur: unde consequitur ut diuinæ possessionis usum habeat. nã deus nullius eget, cum possideat omnia. Bonus aũt uir nihil proprie possidet, nec seipsum quidem, uerum de thesauris dei quãtum potest, accipit. & merito, cum mũdi ciuis sit: ideo nullã priuatim in orbe habet patriam: quippe qui hæreditatẽ habet non unam quampiam regionem, sed mundum uniuersum. Quid quod maiorẽ etiam cum omnipotente rerum patre conditoreq; societatẽ adeptus, cõmuni appellatione dignatus est? nominatur eñ totius gentis deus atq; rex, & caliginem ubi deus erat intrasse dicitur, hoc est in illam inuisibilẽ, incorporeã, specie formaq; carentem exemplarẽ essentiam, abstrusas à mortali natura contemplationes considerans. Seipsum quoq; suãq; uitam, quasi tabulam elegãtissime pictam proposuit spectandam, diuinum opus imitandumq; posteris. Felices qui has figuras suis animis imprimũt, aut certe student exprimere. Optandum est enim, ut menti contingat absoluta modis omnib. uirtutis species: sin minus, saltem certum acquirendæ huius desideriũ. Ne illud quidem ignotũ est, quòd claros uiros imitãtur obscuri & ignobiles, sua sponte sequẽdo quocunq; uiderint illos cõtendere. Itaq; siquãdo princeps se totum dans uoluptatibus, primus ad uitam delicatã deflectit, uniuersa propemodũ subditorum multitudo ad uentrem & ea quæ sub uẽtre sunt, proclinat præter appetitum necessarium, nisi qui naturæ benignitate animam sortiti sunt nõ insidiatricem sed propitiam. quod si honestiorẽ se uerioremq; sectam ille prætulerit, intemperãtes quoq; mutantur ad continentiam, uel metu, uel reuerẽtia, ut habeantur æmulatores studiorũ similium. nec eñ sic insaniunt, ut se pręstantiorib. anteferant. Et fortasse quia legislator futurus erat, multo ante ipse lex animata rationalis'que factus est per dei prouidentiam, quę nescientẽ destinabat huic muneri. Ergo postq; de cõmuni consensu accepit imperiũ non sine numine, decreuit coloniam in Phœnicen, Cœlesyriam, Palæstinamq;, tũc cõmuni nomine Chananęã, deducere, cuius fines disterminabãtur ab Aegypto trium dierũ itinere. duxit autem per uiam minime compendiariam: tum quia uerebatur ne regionum earum incolæ metu amittendarũ unà cum libertate sedium armati occurrerent, ipsi uero ab hostibus reiecti ad hostes reuerti cogerẽtur, à nouis ad ueteres pręter ludibriũ passuri grauiora quàm antea: tum quia uolebat per uastas solitudines ducendo experiri horum obedientiã, instructorum non amplis cõmeatibus, sed paulatim deficiẽtibus. Quamobrem de recta uia decedens inuenit obliquũ tramitem: eum ingressus est, ratus ad rubrũ mare ducere. Fertur illo tempore accidisse ingens naturæ miraculũ, quale nunquam

nunquam auditum fuerat post hominũ memoriã. præcedebat populum nubes in magnę columnę speciem, solari splendore lucens interdiu, noctu uero flammeo, ut eius ductu absq; periculo erroris incederet. Credi tamẽ potest aliquem è summi regis præfectis angelũ, nube inuolutum eos duxisse, quem nefas sit aspici mortalibus oculis. At rex Ægyptius postquã animaduertit hos ferri per deuia sicut putabat, ingressos desertũ à nullis tritũ uiatoribus, gaudebat eos aberrasse à recto itinere, uidelicet ratus nõ inuenturos exitum: iamq; missionis pœnitẽs, statuit eos persequi, aut metu retracturus in seruitutem, aut internecione deleturus gentem profugam, deinde assumpto omni equitatu, iaculatoribus, funditoribus, sagittarijs, uelitibus, & uniuersis leuis armaturæ militibus, sexcentisq; falcatis curribus, præfectisq; huic expeditioni purpuratis quo alacrius sequerẽtur cęteri sine detrectatione militiæ, excurrit summa celeritate, properãs ut fugientes improuisos opprimeret. Solent eñ insultus repentini terrere grauius, & securi facilius intercipiuntur q̃ soliciti. id tũc quoq; sperans ille sequebatur, quasi ad primum clamorẽ uictor euasurus. Et iam populus in littore castra posuerat: quibus prandium parantibus primũ exaudiebatur strepitus, ut propinquante tanta uirorum equorũq; multitudine certatim properantium: mox progressi extra tabernacula circumspectabant arrectis auribus. paulo post cõspectus est in tumulis hostilis exercitus instructus ad pręlium explicata acie. Hoc tam inexpectato casu perterriti, cum nec arma illis ad defensionem suppeterent (non eñ ad bellum, sed ad quærendas sedes exiuerant) nec ipsi fugam expedirent, à tergo mari claudente, à fronte imminentibus hostibus, ab utroq; latere obiacentibus uastis inuijsq; solitudinibus, trepidabant desperantes, ut fit, in tantis calamitatibus, incusabantq; principẽ occlamantes: Num deerant sepulcreta in Aegypto, ut nos huc adductos necatosq; sepelires in solitudine? nonne quæuis seruitus est morte leuior? inescasti plebeculam spe libertatis, ut adiret uitæ periculum. abusus es nostra simplicitate, quasi nescires Aegyptiorum maliciam & iracundiam. Non uides nullũ patere nobis è tot malis instantibus effugium? Quid agimus? inermes armatis occurremus? at fugiemus. quomodo, cum simus cincti ceu cassibus infestissimis hostibus, locis inuijs, & mari carente nauigijs? si tamẽ est nauigabile. His ille auditis ignoscebat, memor diuini oraculi: diuisisq; mentis & sermonis officijs, eodem tempore, altera deprecabatur deum tacitus ut eos è desperatis rebus eriperet: altero confirmabat solabaturq; tumultuantes: Nolite animo concidere. aliud est humanum, aliud diuinum auxilium. cur tantũ credibilibus sermonibus fidem accommodatis? noster adiutor nullis opus habet apparatibus. exitũ inuenire in rebus dubijs est deo propriũ. solus ille plus quàm uniuersa creatura potest. His illos etiã tum sui compos hortabatur. paulo uerò post iam afflatus familari numine hæc cecinit: Exercitus iste instructissimus ut uidetis armis uirisq;, nõ terrebit uos postea. internecione totus delebitur submergeturq;, ut ne reliquiæ quidẽ eius in terra maneãt, idq; nõ post longũ tempus, sed nocte proxima. Hoc ille tum responsum edidit: post solis autem occasum exortus est auster uehemẽtissimus, qui mare tunc solitũ cum

æstu decedere, protrusit etiam ulterius nudatis littoribus, sicut fit in torrẽtum eluuie. nox quoq; densis nubibus obscura nullis illustrabatur sideribus, quo magis caligo persequutorib. esset formidabilis. Tum Moses iussus uirga mare percutit. quo facto aquæ scindũtur, & altera pars in altum tollitur stãs more parietis solida, altera ceu freno imposito ui occulta retrahitur: media scissura siccata patentẽ latamq; uiam præbente ad populi transitum. Moses gaudens conspecto hoc tam prodigioso miraculo suis addebat animum, iubebatq; castra mouere q̃ possent celerrime. inter cunctandum autem nouum prodigium se obtulit. Nubes quæ hactenus uiæ dux solita erat præcedere, tunc retrograda in extremo uisa est agmine quasi ad eius custodiam, obiectu suo fugientes à persequentibus dirimens, illis muniens iter tutius, hos retardans & infringens impetũ eorum celerem. quo portento Aegyptij perterriti, tumultu atq; trepidatione complebant omnia, turbatis præ metu ordinibus incursantes in se inuicẽ, ac sero frustraq; conantes fugere. Nam Hebræi summo mane per siccã uiam traijciebant unà cum uxoribus ac liberis. Hostes autẽ undis marinis rursum in unum coeuntibus mergebantur cum suis equis & curribus, æstum refluum uoluentibus etiam aquilonis flatibus, ut ne ignifer quidẽ superstes relinqueretur, nunciaturus acceptã cladem Aegyptijs. At Hebræi stupentes quòd prodigiosam insperatamq; sine sanguine nacti essent uictoriã, & uidentes hostem deletum momento temporis, duos choros, alterũ uirorum, alterum mulierum, statuerunt in littore, cecineruntq; deo hymnos gratulatorios, præeunte carmen uiris Mose, sorore uerò huius mulieribus. nam hi choreas ductabãt. Relicto deinde mari aliquandiu faciebant iter securum, erepti hostibus: sed cum per triduum aquam non inuenirent: rursum præ siti mœsti ad querelas reuertebãtur, quasi nullo accepto beneficio: semper enim præsens molestia solet auferre memoriã uoluptatis præteritæ. Conspectis deinde fontibus accurrũt læti, decepti uana spe tanquam hausturi. Amaræ enim erant aquæ, quarũ gustu offensi defecerunt & animis & corporibus, non tam suam quàm puerorum uicem dolẽtes, quos petentes potum non poterant uidere siccis oculis. nõnulli uero inconstantiores & parum certæ pietatis, etiam præterita incusabant, ut quæ non salutem afferrent, sed grauiorem perniciem, quòd multo satius esset hostili manu cadere, quàm siti excruciari insuper. illic enim esse citam mortem, uel potius ad immortalitatem transitum: hanc autem ueram esse mortem, diuturnam simul ac cruciabilẽ, cum sensus eius magis quàm ipsa timeatur. In hac lamentatione populi rursum Moses supplex deum precatur, ut gnarus imbecillitatis animalium, præsertim hominũ, propter corporis necessitates, à cibo pendentium, & duro tantum uentri seruientium, det ueniã desperantibus, & omnium egestatem expleat, idq; sine dilatione, quãdo mortalium naturalis incuria celerẽ opem desideret. Ille facile exoratus aperit supplicis animæ oculum, & ostendit lignũ, quod sublatũ iussit in fontes immitti: siue uis ea natiua fuit, ignorata hactenus: siue tum primum ad præsentem usum est indita. Quod ubi factum est, fontes dulcedinem acceperũt ut essent potabiles, ac si nunquam ante amari quicquam habuissent, adeò nullum relictum

ctum fuerat uestigium uitij pristini. Ad hunc modũ extincta siti uoluptas geminata contigit, quãdoquidem quoties præter spem incidit, maiorẽ affert lætitiam. Impletis deinde hydrijs discesserunt tanquã epulati in festiuissimo conuiuio, ebrietate nõ temulenta ebrij. sed illa sobria, quam meracam hauserant ex propinationibus sui principis pietati deditissimi: atq; ita peruenerunt in stationẽ secundam, aquas habẽtem & arbores, cui nomen Ælim erat, riguã duodecim fontibus, apud quos erant septuaginta palmæ ramosæ ac uirentissimæ, bonũ omen genti afferentes, si quis obseruet oculis mẽtis perspicacibus. nam ea diuiditur in tribus duodecim, singulas fontis similes, ut quæ pietatis fluentis scateant, unde indesinenter proficiscuntur pręclara facinora. principes aũt familiarũ totius gentis fuere septuaginta, merito assimilati palmæ arborũ præstantissimæ: quæ aspectu pulcherrima, fructum quoq; fert optimum, & uitalem uim habet nõ in radicibus defossam ut cæteræ, sed in summo quasi cor sitam in ramorũ medio, à quibus circumquaq; stipatur ceu princeps à suis satellitib. cuiusmodi natura est etiam mentis quæcunq; sanctitatem degustauit. solet enim hæc sursum spectare, & in sublimibus uersari occupata contemplandis diuinis pulchritudinibus, naucifaciens terrenas, & hæc lusus reputans, illa seria. Non multum deinde fluxit temporis, cum deficientibus cibarijs fame tentabantur, quasi per uices prementibus eos necessitatibus. Graues enim dominæ sitis & fames suo quæq; tempore urgebant, ut altera cessante, succederet altera: id uerò adflictis erat molestissimum & intolerabile: qui postquam sibi uidebantur euasisse sitis periculum, in famis insidias inciderant. Nec solum præsens grauabat inopia, sed etiam in futurum cõmeatus desperatio. uidentes enim uastam solitudinẽ, frugum sterilem, despondebãt animum. nihil apparebat præter rupes asperas, aut campos salsuginosos saxosos'ue tumulos, aut arenarum aceruos altissimos. nusquã fluuius uel torrens uel perennis, nusquam fons, nulla sata, nullæ arbores, non mites, non siluestres, non uolucre nõ terrestre animal, nisi uenenosa reptilia perniciosa homini, serpentes & scorpij. Adhæc subibat animum copia & ubertas regionis Aegyptię, quam conferentes cum egestate premente, tanto magis indignabantur, tales uoces iactãtes alij apud alios: Libertatis spe migrauimus, nunc ne uiuere quidẽ possumus. Felices nostri ducis pollicitationibus, re ipsa sumus miserrimi omnium mortalium. Quis finis erit tam longi & inutilis itineris? tum nauigationes tũ terrestres peregrinationes habent terminum aliquem propositũ, uel portum frequentem commercijs, uel urbem aut regionem quãpiam. soli nos uagamur per inuias solitudines destituti spe rerum omniũ. progredimur enim per deserta patentissimo similia pelago, & indies maior offert se uastitas. postquã nos inflauit uanis sermonibus, & aures spe repleuit, nunc uentres fame uexat, nec alimenta expediẽs necessaria. prætextu deducendæ coloniæ tantã decepit multitudinem, è locis cultis in inculta seductã: superest ut eam deducat ad inferos, quę est uia uitę ultima. His opprobrijs petito nõ tam molestũ erat male audire, quàm ferre hominum inconstantiã. experti eñ plurima miracula præter solitum rerũ ordinẽ, non debebant amplius suas coniecturas sequi utcunq; probabiles,

biles,sed potius amplecti fidē cuius toties experimēta uiderāt.attamē cum reputaret nullā calamitatē esse grauiorē inopia,facile ignoscebat imperito uulgo suapte natura mobili,tantū intento præsentibus, quæ tum præteritorū memoriā eximūt, tum in futurū spem adimunt.itaq; mœstis omnib. & nihil præter extremā calamitatē expectantibus, imminentē ut putabāt capiti:deus partim propria motus clementia, partim in honorē ducis suo iussu electi,quo magis eius pietatē sanctitatēq; cōmendaret parem prosperis rebus & dubijs,miseriæ remediū exhibuit nouum & inauditū antea:ut tam manifestis signis sui fauoris præsentis reuerētiā eis induceret:ne si quādo non omnia cederent ex sententia, spem simul & patientiam abijcerent. Quid igitur accidit? Postridie diluculo multū roris circum castra decidit paulatim niuis in morē,dissimilis huic uulgari & penè quotidiano, quippe qui nec aqua erat,nec grādo,nec nix,nec glacies,quod genus nubes inuehūt hybernis tēpestatibus:sed in milij speciem minutus cādidissimusq;, ut aceruatim extra tabernacula iaceret mirādo spectaculo. quo stupefacti scitabantur ex duce,quænā esset hæc nunq; ante uisa pluuia, aut in quē usum demissa.tum ille diuinitus hoc oraculū edidit: Mortalibus data sunt arua cāpestria sulcis proscindenda ut sementē agricolis reddāt cum fœnore prouētus annui,quantū satis sit ad rerū uictui necessariarū copiā. at deo nō una pars sed totus mūdus subditur,cuius portiones pro potestate uertit in usus quoscūq; uult. nūc sic illi uisum est ut alimētis aer nō aqua subseruiat,quandoquidē terra quoq; solet producere pluuiā. Aegyptius fluuius quotānis arua inundans & irrigās,quid aliud est q; terrestris pluuia? Miranda sanè res, etiāsi nihil accessisset noui præterea:accessit tamē quod magis mireris.afferebantur certatim uasa iumentis & humeris hominū,ut & in futurū cōmeatus sufficeret: sed nō erat opus reponere, ex quo deus decreuit recētia semper dona suggerere. Vrgenti necessitati abunde satis factū est,cūctis suauiter uescentibus: quicquid seruatū est in crastinū, totū perijt,ita corruptum ut fœteret scateretq; uermiculis.abiectis igitur his reliquijs inueniebant cibos alios,cū rore matutino depluētes quotidie. tum quoq; septimo diei honor eximius est habitus. quoniā em̄ nihil operis eo die permittitur,à paruis magnisq; cessatione indicta, ne feriæ uiolarentur propter usum necessariū,duplū deus pluebat pridie sabbati, iusso populo colligere quod duraret in biduū proximū,cibo tātisper incorrupto manēte præter solitū.successit & aliud miraculū haudquaquā prætereūdū silentio,per cōtinuos quadraginta annos,toto illo tā diuturno itinere, necessarius uictus nō defuit iuxta semel institutū ordinē temporū,non secus q; si ex horreis dimensum distribueretur singulis: simulq; discebāt obseruationē illius diei sacratissimæ ac desideratissimæ. Cū em̄ iamdudū quæsissent quis esset mūdi natalis,quo hoc uniuersum absolutū est, rē à suis maiorib. ignoratā tandē didicerūt, nō solum oraculo, uerū etiam argumento manifestissimo. Videbāt em̄ corrūpi (ut dixi)quicquid supererat dieb. cæteris, quod aūt depluebat pridie sabbati, duplū prouenire, durareq; in biduū. Vsus uerò eius erat huiusmodi. prima luce collectū molebant aut terebāt, dein elixo quasi placentis uescebātur suauissime,absq; pistoris opera.Imò

ne deli-

ne delicatioribus quidē cibis diu caruerūt, quales habentur in regionibus habitatis & felicibus, deo proferēte suas opes in solitudine. uespertinis enī horis coturnicū nubes aduolabat à mari tota castra inumbrans, terræ tam propinqua, ut facile præberet aucupiū. has capiēdo coquendoq; ut cuiq; libebat, fruebātur carnibus optimis, ne desiderarent obsonia. In hac copia ciborū interuenit magna potus inopia: iamq; deplorata erat salus omniū, cum Moses sumpta sacra illa uirga per quam in Aegypto prodigia patrauerat, numine correptus rupem percutit. quæ seu uena opportuno ictu aperta, seu aquis tum primū eò corriuatis per occultos cuniculos, erumpentibusq; præ impetu, more fontis tantū profudit, quantū & ad sitis remedium, & ad diuturnā aquationē suffecit tot milibus. omnes enim hydrias impleuerūt, sicut prius ad fontes amaros in dulcem naturā uersos dei prouidētia. quod si quis huic narrationi non credit, non nouit deū, nec quærit noscere. alioqui certo certius sciret, miracula ista esse dei ludicra, collata cū serijs operibus: quale est creatio cęli cum fixis erraticisq; sideribus, lucis, diei solisq; productio, itidēq; nocturni lunaris luminis, terrę fundatio in rerū meditullio, insularū et continētis immēsa magnitudo, animaliū stirpiūque in tot species diuisa uarietas: ad hæc maris æstuaria, fluuiorū cursus tā perennium q; torrentium, latices fontium perpetuo manantium, alibi frigidorū, calidorū alibi: præterea tot mutationes aeris, tempora discreta annuis horarū uicibus, aliæq; pulcherrimæ res innumeræ, quib. recensendis uix tota hominis uita sufficiat, quæ nec ad unius cuiuspiā mundi partis miracula singulatim excutienda satis sit, etiamsi contingeret longissima. Verū ista cùm digna sint admiratione maxima, contemnuntur propter consuetudinē. quæ aūt insufitata sunt, quamuis minora, miramur indulgentes nouis imaginationibus. Tandē post pererratas diu solitudines inuias apparuerūt quidā terrę habitabilis termini, ceu suburbana regionis eius quā sibi destinauerāt. habitabatur aūt à Phœnicibus. hic sperantes uitā quietā tranquillāq;, multū opinione sua falsi sunt. nam regionis eius rex populationē agrorū metuēs, excita oppidatim iuuētute, opposuit se ut arceret eos à trāsitu. q; si armis uiā sibi aperire conarētur, aggrederetur integris uirib. & recenti milite fessos itineribus & cōmeatuum inopia aquarumq; penuria, quibus illi necessitatib. laborabāt alternātibus. At Moses re per exploratores cognita nō longe ab hoste castra metatus est, delectu iuniorū habito, imperatorē his Iesum præficiēs unū è minorib. ducibus, ipse properauit ad quærendū maius auxiliū. purificatus enim solēnibus illustrationib. ascēdit propinquū tumulū, suppliciter deū inuocās, ut Hebręis daret uictoriā, quos liberasset à grauiorib. periculis, depulsa nō solū hominū uiolētia, uerū etiā lue quæ corruptis elemētis Aegyptios infestauerat, atq; etiā per totū iter fame alias ineuitabili. cū aūt starēt utrinq; instructę acies, nouū accidit prodigiū in ipsius prophetæ manibus, modo leuissimis, modo mire grauibus. quæ quoties leuitatē recipiebant, ad cęlū sublatæ cōfirmabāt socios ad rem gerendā fortiter: quoties uerò degrauabātur, pręualebat hostilis acies, deo significante, q; alterorū propria hæreditas sit terra mūdi pars infima, alterorū æther sacratissimus, & quemadmodum in rerum uniuersitate

ſitate cęlum eſt terra potius:ſic etiam populũ ſuum bello ſuperaturum aduerſam aciem. Cum igitur aliquantiſper manus bilancis in morẽ nunc ſurſum tollerentur, nunc deorſum uergerent, certareturq́ marte dubio, tandẽ repente uelut pinnas habentes pro digitis ſublatæ uolitabant per aerẽ manentes in ſublimi, donec Hebręis certa uictoria cõtigit internecione deletis hoſtibus, & clade iuſta domitis ab his quos iniuſtis armis laceſſebant. Tunc Moſes altare dedicauit, quod ex re nominauit Dei refugium, in quo uota perſoluit mactatis uictimis. Poſt prælium decreuit exploratores ad inſpiciendas ſedes genti ſuæ deſtinatas mittere, anno ſecũdo poſtquã iter ingreſsi fuerant: ne forte more ſolito per ignorantiã diſſentirent à ducis cõſilio: utq́ re auditu cognita, quid agendum eſſet in commune diſpicerent. miſsi ſunt è duodecim tribubus totidem principes electi ex optimatibus, ut omnium eſſet par autoritas: utq́ ex æquo tribus omnes de ſtatu regionis cognoſcerẽt ex honoratioribus, ſi modo illi renũciare uera uoluerint. Electos aũt ſic alloquitur: Certaminum ac periculorum quæ ſuſtinuimus & ſuſtinemus hodieq́, præmium erit agrorum diuiſio, quam ſpem ratam faxit deus optimus maximus, ut gentem frequentiſsimã deducamus in coloniam. profuerit aũt plurimũ locorum, hominũ, rerum conditionẽ pernoſcere, ſicut ignorare hæc, eſt noxium. ideo uos elegimus, ut ueſtris oculis atq́ mentibus illa inſpiceremus. eritis igitur tot milibus pro auribus & oculis, ut cognoſcatis quæ nos ſcire oportet, nimirum tria hæc: incolarum frequentiam ac potentiã. urbium ſitum, munitę ſint an ſine munitionibus: poſtremo quænã ſit agri natura, num ferax & apta uinetis, arbuſtis atq́ ſegetibus, an contrà ſterilis: ut aduerſus uires copiasq́ incolarũ inſtruamus nos legionibus quas illis tuto poſsimus opponere, contra locorũ aũt difficultates machinis oppugnatorijs. naturam quoq́ regionis ſcire neceſſum eſt, bona ſit an non. alioqui pro poſſeſsione ſterilium agrorũ ultro ſubire pericula, ſumma ſtulticia fuerit. arma aũt noſtra & machinæ atq́ copię ſitę ſunt in ſola erga deũ fiducia. hoc apparatu freti nullis cedemus terroribus: hoc uincemus, etiamſi fuerimus inferiores robore, habitudine, audacia, peritia, copijs: hoc inſtructi etiã in uaſta ſolitudine nihil requiſiuimus eorum quę habẽtur in urbib. tẽpus quoq́ nunc eſt explorationi aptiſsimũ, uernũ uidelicet, quando ad maturitatẽ tendunt ſegetes, & arborum fructus proferre incipiunt. pręſtat tamen differre in ęſtatẽ reditũ, & afferre aliquid fructuum, quod ſit regionis eius ubertatis ſpecimen. His auditis ad explorandum proficiſcuntur deducente uniuerſa multitudine, ſolicita ne cõprehenſi luant ſupplicium, & accipiatur geminũ incõmodum, uirorum tributim ſelectorum interitus, cum ignoratione rerũ hoſtilium quarũ petebatur noticia. habebant aũt ſecum duces peritos locorũ, quos ſequebantur in itinere. cumq́ appropinquaſſent finibus, aſcenſo mõte altiſsimo contẽplabuntur regionẽ magna ex parte campeſtrem, feracẽ hordei, tritici, atq́ pabuli. mõtana quoq́ uitib. & arbuſtis erãt cõſita, ubiq́ uirentia, diſtinctaq́ riuis ac fontibus ad aquãdi copiã, ut à radicibus uſq́ cacumina tota latera montium opaca eſſent continuis arboribus, præſertim iuga & ualles mediæ. uidebant etiam urbes natura ſimul & arte munitas egregie. amplius deinde inqui-

inquirendo uidebant incolarum immensum numerum, gigantibus simi- lium proceritate ac robore. hęc ut diligētius perspicerent, hæserunt ibi diu tius, ne fallerentur primo intuitu, sed certiores menti notas imprimerent. si mulq; curauerunt, ut decerptos arborū fructus iam semimaturos suis tribu libus ostenderent, eos præcipue qui non corrumpūtur facile. sed nihil ma- gis quàm uitis fructum mirabantur, pendebant enim prægrandes uuæ de palmitibus, spectaculum uix credibile. harum unam exectam suspenderūt è uecte medio, cuius extrema imposuerunt humeris duorum iuuenum. at- que ita deportabant aliis post alios propter pondus succedentibus. de cę- tero non consentiebant. In itinere conuenire eis non poterat quid renun- ciandum esset de communi sententia, ne quid seditionis oriretur in popu- lo, sed hoc fuit leuius. post reditū extitit maior discordia. alij de urbiū mu- nimentis & ciuium frequentia narrantes, attollētesq; in maius omnia, uer- bis territabant concionem: alij contrà eleuabant quicquid uiderant, hortā do ut forti essent animo, & coloniam quærerent, consecuturi ad primum clamorem uictoriam. nullam urbem laturam tantæ multitudinis simul in- gruentis impetum, nec parem futuram incumbenti oneri. Atq; ita utrique inuenerunt in plebe quos imbuerent suis affectibus, ignauia timidi, fortes uerò spe atq; audacia. Verū hi portio quinta fuerunt, timidis quincuplo su perantibus cæteros; quo factū est ut paucorum fortitudo obscuraretur in tanto ignauorum numero. duobus autoribus optimi consilij pręualuerūt decem dissuasores eorum sententiæ, qui pertraxerūt in suas partes totam plebeiam multitudinem. omnes uno ore laudabant montana æque atque campestria: sed confestim reclamabatur à concione: Quid opus est nobis alienis fortunis asseruatis tanto præsidio, ut nō possint adimi pristinis do- minis? Vix temperatum est à manibus, quin duos diuersum sentientes la- pidibus obruerent, malentes audire iucunda quàm utilia, & ueris falsa prę ferentes. quod ægerrime ferebat dux multitudinis, diris agitari eam suspi- cans, quæ tam contumaciter aspernaretur oracula, nec longe ultionem ab- esse, sicut euētus docuit. nam illi decem exploratores timidi absumpti sunt pestilentia cum turba sequuta ipsorum ignauiam. soli qui suaserant eundū intrepide, seruati sunt, præmium referentes pietatis, & reuerenter accepti oraculi. Hæc causa fuit serius deductæ coloniæ. cum enim potuissent secū do anno post quàm ex Aegypto demigrarant, agros Syriæ diuidere, de- flectentes à uia compendiaria, uagabantur per secessus longinquos & de- uios, alios quærendo post alios, frustra defatigantes animum cum corpo- re, ut meritas impietatis pœnas persoluerent: quippe qui præter tempus iam elapsum, per xxxviij. annos, ætatem hominis, sus'q; de'q; oberrantes per inuia, uix quadragesimo anno peruenerunt ad eosdem quos antea ter- minos. In aditu regionis habitabat gens cognata, quos sperabant fore bel- li aduersus uicinos gerendi socios, adiutores'q; in parandis nouis sedibus: aut si hoc grauarentur, certe neutris se adiuncturos partibus. nam utriusq; gentis primi conditores, tum Hebraicæ, tum accolentis fines hostiles, una matre uno'que partu editi fuerant, quorum familiæ felici auctæ sobole in duas populosas gentes tum excreuerant. harum altera in suis mansit sedi-

bus:altera (ut ante diximus) in Aegyptũ propter famẽ translata, post aliquot ætates retro unde uenerat rediјt,hæc cognationis non oblita,quamuis dudum disiuncta sedibus:& tunc quoq; nihil de ritu maiorũ agnoscẽs in degeneribus posteris, arbitrabatur decorum esse mansuetis ingeniјs, si antiquæ necessitudini aliquid tribuerent. in altera nullum supererat amicitiæ uestigium,quæ longe diuersis assueta moribus,rationibus, cõsiliјs, studiјs,auita renouabat odia.nam primus huius gentis autor ius primogenituræ fratri uendiderat,quod paulo post facti pœnitẽs repetiјt, atq; etiã necem intentando extorquere uoluit. hæ maiorum priuatæ simultates apud integras posterorũ gentes instauratæ sunt eo tẽpore. Cæterũ dux Hebræorum Moses,quamuis primo incursu poterat eos opprimere,iniquum id ratus propter ius antedictæ cognationis,maluit trãsitum per eorũ agros petere,pollicendo se iter facturos sine incolarũ iniuria,intactis agris & pecoribus.ne potum quidem aquæ necessarium sumpturos absq; precio:in potestate incolarũ fore annonã,se usuros foro ex ipsorũ arbitrio.at illi contẽptis caduceatorib.cõditiones fœderis offerentibus, armati obuiã profecti sunt,bellũ ostentãtes eis,si auderent fines trãscendere,imò uel attingere. id responsum ægre ferente populo,& iam ad arma cõcitato, propheta ẽ superiore loco ut exaudiri posset,sic eos allocutus est:Non est iniqua uiri fortissimi uestra indignatio,qui bonas cõditiones offerẽdo repulsam passi estis à prauis &peruersis hominibus.Illi quidẽ digni sunt ut inhumanitatis pœnas dent,nos tamen decet mitius agere,& reuereri gentiles necessitudines. alioqui quod erit inter bonos malos'q; discrimen, si magis cogitabimus quid illi mereãtur,q̃ quid nos deceat?His dictis auertit aliò populũ, cũ uideret omnes aditus infessos præsidiјs ab his quib. nihil imminebat periculi,tantum præ inuidia uiam cõpendiariam intercluserant:quod erat certissimum indicium maleuolentiæ moleste ferentium gẽtem libertati redditã, quã in Aegypto graui seruitute premi antea libenter audierant. necesse est em̃ ut qui alterius felicitate dolet,eius calamitate gaudeat, quãtumuis dissimulet.In tantum enim res suas cum impiјs consociauerãt, ut in summã maliciam prolapsi,infensi essent bonis omnib. ægre ferrent successus eorum, gauderent calamitatibus.Id tum latere nõ potuit,cohibitus est tamẽ populus à suo principe,eadẽ opera gemino exemplo edito tum bonitatis tũ prudentiæ.prudenter enim fecit,quòd discessum est sine mutuis iniuriјs:q; uero cognationis respectu ultionem cohibuit,humanitatis fuit officiũ. horũ oppidis præteritis cũ ad ulteriora pergerẽt,rex quidã finitimus Chananes nomine ubi cognouit ẽ speculatorib.exercitũ per loca nõ longe dissita iter facere,putãs eos sine ordine incedẽtes facile posse opprimi,cũ armata suorũ iuuẽtute inuasit,& primo assultu quosdã ut imparatos coegit terga uertere:interceptisq; aliquot captiuis insperato successu inflatus procedebat ulterius,quasi omnes in suã potestatẽ redacturus.at illi nihil territi accepto incõmodo,imò accẽsa audacia ut abolerẽt ignominiã, hortabãtur se inuicẽ:Viri simus,geramus rẽ alacriter in primo regiõis promissæ aditu.intrepide pugnemus pro munimẽto habẽtes audaciã.per initia sæpe de euentu decernitur.dũ in limine sumus terrorẽ incutiamus incolis,ut inopia qua in

locis

locis desertis laborauimus, permutemus agrorũ fertilium & bene cultorũ copiã. Sic animati uouerũt deo primitias agrorum, eius regis oppida cum suis finibus. nec fuerunt uota irrita, propitio numine Hebræis robur addẽte, ad extorquẽdam hosti uictoriam. Itaq; pugnatum est egregie, supplicatumq; post uictoriam, præda tota consecrata autori tantæ felicitatis. Oppida cum uiris & auro argentoq; deo dicari placuit, unde totum id regnũ anathema nominatum est. Quemadmodum enim unusquisq; uir pius cõsecrat primitias fructuum cõportatorũ ex agris suis: ad eundem modũ gens uniuersa portionem magnæ regionis, in cuius possessionẽ migrabat, & eã quidem non exiguam, regnum integrum quod primum bello quęsitũ est, nouæ coloniæ primitias deo dicauit. nefas eñ putabãt uel agros diuidere, uel in urbes immigrare, ante consecratas horum primitias. Paulo post fontem copiosum inuenerũt, qui omnibus potum prębuit. is erat in puteo, in eius prouinciæ finibus. ibi acsi merum non aquã hausissent exhilarati, pias choreas circa puteum ducendo nouum carmen canebãt in laudem dei datoris agrorum & autoris colonię, quod emensi longas solitudines, terram promissam attigissent, & in ipso limine inuenissent aquæ copiam, meliore nota signandum rati hunc puteum. fuerat enim excisus non plebeiorũ sed regum opera & diligẽtia: qui ut fertur magnum sumptum quærẽdo aquã & apparãdo puteum fecerant, sicut apparebat ex operis regij magnificentia. His inopinatis successibus lætus Moses progrediebatur ulterius, iuuẽtute disposita in primo extremoq; agmine: seniorum, mulierũ, puerorũ'q; turba incedebat media, utrinq; munita præsidio, siue frontẽ siue terga hostis lacesseret. Post aliquot dies regionẽ Amorrhæorum attigit, missisq; legatis ad regem eorum Seon, inuitabat ad easdem conditiones, quas prius cognatis obtulerat. ille adeo contumeliose respõdit, ut uix sibi temperaret à manibus, occisurus ni legatos tutaretur ius gentium: cõtractisq; mox copijs expeditionem suscepit, uictoriam sibi pollicens. Cõgressus autem sensit sibi rem esse cum inuictis militibus, qui iam ante exercitatis duratisq; tũ corporibus tum animis, non semel uirtutis specimẽ ediderant. quapropter egregie tunc quoq; uicerunt, à præda tamen abstinuerunt, ut sacrarẽt deo certaminum suorũ primitias, cuius ope subsistebant magis quàm proprijs consilijs aut uiribus, illo addente animos ad rem gerendam, & causam suã defendendam fortiter, sicut tunc quoq; apparuit. non erat enim opus iterato prelio, una acie debellatum est, fusis, fugatis, internecione deletis hostilibus copijs. Vrbes etiam eodem tempore exhaustæ & repletæ sunt, uacuæ ueteribus incolis, plenæ uictoribus. similiter uillæ prædiaq; rustica modo deserta recipiebant colonos meliores. Hoc bellum gentes omnes Asianas terruit, pręsertim finitimas, quibus propius imminere uidebatur periculũ. Vnus autem è uicinis regibus Balaces nomine, habens in oriente magnũ populosumq; imperium, non ausus armis decernere, domi se continuit: & timens clades quas bellum afferre solet, ad auguria se uertit atq; diuinationes, putãs se diris execrationibus expugnaturum inuictã Hebræorũ potẽtiam. Erat illo tempore uates magnæ celebritatis in Mesopotamia, peritus omnium diuinationis generum, sed maxime augurali scientia sibi autorita

tem parauerat,cuius multa sæpe experimenta ediderat magna & uix credibilia.nam aliquãdo imbres futuros prædicebat æstate præferuida,rursum alijs siccitatem æstusq; brumali tempore:aliquando ubertatẽ annonæ,rursum aliàs famem & penuriam:fluuiorum item defectus inundatiõesq;, & procurationes pestilentiæ,aliaq; innumera:quæ singula cum præsagire uideretur,erat in ore omnium,inclita fama diuinitatis eius indies se spargẽte latius. Ad hunc rex misit amicos aliquot,rogans ut ueniret,multa repræsentans dona,plura pollicens,nec dissimulans cur accerseret hominem.Ille nõ ingenue cõstanterq;,sed fucata ciuilitate,quasi propheta eximius, & nihil absq; diuino nutu facere solitus,tergiuersabatur, negãs sibi hoc permitti à numine.sic legati reuersi sunt infecto negocio. Rex alios mox honoratiores misit cũ maiore ui pecuniæ, iussos etiã polliceri ampliora quàm antea munera.Vates inescatus & præsenti utilitate,& spe futuri cõmodi,simulq; oratorum dignitatẽ reueritus,persuaderi sibi passus est, rursum fucate causatus de numine. itaq; postridie parabat se itineri, narrãs admonitum se in somnis uisione manifesta ut incunctanter legatos sequeretur. Cæterum in uia prodigium ingens ei se obtulit, omnino aduersum ominosumq; illius proposito.Iumentum enim quo uehebatur,primùm repente constitit.deinde quasi ex aduerso uiolenter repulsum in tergum retro cedebat, nunc ad dextram,nunc ad læuam flectendo errandoq; trepide more temulentorum,etiam uerberibus contumax,ut penè sessorem excuteret,uexatum uicissim non mediocriter.Erant enim ex utroq; uiæ latere sepes & maceriæ.in has impingẽte iumento dominus atterebat lacerabatq; crura & genua,uidelicet obuio spectro iamdudum territabatur animal, cui soli erat illud cõspicuum:homini uerò non item,quo magis argueretur eius stupiditas.tũc enim brutũ perspicacius erat quàm is qui se iactabat uidere nõ mundũ solum,uerum etiam ipsum mundi rectorem conditoremq;.Tandẽ uix agnito resistẽte angelo, nõ quòd dignus esset eo spectaculo, sed ut indignitatẽ suam intelligeret, ad supplicationes deprecatiõesq; uersus orabat ueniam ignorantiæ,negans sibi fuisse peccandi animum. Cumq; debuisset reuerti e uestigio,maluit rogare angelum,num redire domũ iubeat. Ille intelligẽs & indigne ferens simulationem(quid enim opus erat scitari in re tam aperta quã ipse uidebat,nec indigebat uerbis fidem adstruẽtibus,nisi forte oculis minus creditur quàm auribus) Vade,inquit,quò properas. Sed nihil efficies,me subijciente uerba præter tuam sententiã, & instrumenta uocis uertẽte quò fas ac pium est.nam ego ero tui sermonis rector, per tuam linguã inuitam fundens oracula. Interea Balaces ut audiuit uatẽ esse in proximo, prodijt obuiam cum satellitio:deinde post solennem cõsalutationem mutuam,aliquantum questus est de tarditate, expostulans quòd nõ incunctãter se dedisset in uiã: atq; ita uersi sunt ad epulas regio luxu paratas excipiendis hospitibus, cæteraq; hospitalitatis officia pari splẽdore ornatissima. Postera die diluculo Balaces uatem duxit in tumulum sacratum cuidã genio,cuius statuam indigenæ uenerabãtur diuinis honoribus. inde prospectus erat in partem castrorum Hebraicorum, quæ ostendebãtur mago tanquam è specula.his uisis dixit:Tu rex positis septem aris,in singulis uitulũ

cæde & arietem: ego interim secedam, ut diuinitus discã quid dicendũ sit. progressus autem foras cõfestim afflatur numine, quod omnem eius artificialem diuinationem exterminauit ex anima. nec enim fas erat sanctum spiritum cohabitare cum magicis artibus. post hæc reuersus, & uidens uictimas ardere aris impositas, tanquã alienus interpres sic cecinit: E Mesopotamia me acciuit Balaces, ut longũ iter emensus execrarer Hebræos. sed quomodo execrabor quos deus non execratur? possum eos ex alto mõte despicere, & uota cõcipere, sed lędere nõ possum singularẽ ac eximiũ populum, qui non connumeratur cum cæteris gentibus, nõ tam locis separatus & sedibus, quàm ritibus proprijs, multũ diuersis, nec cõtaminatis ulla externa ceremonia. Quis exacte nouit primã horum originem? corpora quidem ex humanis sunt nata seminibus, ex diuinis autem animę, deo cognatæ hactenus. Tollatur anima mea ex hac uita corporali, ut cõnumeretur cũ iustorum animabus, quales sunt horum hominum. His auditis Balaces ingemuit. Conduxi te, inquit, ut hostes execrareris, nunc nõ pudet te illis fausta ominari? Quàm me fefellit opinio, qui amicum putãs opposui te hostibus. iam satis apparet quo sis animo. hoc est nimirũ cur tam cunctanter uenisti, beneuolentiã qua istos prosequeris, & odiũ mei dissimulans. licet eñ ex manifestis de incertis coniecturam facere. Tum magus iam à spiritu relictus: Iniustam, inquit, sustineo calumniam. Nihil ex meipso dicere soleo, interpres tantum dei sum, sicut & antea me protestatũ ex legatis nouisti. Rex sperans posse uel uatem decipi, uel diuinam mutari sententiã, si locum ipse mutaret, illinc petijt alium montem editiorem, unde cõspiciebatur magna pars hostilis exercitus: extructisq; denuo septem aris alijs, & mactatis totidem quot antè uictimis, misit uatem ad captanda meliora auspicia. Ille in secessu correptus numine, & extra se raptus ut suamet ipse uerba non intelligeret, ore suo sentẽtiam alienam pronunciauit hoc uaticinio: Surge rex, & audi attentis auribus. Non est deus quasi homo ut mentiatur, nec quasi filius hominis ut mutetur. Dixit & faciet, locutus est & rata erũt uerba eius, quandoquidẽ ipsa uerba sunt eius opera. ad bene precandũ adductus sum ego, non ad execrationem. Non erit labor in Hebræis nec lassitudo. Deus eos manifeste ceu clypeo protegit. is etiã Aegyptiacas calamitates ab eis depulit, & tam multa milia tanquã unum hominẽ eripuit. ideo populus Israeliticus nihil moratur auguria cætera'q; diuinationis genera omnia, fretus uno totius mundi principe. uideo populum insurgentem ut leonis catulũ, superbum leonina ferocia. Satiabitur præda, & bibet occisorũ à se sanguinem. ac ne tum quidem in cubile se conferet, sed peruigil uictoriale carmẽ concinet. Tum Balaces præ dolore ob spem diuinatione frustratam exclamat: Desine homo & execrari & fausta ominari. pręstat silere quàm iniucũda dicere. Moxq; mutata sententia duxit uatem in locum alium, unde ostẽdens ei partem copiarum Hebraicarũ, hortabatur ut diras execrationes cõtra eas depromeret. Magus rege nihilo melior, quamuis cõtra incusatiõnẽ obiectũq; præuaricationis crimen uere præfatus, se nihil de suo proloqui, tãtùm interpretem esse numinis quo incalescebat: cum debuisset domum reuerti, cupide comitatus est, tum propter insignem arrogãtiam, tum pro-

pter odio suppuratum animũ, quippe qui male uolebat populo, cui tamen non sinebatur male precari. cumq́ uenisset in montem celsiorem priorib. longo ascensu arduum, iubet instaurari eadem sacrificia, rursum aris septẽ positis, & superimpositis quatuordecim uictimis, binis ut antea, uitulo ac ariete. ipse uerò nõ abijt more solito ad captanda auguria, damnata hac diuinatione & quasi obliterata, ut nihil certi posset ex ea percipi: & alioquin etiã uix tandem senserat repugnare dei uolũtati regis propositum: sed uersus ad solitudinem, considerabat singulas tribus Hebræorum, & castrorũ ordinem populosæ ciuitati similiorem quàm militari multitudini, moxq́ afflatus in hæc uerba erupit: Hæc dicit homo uere uidens, cui deus in somnis manifeste uisus est insopito animæ oculo. Quàm pulchra tabernacula uestra Hebræi, tẽtoria uestra ut ualles opacæ nemoribus, ut horti secundũ flumen irrigui, ut cedrus prope aquas. Egredietur olim homo ex uobis, & imperitabit multis gentib. cuius regnũ indies crescẽs magis ac magis exaltabitur. populus hic ex quo Aegyptũ reliquit per totũ iter à deo deductus est uno agmine. propterea deuorabit multas gẽtes hostiles, & pinguitudinem earum exuget medullitus, cõfigetq́ sagittis aduersarios. Dormiet cubans ut leo uel leonis catulus securus, neminem ipse timẽs, & alios territãs insuper. Infelix quisquis eum excitauerit. Qui tibi bene precatus fuerit, ipse quoq́ faustus erit: execrabilis uero quisquis te diris deuouerit. Rex maiore q̃ antè indignatiõe percitus ait: Vt hostes meos deuoueres uocatus, iam tertio bene illis precatus es: fuge quãtocyus, ne indignatione furẽs aliquid sæuius in te consulam. Quantum auri, quãtum gloriæ tibi inuidisti homo insane ac perdite. Redibis domum uacuis manibus, ipse plenus opprobrijs, irrisus illususq́ cum ista tua quã tantopere iactas scientia. Respõdit ille: Quæ hactenus audisti, omnia sunt diuina oracula: quæ uero iam dicam, meæ coniectationes sunt. Tũ dextra prehẽsum seduxit à cæteris, & solus soli dedit consiliũ, quibus rationibus sibi cauere posset ab infesto exercitu, quo facto inussit sibi ipse notam impietatis turpissimã. Dixerit enĩ aliquis, Cur priuatim das consilium oraculis contrarium, nisi putas id potentius & efficacius. Age uero examinemus ista præclara consilia, qualibus artibus utatur ad interrumpẽdas perpetuas uictorias fortissimi populi. Sciebat Hebræos per solum legum contemptum expugnabiles, tentatos malo impotenti libidinis: ideo uoluptate inescatos conatus est ad grauissimũ scelus impietatis pertrahere. Sũt, inquit, in tuo regno mulieres formosissimę, nec alia re uir facilius capitur quàm mulieris eximia specie. harum pulcherrimas si permiseris ob quæstũ uulgare sua corpora, hoc hamo capietur iuuentus hostium. sed præmonendæ sunt, ne statim faciant sui copiam rogãtibus. nam hæc fucata tergiuersatio magis incitabit & accendet cupidinẽ. atq́ ita obtorto collo pertracti à suismet concupiscentijs, nihil non uel patientur uel facient. Sic affectum amatorem ubi uiderit captatrix fœmina superbe loquatur: Non est fas habere te mecum uoluptatis consuetudinem, nisi abiurato ritu patrio, colas eadem mecum numina. nec ante credam te mutatum, quàm uideam nõ abhorrere à nostris sacris & libationibus, quę in delubris peragimus. Tum ille miser captus his cassibus, conditionem ac

cipiet

cipiet,& repulsa ratione monitrice imperata faciet addictus in seruitutē cu pidini. Hoc fuit consilium. id quoniam uidebatur nō inani coniectura sub nixum, antiquata lege de stupris & adulterijs, data est fœminis licentia cō- cubitus cum uiris quibuslibet. qua impunitate factum est ut iuuentutē ad se pertraherent, corrupta prius anima & huiusmodi præstigijs ad impieta tem illecta: donec Phinees filius pontificis indigne ferens perire animas si mul cum corporibus, & hæc uoluptate illas impietate corrūpi, ausus est fa cinus uiro bono honestoq; conuenientissimum. Conspicatus enim quen- dam suæ gentis hominem post profana sacra ad meretricē ingredi, nō fur- tim, ut mos est uerecundis scortatoribus, sed propalam erecta ceruice qua si ostentantem impudēter multitudini suam turpitudinem, nec minus sibi placentem quàm in aliquo pręclaro facinore, admodum exasperatus & ira iusta repletus, inuasit iacentem in complexu adamatæ meretricis, & utrum que peremit adacto mucrone per genitalia, eo quòd operarentur geniturę nefariæ. Quo exemplo animati quotquot æmulabantur pietatem ac con- tinentiam, Mose quoq; iubente, imitati sunt autorem ultionis, & omnes si mulachris initiatos sine cognationis amicitiæq; respectu ad unum deleue runt, atq; ita gentem expiauerunt exacto inclementer à noxijs supplicio. reliqui satis approbauerunt suam pietatem, neminem sontem miserati, ne coniunctissimum quidem sanguine, plus ualēte apud eos indignatione q̄ affectu necessitudinum: nec quisquam ex his homicidis pro impuro aut cę de polluto est habitus. imò uisa est hæc res gesta nulli è superioribus cede re, quantū ad uerā meritamq; laudē fortitudinis attinet. Fertur uno die cę- sa uigintiquatuor milia, moxq; sublatū publicū piaculū, quo tota castra cō taminata fuerāt. quibus expiatis Moses dispiciebat de præmio decernēdo filio pontificis, qui primus fortiter ultionem aggressus fuerat. id cogitanti mature oraculum redditur: Pacem à deo dari Phinei, quod bonum morta lis nemo dare potest: dari & perpetuum sacerdotiū, quod hæreditario iu- re ad posteros quoq; ipsius pertineat. Ad hunc modum intestinis malis defuncti, quādo etiā de trāsfugio proditioneq; suspecti omnes ceciderāt, Israelitę arbitrabantur uenisse opportunum tēpus expeditionis cōtra Ba- lacem, nihil non conatum ut læderet, nec frustratum suo consilio: quippe qui per uatem deuouere delereq; copias Hebræorum sperauerat: per mu- lieres uero impudicas ingentem plagam tum libidine corporibus, tum ani mabus impietate inflixerat. non fuit tamen uniuersorum expeditio, ne fini timæ gentes excirentur ad arma cōmuni periculo: simulq; consultū uide- batur manere cæteros in subsidijs, si forte res posceret noua submitti auxi- lia. milleni de singulis tribub. selecti sunt. Sic armatis duodecim milib. im- perator datur Phinees, spectatę iam fortitudinis uir: qui sacris rite peractis ubi litatum uidit, milites hunc in modum pro cōcione adhortatus est, Nō de imperio nunc certamen instat, nec de inuadendis occupandisq; alienis possessionibus, quę causa belli uel sola mouet alios uel pręcipua, sed pro tu enda pietate ac sanctimonia, quā nostris cognatis amicisq; dum hostes eri piunt, parauerunt eis grauissimam perniciem. Absurdum igitur & perini- quum fuerit si parcamus sceleratis hostibus, qui domesticis minus noxijs

nõ pepercimus: si magistros impietatis impune abire sinamus, qui de discipulis pœnas sumpsimus: præsertim cũ totius calamitatis culpa penes autores impietatis sit. His dictis animati iuuenes accensiq; amplius, tanquã ad certam uictoriam afferebant inuicta pectora: collatisq; signis tãtum prẹualuerũt robore ac audacia, ut mactatis more pecudum hostibus ipsi omnes reuerterentur incolumes, ne uno quidẽ è suis uel desiderato uel saucio. aliquis ignarus facti ex redeuntium specie cõiectans dixisset eos reuerti à decursione militari, non ex acie referre uictoriam. adeò intacti erant haud secus quàm post meditationem armorũ ludicram. deuictẹ urbes flammis ferroq; solo æquatæ sunt, ut nullum superesset habitationis uestigiũ, ac si nũquam ea terra habuisset incolas. captiuorum abductus est infinitus numerus. ex his in uiros & mulieres internecione sæuitũ est: in alteros, quòd ab his petiti fuerant iniustis armis & scelestis consilijs: in alteras, quia hæ suis præstigijs iuuentutem Hebræam seduxerant, cui lasciuiẹ, impietatis, ac postremo necis causa fuerant: tenera ẹtas, pueri uirginesq; impetrarũt ueniã. Præda ingens parta fuit, exhaustis non solum opibus regijs, sed etiã priuatis possessionibus: nõ minus enim ex agris auectum est quàm ex oppidis. in castra conuexerunt totas quantæ fuerant hostiles diuitias. Moses laudato pro concione Phinee, cõmilitonumq; eo bello spectata fortitudine, parique continentia, qui maluerant prædam in cõmune proponere quàm sibi usurpare, ut etiã in castris relicti forent eius participes, iussit uictores extra castra per aliquot dies tendere: pontifici autem mãdauit, ut lustraret reuersos à recẽti cæde hostium. quamuis enim per leges liceat hostẽ occidere, tamen qui necauit hominẽ, etiamsi coactus & propulsans iniuriã, obnoxius uidetur, propter antiquã generis cognationem oriundi ab uno capite. hẹc tum fuit lustrandi causa, ut ne species quidem sceleris in eos cõpeteret. Aliquanto post prædam diuisit, his qui militauerant, multo pauciorib. præ cẹteris, assignata parte dimidia, reliqua uero his qui in castris remãserant. æquum enim censebat hos quoq; uictoriæ fructũ capere, qui si non corporibus, animis tamen decertauerant. nã qui manent in statione parati auxilio, tempore non alacritate cedunt potioribus. itaq; cum pauci accepissent plura propter nauatam operã, plures pauciora, ut qui intra munitiones se cõtinuerant, uisum est necessarium totius prædæ sacrare primitias. quinquagesimas subsidiarij, quingentesimas propugnatores contulerunt. hæ põtifici datæ sunt iussu prophetæ: altera portio cessit æditui, quos Leuitas nominant. Tribuni, centuriones, cæteriq; præfecti ordinũ, uirtutis ergò acceperunt sua præmia, ornamẽta uasaq; aurea, quantũ cuiq; in direptione obuenit: ea pro sua militũq; salute sponte obtulerũt ut essent donaria: quæ Moses delectatus uirorum pietate dicauit tabernaculo dei, monumentum gratitudinis. Laudãda sane primitiarũ distributio. Qui non militarant, de suo dimidio prõptæ uoluntatis, non operæ præmio, Leuitis obtulerũt ex prophetæ præscripto: pontifici autem illi qui fortitudine absolutissima etiã caput obiecerunt periculis, nimirum capiti sacratorum ceremonijs hominũ. cẹterum prẹfecti ordinum sacrarunt deo suas primitias, summo totius uniuersitatis principi. Tantũ hostium ferociũ debellarũt Israelitẹ prius q̃ Iordanem

danem eius regionis fluuium traijceret, qui hostes transamnensem tũc tractum incolebant felicẽ & frugiferum, campestrẽ magna ex parte aptum'que uel frumẽto uel pabulo. hæc loca ubi uiderunt duæ tribus pecuariæ, sexta pars totius exercitus, à Mose petebãt hos agros sibi diuidi, ut tandem alicubi certas sedes acciperent. esse regionẽ pascuis aptissimã, propter aquarũ copiam & pabuli, sponte fundentem alimẽta pecoribus. Ille ratus eos prærogatiuã in agris diuidendis quærere, aut immunitatẽ à bellis imminentibus, cũ adhuc superessent cis Iordanem reges multi, occasionẽ expectãtes tanquam ex insidijs, ualde ira cõmotus respondit: Ita'ne censetis æquũ uos hic ociosos ante tẽpus considere, immunitate fruituros? Quid interim fiet amicis socijsque, & quæ sanctior necessitudo est, cõiunctis natiuo consanguineitatis fœdere? num placet eos desertos obijci opprimẽdos hostibus? Ita'ne uos soli quasi re bene gesta præmijs potiemini, pugnas, labores, erumnas, pericula, relinquetis cæteris? Nõ est iustum uos frui pace cõmodisque alijs quæ pacem sequũtur, uestros fratres atteri tot bellis ac certaminibus, & ut parti bene sit, uexari totũ exercitũ: illud magis decet, ut cũ uniuersis copijs partes etiã in sorte agrorũ ueniant. omnes æquo iure degitis, unum genus omnibus ab ijsdem profectũ conditoribus, una familia, mores, ritus, leges, sacra eadem, & alia plurima, quæ uel singula fœdus amicitiamque conciliãt. Quid est cur hactenus pareis in summe necessarijs munijs, in agrorum diuisione rationem uestri haberi postuletis extra ordinem, quasi cęteros habeatis pro seruis aut subditis. atqui debuerant uos aliorum exempla docere modestiam: nam prudentes nolunt suo malo discere: nunc ne domesticę quidem clades uos admonent officij, quas spectastis in uestris patribus. explorauerunt illi regionẽ expetitam, sed quia de possessione desperauerũt, omnes perierunt duobus tantũ exceptis. Illorũ igitur libet imitari formidinẽ ó uecordes, quasi hæc consilia nõ tendant ad uestrã perniciẽ, dum ipsimet uobis animos adimitis & audaciã: quandoquidẽ properantes ad peccatũ properatis ad supplicium. nam uindictã quãtumuis tardã, si semel moueatur contra noxios, nemo potest effugere. Vbi debellatũ fuerit, sublatis omnibus hostibus, socij uero uirtutem suam approbauerint, sine crimine desertorũ & detrectatorum militiæ alio'ue quod officiat uictoriæ, prompte usque belli finem usi animo & corpore: agri quoque uacui fuerint colonis pristinis, tum demũ tribubus ex æquo sua cõtingent præmia. Hanc admonitionem illi tulerunt ita ut filios decuit, nempe profectam à paterno animo. sciebãt enim eũ haud superbe principatũ gerere, solicitũ de toto populo, iuris & æqui obseruantissimũ, sæuientẽ non ad subditorum contumeliam, sed ad emendationẽ eorum qui uidebantur corrigibiles. Responderũt igitur, Iusta est indignatio tua, si suspicaris nos à societate desciscere, & ante tẽpus agros petere: sed scire debes, nos nullis terreri laborib. qui cum uirtute coniuncti sint. Iudicamus aũt uirtutem esse obedientiã, præsertim sub principe qualis tu es: nec deerimus futuris expeditiõib. quãtũlibet difficilib. donec res nostræ ad optatũ finẽ perueniãt. sequemur cæteros ut antè armati trãs Iordanẽ, sine uacatiõe cuiusque qui sit armis ferẽdis idoneus. pueros & puellas cũ matrib. uxoribusque & pecorũ gregib. pace tua relinquemus,

mus, exædificatis in hunc usum oppidis & caulis pecori, ne pateant incursionibus hostiũ, si non includãtur munitionibus. Tum propheta uultu & uoce iam placidiore: Si ex animo, inquit, pollicemini, habetis agros quos extra sortẽ petitis. Relinquite ita ut uultis uxores cũ liberis & gregib. ipsi armati cum sociorũ exercitu traijcite, mox à traiectu si opus fuerit explicaturi aciẽ, & armis de rei summa dimicaturi cum hostibus. quibus profligatis deletisq; internecione, quando iam pacato hostico agri diuidentur uictoribus, uos quoq; reuertimini ad domesticos fruituri uestris cõmodis, percepturiq; fructus ex agris quos ipsi elegistis. Hac promissione audita pleni alacritate ac gaudio domesticos cum pecorib. reliquerũt in locis tutiorib. quorũ plerosq; manu muniuerãt. ipsi armis sumptis expeditionem susceperũt cũ socijs, nõ recusaturi uel totũ bellũ, uel maximã eius partẽ pro prijs uirib. cõficere. nã qui deuincti sunt munerib. prõptissime nauant operã, nõ cõferendo sed referendo gratiam debitã. Hæc sunt quæ in regno eius gesta produntur: supersunt dicenda acta sacerdotis & legislatoris: has enim sibi facultates, ut maxime regno conuenientes, dudum parauerat.

PHILONIS IVDAEI
DE VITA MOSIS
LIBER SECVNDVS.



VPERIORE libro diximus de natiuitate ac educatione Mosis, deq; eruditione ac principatu non solum irreprehensibili, uerum etiã laude omni dignissimo: tum quid in Aegypto & in itinere gesserit, uel ad rubrum mare uel in deserto, res quæ nulla eloquentia pro dignitate possunt exprimi, labores'q; non minores successibus, & agros attributos parti exercitus: in hoc libro attexentur quæ deinceps de actis eius dicẽda sunt. est enĩ quorũdã haud improbãda sentẽtia, ita demũ fore felices resp. si aut philosophentur reges, aut regnent philosophi. At in hoc uno uiro plures etiã dotes reperiũtur, cũ tres alias habuerit præter regiã & philosophicã, quarũ aliã exeruit in ferẽdis legib. aliam in põtificatus munijs, aliã in uaticinijs propheticis: quarũ rerũ necessariã narrationẽ nũc institui. cõpertum enim habeo hæc omnia in unum hominem competere: siquidem hic factus diuina prouidẽtia rex & legislator & propheta & põtifex, in his functionibus ita se gessit, ut omnes alios à tergo reliquerit. Cur autem eidem hæc cuncta conueniant, apertius differendum est. Regis officium est iubere quæ oportet fieri, & uetare à quib. abstineri decet. cæterũ iussio faciendorum, & interdictio cauẽdorum, proprie ad legem pertinet. Atq; ita consequitur, ut rex animata lex sit, lex uerò sit rex iustissimus. quisquis autem est rex simul & legislator, debet nõ solum humani, uerum etiã diuini iuris peritus esse. nec enim sine diuina prouidentia regnum bene administratur & ex subditorum utilitate. Quamobrẽ talis uir pontificatu opus ha-

pus habuit, ut obeundo perfecta sacra iuxta perfectam diuini cultus scientiã, mala deprecando auerteret, rerum uerò bonarum copiã sibi subditisq; impetraret, annuente uotis deo propitio. Quomodo enim nõ faceret rata uota qui est suapte natura placabilis, & germanos cultores sui numinis ornare solet priuilegijs? Sed quoniã innumera uel regi, uel legislatori, uel põtifici humana diuinaq; sunt incognita, nimirũ nato mortali etiãsi alioqui felicissimo, necessario prophetia quoq; adiũgitur, ut quicquid ratio nõ percipit, suppleatur diuinitus. quò enim mens non potest pertingere, eò prophetia peruenit. Bellæ profecto quadrigæ potentiarum aptissime cõparatarum. connexæ enim & hærentes sibi inuicem, simul agitantur, percipientes ex se utilitates mutuas more Gratiarum uirginum, quæ nunquam separantur cõiunctæ naturæ lege immobili. De quib. merito dici potest quod uulgo de uirtutibus dicitur: eum qui unam habet, omnes habere. Cæterũ ante omnia tractandum uidetur de legislatoris habitudine. Nõ ignoro q; in legislatore optimo requirãtur omnes uirtutes integræ, sed quemadmodũ in familijs alij propius cognati sunt q̃ alij quãuis in eadẽ cognatione: sic quibusdã rebus certæ uirtutes naturaliter cohærẽt propius, reliquæ minus familiares habẽtur. facultati legislatoriæ quatuor hæc sunt cõiunctissima, caritas erga proximos, iustitia, amor uirtutũ, & uitiorũ odiũ. quisquis ẽm ad leges ferẽdas animum appulit, ab his causis singulis permotus est. si quidẽ caritas docet sententias utiles proferre in mediũ, iustitia honoratur ut æquabilitas, suũ cuiq; tribuẽs. Virtutũ amor approbat quicquid natura bonum est, & id omnibus dignis exhibet sine inuidia. Odiũ autem uitiorum exagitat contemptores uirtutis, suspectos habẽs ut hostes humani generis publicos & perpetuos. Hæc uel singula magnũ est alicui cõtingere: mirãdum uero si uniuersa unus possit cõsequi: quod in solo Mose licet cernere, eminentibus in eo manifestis cunctarum modo dictarum uirtutũ indicijs, præsertim in eius legibus. Id uerũ esse sciunt qui legũt sacra illius uolumina, quæ non poterant nisi à tali uiro cõscribi, idq; ex dei sentẽtia. hæ leges posteris sunt traditę ut res preciosissima, referẽtes imaginẽ animę propheticæ, indubijs notis exprimẽtẽ has ipsas uirtutes, quas dixi necessarias. Quòd autem hic fuerit præstantissimus legislatorũ qui unquam extiterũt uel apud Græcos uel apud barbaros, leges itẽ optimæ sint & uerè diuinæ, in quibus nihil desiderari possit, hoc argumẽto colligitur certissimo. Aliarum gentium iura, si quis cogitatione percenseat, innumeris de causis antiquata inueniet, bello, tyrannide, alijsq; improuisis casibus, ut solet fortuna ludere. interdũ etiã præ nimia felicitate lasciuientes quidam colla subduxerunt legibus, ut uulgus est reb. secundis insolens, comitante saturitatem superbia. Lex autem semper pugnat cum superbia. sola nostra lex firma, immobilis, incõcussa, tanquã obsignata naturę signaculis, manet ex quo scripta est in hodiernum usq;, & spes est mansuram per omnia secula immortalem, donec sol, luna, cælum, totusq; mundus manebit. gens enim hæc multas experta fortunæ uicissitudines, tamen ne minimũ quidẽ mãdatum passa est obsolescere. Tanta fuit semper diuini iuris ueneratio. quæ autem tuta sunt à famis, pestis, belli, tyrannorum regumq; iniurijs, à corporis morbis pariter

pariter & animi, atque etiam à diris calamitatib. aliis, an non sunt modis omnibus amplectenda, ut maioris quàm quod æstimari possit precij? res certe non caret miraculo, per tot secula mãsisse leges easdem incolumes. illud tamen magis etiam mireris, non solum Iudæos, sed & aliarum gentium pene omnium homines, præsertim uirtutis rationem habentium, imbutos esse harum ueneratione. hic enim est honor earũ eximius. id ita esse uel hinc liquet. In tota Græcia totaque barbaria nulla ciuitas habet leges communes cum quapiam alia: imò uix inuenias ullam eisdem semper usam, in tot mutationibus rerum & temporum. Athenienses Laconicas leges aspernãtur, Atticas Lacedæmonij. Inter barbaros Aegyptij non utuntur Scytharũ legibus, nec Scythicæ gentes institutis Aegyptiorum: & in uniuersum Europæi suas leges habent, suas item Asiatici populi. ab oriẽte usque occidentem, omnes regiones, gentes, ciuitates, abhorrent ab externis ritibus: putantque tanto plus honoris suis accedere, quanto magis alienos proculcauerint. at non sic nostrum ius. omnes enim admonet officij, barbaros, Græcos, continentis æque ac insularum incolas, occidentales ac orientales, Europæos ac Asiaticos, totũ orbem habitabilem usque ad extremos terminos. Quis enim sacrum illum diem per singulas hebdomadas recurrentem nõ honorat, remissionem laborum feriasque afferentem patrifamiliâs cum domesticis, non ingenuis tantum, uerum etiam mancipijs, & iumentis insuper. nam hic inducias laboris affert omnibus mansuetis animantibus, creatis in ministerium hominum, & à natura addictis eorum seruitio: affert etiam arboribus & stirpibus omnibus. nec ramum enim nec frondem nec folium demere fas est, ne fructum quidem ullum decerpere, immunitate in unum diem concessa his omnibus, uelut publico præconio interdictum esset hæc attingere. Quis ieiunium quod uocant non mirabundus adorat, præsertim quotannis recurrens sacrato mense, iuxta disciplinam austeram & tetricam. Sunt enim qui sic ieiunant, ut nec merum desit nec cupediæ, dapsiliter appositis cibis & poculis non tantum uentrem expleturis, uerum etiam excitaturis subuentraneas concupiscentias. sed ubi sic ieiunatur, ut nec cibum nec potum attingere liceat, nequid corporearum affectionum purgatæ menti obstrepat, ut fit in saturitate festa celebrantium: ibi intentis omnibus ad placandum patrem omnipotentem pia precatione id unum agitur, ut concedat præteritorum peccatorum ueniam, & in posterum nouis beneficijs suam gratiam augeat. Quòd autem harum legum sanctitas non solis Iudæis uerum etiam alijs omnibus gentibus sit admiranda & uenerabilis, manifeste apparet tum ex his quę modo diximus, tum ex his quę dicentur in sequentibus sermonibus. Lex antiquitus scripta fuit lingua Chaldaica, mansitque longo tempore in ea, quandiu legis ipsius pulchritudo non est intellecta externis hominibus. postquã autem ex quotidiano eius usu etiã ad alienos sensus quidã permanauit, simul gloriosa quoque fama ubique terrarum increbuit. nã honestis rebus ad tẽpus obesse potest inuidia, illæ tamen proferunt se tandem suapte felicitate ingenij. Extiterunt qui indigne ferrent has leges parti tãtum humani generis innotuisse, nempe solis barbaris, Græcas gentes nullum earum gustum cepisse, dederũtque

ope-

operam ut uerterentur per idoneos interpretes. id opus quia magnum erat & reipublicæ utilissimum, non priuatis hominibus obuenit, nec mediocrib. istis principibus & regulis, sed regi omniũ lõge celebratissimo. Ptolemæus fuit is, Philadelphus cognomine, tertius ab Alexandro Aegypti rex, uirtutib. regijs supra omnes ætatis suę superiorumq; seculorum principes nobilis, cuius nunc quoq; ex tanto temporũ interuallo decus est inclitum, ob tot relicta per ciuitates regionesq; monumenta magnificentiæ, ut in prouerbium abierint sumptuosa opera ab illo Philadelphea denominata. quandoquidem in uniuersum Ptolemæorum domus cæteris regijs prænituit, inter Ptolemæos uero Philadelphus. unus enim hic plura laude digna gesit, q̃ omnes reliqui eius familiæ, quippe qui tantũ inter eos præeminuit, quãtũ caput in corpore. Talis princeps captus nostræ legis amore ac desiderio, in Græcam linguam è Chaldaica transferendam curauit, legatis in hoc missis ad Iudæorum pontificem, penes quẽ tunc erat in ea gente autoritas ac maiestas regia. Ei uoluntatem suam aperuit, petens ut delectu habito ex pręcipuis interpretes ad se mitteret. Qui gauisus ut decebat, ratusq; haud sine diuina prouidentia rem tantam regi in mentem uenisse, è suis Hebræis doctissimum quemq;, præter patrias literas Græcis etiam eruditum, libenter misit. Hi comitate hospitali excepti, sermonibus ciuilibus & eruditis nõ minus hilaritatis regi exhibebant, quàm ipsi percipiebant ex epulis. nam ille singulorum sapientiã tentabat propositis non uulgaribus quæstionibus: quas ipsi apte ac breuiter enodabant ex tempore, quòd locus non esset prolixioribus disputationibus, ita ut res ageretur apophthegmatis. cumq; placuissent, cõfestim aggressi sunt negocium per legationem expetitũ: reputantesq; quàm seria res esset leges ex oraculis acceptas interpretari, ubi nefas sit quicquã uel demere, uel apponere, uel trãsponere, uel quocunq; modo à præscripto discedere, dispiciebãt de aliquo suburbano secessu purissimo. nã intra mœnia nullus locus placebat, referta omnigenis animalibus, nec à morbis pura & cadaueribus, sed magis etiam suspecta propter impuros mores ciuiũ. Ante urbem Alexandrinam sita est Pharus insula, per oblongã & fasciæ similem ceruicem accesibilis, quæ non alto mari sed stagnantibus undis alluitur, ut ne fluctus quidẽ, nimirũ spacio medio debilitati, obstrepant. Hic locus postquam de cõmuni sententia uisus est ad præsens negociũ aptissimus propter secessum quietissimum, ubi animus solis legibus posset intendere, eum sibi optauerunt ad diuersorium: sumptisq; in manus sacris uoluminibus, tendebant eas ad cælum supplices, deum inuocando ut cœptis faueat. exaudiuit ille uota, ut si non uniuersum genus humanum, certe maxima pars instrueretur ad bene uiuendum præceptis optimis & sapientissimis. In eo secessu cum consedissent solitarij, nemine interueniente arbitro præter naturæ partes, terram, aquam, aerem, cælum, de quibus primum proditurí erãt mysteria (nã mundi opificium est legum exordium) tanquã numine correpti prophetabant, non alia alij, sed omnes ad uerbum eadem, quasi quopiã dictante singulis inuisibiliter. Et quis nescit cuiusq; linguæ, pręsertim Gręcæ copiam, ut eadem sententia possit enunciari modis uarijs, nunc has nunc illas dictio


nes accommodando. Id negant factum in prodendis his legibus, sed reddita propria proprijs nominibus, Græcis ad Chaldaica exacte respōdentib. quo melius perciperetur rerum noticia. queādmodū enim geometriæ dialecticæq; doctrina non admittit sermonis uarietatem, sed semper eisdē utitur uocibus: eodem modo & hi cōuenientia rebus inuenerūt nomina. quę sola declaratura erant sensum apertissime. id experimentis quotidianis creditur. siue Chaldæus Græcam linguam, siue Græcus Chaldæā didicerit, in utraq; scriptura tum Chaldaica, tum eius interpretatione miratur germanitatem, imò rerum uerborumq; consonātiam adorat, non interpretes illos, sed initiatores & prophetas appellans, quibus datum est sincerissimas Mosis cogitationes assequi spiritu purissimo. quamobrem hodieq; solennis celebritas renouatur in Pharo insula, ad quam non tantū Iudæi sed & alij plurimi trajciunt, locum ueneraturi in quo primū uisa est hæc interpretatio, & pro tanto beneficio quasi recente acturi deo gratias. post uota autē & gratiarum actiones alij tentorijs fixis in littore, alij discumbentes in ipsa harena sub diuo epulantur cum amicis & domesticis, præferendo tunc littus palatijs regijs. intantum expetendum uidetur hoc diuinum ius priuatis & magistratibus, quamuis iamdudum hæc gens utatur fortuna parum prospera. & solēt res præclaræ obscurari quodammodo aduersitatibus. quod si fortuna melior affulserit, uidetur non mediocrē accessionem allatura. puto enim plerosq; relictis & ablegatis patrijs legibus transituros ad harum obseruationē. nam cum felicitate gentis leges exortæ denuo, cæteras obscurabunt, sicut sol minora sidera. quæ quidem una legislatoris laus est haud quaquam exigua. altera uerò hac amplior etiam, contenta in sasacris uoluminibus, quò iam reuertemur, ad declarandam uirtutem sui scriptoris. horum pars est historica, altera pars præcepta interdictaq; cōtinet, de qua posterius dicemus, ubi prius quod primum est diligenter tractauerimus. In historica tractatione de mūdo condito agitur, deq; maiorum genealogijs. hæ genealogiæ partim pœnas impiorum, partim præmia iustorum continent. Cur autem hæc memorentur in legum exordio, præceptis interdictisq; dilatis in tempus posterius, uidetur non prætereundum silentio. Non enim sicut cæteri scriptores, antiquitates prodendas sibi proposuit, ut seruarentur ad posteritatis memoriam, aures auditorum deliniturę uoluptate inutili: sed exorsus est à summo initio, uidelicet mundi creatione, ut doceret nos duo quædam magnopere necessaria. primò patrem conditoremq; mundi, & ueritatis legislatorem. quo cognito sequitur ut qui uult uiuere iuxta naturæ ordinē, miretur eam in creaturis imiteturq; pro uiribus, ne quid à dictis facta discrepent, aut à uita oratio. Cæteri legislatores mox ab initio facienda uitandaq; præscribunt, & pœnas minantur cōtumacibus. quidam etiam sapientius ut ipsis uisum est, non sic exorsi, ciuitatem condiderunt ante omnia, qualem putabant maxime quadraturam ad formam constituēdæ à se reipublicę, atq; ita ad leges ferēdas uersi sunt. At noster hic priorem illum modum censuit herilem ac tyrannicum, quòd iussa circa doctrinam non tam ingenuis cōueniant quàm mancipijs: alterū uerò modum elegantem quidem, sed nō omnino probabilē: proinde neu-

trum

trum imitari placuit. nam & in præceptis monet hortaturq; magis q̃ imperat, adhibitis plerunq; præfatiunculis & epilogis prout res postulat, docere malens q̃ cogere: & exordiri à ciuitate manu facta humilius existimauit, quàm pro dignitate legum longe optimarũ pulcherrimarũq;, quarum diuinitatẽ non deceret in terra includi circumscribiq; ullis pomœrijs. ideo satius duxit mundi ceu magnæ ciuitatis creationem describere, ut suarũ legum formulas è mundana republica desumeret. nã si libeat examinare pręcepta singula, apparebit omnia conuenire ad amussim cũ præscriptis naturæ. quapropter eos qui in summa prosperitatũ affluentia, ualetudinis, diuitiarum, gloriæ, cæterorumq; bonorũ externorũ, deflexerunt à uirtutis regula, non coacti sed uersutia propria, perniciosa uitia complexi tanquã res egregias, ceu hostes non tam hominũ q̃ cæli mundiq; totius, pœnis narrat afflictos non uulgaribus sed nouis inusitatisq;: quib. diuina iusticia magnifice declarauit quanto malos prosequatur odio, nunc aqua nunc igne sæuiens per interualla temporum, & alios diluuio perdens, alios incendio. Siquidem maria tumentia, fluuij'que aucti torrentes simul & perennes, ciuitates cunctas in campestribus regionibus sitas inundarunt subuerterunt'que: in editioribus autem locis habitatas imbres continuati, non interdiu, non noctu intermissi, subruerunt funditus. deinde post aliquot ætates rursus multiplicato numero hominum, quia ne maiorũ quidem supplicijs admonita posteritas sapere didicerat, sed permissa libidini licentia in deterius profecerat, ultricibus flammis hos deleri decretum est iusto dei iudicio. Tunc, ut in sacra scriptura legitur, fulmina imbrium in mòrem de cælo ruentia concremauerunt homines impios unà cum eorum urbibus. Extant in hodiernum usq; monumenta cladis illius inenarrabilis, ostenduntur'q; ruinæ in Syria mixtæ cineri, fumo, sulfuri, lambentibus hæc interdum flammis tenuibus, sicut fit in reliquijs incendij. Interea pœnas luentibus impijs, bonorum uirtuti sua præmia non deerant. In totius regionis conflagratione ardentis unà cum incolis, unicus inquilinus seruatus est diuina prouidentia, quòd abhorreret ab indigenarum iniquitatibus, cum aliàs inquilini soleant uel suę securitatis causa non aspernari mores exteros, timentes ne quem offendant probando instituta contraria. & tamen non erat is perfecte sapiẽs, ut eo nomine dignus haberetur tanto præmio: nihilominus profuit ei non consensisse cum uulgo in luxum ac delicias, fouente rerum copia quasuis concupiscentias, non secus q̃ si sulfur igni adijceretur, aut fomenta id genus alia. Similiter in illo memorabili diluuio, quando penè uniuersi homines interierunt, sola Noe familia proditur euasisse incolumis, quia paterfamiliâs se purum à peccatis uoluntarijs seruauerat. Id quomodo factum narrent sacri libri, operæprecium fuerit indicasse, uel ut moribus prosit, uel propter miraculi magnitudinem. Postquam enim iudicatus est dignus qui ereptus è clade publica fieret autor instaurati humani generis, iuxta mandatum diuinum acceptum ex oraculo, fabricauit opus ligneum maximum trecentorũ cubitorum lõgitudine, quinquaginta latitudine, altum triginta cubitos, distinctum cellis cõtinuatis, alijs imis, alijs in secũda, tertia quartaq; cõtignatione dispositis, paratoq; prius pabu-

lo, ex unaquaque animantium specie terrestrium ac uolucriũ introduxit marem & fœminam, ne deessent in futurum tempus semina. norat enim dei clementiam, etiamsi species perirent, conseruaturam genera, propter quandã sui similitudinem, & ne quid desideraretur ex diuinis operibus, sic factum est ut nullum animal detrectaret obsequium, immanibus etiam bestijs mãsuescentibus, & seruatorẽ suum tanquam pastorẽ ultro sequentibus. quæ postquam se contulerunt intra unum receptaculum, dici poterat totius terrarũ orbis æmulum, nimirum continens tot animantium genera, quot in omnibus terris uel tunc inueniebantur uel inuenienda erant in posterum, uix ullo sermone comprehensibilia. nec fefellit hominem opinio. remisit enim se dirum illud prodigium decrescente in dies diluuio, cohibitis imbribus, & aquis quæ se nusquam non diffuderant, partim absumptis per solis efficaciam, partim reuersis in uoragines cauernasque terræ alias. nam uelut ad unum numinis omnipotentis edictum, reposcebat recipiebatque suum unaquæque natura debitum, mare, fontes, flumina, fluentis in sua loca recurrentibus. ita orbe sublunari purgato postquã noua terra emersit, qualis olim recens creata fuerat, superstes pro dijs è lignea mole cum uxore ac liberis & nuribus uniuersoque grege tot animalium quæ ad suorum generum semen conseruationemque reliqua manserant. Hæc sunt bonorum uirorum præmia uirtuti debita, quando non solum ipsi maximis periculis exempti fuerunt turbatis ubique elementis omnibus, uerum etiam noui generis facti sunt principes, autoresque rediuiui post uniuersalem cladẽ seculi, uelut scintillæ seruatæ ad reparationem generis inter omnes animantes præstantissimi, & imperium terrarum habituri, cunctarumque rerum terrestrium: quandoquidem id factum ad exemplar diuinæ potentiæ, uisibilis & creata imago est naturæ illius sempiternæ atque inuisibilis.

PHILONIS IVDAEI
DE VITA MOSIS
LIBER TERTIVS.



VAS iam partes uitę Mosis descripsimus, quę ad regnum & leges perlatas attinẽt, superest tertia, in qua dicetur de sacerdotio. In hac functiõe præcipue spectari solet pietas, eximia dos uiri de quo sermonẽ instituimus: cuius ille natiua semina excepta in indolẽ felicissimam, philosophiæ studijs & dogmatũ eius contemplatione diligenter excoluit: nec prius destitit, quàm maturos uirtutis fructus perceptos dictis æque ac factis ostenderet. itaque id assecutus est, ut inter raros amicos dei cẽseretur, totus correptus rerum amore cælestium, & sicut ipse omnipotẽtis regis insignis cultor extitit, sic ab ipso honoratus prę cęteris. est aũt honor sapienti conueniens, colere illum qui uere est: quæ professio habetur sacerdotij,

dotij, scire quomodo deus colendus sit: is honor incomparabilis contigit ei ex oraculis, unde ceremonias & omnes ritus religiose didicit. Primùm si cut anima, sic & corpus purificandũ erat ab omni cõtagio rerum mortaliũ, cibo, potu, & cõsuetudine cum mulieribus. Verum hoc affectu iam dudũ non tangebatur, penè iam inde postquã cœpit afflari diuino spiritu, ut sem per esset paratus accipiendis oraculis. nam per quadraginta dies cõtinuos à cibo & potu abstinuit, nimirum alimentis recreatus melioribus, cælitus aspirantibus, & primo menti, mox corpori etiã utilitatem per animam affe rentibus, ut & uiribus & habitudine proficeret, adeò ut intuentes eum uix oculis suis crederent. cum enim ascẽdisset sacrum montem in eo tractu cel sissimũ, deo iubẽte quod alioqui nemini licuit impune facere, fertur ibi du rasse tot diebus quot dixi, quamuis nihil secum tulerat quo naturali deside rio satisfaceret: attamen exacto ibi tanto tẽpore reuersus ad suos præstolãtes ad montis radicẽ, uisus est pulcrior ꝙ cum ascenderet: adeò ut stupẽtes miraculo ne obtueri quidem possent eius faciem splendore solari fulgidã. Dum autem in monte moraretur, discebat cũcta mysteria sacerdotij, & ante omnia de templi uasorumq; sacrorũ apparatu. Id templum iam nunc extruendum fuisset in loco nobilissimo purissimoq; ex materia pretiosi marmoris, addito muro in circuitu & ædificijs in usum sacerdotum, inditoq; nomine Hieropoli, si promissam regionem accepissent. Quoniam aũt adhuc in deserto errabant, nullam certam sedem habentibus conueniebat tẽplum ambulatorium, ut tam in itinere quàm in castris sacra facerent, & nihil ex ceremonijs omitterent, haud aliter quàm hi qui degunt in ciuitatibus. Placuit igitur tabernaculum erigi, cuius apparatũ ex oraculis in monte Moses didicerat, futuri ædificij contemplatus ideas incorporeas, ad quarum exemplar intelligibile oportebat designari sensibiles imagines. Decebat enim sacrum apparatum fieri ex ueri pontificis arbitrio, ut præsto esset copia rerum aptarum ministerijs sacerdotalibus. Sic igitur forma exemplaris impressa est in mentem prophetæ, designata latenter absq; ulla materia figuris inuisibilibus. Opus autem ipsum ad eam formam factum est, artifice ad iam designatam speciem accommodante conuenientes materias. id fuit huiusmodi. Quadraginta octo tabulæ è selectis cedris excisæ, opertæ sunt aureis laminis. Singulis erant geminæ bases argenteæ, & aureum capitellum superimpositum. Eas tabulas sic disposuit artifex, ut uicenæ continuarentur per latera singula, referentes unius parietis speciem. In extremo per transuersam latitudinem octo reliquæ sunt positæ, sex occupantes interuallum medium, duæ uero dextrum & sinistrum angulos. In aditu erant aliæ quatuor, cætera similes, sed simplices bases habebãt pro geminis: post quas extremæ stabant quinq;, hoc solo differẽtes quòd basibus sustinebãtur aheneis. ita omnibus supputatis quotquot erant in hoc tabernaculo, absq; illis duabus quæ latebãt in angulis, reliquæ conspicuæ cõficiebãt quinquaginta quinq; numerũ perfectissimũ, crescentem ab unitate usq; denarium. Quod si quis uelit illas quinq; in uestibulo sitas, & ad atrium pertinentes seiungere, supererit numerus quinquagenarius sanctissimus, uim habẽs trianguli rectangularis (is est omnium rerũ creationis principium)

absoluentibus plenitudinem octo tabulis. Siquidem quadraginta cōstant ex uicenis per latera dispositis, quibus accedūt sex in medio, absq; illis latentibus in angulis: item aduersæ quatuor, quibus uelum oppāditur. Causam autem cur illas quinq; cæteris quinquaginta nunc annumerē nunc detraham, indicare non pigebit. Quinarius est sensuum numerus. Sensus autem in homine aliquando ad externa est pronior, aliquādo ad mentem reflectitur, cui à natura minister est additus. ideo his quinq; tabulis locus attributus est in confinio. Nam interna earum spectant adyta tabernaculi, quæ significant res intelligibiles: externa uero sunt obuersa ad atrium, quo significātur res sensibiles. ideo basibus distinguuntur diuersis ab aliis. sunt enim aheneæ. Quoniam autem in nobis mēs est caput sensuum, sensus uero est uelut basis & extremitas, mēs auro, sensus æri, cōparatur. mēsuræ autem tabularum hæ produntur: decem cubitorū longitudo, latitudo unius & dimidij, ut tabernaculum æquabile uideatur omnibus sui partibus. Pulcherrimis etiam picturatisq; aulæis totum circumdatū fuit, distinctis hyacintho, cocco, bysso, purpura. Decem enim legimus in sacris literis cōtexta ex iam dictis speciebus, singula uigintiocto cubitorū longitudine, quatuor latitudine, ut & perfectissimum haberēt denarium, & quaternionem essentiam denarij, & uingintiocto numerum perfectum, æqualem suis partibus, & quadragenarium uitalem maxime, intra quem aiunt absolui in naturæ officina hominem. Cæterum hi uigintiocto cubiti sic distribuuntur. Decem ad tectum, tāta enim est latitudo tabernaculi. reliqui noueni ad protegenda utraq; latera, uacante à solo uno cubito, ne humi traheretur textū sacratum pulcherrimū. Cæterum è quadraginta cubitis qui cōficiuntur ex decem aulæorum latitudine, triginta occupant totam quanta est longitudinem tabernaculi, nouem postremum parietem: quod superest ad uestibulum extēditur, ut sit pro totius septi uinculo. At in uestibulo uelum est. Sunt autem & aulæa uela, non solum quia uelant tectum & parietes, uerum etiam quia ex eisdem contexta sunt speciebus, hyacintho, cocco, bysso, purpura, quæ fuit & ueli materia. Fuit & aliud uelum inter quatuor tabulas, quo intercludebatur adytum. Exterius uero fuit oppansum quinq; aliis, ne quis profanus posset sacra introspicere. Ad hanc textrinam electa est materia omnibus cæteris uisa præstantior, elementis mundi par numero, habens etiam cum eis quandam similitudinem, uidelicet cum terra, aqua, igne, & aere. Nā byssus è terra, purpura ex aqua prouenit, aerem hyacinthus refert colore, nigricantem naturaliter: sicut coccus igni est similis, quòd uterque rubeat. Nam necesse erat, ut qui templum manufactum patri omnipotenti condere instituerant, sumerent aliquid essentiis simile, ex quibus mundus est conditus. sic igitur tabernaculum ad templi modum fuit adornatum. Ei circumdatum fuit atrium centum cubitorum lōgitudine, quinquaginta latitudine, in circuitu habens columnas distantes quinis cubitis, in uniuersum sexaginta, quadragenas ab utroque latere, octonas item utrinq; per atrij latitudinem. Harum quoq; materia fuit intus cedrina tecta laminis argenteis, bāses omnium æreæ, ipsarum altitudo quinq; cubitalis. Hoc enim decorum iudicauit opifex, dimidio contractiorem esse altitudinem

tudinem atrij, ut tabernaculũ duplo altius esset in conspicuo. Nam tenues telæ per longum latumq́; pendebant prætentæ intercolumnijs, linteaminibus similes, ne quis impurus penetraret intra illud spacium. De cætero situs fuit huiusmodi. Medium stabat tabernaculum, longum triginta cubitos, latum decem, quantum occupabant tabulæ. Distabat æquali spatio à tribus septi partibus, uidelicet à lateribus, & à tergo. id spatiũ erat uiginti cubitorum. Quod uero circa uestibulum erat reliquũ, quo capacius esset sacrificorum, amplius patebat per integros quinquaginta cubitos. Sic enim explebatur atrium centenarium, ad spatium postremum uiginti cubitorum accedente longitudine ipsius tabernaculi, quandoquidẽ triginta uiginti cubitos appositi quinquaginta faciunt, totidẽ alijs patentib. in primo aditu. nam uestibulum uelut confinium erat gemini quinquagenarij, tam orientalis qua dabatur introitus, quàm occidentalis, in quo tabernaculi longitudo continebatur & septi postrema pars. Erat & aliud uestibulum pulchrum magnum'que in aditu ipsius atrij, quatuor columnis ornatum, & suo uelo picturato prætensum, simili uelo tabernaculi, & ex eadem contexto materia. Tunc & sacra uasa fabricata fuerũt, arca, candelabrum mensa, altaria duo, in quo suffitus ex odoramentis fieret, & in quo adolerentur uictimæ. hoc situm fuit in atrio, ex aduerso uestibuli tabernaculi, tantum inde semotum, quantum spatij satis esset ministris sacrorum ad obeunda quotidiana sacrificia. Arca uero intra uela posita est in adyto, intus & foris munita crassis laminis aureis, operculo superimposito, quod in sacris literis dicitur propitiatorium. eius operculi proditur longitudo latitudo'que, altitudo non item, ut simile sit superficiei geometricæ: cuius interpretatio si ad naturam applicetur, intelligi potest propitia dei potentia. sin ad mores referatur, significabit mentẽ sibi ipsi propitiam, quæ concepto amore modestiæ purgare se sciat, compescat'que brutam, elatam & inflatam arrogantiã. hæc arca uas est destinatum legibus. in hãc enim præcepta reconduntur accepta dictante ipso cælesti numine. nam operculum arcæ quod uocatur propitiatorium, basis est duarum imaginũ uolucriũ, quæ sermone uernaculo nominantur Cherubim, hoc est multa scientia. per has quidam aiunt significari utrumque orbis hemisphærium, quod opponantur subterraneis quæ supra terras eminent. nam totum cęlum est uolucre. ipse per has figuras intelligo duas antiquissimas supremas'que eius Qui est potentias, alteram conditricem, rectricem alteram. quarum illa deus nominatur, per quam totum mundum ornauit & condidit. regia uero dominus, per quam creaturas regit pro imperio, & iure optimo certissimoq́; temperat. solus enim ille qui uere est & conditor rerum indubitate creditur, quibus cum nullæ essent dedit essentiam: & rex suapte natura, quando in creaturas nulli magis q̃ creatori debetur imperium. cæterũ in confinio quatuor & quinq; tabularũ, quod proprie dici potest tẽpli uestibulum, uel exteriore interioreq́; inclusum, ex prædictis tria uasa fuerunt posita: mediũ altare odoramentorũ, per quod significatur debita pro terrenis aquaticisq́; reb. gratiarũ actio. nã hæc elemẽta mediã mũdi regionẽ obtinẽt. at candelabrũ austrũ uersus, subindicãs motũ siderũ luminariũ. nam

ſol luna'que cum cæteris longe à ſeptentrionalibus partibus deflectentes, magis obuerſantur auſtralibus. hinc factum eſt ut terni rami producti ſint ex medij candelabri utroque latere, ad numerum ſeptenarium. in ſummitatibus eminebant ſeptem lucernulæ figuræ planetarum, ut uocant phyſici. ſol enim tanquam lucerna inter illos ſex medius lucet, quartus è ſummo pariter ac infimo, temperans muſicum illud & uere diuinum organum. Verſus ſeptentriones autem menſa, & in hac panes cum ſale: quoniam ſeptentrionales uenti uegetant maxime, & quia è cælo terraq; alimenta proueniunt, altero pluente, altera ſemen pluuijs rigatum ad maturam frugem perducente. & erant in proximo figuræ cæli terræ'que, ſicut oſtendimus, cęli candelabrum, rerum uero terreſtrium unde uapores prodeunt, illud quod ex re appellatur thymiaterium. nam alterum altare ſubdiuale ſolet ſcriptura uocare thyſiaſterium à uictimis. quaſi τηρητικὸν θυσιῶν, qua uoce ſubindicatur non abſumi uictimas, uoluntatem inquam offerentium, non membra pecoris quæ ignis deuorat: nam ſi quis prauus & iniuſtus offerat eius non litant uictimæ, ſacrificia profana ſunt, uota ominoſa, perniciem afferentia. non abolent enim peccata, ſed in memoriam reuocant. quod ſi pius iuſtus'que offerat, ratum manet ſacrificium. etiamſi carnes abſumptæ fuerint, imò etiamſi nulla mactetur hoſtia. nullum enim poteſt eſſe uerius ſacrificium, quàm animæ deo charæ pietas. huius enim gratitudo immortalis fit, relata in dei tabulas, in ſempiternum cum ſole luna mundo'que duratura. Poſt hæc ſacram ueſtem adornauit artifex in uſum futuri pontificis, pulcherrimam & mirificis texturis multiplicem. hæc conſtabat è tunica & epomide, ſicut ſcriptura nominat. tunica fuit ſimplicior, tota hyacinthina præter imam fimbriam, diſtinctam dependentibus floribus maliſq; punicis aureis & tintinnabulis. at epomis opus ſpecioſiſsimum arte ſumma confectum erat ex prędictis generibus, hyacintho, cocco, byſſo, purpura, auro quoq; intertextum. nam bracteæ conciſæ in capillamenta tenuiſsima intertexebantur omnibus ſtaminibus. in ſummis humeris inſerti erant duo ſmaragdi pretioſiſsimi, inſcripti ſenis utrinq; phylarchorum nominibus, in uniuerſum duodecim. in pectore quoq; aliæ gemmæ ſpectabantur fulgentes uarijs coloribus, ſimiles ſignaculis, ternę quadruplici ordine. hæ fuerunt inſertæ rationali quod uocant: id erat quandrangulum duplicatum. pro baſi deſtinatum ferendis duabus uirtutibus, reuelationi ueritatiq;. pendebat autem aureis catenulis ex epomide, aſtrictum ad eam *ne laxum flueret*. ad hæc lamina aurea quaſi corona inſculpta erat quatuor literis nominis illius. quod ſolis aures linguamq; ſapiētia purgatis fas eſt audire nominareq; in ſacris, præterea nemini. id theologi aiunt eſſe tetragrammaton, fortaſſe quòd ſignificet primos numeros, unũ, duo, tria, quatuor, quaternioni enim inſunt omnia, punctum, linea, ſuperficies, ſoliditas, menſuræ uniuerſorum, & muſicæ ſymphoniæ potiſsimæ, diateſſeron ratione ſuper tertia, diapente ſeſqualtera, diapaſon dupla, diſdiapaſon quadrupla. Quin & alias ineffabiles uirtutes habet quaternarius, quarum pleraſq; diligēter perſcrutati ſumus in tractatu de numeris. eam laminã mitra ſuſtinebat ne caput attingeret. ſuperimpoſita erat & cidaris, quo inſigni reges

orientis

orientis malunt uti quàm diademate. Hic fuit amictus pontificis: quid aūt sibi uelit & integer & partes eius, ne id quidē uidetur prætereūdū silentio. Totus enim totius mundi quædam imago fuit, partes uero singularū partium. incipiamus à talari tunica. hæc tota est hyacinthina, ad exprimendā figuram aeris. natura enim aer nigricat, & quodammodo talaris est à lunari orbe protēsus usque terræ terminos. Vnde etiā tunica à pectore usque pedes per totū corpus diffunditur. circa talos habet flores, mala punica & tintinnabula. Flores terram significant, in qua florent & germināt omnia. Mala punica aquam, ῥοιαὶ dictæ è fluendo iuxtam Græcā etymologiā. tintinnabula uero horum elementorum concentum & congruentiam. Nam nec terra sine aqua, nec aqua sine terra generationi sufficit, sed amborū coitus & contemperatio. Huic interpretamento locus ipse attestatur. Sicut enim in ima talaris tunicę fimbria mala punica flores & tintinnabula sunt: sic horum significata infimam mundi regionem sortita sunt, aqua terraque: & sic consonando cum uniuersitatis harmonia, uires suas exerunt statis temporum curriculis. itaque trium elementorum ex quibus & in quibus sunt omnia mortalia corruptibiliaque genera, aeris, aquæ, terræ, figura est stola ista cum suis appendicibus. nā sicut hæc una, ita tria dicta elementa unius ideę sunt, quandoquidē sub luna sita sunt, et mutationes recipiunt. & sicut ab hac pendent flores ac mala punica, sic ab aere quodammodo suspenduntur aqua terraque, quandoquidem continentur ab eo. at epomida cæli figurā esse certis coniecturis colligitur. primùm è duobus smaragdis rotundis humeralibus, quos quidā existimant typos solis lunæque, alterius diurni, alterius nocturni sideris. sed propius ad ueritatem accedit, per hos designari duo hemisphæria. sunt enim sicut hæ gemmæ ambo inter se paria, neutro crescēte decrescente'ue secus quàm in luna uidetur. attestatur et color: smaragdo enim aspectus totius cæli est similis. unde factum est ut gemma utraque sculperetur sex nominibus: quia utrunque hemisphærium, diuiso signifero circulo, sex signa cōplectitur. præterea in pectore xij. gemmæ discolores, ternæ distributæ in quatuor ordines, quid aliud subindicant quàm ipsum signiferū circulū? nam & hic in iiij. partes è ternis signis cōstantes diuiditur, atque ita horas anni conficit, uer, æstatē, autumnū, hyemē, mutationes iiij. quarū singulas tria signa determinant, sole illustrāte hæc omnia iuxta certā, immotā uereque diuinā rationē numeri. Quapropter hæ gemmæ dicto rationali sunt insertæ. constat enim sua ratio mutationibus anni ordinarijs: & quod mireris, tempestiuis uariationibus declaratur harū rerū sempiternitas. nec abhorret ab hac significatione uarietas colorū in gemmis, ita ut nullus ex his sit alteri similis. Nam & circuli signa suum quodque colorem efficiunt in terris, aquis & aere horumque accidentibus, atque etiam in animalium stirpiumque generibus omnibus. Quòd aūt rationale duplicatur, causam habet hanc. Duplex est ratio, altera in mundo, altera in natura hominis. In mundo illa incorporearū exemplariumque idearum ratio, itemque rerum uisibilium, quę sunt idearū imagines, & mundum hunc sensibilē cōficiunt. In homine aūt ratio est intrinseca & prolatiua, quæ aliter dicitur oratio illa ceu fons, hęc ceu riuus inde promanās. illius sedes est mēs,

huius lingua & os, instrumentaq; uocis cætera. Voluit autem rationale illud quadrangulũ esse artifex, pulchre subindicãs, oportere rationẽ tum naturę tum hominis incõcussam esse ac solidam: quapropter ei duas supra dictas uirtutes attribuit, reuelationem atq; ueritatem. nam & naturæ ratio uera est reuelatoriaq; omnium, & ea quæ in sapiente est imago illius alterius, debet esse uerissima, & nihil cælare præ inuidia, quod quidem cognitu sit utile. Quin & uniuscuiusq; nostrum tum oratio tum ratio his duabus ornanda est proprijs uirtutibus, declaratione oratio, ueritate interna ratio. decet enim mentem nullum mendacium admittere, orationem autẽ expedite ueritatem proferre declarare'que. Nulla tamen est sermonis utilitas, si ab hoc discrepent opera. Et hoc est cur rationale pẽdet ab epomide & humeris, ne laxum fluat, quòd à dictis seiungi facta iniquum sit. Nam per humerum significatur operatio. Hæc sunt quæ sub sacerdotali ueste latẽt ænigmata. Cidaris autem pro diademate imponitur capiti, quia quantisper sacerdos honore suo fungitur & ministerio, non solum priuatis hominibus est eminentior, uerum etiam cunctis regibus. Huic præfigitur aurea lamina insignita quatuor literis, per quas Entis nomen aiunt indicari, quandoquidem nihil potest absq; inuocatione dei subsistere. nam huius bonitate fauente, integritate sua fruuntur omnia. In hunc modum ornatus pontifex ad sacra mittitur, ut quoties ritu patrio uota facturus est pro populo, totum mundũ secum introducat sub figuris quas gestat, aerem in stola, aquã in malis punicis, terram in floribus, ignem in cocco, cælũ in epomide duobusq; smaragdis referentibus totidẽ hemisphæria sculptura senorũ signorũ, item in rationali pectus ornãte quatuor ternarũ gemmarũ ordinibus, quod rationis cuncta dispensantis repręsentat speciem. Necessarium enim erat, ut sacerdos supplicaturus patri omnipotenti, aduocatũ adhiberet perfectissimum eius filium, ad impetrandam erratorum ueniam, & uberem in posterum gratiam. Fieri tamẽ potest, ut sic quoq; doceatur dei cultor, si nõ conditore mundi, saltem mundo ipso conari se dignum facere, cuius indui tur imagine: uidelicet gestaminibus illum figurantibus admonitus, ut quodam modo ex homine in naturam mundi transeat, & si fas est dicere (fas est autem cum uerum sit) paruus mundus fiat. Cæterum extra uestibulum in primo aditu labrum erat aheneum, non ex rudi materia, ut ferè fit, fabrefactum ab opifice, sed ex uasis iam ante expolitis in usum tamen alium, quæ mulieres mira animi alacritate certatim benigneq; cõtulerant, ne uiris hac parte uiderentur cedere, æmulatione longe honestissima, qua dabant operam ne illis inferiores iudicarentur in pietatis sanctitatisq; studio. Specula enim ad quæ formam curare solitæ fuerant, sponte nemine iubente Deo dicauerant, ceu primitias coniugalis pudicitiæ pulchritudinis'que animæ decentissimas. Hæc ad se delata opifex in unam massam confudit, ratus nihil inde aptius posse cõfieri, quàm labrum ex quo se lustrarent sacerdotes templum ingressuri ad obeunda sua ministeria, præsertim pedes manusq; lauando, in signum uitæ inculpatæ, uictusq; puri parati bonis rationibus, non per illam asperam inuiam'que uiam uitiorum, sed per regiam stratam munitamq; uirtutibus, & directissimam. Quasi diceret, Meminerit quisquis

quis hinc se asperget,huius uasis materiam fuisse specula,ut ipse quoq; tan quam in speculo contempletur mentem propriam: & si quid in ea uiderit turpitudinis,aut brutorum affectuum,aut uoluptatis præter naturæ leges efferuescentis,aut contrà mœstitię plus æquo se deijcientis, aut metus declinantis à recto itinere,aut concupiscentiæ nitentis in uetitum, id mature curare studeat,& germanæ sinceræq; pulchritudinis rationem habeat.Nã quæ in corpore laudatur,sita tum in membris bene dimensis pro sua cuiusque portione,tum in colore decenti & habitudine,breui momento durat. At altera illa menti propria, quæ constat opinionum uirtutumq; concentu,non languescit ullo tempore,sed iuuenescit indies, colore ueritatis tincta decentissimo,dictis cum factis consentientibus,& à neutris discrepante consilio.Postquam autem propheta exemplar sacrati tabernaculi didicit,idq; homines ingeniosos & ad præscripta exequenda idoneos perdocuit,quo singula oporteat affabre fieri: reliquum erat ut sacerdotes optaret doceretq; quo ritu quibusue hostijs res diuina faciẽda sit.Itaq; fratri ex omnibus optimatibus selecto pontificatus honorem tribuit eximium: filios illius constituit sacerdotes,nõ cognationis priuilegio, sed pietatis sanctitatis'que, quas in his uiris animaduerterat. Eius rei manifesta fides est, quod neutri filio dignitatem hanc contulit, utrumq; electurus, si propinquitatis rationem habuisset.Hos instituit de cõmuni totius gentis sententia,iubẽte oraculo,more nouo & memorabili. Ante omnia fontanis aquis limpidissimis & uitę utilissimis eos abluit:deinde sacris uestibus induit,fratrem talari & epomide,ceu thorace referente mũdi imaginem:fratris filios tunicis linteis & zonis ac subligaribus: illis ut expedite peragerẽt sacra ministeria,astrictis tunicarum finibus: his,ne quid quod pudor celari postulat,oculos circumstantium offenderet,præsertim dum ascendunt ad altare aut descendunt,omniaq; propere ac celeriter faciunt. Nisi enim tam accurate præscriptus fuisset totus uestitus sacerdotalis propter incertos casus futuri temporis,quos præcaueri oportuit,non potuisset fieri in tanta celeritate ministerij,quin nudarentur aliquando, sacerdotibus decorum inter sacra seruare non ualentibus. Vt uero instruxit eos sacratis uestibus, sumpsit unguentum suauolentissimum,confectum arte unguentaria: quo primùm subdialia uasa,altare labrumq; perunxit aspersa septies: deinde tabernaculum & sacra uasa singula, arcam, candelabrum, thymiaterium, mensam,calices,phialas,cæteraq; sacrificijs deseruientia. Postremo adductum pontificem inunxit profuso largiter in caput eius sacro unguine. His rite peractis iubet adduci uitulum & duos arietes. Vitulum ut offerret in remissionem peccatorum, subindicans cuiuis nato, etiam bono, uel ob hoc ipsum, quòd natus sit,cognatum esse peccatum:propterea placandum esse Deum precibus & uictimis,ne iratus sæuiat. Arietum autẽ alterum qui adoleretur solidus autori rerum omnium,cuius benignitate pro se quisq; fruitur elementis omnibus,terra ad alimentum & domicilium, aqua in potum,lauacra nauigationemq;,aere ad respirationem effectus'que sensuum (nam horum instrumentum aer est) & ad horas annuas: igne quotidiano quidem ad cibos coquẽdos & calefactionem,cælesti uero ad lucem & res uisibi-

uisibiles. alterum aũt arietem mactauit ad absolutam eorum qui sacraban-tur purificationẽ, quẽ apte consecrationis cognominauit quòd per hoc sa crificiũ initiarentur sacerdotes dei maximi optimi. eius sanguinis partẽ cir cũ altare profudit, partẽ excepit phiala, eoq; tinxit tria mẽbra initiatorũ, au riculã extremã, manũ extremã, pedem extremũ, hęc omnia dextera, signi-ficans uirũ perfectũ debere purũ esse sermone, opere, tota uita deniq;. ser-monẽ enim auditus indicat: manus significat opera, pes totius uitæ transi-tũ. quoniã aũt hæc singula extrema sunt & dextera, intelligendũ est in his singulis requiri profectũ & cupiditatẽ extremę felicitatis et ultimę, ad quã ceu ad scopũ omnes uitę actiones referẽdę sunt. Primũ igitur unius uicti-mę, quæ consecrationis appellatur, sanguine sincero has partes sacerdotũ inunxit. deinde sumpsit ex eo quod circũ altare profusum fuerat uel ex un guẽto, uel è uictimis omnibus, eoq; permixto sacerdotes aspersit, uolens eos nõ solũ externæ subdiualisq; sanctitatis fieri participes, uerũ etiã inter næ quãdoquidẽ sacra facturi erãt in adytis, in quib. omnia peruncta sacro unguẽto fuerãt. Deinde alijs quoq; cęsis uictimis, tũ pro sacerdotib. ipsis, tum pro senatu ac gente uniuersa, Moses fratrẽ introduxit in tabernaculũ. erat is dies octauus à consecratione, huius festi ultimus: superiores eñ VII fratri filijsq; eius initiãdis dati fuerant. Tũ uero in loco sacro ut bonus prę ceptor docilẽ discipulũ ritus pontificios edocuit: post hæc ambo egressi protensis ad cælũ manibus, uota pro gente fecerũt, qualia proficisci par e-rat à mente sanctissima: quib. nondũ peractis accidit insigne prodigium. nam ex adytis, siue ętheris pars purissimi, siue aer naturaliter in ignẽ muta-tus, emicuit, ut repẽte flãma prorũpens rectà ferretur in altare, & quicquid superimpositũ fuerat, absumeret, opinor in argumẽtũ manifestissimũ prę sentis diuinæ prouidẽtię. Decuit eñ eximium donũ conferri sacrarijs, nõ qualia sunt materię tractabiles hominibus, sed ignis essentię purissimę, ne iste qui in nostro usu est, altare attingeret, quo iam innumeræ sordes conta ctæ fuerant. Admouetur enim nõ solum brutis animalibus, dum coquun tur ad satietatẽ uentris miseri, uerum etiam ad necandos ex insidijs homi-nes, non tres quatuor'ue, sed interdũ magnum numerum. Nam & classes integræ cum socijs naualibus incensæ sunt telis ignitis, & urbes eadem ar-te petitæ conflagrarunt subsederũtq; in cineres, ut ne uestigium quidẽ ha-bitationis superfuerit. Hãc opinor ob causam ignis iste qui in uulgari usu est tanquã contaminatus ablegatus fuit ab altari sanctissimo, & pro eo de missus cælestis ex æthere, ut esset discrimen inter sancta profanaq;, & inter humana diuinaq;. Conueniebat eñ sacrificijs attribui naturam ignis in-corruptiorem quàm est hæc quæ seruit quotidianis usibus. Cum autẽ ne-cesse esset per singulos dies, pręsertim festos iterari sacrificia multiplicariq; propter multas uariasq; causas tum priuatas tum publicas, utpote in gen-te nõ minus religiosa quàm populosa, opus fuit etiam æditorum mul-titudine ad sacra ministeria. Horum quoque mira & inusitata fuit electio. Vnam è duodecim tribubus præstantissimã delegit addito religioni prę-mio. Id ita gestum est. Cum Moses ascendisset montem proximum, ibiq; aliquot diebus colloqueretur cum Deo sine arbitris, quidã inconstantes

tanquam

tanquam orbati principe, absentiam eius uerterunt in impietatis occasionem: obliti Dei ueri, cœperunt æmulari figmenta Aegyptia, facto iuuenco aureo ad imitationem animalis eius regionis sacratissimi: cui profana sacra faciebant, & choreas agebant inconditas, hymnos concinendo lamentis similes, & expleti mero congeminarunt temulẽtiam, uino pariter furentes ac insania, pernoctãdo in comessationibus, oblectandoq́ se factis pessimis, ignari ultionis imminentis quam prouocabant sua malicia. & excęcati suis affectibus. Vbi uero clamores castrenses ut in turba celebritateq́ longe lateq́ audiebantur, adeo ut ad montis cacumen peruenirent, perculsus aures Moses hærebat ut amator dei simul & hominũ, nec discedere sustinens à diuino colloquio quo priuatim honoratus fuerat, nec despicere plebẽ misere tumultuantẽ per principis absentiã. sentiebat em̃ tumultũ, uocibus cõfusis & inarticulatis indicãtibus perturbationes animi, præsertim sagaci prudẽtiq́ homini, facile intelligenti hanc esse debacchationẽ publicam per uinolẽtiã nõ abstinentiũ ab iniurijs. itaq́ diu huc illucq́ incertus distrahebatur. sed oraculũ dubitationẽ exemit his uerbis: Descende celeriter, populus ad impietatẽ prolapsus est, iuuẽcũ manu factũ adorãs pro numine, & uictimas ei sacrificãs, oblitus omniũ quę hactenus uel uidit, uel audiuit, & totius pietatis atq́ religionis acceptę à maioribus. ille stupefactus cũ nõ posset non credere oraculo, tanq́ sequester & arbiter, non statim resilijt, sed prius deprecabatur pro populo suppliciter orãs peccati ueniam: deinde placato rege omnipotente reuertebatur mixta gaudio mœstitia. Gaudebat enim deum non repulisse suam supplicationẽ, contristatus aũt fuerat, quòd iniquissime ferret patrias leges derelictas à populo. Vbi uero castra introgressus uidit repente mutatos ritus, & figmenta recepta pro ueritate. non omnes tamẽ infectos eius mali contagio, sed superesse quosdã sanos quibus talia displiceant, uolens discernere incorruptos ab insanabilibus, & uidere num qui reuertantur ad pœnitentiã, per præconẽ populũ monuit edicto, cuius indicio tum pios tũ impios manifeste cognosceret. Verba edicti fuerunt hæc: Si quis est domini, ueniat ad me. breuia sanè, sed magnam uim continentia: perinde ac si diceret: Si quis nihil manufactum, nihil creatum habet pro deo, sed unum rerum dominũ, ad me ueniat. Itaq́ alij qui Aegyptiacum typhum prætulerant, edictum contempserunt. Alij fortasse metu pœnæ nõ ausi sunt propius accedere, siue Mosem timentes, siue seditionem populi. Solet em̃ uulgus sæuire in dissentientes à sua dementia. Sola ex omnibus Leuitica tribus audito pręcone tãquam ex composito accurrit propere, pedum celeritate indicans alacritatem animi, & quanto affectu pietatem coleret. Quos ubi uidit Moses certatim ad se concurrere: Statim apparebit, inquit, num eadem animis insit alacritas, quæ corporibus. Sumite gladios, cædite mille supplicia meritos, qui uero deo relicto falsos sibi fecerunt, indito corruptibilib. creatisq́ essentijs incorruptibilis illius increatiq́ nomine: non cognatis nõ amicis parcite, amicitiam ac cognationem ęstimando sanctitate proborũ hominũ. Vix ea dixerat, cum illi exasperati & infensi sceleri iam inde à principio ruẽtes in cædem interemerunt ad tria milia uirorum coniunctissimorum antea. Quo-

rum cadauera medio foro iacētia plebs uidens indoluit, simulq́ metuens ultricem iram adhuc feruidā, statim resipuit. Tum Moses publice laudata horum fortitudine, honorem eis decreuit perpetuū, conuenientem facinori præclarissimo. Decebat enim, ut qui in honorē Dei ultro arma sumpserant, & impios momento debellauerant, præmium acciperent ipsius cultum ac ceremonias. Quoniam autem non unus ordo est sacratorum hominum, sed alij tractant preces, uictimas, sacraq́ cætera, & usq́ adyta procedunt: alijs nihil horum permittitur, tantū noctu interdiuq́ curant tēplum & custodiunt eius sacram supellectilem, quos nonnulli uocant æditu os: quæ sæpe aliàs multarum calamitatū causa fuit de primatu contentio, hic quoque inualuit, æditus in sacerdotes conspirantibus, & illorum dignitatē sibi usurpare conantibus: id quod facile successurum sperabant, cum ipsi in tantū superarent eos numero. & ne uiderentur priuatæ seruire cupiditati, antiquissimam è xij. tribubus in partes suas pertraxerunt, quā multi familiares sequebantur, ut habentem prærogatiuam generis. Sensit Moses hanc conspirationem contra se tendere, quia fratrem pontificem oraculi iussu designauerat. id factum non caruit calumnia, quasi prætextu oraculi plus ualuisset domestica gratia q̄ utilitas publica. quod, ut erat, uisum est indignissimum, non solum in dubium reuocari fidem approbatam tot cælestibus prodigijs, uerum & de religione ambigi, quæ fucatis etiam hominibus solet ueritatis cōfessionem exprimere. Veritas enim à deo non sciungitur. proinde superuacaneum ratus eos prolixa oratione beneficiorum acceptorum cōmonefacere, quos iam aduersariorū criminationibus præoccupatos animaduerterat: deum exorauit ut euidenti signo declararet, sinceram incorruptamq́ fuisse electionē pontificis. ille iussit eum xii. uirgas, pares tribuū numero, inscribere nominib. phylarchorū undecim, duodecimamq́ pontificis fratris sui nomine, deinde inferre adytis. fecit iussa uates, intentus in exitū. postera die monitus oraculo, in præsentia totius populi, deprompsit uirgas, cæteras nil mutatas, eam aūt quam nomine pontificis inscripserat, ostēto nouo conspicuā. nā hæc mirifice tota quanta erat, frondes fructusq́ protulit. erant aūt nuces, diuersa natura ab alijs fructibus. nam in plerisq́, ut uua, oliua, malis, aliud est semen, aliud id quo uescimur, quæ discernūtur locis etiam. externa pars uesca est, semen intus includitur, in nuce semen ipsum estur, & utrumq́ in unā speciem confusum uno loco intimo clauditur, munito duplici tegmine, crasso primum putamine, dein ligneo cortice. ut apte per hāc figuram perfecta uirtus possit intelligi. sicut enī in nuce idem est finis & principium, inquantū semē initium, inquantum fructus finis: sic & in uirtutibus. Vna quæq́ & finis est & principium. principium quia non aliunde quàm ex seipsa oritur: finis quia uita tendit ad eam naturaliter. præter hāc causam affertur alia manifestior. Nucis extremum putamen est amarum, ligneus cortex interior est austerus & solidus: quo fit ut fructus non sit in promptu clausus utroq́ munimine: hac figura docetur anima exercens se in uirtutis stadio, esse opus laborib. Labor autem durus & difficilis, unde felicitas prouenit: quapropter perdurandum est. Nam qui fugit laborem, fugit felicitatem: ediuerso qui for

titer

titer patienterq́ difficultates tolerat, ad beatitudinẽ properat. Nam fieri non poteſt,ut domo delicatus & effœminatus animo, corpore quoque labefactato quotidianis uoluptatibus, uirtuti domiciliũ præbeat. Cui niſi contingat pro dignitate tractatio,primùm denunciat ſe migraturam ad illum ſummum rectarum rationum principem:mox ſi nihil proficit,confert ſe quò trahitur ſuopte deſiderio. Imò ſi uerum fatendum eſt, ſacer ille uirtutum chorus,prudentiæ,temperantiæ, fortitudinis, iuſticiæq́, ultro ſibi quærit quos exerceat.præſertim eos qui tetricam duramq́ uitam complectuntur, coniunctam cum patientia continentiaq́, ſimplicitate frugalitateq́ contentam: quibus artibus pars noſtri præcipua,ſcilicet ratio,ſanitatem tuetur bonamq́ habitudinem,ſuperatis moleſtis obicibus corporeis: quales ſunt temulentiæ,cupediarum liguritiones,libidines,& id genus cupiditates inſatiabiles, tantum ſolertiæ detrahentes quantum addunt carnibus.fertur etiã è uernis arborib.prima florere amygdalus prouentũ arboreorum fructum prænuncians,& poſtrema omnium amittere folia,æſtatẽ ferens diutiſsime ſaluo uirore frondium, utroq́ modo figuram ſacerdotalis tribus referẽs,ſubindicansq́ hanc primam & ultimam uigere in humano genere,duraturam donec uiſum fuerit deo noſtrum genus reuocare ad uernam renaſcentiam,ſublata inſidioſa cupiditate,fonte malorũ omnium. Quoniam igitur diximus, oportere abſoluto principi adeſſe quatuor res, regnum, legum ferendarum facultatem, ſacerdotium, prophetiamq́, ut tanquam legislator uetet ac iubeat, tanquam ſacerdos nõ ſolum humana, ſed & diuina adminiſtret negotia, tanq́ propheta quicquid intellectu nõ percipit,diſcat ex oraculis:iamq́ de tribus primis diſſeruimus,& oſtendimus Moſem fuiſſe optimum regem, legislatorem, pontificem, nunc poſtremam aggredior, declaraturus eum fuiſſe & prophetã probatiſsimum. Nec ignoro pondus oraculorum habere quicquid ſcriptum eſt in eius uoluminibus, recenſebo tamẽ magis propria, ubi prius diſtinxero,quædam oracula ex perſona dei proferri per diuinum interpretem, quędam eſſe reſponſa ſcitanti reddita,quædam pronunciari ex perſona Moſis afflati numine.Quæ primi generis ſunt, tota præ ſe ferunt uirtutes dei,clementiam & beneficentiam, per quas omnes homines ad honeſtatem inſtruit,præcipue uero cultores ſuos quibus ad felicitatem uiam aperit. Secundum genus mixtum eſt è uerbis rogantis prophetæ & reſpondentis numinis. Tertium legislatoris eſt proprium,donati à deo ui præſagiendi prædicendiq́ futura.Primi generis ſeponentur nunc,cum ſint maiora quàm ut ſatis laudari queant ab homine quorum laudi uix tota natura ſufficiat,& alioquin efferuntur per interpretem. differunt autem inter ſe prophetia & interpretatio.De ſecundo mox conabor dicere,ſubiũcturus & tertium, in quo apparet uatis diuinitas propter quam proprie propheta nuncupatur. incipiemus aũt promiſſa repræſentare hoc modo.In quatuor locis leges feruntur per rogationẽ reſponſionemq́, mixtæ ex uerbis afflati prophetæ deum conſulentis,& reſponſo ipſius patris cæleſtis. Primùm quãdo nõ ſolũ Moſem omnium ſanctiſsimũ & amantiſsimũ dei, uerũ etiam quẽuis mediocriter pium exaſperare potuit quidã è diſsimili genere natus hybrida,

patre Aegyptio, matre Iudęa, qui fastidito ritu materno declinauit ad im pietatē Aegyptiacam, contemptor cælestis numinis. Soli enim propemo dum ex omnibus gentibus Aegyptij cælo terrā opposuerūt æmulā, hanc diuinis colentes honoribus, illa nulla ueneratione dignitati eximia, quasi regni extremitas præferenda esset regię. Nam in mundo cælū est regia sacratissima, terra uero extremitas regni, per seipsam quidē non contemnenda, sed tamen haud conferenda cum ęthere, à quo tantum à tergo relinquitur, quantum tenebræ à lumine, nox à die, corruptio ab incorruptibilitate, mortalis à numine. nam quia nō compluitur eorum regio sicut aliæ, solita quotannis inundari à restagnante flumine, opinione sua Nilū consecrant Aegyptij, ut cæli æmulum, & regionem suam magnopere prædicant. proinde ille promiscui generis homo, dum rixatur cum quodam ex sacerdotali docto que genere, impotenter iratus, & agitatus impietate Aegyptiaca, à terra in cælum extendit contumaciam, execrabili scelesta pollutaq; tum anima tum lingua uoceq; ausus miserrimus eum execrari, quē ne honoris quidem gratia fas est nominari ab omnibus, sed à solis optimis & purificatis hominibus. Quapropter miratus amentiam perditam & immanem audaciam, quāuis efferuescente generosa indignatione cuperet manu sua scelestum cōficere, tamē ueritus est ne is ad hunc modū leuiore q̄ pro merito defungeretur supplicio. parē enim tantæ impietati pœnā homo inueni re non potuisset. cum em̄ contemptor dei nec parentes ueneretur, nec patriā, nec benemeritos, hic non contentus neglexisse religionē, & usq; ad execrationē prorumpēs, nihil sibi ad summā impietatē fecit reliquū. nam maledictū prę execratione crimē est leuius. Verùm linguæ morbus & effrene os cum ministrant nefariæ dementiæ, proculdubio prodigiosum aliquod scelus perpetrant. ô homo, execratur deum aliquis? quē igitur alium deum ad execrationē inuocat? nonne hunc ipsum cōtra ipsum? apage istas profanas cogitationes & sacrilegas. purgetur anima misera tali uoce contaminata, in quā auditu sensu cæco impegit. fieri ne potuit, ut lingua ad tam impiā uocē prolatā nō sit tacta paralysi, ac ne aures quidē audituri obturatæ sint, nisi forte ultioni prospectū est & iustitiæ, qp ad exēpla uitæ pertineat nō celari quicquid insigniter præeminet et in benefactis & in maleficijs, ut alteri prēmiū cōtingat alteri suppliciū. ideo propheta iussit hunc uinctū seruari in carcere: ipse deū supplex orauit daret ueniā oculis auribusq; nō sponte pollutis uisu audituq; nefario: simulq; rogauit quid oporteat pati inuentorem sceleris nefandi & inauditi ad eam diem. Ille iussit eum lapidari, ideo sicut opinor saxis plectendū pronunciās qp animam haberet durā & saxeam, utq; manibus totius gētis ultionis auidæ sumeretur suppliciū. Nec enim poterant aliter q̄ eminus ferire tot milia. post exactas pœnas à nefario capite, noua lex scripta est & tunc primum relata in tabulas, ut ferè nouis morbis quæruntur noua remedia. uerba legis sunt hæc: Quisquis execratus fuerit deum, peccato obnoxius esto. Quisquis autem nominauerit nomē domini, capitalis esto. ô dictū bene uir sapientissime. solus meram hausisti sapientiam. nominare grauius credidisti q̄ execrari. Non em̄ extenuares crimen grauissimū, tractans id clementius. Itaq; uidetur nunc deum

deum non illum primũ & ingenitum mundi conditorẽ dicere, sed eos qui oppidatim colebantur. Nam hi quoq; sic uocãtur falso nomine, cum sint pictorum fictorũq; opera suas artes ostentantiũ. signorũ enim statuarũq; huiusmodi plenus fuit totus orbis habitabilis: à quibus abstineri oportet maledictionẽ, ne quis Mosis discipulus assuescat ullo modo appellationẽ dei contẽnere. semper enim amabilis est ac plausibilis. Quod si quis nõ dico blasphemauerit hominũ deorumq; dominũ, sed ausus fuerit uel nomẽ eius intempestiue promere, noxam luat capite. Quandoquidẽ ne mortaliũ quidẽ parentũ nomina proferũt ij, quibus cordi est pietas, sed omissis proprijs honoris gratia, utuntur naturalibus, patrẽ appellantes matrẽq;: atque ita profitẽtur accepta immẽsa beneficia simulq; suã gratitudinẽ. Quomodo igitur merentur ueniam qui temere abutũtur sanctissimo dei nomine tantũ ad explendũ sermonẽ non aliter q̃ profanis uocibus? Post honorem aũt creatori habitũ propheta diẽ sacratũ septimum ueneratus est, cuius eximiam pulchritudinẽ cernebat acutioribus oculis, expressam cælo mundoq; uniuerso, ipsa natura præferente eius simulacrũ. inueniebat eñ ante omnia matre carere hũc numerũ, expertẽ fœminini generis, è solo patre satum absq; semine, & absq; partu genitum. animaduertit præterea septimanã semper uirginem, nec è matre natam, nec matrem ipsam, nec è corruptione oriundam, nec ipsam corruptibilem: deniq; intellexit hanc esse mundi natalẽ, cælo terræq; festam & omnibus terrestribus, exhilarantem cuncta concinnissimo septenario. Hanc ob rem ille maximus Moses æquum censuit ut omnes ascripti eius ciuitati, ius naturæ sequentes, celebrarent hunc diem otio festisq; hilaritatibus, intermissis laboribus & opificijs quęstuarijs negotijsq; uictum parãtibus, ablegata etiam tantisper ceu per inducias solicitudine anxia, ut uacarent non ludicris (sicut quidam) ridendisq; spectaculis mimorum saltatorumq; quæ insanum uulgus amat perdite, & per præcipuos sensus uisum auditumq; captiuat animam suopte ingenio liberam ac dominam: sed soli philosophiæ, non isti cuius compendium profitentur captatores sophistæ, uenales tanquam in foro proponendo sermones opinionesq;, qui philosophia cõtra philosophiam (ô terra, ô sol) abutuntur perpetuo, nec pudet: sed ueræ inquam philosophię quæ constat ex his tribus, consilijs dictis factisq;, in unam speciem coaptatis, ut quæsita fruantur felicitate. Hoc præcepto posthabito quidam recenti etiam tum oraculi de sacro sabbato proditi memoria, quod deus ipse uisibili uoce oculis magis quàm auribus ingesserat, per media castra lignatum exiuit, non ignarus omnes in tentorijs quiescere, moxq; in uetito deprehensus est. Quidam enim per otium extra portam progressi, ut in loco puro quietoq; uacarent precibus, uiso nefario spectaculo, intentũ fasci componendo lignatorem occisuri erant præ ira, nisi cõmotos ab impetu reuocasset hæc reputatio, animaduersionem in huiusmodi peccata non esse priuati iuris, sed pertinere ad magistratus publicos ipsosq; principes, ne indicta causa indemnatus'que periret, alioquin reus manifestarij criminis, religione quoque diri uetante cædem uel iustissimam. ideo maluerunt comprehensum hominem adducere ad principem & sacer-

dotum consistoriũ, cõfluente ad rem cognoscendã uniuerso populo. mos enim erat certis temporibus, prçcipue sabbatis, ut ante dixi, operã dare studio sapientiæ, principe doctoris uice fungẽte, prçmõstranteq́ꝫ officia, subditis autem in honestate proficientibus, & mores uitamq́ꝫ corrigentibus. Quæ consuetudo à maioribus per manus accepta hodieq́ꝫ durat apud Iudæos, tempore illo dicato eruditioni contemplationiq́ꝫ rerum naturaliũ. nam destinata oppidatim sacris precationibus loca, quæ proseuchas uulgus nominat, quid aliud sunt q̃ scholæ, in quibus prudentia, fortitudo, tẽperantia, iusticia, pietas, sanctitas, omnisq́ꝫ uirtus discitur, quæcunqꝫ ad humana diuinaq́ꝫ negotia requiritur. Cæterũ eo die non ultra uincula sæuitum est in hominẽ impium. At Moses de plectendo quẽ norat cõmeruisse mortem dubius, & genus supplicij dignũ ignorans, inuisibili animo ad inuisibile tribunal se contulit, ubi iam ante cognitã causam decretũ fuerat ab omniscio iudice, qui pronunciauit morte mulctandũ obruendũq́ꝫ lapidibus, quandoquidem & huius mens sicut prioris in surdũ lapidem obduruerat, prolapsi ad impietatẽ extremam, complexã penè omnia uiolati sabbati crimina. quã ob rem? quia nõ solũ sordidæ fabrilesq́ꝫ, sed cæteræ quoque artes & occupationes tunc sunt prohibitæ, præsertim quæ ad parandum uictũ attinent, aut per ignem fiunt, aut per instrumenta non sine igne confecta. ideo sæpe interdicitur ne quis ignem accendat sabbato, ut cessante causa principali & antiquissima, cessẽt effectus eius etiã. Sunt aũt ligna ignis materia, ut lignator & qui accendit ignem in eadem culpa hæreant: atqꝫ ita geminetur noxa, tum quia fit opus dum lex iubet quiescere, tum quia fomites ignis comportantur, unde præbetur opificijs occasio. Hæc duo responsa continent pœnas fontibus inflictis ex arbitrio cçlestis numinis consulti super talibus negotijs. Sunt & alia duo, ad diuersam speciem pertinentia, alterum de successione hæreditaria, alterum de sacrificio non tempestiue ut uidebatur oblato. de hoc prius dicetur. Moses primum anni mensem facit eum qui in uernum æquinoctiũ incidit, non sicut quidam qui præcedentibus id honoris tribuunt, non obseruato naturæ beneficio. tunc enim maturescunt segetes ad uictum necessariæ: arborũ uero fœtus pubescunt recens editi, secundis mensis inferendi. sine tritico, hordeo, cæterisq́ꝫ similibus frugibus non uiuitur: sine uino & oleo fructibusq́ꝫ arboreis quædam gentes ætatem producunt in annos plurimos. Eius mensis die quartadecima, sub ipsum tempus quo luna suum orbem solet complere lumine, celebratur migrationis publica festiuitas quam Chaldaice, Pasca nominant: quo tempore non ut aliàs plebeij homines uictimas adducunt ad altare mactãdas à sacerdotibus, sed iubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisqꝫ mactat hostiam suis manibus. Tunc uniuerso populo concelebrante lætas epulas, dum quisqꝫ se gerit pro sacerdote, nõnulli occupati lachrymis, gemitib. luctuq́ꝫ domestico propter desideratos nuper defunctos necessarios, premebantur gemina tristicia, noua super ueterem accedente, quòd orbati suis affectibus cogerẽtur etiã carere uoluptate honoreq́ꝫ totius gẽtis publico, quia nec ablui nec aspergi lustralibus aquis fas erat illo tempore, prius q̃ ueniret luctui prçfinitus lege terminus.

Hi post

Hi post festum mœsti accesserunt principem, narraueruntque suum infortunium: habere se funestas domos recẽti cognatorũ obitu, occupatos luctu necessario, non potuisse frui sacris pascalibus. addiderũt preces, ne postha berentur cæteris, ne'ue pœnas darẽt calamitatis domesticæ, dignæ potius misericordia. alioqui se posse inuidere defunctis qui potiore cõditione fato cesserint. se uiuos mori, & sentire suam perniciẽ. His auditis animaduertit & postulationem non absurdam, et excusationem sacrificij prætermissi idoneam, & casum ipsum dignũ miseratione. Ambigebat tamen incertus consilij, & tanquã in bilance nutans nunc in hanc partẽ nunc in illam procliuior, cum hinc suũ põdus obtineret misericordia cum iusticia, illinc prę cellere uideretur lex de paschali sacrificio, primi mensis quartamdecimam diem ei præstituens. itaque inter assensum & renutũ pendens ad supplicationem se uertit, ut ipse deus oraculo decerneret. Qui exaudito uate nõ in præsens tantum respõdit, sed quod pro lege foret postea, quoties aliquid simile accideret. Comprehensi sunt ea lege illi quoque, si qui eius gentis alijs de causis non potuerunt ad sacrum id occurrere. Fuit autẽ hæc oraculi sententia. Luctus in cognatorum obitu dolor necessarius non imputatur pro peccato. Attamẽ ad certum tempus à templo arceantur lugentes, quo nõ patet aditus nisi immunibus ab omni inquinamento tum fortuito tum uoluntario. post terminũ luctus pro se quisque sacrificet, ne uiui habeãtur pro mortuis. cũ igitur sint posteriores, postero mense die quartadecima sacrificẽt ritu quo priores, & eodẽ modo absumant hostiã. idem ius esto his qui nõ ob luctũ sed longinquæ peregrinationis ergò cum cæteris suæ gentis hominibus non sacrificauerunt. nam ne eorũ quidẽ qui aut in longinquis terris habitant, aut longius peregrinantur, ullum est peccatum, cur priuari debeant honore communi cum cæteris, præsertim cum una regio gentem tam populosam non capiat, missis in multa loca colonijs. Hactenus de his qui ob aliquem casum à celebrando cum cæteris pascate prohibiti, uel seri us officium necessariũ faciunt, nunc transeo ad postremã legem de successione hæreditaria, è percõtatione responsioneque mixtã similiter. Erat quidã nomine Salpaath, uir probus, è tribu non obscura natus. is quinque deterioris sexus liberos genuit, nullam uero prolem masculã. puellæ post obitum patris ueritę ne paterno agello exciderẽt, quia maribus agri diuisi fuerant, reuerenter adierunt principem, non tam de possessione solicitę, quam nomen dignitatemque sui patris conseruare cupientes. hæ sic locutę sunt: Pater noster obijt, nõ seditione absumptus ut multi alij, sed fato raptus cum priuatam uitã ageret procul negotijs. nulla ipsius culpa factũ est quod caruit mascula sobole. adsumus igitur pupillæ ut uidetur, re uera tamẽ te loco parẽtis habituræ. nã legitimus princeps nõ minus quam pater curat subditos. Ille miratus prudentiã uirginum, & pietatẽ erga parentem, suspendit sententiam respectu legis quę solis uiris agros diuidit, pręmiũ laborũ militarium. nam mulieribus cum natura immunitatẽ ab his tribuat, non admittit eas ad pręmia. Ergo hanc quoque causam ut ambiguam ad deum retulit, quem sciebat solum ueracibus incorruptisque iudicijs etiã in paruis controuersijs ostendere suam ueritatem & iusticiam. Tum ille rerum conditor, mundi

pater,terræ,cœlo,mari,aeri,rebusq; in his cõtentis imperans,princeps deorum & hominũ, non est dedignatus respondere puellis patre orbatis. Respondens aũt plus quàm iudicis officio functus est ille clemẽtissimus cuncta replens sua beneficẽtia. Laudauit eñ uirgines. ô domine, te uero quis satis laudauerit? quo ore? qua lingua? quibus uocis instrumẽtis? qua mente aut animà? stellæ si in unum chorum conuenirent, possent ne tuas laudes pro merito canere? totum cælum si in uocem abeat, poterit ne uel partem tuarum uirtutum edisserere? Æquum postulant, inquit, filiæ Salpaath. Hæc laus quanta sit deo testante, quis non uidet? Adeste nunc uos arrogantes, quos inflat felicitas, qui ceruicem supra naturam attollitis, & adducitis supercilia, qui mulierum uiduitatẽ ridẽtis miseram, & pupillorum orbitatem miseriorẽ etiam existimatis. uidete quòd hi uestra opinione infelices & humiles non postremo loco habentur apud deum, cuius imperij uilissimæ partes sunt regna ista passim per orbẽ dispersa: quãdoquidẽ totus terræ ambitus est diuini operis extremitas. considerate inq; hæc, & doctrinã necessariã accipite. At Moses laudata postulatione uirginum, ne has quidẽ inhonoratas reliquit, nec tamen æquauit uiris bellatoribus: sed his agros debita ob uirtutẽ præmia reddidit: puellis uero gratiã nõ præmium. quod etiam uerbis declarauit manifestissime, donũ hanc rem appellans non retributionẽ: quorum alterum est debitum, alterum gratificatio. Ceterum ubi uirginib. pupillis satisfactũ est ex oraculo, addidit princeps generalem legem de hæreditatibus, primùm filios heredes paternorũ bonorum instituens, deinde filias si desint filij: quas uult hereditatem habere, ut ornamentũ externum, non ut possessionem propriam. Aliud est enim quod ut proprium attribuitur, aliud quod tantum ad ornamentũ absq; iure proprietatis conceditur. Post filias tertio loco fratres ad hæreditatẽ uocat, quarto patruos, subindicans etiam patres fieri posse hæredes filiorum. Stultum enim foret credere, patruo concedi hæreditatem fratris filij ut patris cognato, ipsi uero patri eam auferri. Verùm quia lex naturæ iubet filios parentibus hæredes succedere, non parentes filijs, hoc ut ominosum & pijs uotis contrariũ tacuit: ne pater materq; uiderentur lucrari ex immaturis filiorũ mortibus & luctu inconsolabili, obliquè tamẽ ipsos uocauit ad ius quod permittit patruis, ut & decorũ seruaretur, & bona manerẽt in familia. post patruos quintus locus est cognatorum, ut quisque est sanguine proximus. His nõ temere dictis de hæreditatis iure promiscuo, nũc subiungã oracula per ipsum prophetã numine correptũ edita, sicut iam ante sum pollicitus. Cœpit aũt tunc primũ inspirari cælitus, cum tota gẽs spem melioris fortunæ cõcepit, de cõmuni cõsensu multis milibus ex Aegypto in Syriam in nouas colonias demigrãtibus. Viri enim pariter ac mulieres per inuias uastasq; solitudines peruenerãnt ad mare quod rubrũ dicitur. ibi hærebant inopes consilij, cum nec naues præsto essent ad traiectũ, nec tutum uideretur reuerti per eandẽ uiam. in hoc rerum statu maior mali uis incubuit. nam rex Aegypti cum haud contẽnendis copijs equestribus pedestribusq; persequebatur, ut animaduerteret in retractos è profectione, quã prodigijs manifestis territus permiserat. Sed satis apparuit nihil esse

in scε-

in ſceleratis hominibus conſtantiæ,uelut in bilance leui momēto in diuerſum proclinātibus.Sic intercepti inter mare & hoſtes de ſalute deſperauerant,alij necem miſerabilem expectantes ut finem malorum, alij cenſentes ſatius elemento naturæ ſe committere,& in mare ſe proijcere,quàm perferre hoſtiū inſultationes atq; ludibria.iamq; grauati ſarcinis ſtabant in littore,ut quàm primum uiderent hoſtem accurrere, deſiliētes mergerētur facilius:ac ne mortem quidē expedire poterant. At propheta uidens uniuerſum populū præ metu interclusum nō aliter quàm piſces cinctos retibus, extra ſe raptus repletusq; numine hoc oraculum edidit.Nō ſine cauſa trepidatis inſtāte tanto periculo,à frōte mari uaſti clauſi carente nauigijs quæ fugam poſſent adiuuare, à tergo uero proximi hoſtibus denſo agmine urgentibus.Quò te uertas? quò deflectas? ex improuiſo infeſtāt nos omnia, terra,mare,homines,elementa naturæ. Eſtote tamen bono animo, nolite deficere,ſtate imperterriti, expectate diuinitus inuictum auxilium, quod iamiam ultro aderit,protecturum uos inuiſibiliter. Experti eſtis & antea ſæpe opem eius præſentaneam,quam nunc quoq; uenire uideo, laqueos iniecturam aduerſariorum ceruicibus.Hæc eos in mare protrudit,illi more plumbi ad fundum feruntur præcipites.Vobis uidentur adhuc uiuere, ego mortuos uideo : quod ſpectaculum uobis quoque continget hodie. Hæc ille cecinit præter ſpem omnium: moxq; euentus fidem adſtruxit oraculo.Deus enim potentia ſua prædictionem ratam habuit, uix credibili & fabulis ſimili prodigio.Mare diruptum eſt,aquæ ſeceſſerunt, conſtiteruntque in abrupto utrinq; latere quaſi muri firmiſsimi. in medio rectam uiam aperuit diuina magnificentia, diuidentem undas ad præbendum inter ceu congelatas, tota gente ſecure mare traijciente pedibus, tanquā per ſiccam ſemitam, aut pauimentum conſtratum ſilice. indurauerat enim ſabulum, concretum è ſuis minutijs. huc acceſsit impetus hoſtium ſe inuehentium & in ſuam ruentium perniciem : nubis extremum agmen protegentis ſubſidium, emicante inde ignea numinis effigie : maris paulo ante ſciſsi refluxus, uiæ ſiccatæ repentina inundatio, hoſtium internecio, & à parietibus illis qui ex aquis conſtiterant oppreſsio, fluctibus in uiam tanquam in uallem confluentibus : & inſuper cladis oſtentatio fluitantibus cadaueribus quæ totam maris ſuperficiem texerant : poſtremo tempeſtas procelloſa quæ in litus aduerſum eiecit enectorum cumulos, quo magis ſeruati ſalutem ſuam agnoſcerent, nō ſolum euadendo pericula, uerum etiam ſpectando inimicos deletos ope diuina ſine humanis uiribus. quāob rem propheta mentis hymnis celebrauit autorem tanti beneficij. diſtributa enim tota gente in duos choros, alterum uirorum, alterum mulierū, ipſe uiris carmen præiuit, ſororem dedit præcentricem fœminis, ut hymnos in parentem conditoremq; alternis canerent uerſibus,non diſcrepante à moribus carmine,dum certatim canunt ſuis uicibus,& carmen miſcetur,è ſonis acutis atq; grauibus.nam uirorum uoces graues ſunt,acutę mulierum, unde temperamentum fit commenſuratæ ſuauiterq; coaptatę melodiæ.Vt autem tot milia hymnum eundem ore uno concinerent, in cauſa fuerunt illa prodigioſa miracula,de quibus paulo ante mentionem fecimus.

mus.propter quæ propheta gaudens unà cum gaudente populo,& lætici am intra se non cōtinens, exorsus est canticū.id populus audiens, in duos choros secessit,& canentem imitatus est.Hoc fuit prophetię Mosis princi pium et quasi procœmium.Secundū eius oraculum fuit de cibo re cum pri mis necessaria:quem terra negante utpote sterili,cælum depluit:idꝗ; non semel,sed per annos quadraginta,quotidie sub auroram decidēte ex ęthe re cum rore quadā milij similitudine. Quo cibo uiso Moses iussit collige re sic diuinitus præmonitos.Credendum est & fidendū deo.cuius experti sumus tot spe maiora beneficia.nemo hūc cibū reponat recōdat'ue.nemo quicquam ex eo relinquat in crastinum. His auditis quidā nondum in pie tate confirmati,rati fortasse hanc adhortationē principis magis ꝗ̃ oraculum, in crastinum partem seruauerūt.ea putrefacta primùm tota castra fœtore cōpleuit,deinde amplius corrupta, protulit uermiculos.quod ubi uidit Moses non immerito in contumaces excanduit.Qui enim nō irasci poterat,animaduertens post tot prodigia iuxta humanā rationem uix credibilia,tam facile perpetrata diuinitus, esse qui non modo dubitēt de diuina prouidentia,uerū etiam nullam prorsus fiduciā in ea collocent. Cæterum pater omnipotens duobus euidentissimis argumentis commendauit pro phetæ uaticinium:altero confestim per corruptionem fœtoreꝗ; reliquiarū & mutationē in uermes animal uilissimū:altero uero paulo post. Semper ēm quicquid supererat post collecta populariter, radijs solarib. liquefactū dissoluebatur absumebaturꝗ;. Nec ita multo post prodidit aliud oraculū de sacrosancto sabbato.cum ēm is dies haberet à natura priuilegiū, nō solūm ex quo mundi natalis factus est,uerū etiam ante creatū mundū sensibilē,nesciebant hoc homines,fortasse propter multas clades acceptas diluuijs & incēdijs interrupta memoria per manus à maiorib. tradi solita. eam rem iam obscuratā ille declarauit oraculo,mox euidēti prodigio com probatam in hunc modū. præcedentibus diebus depluerat minus alimen torū,deinde duplū una die:et quod prioribus supererat, liquescebat in hu morē inutilē:tunc uero incorruptū permanebat. His nunciatis simulꝗ; cō spectis Moses stupefactus, nō tā cōiecturis ꝗ̃ diuino monitu edoctus est de sabbato,quamuis etiā coniecturæ tales cognationē quandā habent cū prophetia.mens ēm nunꝗ; tam bene coniJceret,nisi deduceretur ad ueritatē diuino spiritu.id miraculū eo fuit euidētius,ꝙ præter duplicatā cibi mē suram, & eius incorruptionē insolitā, utrūꝗ; hoc incidebat in diem sextū ab eo quo primum pluere cœperat, uidelicet in proximū à mox secuturo septimo.ex qua supputatione deprehēditur, seruatū esse in mundi creatio ne & in cælesti demenso eundem ordinē. nam & hoc & illa incepit à primo è sex profestis diebus. est aūt utrumꝗ; opus alteri simile. Sicut enim mundus è nihilo creatus et absolutus est:sic elementis præsenti necessitati seruientibus, aer in terræ uicem succedēs alimēta nullo labore quęsita copiose suggessit hominibus nō ualentibus parare sibi uictum in solitudine. tunc tertium oraculū uates protulit mirificum, quando prædixit cælestis cibi pluuiam cessaturā die septimo,ac ne micā quidem casuram eo tempore:nec aliter euenit.cum ēm postridie quàm præmoniti fuerant, quidam è

mobili

mobili uulgo ad colligendum extra castra prodissent, reuersi sunt uacui, damnantes suam incredulitatem, prophetam autem prędicantes ueracem, diuinum, & solum futuri pręsciũ. Hæc sunt quę de cęlesti cõmeatu pręmonuit ipse dei spiritu monitus. Quæ autem prodidit postea, ad pręcepta magis pertinere uidentur q̃ ad oracula, & in his unũ de maximo delicto gentis in religione patria, sicut ante diximus, quãdo fabrefacto iuuenco ad exemplar typhi Ægyptiaci, choreas agitabant, exstructisq́ aris mactabãt uictimas, obliti ueri numinis & pietatis acceptæ à maioribus, & non mediocribus incrementis auctæ usq; ad illa tẽpora. Id uero Moses tulit indignissime: primùm repente cæcatũ esse totum populum, qui paulo ante perspicacior sapientiorq́ fuerat omnibus alijs gentibus: deinde uanissimã fabulam potuisse tantã lucem ueritatis extinguere, quæ nec solis nec uniuersorum siderũ obscurari potest deliquio. Contenta est enim proprio splendore intelligibili & incorporeo, ad quẽ collatus iste sensibilis, perinde superatur ac nox cum die cõposita. Has ob causas propheta iam multum sui dissimilis cursu prorumpit in medium, & uultu mẽteq́ numen præferens exclamat: Quis est ab errore liber? quis à profanis sacris abstinuit? accedat ad me quisquis talis est. Cumq́ una tribus se adiunxisset nõ minus animo q̃ corpore, iam ante animata in impiorum scelestorumq́ perniciem, sed ducẽ imperatoremq́ requirens, qui legitimè tempus modumq́ ultionis pręscriberet: horum promptã fidelemq́ operam libenter accipiens: agite, inquit, arripite gladios, & discurrẽtes per castra pro se quisq; occidite nõ solum alienos, uerum etiã familiaritate cognationeq́ proximos nullo respectu affectuũ: existimateq́ hoc facinus sanctissimũ quo uindicatur pietas et religio, deo fauente harũ propugnatoribus. Hac exhortatione factũ est ut primo impetu cæsa sint uirorũ tria milia, qui autores impietatis præcipui fuerãt: atq; ita nõ solũ depulsa est suspicio cõmunicatæ culpæ ab innoxijs, uerũ etiã rei fortiter gestæ retulerũt merita præmia, aucti honore sacerdotij qui religionis iniuriam ulti fuerãt. Est & aliud eius oraculũ cõiunctum cum maiore prodigio, cuius supra mentionẽ feci de pontificatu prophetę differens: id quoq; prolatum ex afflatu numinis, sine dilatione euẽtus consecutus est. Templi ministrorũ duo sunt ordines, sacerdotum potior, æditiuorum inferior. erant illo tempore tres sacerdotes, æditiuorũ multa milia. Hi freti suorum multitudine paucitatem sacerdotum cõtemnebant peccato non simplici, dum & maioribus adimunt honorẽ debitum, & minores ultra modum extollunt, sicut fit insurgentib. contra suos præfectos subditis, turbatoq́ ordine publico. Deinde cœtus faciẽdo clamabãt in prophetam, q̃ propter domesticã necessitudinem fratri eiusq́ filijs donasset sacerdotium cõficto oraculo, ut uideretur id ex autoritate dei facere. Quam obrem exasperatus alioqui uir ingenij mitissimi, non tulit tam insignẽ iniuriam simul & maliciam, petijtq́ à Deo ut auersaretur illorum sacrificia: non quòd periculum esset ne iustissimus iudex sacra impiorum acciperet, sed quia hic est peculiaris affectus Deo chari animi, aduersari propalã nefarijs conatibus. Nec dum iusta indignatio furor'que deferbuerat, cum numine afflatus insuper hoc edidit uaticinium: Graue malum est incredulitas,

dulitas,sed solis perniciosum incredulis.Hi factis nõ dictis castigãdi sunt. Pœna docebit eos me non mentiri,quando scire nolũt quod sciunt.Mors decernet de hac controuersia.Si naturali morte decedẽt, fictum est meum oraculum. Quod si nouo inusitatoq́ lethi genere absumentur, testata erit mea ueracitas. Video terram uasto specu dehiscere, absorberi numerosas cognationes unà cum suis tarbernaculis,uiuos homines ad inferos descendere. Vix hæc effatus erat cum terra concussa rumpitur eo potissimum loco ubi tendebant impij: momentoq́ temporis uniuersos operit. Rursum enim hiatus coiuit,uelut suo defunctus officio. Nec ita multo post seditiosi ducenti quinquaginta qui præcipui tumultus autores fuerant, repente de cælo tacti unà conflagrauerunt, ne minimo quidem membro relicto quod sepulchris posset inferri. Atque ita horrendis pœnis cumulatis alijs super alias magnopere illustrata est prophetæ pietas, Deo testimonium præbente ueritati oraculorum. Vbi operæpretium est considerare quomodo cælum terra'que pœnas exegerunt ab impijs hominibus, ceu diuisis munijs inter primarias mundi partes, unde cæteræ sumpserunt originem. Nimirum quia scelesti maliciam suam radicatã in terra, in tantam altitudinem extulerunt extenderunt'que,ut cælum attingeret, ideo terra simul & æther in eos sæuijt. Altera diducens se, ut absorberet inutilia pondera,alter exurens eos fulminibus, imbris in morem densis & crebro micantibus. Finis autem & absorptorum & exustorum idem fuit. Nam utriq́ disparuerunt,alteri operti solo restituto in pristinam planiciem,alteri absumpti fulmineis ignibus. Postremo migraturus ad superos, & exuta mortalitate ad immortalitatem transferendus,uocante patre ut eum è duplici corporis animæq́ natura tranformaret in simplicem, iam tum prope totus uersus in animum & quidem illustratissimum,repletus diuino spiritu,non solum in uniuersum gentem suam præmonuit,uerumetiam singulis tribubus suos casus futuros aperuit:quorum pars iam euenit,reliquum adhuc expectatur, ea fide repræsentandum olim, quam experti sumus in præteritis oraculorum euentibus.Postulabat enim rei dignitas, ut quorũ tam diuersa fuit origo, præsertim materno genere, hi secuturi diuersa studia consiliaq́, haberent etiam sua fata præsignata oraculis. Miranda sunt hæc, sed magis etiam mirari conuenit finem sacrorum quæ reliquit uoluminum,quæ sunt ceu caput iuris totius. iam enim assumendus, & in ipsis stans carceribus unde ad cælestem metam erat euolaturus, tunc quoq́ afflatus diuinitus,uiuens adhuc prophetauit de seipso tanquam mortuo, ante obitum narrans se mortuum sepultumq́ inspectante nemine, uidelicet manibus non mortalium, sed uirtutum immortalium, ne maiorum quidẽ monumentis illatum: quippe cui monumentum contigit eximium, haud cuiquam notum homini. Luxit eum uniuersa gens lachrymis diffluẽs per mensem integrum, accedentibus ad publicum luctum priuatis affectibus, quandoquidem erat inenarrabilis eius prouidentia beneuolentia'que erga uniuersos ac singulos. Huiusmodi fuit uita obitus'que Mosis,regis,legislatoris,uatis & pontificis,sicut sacris literis proditur.

PHILO-

PHILONIS IVDAEI
DE CHARITATE.



NVNC germana gemellaq; soror pietatis charitas cõsideranda est, adamata legislatori nostro, quantum uix ulli alteri. Cum enim sciret hanc esse publicam uiam ad sanctitatem tendentium, omnibus suis subditis societatem benignitatemq; commendauit, suam uitam imitandam proponens, tanquam pictam in tabula. Quicquid igitur à prima ætate usq; extremam senectutem priuatim publiceq; gessit ad utilitatem suorum hominum, supra dictum est in commentarijs, quos de uita Mosis inscripsimus: adijciemus tamen unum alterum'ue factum eius memorabile, iam propinqui uitæ termino. Erunt enim indicia honestatis illius bonitatisq; perpetuæ, quam sanctissimę animæ deus ipse impresserat. Nam cum mortalis huius uitæ finis instaret, oraculo aperto de hoc pręmonitus, nullum uel regem uel priuatum imitatus est, quorum unicum uotum habetur ac studiũ, hęredes liberos relinquere: sed quamuis pater esset duorũ filiorũ, neutrũ successorẽ sibi optauit, uictor affectuũ erga cognatos ac domesticos. & poterat, si filios suspicabatur parum idoneos, certe fratris filios extollere iam uirtute meritos sacerdotium. sed fortasse aut non placebat eos à diuinis rebus distrahi: aut potius cogitabat, impossibile esse eundem hominem recte curare simul regnũ & sacerdotium, quandoquidem alterum religionis alterum subditorum curam profitetur. aut fortasse non putauit rem tam magnam pertinere ad suum iudicium: maluitq; iudicandam deo committere, qui pro sua potentia perspicit etiam intima pectorũ. Hæc uera esse uel hinc colligitur. Erat ei amicus & familiaris pene à puero Iesus nomine, non uulgaribus cõciliatus artibus, sed amore integro cælestiq;, ex quo omnes uirtutes proueniunt. is etiam conuictor contubernalisq; prophetæ fuit, nisi si quãdo ille secessum quæsiuit propter diuina colloquia. idem administrationis reip. particeps, & tantum non principis uicarius, multa pro potestate solitus erat gerere. Attamẽ quamuis sciret hũc esse diu spectatæ probitatis hominem, dictis factisq; honestatem eius expertus, & quę maxime requirebatur, beneuolentiam erga populum, ne sic quidem ausus est ei principatum committere, ne forte opinione falleretur, nõ satis fidens humano iudicio. itaq; ne sibijpsi quidem credens, supplex inuocauit deum qui solus inuisibilem animam introspicit & mentium arcana penetrat, ut ex optimatibus eligeret unum aliquem idoneũ principẽ qui paternam curam subditorũ gereret: sublatisq; ad cælum puris & uirgineæ (ut ita loquar) castitatis manibus, sic precatus est: Dispiciat dominus deus spirituũ & uniuersæ carnis de homine qui plebem hãc curet pascatq; sine crimine, ne corrumpatur sicut grex dispersus carẽs magistri cura & diligentia. Quis nõ miretur has preces, dicatq;: Here quid ais? Itane tibi fra-

triq́ desunt germani filij, successores à natura dati: aut his aut illis principatum relinquito. Quod si neutros existimas idoneos, & potior est tibi reipublicæ quàm necessitudinis domesticę ratio, habes certe amicum irreprehensibilem ac probatæ uirtutis uel tuo iudicio sapientissimo. Quin igitur hunc, si probitas non genus spectatur, eligis? Verùm respondebit: cum in omnibus rebus non esse præcipitādum iudicium, tum in his potissimum, quæ recte aut secus administratæ, plurimis felicitatem aut calamitatem afferunt. Nihil autem principatu maius, cui belli pacisq́ arbitrium committitur à ciuibus. Quemadmodum enim ad prosperam nauigationem opus est bono peritoq́ gubernatore, sic etiam sapiente principe ad tuendā tranquillitatem bene constitutæ reipublicæ. Cæterum de sapientia, quæ non me tantum, sed & toto mundo est antiquior, nō est fas quenquam iudicare, nisi deum, aut aliquem sincerum, purum germanumq́ amatorem ipsius sapientiæ. Etiam ante exēplo meo didici, ne alijs quidem utcunq́ idoneis in speciem, principatum decernere. Nam reipublicæ curam inuitus suscepi, non humanis suffragijs princeps designatus, sed manifestis oraculis, diuina uoce iubente, quantumlibet deprecarer molem rerum ueritus, donec iterum atq́ iterum iubenti parere metu coactus sum. An non igitur absurdum fuerit, nunc non per eadem incedere uestigia: & cum ipse noluerim principatum nisi ex dei sententia sumere, nunc arbitratu meo successorem eligere, ne hominum quidē expectatis suffragijs? præsertim cū agatur de regimine gentis nō uulgaris, sed primū populosissimæ omniū quotquot usquā sunt, deinde professæ rem maximā, cultum eius Qui est, patris cōditorisq́ rerū omniū. quicquid enim alijs cōtingit ex optimę cuiusq́ philosophiæ studio, id Iudæis ex suis legib. ac morib. uidelicet summi dei noticia, repudiato errore deorū ex creaturis cōsecratorū. nullus enim creatus uerè deus est, quantūuis habeatur pro deo, cū æternitate, sine qua nō est numē, careat. Hoc unū euidēs argumentū est eximiæ erga suā gentē caritatis atq́ fidei: alterū aūt priore nō inferius. Postq́ eñ optimus eius discipulus imitatorq́ Iesus propter mores amabiles princeps à deo cōfirmatus fuit, Moses haudquaq́ tristis ob fratrē filiosq́ præteritos, sed plenus inenarrabili gaudio, quòd prospectum esset gēti de rectore modis omnib. incōparabili (id enim indubitatū erat de eo qui deo placuerat) apprehēsa eius dextra produxit eum ad concionem, nihil de imminēte obitu suo solicitus: sed ad familiarem sibi hilaritatem accedente recenti lætitia, alacriter affatus est populum his uerbis: Mihi iam instat tempus discedēdi ex hac uita corporea: succedet autem in meam curam hic electus à Deo. simulq́ protulit oraculum, cui mox creditum est. Tum ad Iesum uersus, hortatur ut rem gerat strenuè: utq́ bene consulat reipublicæ, ac constanter in bene consultis perseueret. Quamuis autem non erat opus hac adhortatione, tamen non potuit se continere, quin amicum admoneret officij, & tum quoque proferret affectum charitatis erga populum, cui tam diu præfuerat. Nec omnino fuit superuacua monitio, ne fortasse ille grauaretur subire tantum oneris: utq́ exemplum atque regula proderetur cæteris, communicandi bona consilia cum suis successoribus, & instruendi eos præceptis optimis. Potest
enim

enim boni uiri hortatus cõfirmare labantem animum,& excitare ne terrea tur rerum temporumq́; difficultatibus. Itaq; admonitis & subditis & suc cessore principe, cœpit Deo hymnum canere, extremam ei reddens gratia rum actionem, quòd à natiuitate usq; senectutem miris & continuis se pro sequutus sit beneficijs: uocatisq́; in auditorium elementis totius mũdi prę cipuis, terra cęloq́;, quorũ alterũ mortaliũ domus est, alterũ immortalium, carmen cecinit aptissimum auribus angelorum & hominum: horum ut tã quam à magistro similiter gratias agere discerent: illorum, ut adessent tan quam spectatores ostentantis musicam animæ in corpore mortali certan tis cum cælestibus harmonijs siderum, ipsum Deum conditorem auto remq́; habentibus. Sic ille uates iam insertus quodammodo choreis æthe reis hymnum & gratiarum actionem temperauit admixtis charitatis erga suam gentem affectibus, dum arguit peccata uetera, & in præsens præce ptis eam instruit, in futurum quoq; spem bonam proponit, non frustratu ram pios conatus. Absoluta deinde melodia, è sanctitate charitateq; quo dammodo contexta, cœpit paulatim è mortali uita in immortalem muta ri, sentireq; separationem rerum ex quibus concretus fuerat, corpore in te stæ morem discedente nudanteq; animam, hac uero auide migrante ad de stinatam sibi à natura regionem. Deinde ubi uisus est satis paratus ad exi tum, non prius gentem suam misit in coloniam, quàm singulas eius tribus, numero duodecim honoraret faustis imprecationibus, nominatim citatas phylarchorum suorum uocabulis: quas quidem preces ratas fore creden dum est: quandoquidem & ipsæ ab amico dei profusæ sunt, & deus ama re humanum genus nunquam desinit, tum hi pro quibus uota facta sunt, bono genere, & à laudatis maioribus oriundi censentur in ordine eximio sub imperatore illo patre conditoreq; rerum omnium. Precatus est autem eis uera bona, non tam huic mortali uitæ profutura, quàm animæ olim cũ exoluta fuerit corporeis uinculis. Solus enim Moses, ut apparet, habita magis ratione cognationis cælestis quàm istius uulgaris, totam gentem suam hæredem omnium bonorum quorum natura humana capax est, in stituit: de suo dans, quæ ipse habebat: quæ non habebat à deo impetrans: cuius gratiarum perennes fontes sciebat patere, non tamen omnibus, sed solis supplicibus. sunt autem supplices qui honestatem amant, quibus siti entibus fas est haurire è sacris fontibus sapientiæ. Hæc sunt argumenta ña tiuæ charitatis, quæ de legislatore nostro produntur sacris uoluminibus: dicemus & quæ mandauit posteris, si non omnia (id enim difficile fuerit) certe præcipua, quæ maxime uoluntatem eius exprimũt. æquitatem enim ac mansuetudinem non intra solam hominum societatem statuit, sed beni gne impartiens extendit etiam ad brutas naturas animalium, ne arbores quidem excludens, præsertim mites ac frugiferas. leges autem huc pertinẽ tes libet recensere, incipiendo ab hominibus. Vetat igitur fratri fœnerari, fratrem nominans non solum ex eisdem natum parentibus, uerumetiam quemcunque ciuem tribulem'ue, iniquum ducens colligere fœnus è pecu nijs, tanquàm fœturam è pecoribus. non uult tamen ut ideo tergiuerse mur segniores ad beneficentiam, sed largis manibus mente'que donemus

gratis indigentibus, cogitantes etiam gratiam esse genus fœnoris, ultro ad nos redituri feliciore accipientis tēpore. Quod si quis nolit donare, saltem mutuetur alacriter, nihil præter capitalem summā recepturus. sic enim nec pauperes redigentur ad extremam inopiam, coacti plura quàm acceperūt reddere: nec creditoribus quicquā decedet de rebus pretiosissimis, bonitate, magnanimitate, existimatione optima. nam ne cum una quidem uirtute uniuersæ Persicæ gazæ conferendæ sunt. illæ exanimes opes abduntur in terræ finibus, hæc autem in principali parte animæ. Virtutē enim sibi usurpat cælum portio mundi purissima, ipseq́ deus conditor rerum omnium. Contemplari libet istos sordidos & ne obolares quidē minutias spernētes usurarios, in magnis diuitijs inopes, quos bene numatos reges diceres, cū ne in somnis quidē unq́ diuitias, præter suas cæcas, uiderint. hi miserrimi omniū, quasi pecunia careāt, cibos mutuantur ut recipiāt cum fœnore: isti quomodo egeno stipem offerēt, cum in prouentu felici famem inuehant, reditus sibi parantes ex miserorum hominum uentribus, sic appendendo frumentū ne prægrauet. Necesse igitur habuit è sua repub. hoc genus quæstus eijcere. sunt enim seruilis & illiberalis animæ talia studia, degenerātis in ferinam immanitatē. Illud quoq́ præceptum ad charitatis officia refertur, mercedem eadem die reddi pauperi: non ob id solum quia æquum est post exhibitam operam repræsentari pecuniam absq́ dilatione: sed etiam quia (ut quidam docēt) opifex aut baiulus, qui sibi uictum parat quotidie, toto corpore laborans more iumenti, spem omnem in mercede collocat: quam si mox referat, & in præsens gaudet, & in crastinū redit ad opus alacrior: quod si non referat, dolebit, atq́ insuper lassus præ tristitia, solito labori non sufficiet. Præterea uetat ne creditor intret debitoris domum ut uiolenter aurum aut pignus capiat: sed iubet eum ante ianuam expectare dum ultro proferantur. Debitorem autem uult non tergiuersari: quandoquidem decet ut alter non abutatur suis opibus ad insolentiam: alter uero pignus exhibeat per quod moneatur debitū reddere. Iam præceptū de messoribus cui non probetur? uetat enim colligi spicas prolapsas è manipulis, uetat & totam segetem demeti, ut agelli pars à falce relinquatur intacta: simul diuitibus consulens, ut assuescant sua communicare liberaliter, nō omnia congerendo in penuaria: simul pauperibus afferens solatium. Quoniā enim carent proprijs possessionibus, permittit eis ire in agros tribulium, & reliquias tanquam suas demetere. Similiter uindemiæ tempore præcipit ne colligantur decidentes acini, ne'ue fiat racematio: idem mandat & oliuatoribus, tanquam pater amantissimus, qui uidens non omnes pariter fortunatos filios, sed alios locupletes, alios inopes, hos miseratus uocat in fratrum possessiones ut alienis utantur pro suis, non impudenter, sed quantum necessitas postulat, atq́ ita fiant non fructuum tantum, uerùm & agrorum quodammodo participes. Sunt autem quidam in tantum sordidi, pecunijs dediti, auaritia perditi, & undecunque lucra captantes, ut uindemiā oliuationemq́ iterent, & hordei triticiq́ spicilegium faciant, detegentes suam seruilem ac illiberalem pusillanimitatem, simul'que impietatem erga largitorem tot rerum ad agriculturam necessariarum & ad prouentus fru-

ctuum,

ctuum,ut sunt mutationes temporũ,pluuiæ,temperies aeris,incrementa fa
torum, rores magni & continui, auræ uitales, conseruationes ab iniurijs
temporũ,ne æstus frigus'ue adurat,ne uerna uel autũmnali tempestate læ-
dantur segetes fœtus'ue arborei.hæc opera naturę illi cum uideant, eiusq́
largissimas gratias,tamen audent sibi usurpare eius beneficia: & quasi sint
ipsi autores rerum omnium,inhumanitatẽ coniungunt cum impietate ma
xima.Hi quoniam sponte uirtutem non complectuntur,inuitos admonet
castigatq́ sacris legibus,quas uir probus ultro sequatur, malus uero con-
temnere non audeat.Eædem leges iubent decimas frumenti,uini,olei, pe-
corum,lanarum decidi sacerdotibus primitiarum nomine:de cæteris quo
que fructibus arborũ pro quantitate fundorum plenos canistros eis com-
portari,cantãdo carmẽ obiter in laudẽ cælestis numinis,cuius formula ex-
tat in sacris uoluminibus.Ad hæc boum,ouium,caprarumq́ primogeni-
ta, non annumerãda proprijs gregibus: sed horũ quoq; sacrandas primi-
tias:ut inuitati ad religionem moderandumq́ lucri studiũ,pietate charita-
teq́ ornentur duabus uirtutibus principalibus.Est & alia lex:Si uideris iu
mentum alicuius familiaris aut amici aut utiq; noti hominis,errans in soli-
tudine,reduc ad eum.Quod si lõge absit eius dominus, adserua cum tuis,
donec ille ueniens suũ recipiat,quod nõ deposuit,sed quod inuentũ ultro
reddis propter naturalem societatem hominũ. Quid lex de anno septimo,
quo cessat agricultura,&pauperibus licet è diuitum agris fructus spõte na
tos ceu naturæ donum secure tollere,an'non plena humanitatis est? Sexen
nio,inquit,fruantur coloni suis possessionibus & laboribus: septimus an-
nus sit eorum qui carent prædijs ac pecunijs, quo etiã terræ cõceditur im-
munitas.absurdum enim esset aliorum labores prodesse alijs.nunc posses-
sionibus quodam modo uacuis & intactis ab agricolarum opera, tota gra
tia soli deo debetur,omnibus egentibus exposita. Quid item illa de anno
quinquagesimo,non'ne quamuis aliã caritatis speciem superat? ita profe-
cto,id quod nemo negauerit,qui has leges non degustauit modo,sed lau-
tius in eis epulatus est,expletus delicijs suauissimis.sunt enim tunc eadem
quæ anno septimo,& accedunt alia maiora, scilicet in pristinas possessio-
nes restitutio, ex quibus aliquis propter temporum difficultates excide-
rat.non permittit enim possessionẽ alienorum bonorum, occludens aditũ
auariciæ,ut cohibeat insidiatricem fontemq́ omnium malorum concupis
centiam:nec censet æquum ut coloni suis agris priuentur in perpetuũ, &
paupertatis pœnas dent,miserandi potius q̃ puniendi. Sunt & aliæ leges
particulares plurimę,docentes amorem tribulium:de quibus quoniam in
superioribus libris feci mentionem, satis puto hæc nunc retulisse ceu cæte
rarum specimen.Postq̃ autem suis bene prospexit, etiam aduenas digna-
tus est multis priuilegijs: qui deserta cognatione patriaq́ & maiorum in-
stitutis ac ceremonijs delubrisq́ demigrarũt in optimam coloniam, trans
lati à fabulis ad ueritatem & cultum unius ueri numinis.hos aduenas dili-
genter commendat suis gentilibus,non solum ut amicos iam cognatosq́,
uerumetiam ut unius fortunæ participes tum animo,tum corpore, & ad-
uersitatũ æque ac prosperitatũ socios,ceu mẽbra unius corporis,cõcilian-
 te cun-

te cunctos mutua beneuolentia. proinde non est quod dicā de cibo, potu, uestitu alijsq; ad uictū necessarijs, quæ lex indigenas iubet præbere aduenis: hæc enim ultro cōtingunt apud eos qui aduenas nō minus q̄ seipsos diligūt. Quin & ad inquilinos extendit naturalia caritatis officia: iubēs ut qui ad tempus demigrāt aliò, honorē omnē habeant his à quibus excipiūtur hospitaliter atq; comiter: quod si nihil præter hospitiū accipiāt, honorem quoq; mediocrē ab eis exigit. nā hoc ipsum, habere in aliena ciuitate receptaculū, & nō arceri ab eius aditu, gratiā existimat nō aspernandā his qui domi habitare in patria nequeūt. Et ut uideas extremā æquitatis lineā, uult aboleri memoriā iniuriarū illatarū à ueterib. hospitibus: ut magis nomē ad caritatē faciens ualeat q̄ respectus malæ tractationis. proinde diserte interdicit: Non prosequeris Aegyptiū odio. atqui nullā iniuriam Aegyptij ab hac gente abstinuerant, nouas semper crudelitatis species addentes prioribus: attamē q̄m ab initio nō excluserūt eam à suis ciuitatibus, nec arcuerunt à finibus, ob eam rem, inquit, habeāt priuilegiū & ius amicitiæ. Et si forte aliqui uoluerint transire ad Iudæorū instituta, nō sunt hostiliter eliminandi tanq̄ inimicorū posteri, sed hac conditione admittendi, ut tertia generatione uocentur in ecclesiā audituri diuina eloquia eodem iure quo indigenæ ac patricij. Hæc iura intercedūt inquilinis cū ciuibus. Ac ne belli quidē ius ab humanitate alienū est. uult enim etiāsi armati portis immineant & mœnibus, nondū tamē eos pro hostibus haberi, nisi per caduceatorem ad pacē inuitati cōditiones aspernati fuerint. aut enim pace impetrata lucrifacturos amicitiā rē optimā: aut si hostis pertinaciter aduersatus fuerit, fretos iusticia cum spe uictorię occursuros in pręliū. Quod si, inquit, inter captiuas formosam mulierē adamaueris, noli tanq̄ in serua explere cupidinē: sed fortunā miseratus, calamitatē eius subleua, omnia mutās in melius. Subleuabis aūt detōso squalore capillitij, præsectisq; unguib. & ueste mutata in qua capta est, permissisq; ei xxx. dieb. ut lugeat patrē, matrē et cęteros domesticos aut mortuos, aut (quod grauius est) abductos in seruitiū. post hæc ut cū uxore legitima cōgredere. eā eīm quæ ascensura est uiri cubile, nō mercede ut meretrix formā uenditās, sed aut propter amorē, aut propter quęrēdos liberos, æquū est habere ius cōiugij. Qua in lege multa laudanda sunt. primo q; non laxauit frena cupidini, sed per xxx. dies eā repressit. deinde q; amorē examinat, nū mere furiosus fastidiosusq; fit, an aliquid rationis admixtū habeat. ratio enim cohibebit cōcupiscentiā ne quid agat insolentius, expectabitq; menstruū terminū. tertio q; miseratur captiuā: si uirgo est, quia parētes ei optatas nuptias nō cōciliant: si uidua, quia amisso cui puella nupserat, expertura est aliū, non magis maritū q̄ dn̄m etiā sub ęquabili iure cōiugij. subditus eīm potiorē semper metuit, etiāsi sciat eius mite ingeniū. Quod si quis expleta cōcupiscētia satiatus cōplexib. iam nō dignatur captiuā matrimonio: eū nō tā mulctat q̄ castigat & iubet mores corrigere. Nec uendi eīm finit eā, nec retineri in seruitio: sed uult ei gratis donari libertatē, & discedēdi ex ędib. licentiā: ne forte superinducta muliere alia, & contētione inter fœminas exorta ut fieri solet per zelotypiam, prior fastidita patiatur grauius aliquid, dn̄o occupato nouis amorib. & oblito

blito ueterum. Adduntur & alia præcepta humanitatis, & cumulatim ingeruntur auditoribus. Etiamsi inimici iumentum conciderit sub onere, noli præterire, sed subleuantem erigentemq́ adiuua: nimirũ in minimis quoque docet non gaudendum alienis aduersitatibus, sciens molestum affectum esse insultationem in miserijs, aduersum inuidiæ, cui tamen æque ac iræ cognatus est. solent enim hæ se mutuo consequi. aduersantur tamen hactenus, quia inuidia proximi felicitate offenditur: altera uerò lætatur eius calamitatibus. Vel si inimici iumentum, inquit, errare uideris, noli addere fomitem dissidij, sed reduc id ad suum dominum: quod non magis illi ꝙ tibi proderit. lucrabitur ille brutum fortasse non magni precij: tu honestatẽ qua nihil in rerum natura preciosius. hanc necessario sequetur, sicut umbra corpus, finis simultatis. nam qui beneficium accipit, inuitus ad reconciliationem trahitur, deuinctus gratia: & qui profuit, quasi pignus dedit animi tendentis ad amicitiam. Est autem hic præcipuus scopus quem sacer uates spectat in omnibus iuris capitibus, ut concordia, societas, consensusq́ morũ uigeat: unde familijs, ciuitatibus, gentibus, regionibus, uniuerso humano generi cõtingit summa felicitas. Verum hactenus res ultra uota nõ procedit: quæ tamen credo rata fore olim fauente numine, & largiente uirtutũ profectum, sicut quotãnis largitur fructuum: quod desiderium mihi ab ineunte ætate fuit perpetuum. Hæ fermè ac huiusmodi aliæ sunt leges de ingenuis: nec discrepare uidentur quæ de seruis latæ sunt, nimirum spectantes omnes humanitatem ac mansuetudinem cõmunicãdam cum hoc quoque hominum genere. eos sane qui ob inopiã mercede seruiunt, uult tractari liberaliter ut ingenuos: hortans ut qui utuntur eorum ministerio, fortunæ incertæ meminerint, reuereanturq́ uices eius mutabiles. eos autẽ qui creditoribus libertatem suam opposuerunt pignori, aut ui in alienam potestatem redacti seruiunt, non sinit miseros esse in perpetuum, dans inducias omnib. anno septimo. nam eos qui ob æs alienũ creditori nõ redditũ libertate amissa seruiũt, satis facere putat per sexennium. Fruantur, inquit, tandem serui libertate pristina, è qua exciderunt per fortunæ inclementiã. Quod si cuius uerna metu minarum heriliũ, aut propter alieni peccati conscientiam, ipse insons fugerit iratũ dominũ egẽs auxilij, talẽ ne contẽpseritis. prodere enim supplices nefas est. supplex aũt etiã seruus est qui ad focũ tuum confugit, à quo nõ est æquũ eum abstrahi, præsertim si citra fucum cupit recipi in gratiã. id si nõ impetrat, saltẽ uẽdatur. mutatur eñ dominus, licet incertũ an in melius: nisi ꝙ cõfesso malo incertũ præfertur. Hæ sunt leges de domesticis alienisq́, amicis inimicisq́, seruis & ingenuis, deniq́ in uniuersum de hominibus. Sed nõ hic sistit gradum æquitas, profert se ad brutas quoq́ naturas permittens eis haurire ex eodẽ fonte humanitatis. iubet enim abstineri ab omnibus recens natis tam in armẽtis ꝙ in gregibus, uetans ea uel mẽsæ inferri uel altari: nimirũ crudele ac ab omni humanitate alienũ existimãs facinus, insidiari parturientibus, & fœtus à matribus rapere, idq́ uentris gulæq́ gratia. Sic igitur quemcunq́ instituta sua sequentẽ alloquitur: Magnã habes, ô bone, rerũ copiã, quib. uti potes absq́ crimine. alioquin fortasse ignosci poterat presso inopia. tu uero etiã tẽperantia cæte

risque uirtutibus debes excellere, ascitus in ordinem lectissimum, nec admittere in mentem tantam sæuitiam, ut fœtę lassę partus laboribus nouā mox uexationem afferas, rapiendo recens editum animal. necesse est enim turbari matrem propter affectum à natura inditum, sed à partu maxime. tunc enim lac in mammis subscatens, si desit fructus, reprimitur: & distentis hac mole uberibus dolor quoque intenditur. Sine ut mater suum fœtum lacte alat, si nō diutius, saltem per septem dies: ne natiuos lactis fontes extinguas in uberibus cum ipsius naturæ iniuria, quę non uult intercipi sua beneficia, multo ante præparata ad conseruationem generum. primum enim eius munus est generatio, per quam animalia suam essentiam accipiunt. secundum, lactis affluxus, tenerrimi alimenti & aptissimi tempori, quippe quod cibi potusque uicem præbeat. nam quicquid inest aqueum pro potu habetur; pro cibo uerò id quod coagulatur, natura prospiciente modo genitis fœtibus ne patiantur inopiam mox à uitæ initio, sed eadem opera eodemque remedio duas molestias sitis famisque arceant. Perfricate frontem, & legite hanc legē pręclari parentes, qui grauari uos putatis infantibus, quos ut exponatis, insidiamini parturientibus, publici & infestissimi hostes humani generis: cui enim parcetis, qui filios necatis proprijs manibus? qui quantum in uobis est ciuitates desertas redditis, uastitatem incipientes à coniunctissimis: qui ius naturæ subuertitis tollentes eius opera: qui crudelitate immani uitam oppugnatis, mortem inuehitis, & hanc contra illam armatis. Non uidetis ut legislatori optimo curæ fuerit, ne uel brutorū fœtus à matre separarentur nisi post lactationem? nimirū propter uos ô præclari, ut si uos natura non docet affectum erga domesticos, saltem agnorū hædorumque exemplo eum discatis: quibus permittitur deliciari in affluentia, natura ultro suppeditante quo fruantur facilius. Id eius munus legislator quoque ratum esse uoluit, diligenter cauens ne quis impedire audeat salutarem dei beneficentiā. atque ut magis etiā insereret in animos multiplices uariasque mansuetudinis & æquitatis species, alio præcepto simili cauit ne quis immolaret matrem & natam ex ea pecudem: aut si utraque uictima cædenda est, fiat id saltem diuersis temporibus, extremæ enim crudelitatis fuerit, eadem die mactare genitricem cū animali ex se progenito. & quo prætextu, nisi aut uentris aut sacrificij. Si sacrificij, falsum nomen est. cædes eñ sunt huiusmodi non sacrificia, non admittente deo iam profana sacra ad altare suum. quin & ignis ipse scinderet se bifariam diffugiens, ne contaminaretur complexu non miscendarum uictimarum: aut etiam confestim extingueretur opinor, ne sacram aeris naturam flāmis impuris pollueret. Quod si mensis hæc parantur, quis non detestetur nouam & inauditam gulæ sæuitiā? absurdæ sunt enim uoluptates huiusmodi. Quæ uoluptas est in esu carnium, si tenerorum & lactentium animalium misceantur cum maternis uisceribus. ipsa membra si quis assanda figat eisdem ueribus, uidentur ruptura silentium præ indignitate facinoris, & plurimis conuicijs proscissura gulam explentem se nefandis dapibus. Certe uetitum est ijsdem legibus ne templū subeat animans ulla grauida, néue mactetur nisi partu leuato: quod latens in utero fœtus non minoris æstimetur quàm in lucem editus. Licet eñ

sit iui-

sit iniqua hęc collatio, prodest tamen ad compescendā temeritatē istorum qui omnia confundunt nullo rerū discrimine. si enim cauetur ut quæ plantarū more augentur nunc unita grauidis, separanda post menses aliquot, ea seruentur in spem futurā & parcatur matribus, ne quod fiat piaculum: quanto maior ratio habenda est iam editorum, & proprias animas habentium propriaq; corpora? proinde nefariū uidetur eodem tempore ac eadē die mactare matrē cum sua sobole. Et hoc est opinor, cur quidā legē introduxerūt de damnatis mulieribus, si grauidæ crimen capitale admiserint, ne ante partū luant suppliciū, uidelicet ut maneat incolume quod utero geritur. Verū isti hæc statuerūt de hominibus: at noster æquitatem hanc & ad bruta extendit, ut in his præexercitati tanto magis humanitatem colamus mutuā, nec inferendo nec referendo iniuriam, & cōmunicando propria bona cum fratribus eiusdem naturæ participibus. Eant nunc sycophantæ, & inhumanitatē nostræ genti obijciant, legibus uero nouitatem quandā insociabilem, cum ab his tam clementer tractentur etiā pecudes, homines uero à tenera ætate assuescant præceptis mansuetudinē docētibus. Ipse legislator seipsum superare contendit omni uirtutū genere, ut ex eius institutis apparet. Vetat enim ne ullum animal nondū ablactatū abstrahatur à matre sua, non agnus, nō hædus, non aliud quicq; ex armentis atq; gregibus. Nā cum interdixisset ne quis eadē die mactaret matrem cum fœtu suo, insuper addidit: Non coques agnū in lacte materno. Iudicauit enim ualde iniquū, id quod uiuenti animali cibus fuerat, in condimentū occisi uertere: & cum natura prouida ad eius conseruationē lac uberum receptaculis indidisset, hominū incontinentiā eò progredi, ut uitali alimēto abutatur ad absumēdas reliquias corporis. q; si quis carnes cū lacte uult coquere, id sine crudelitate impietateq; faciat. sunt ubiq; greges innumeri, qui quotidie mulgentur à bubulcis, caprarijs & opilionibus, unde pecuarijs ampli reditus, tum è liquido lacte, tum è coagulato in caseum. In tanta copia hædum agnumue in materno lacte coquere, nihil aliud q; immanitatis indiciū fuerit, ablegata misericordia, affectu necessario cognatoq; rationali animæ. Illa quoque lex laudabilis ad superiorū chorū pertinens, quæ uetat boui trituranti os obturari. huius enim opera ante sementem aruum sulcis proscinditur, præparaturq; ut fauente cælo respondeat agricolæ uotis ac laboribus, cōceptoq; tempestiue semine pluuias quoq; cælitus intra se recipiat facilius, dispensandas mox in nutrimenta segetū, donec maturæ spicæ annonam uberem proferant. absoluto aūt hoc opere, rursum bos adhibetur ad aliud necessariū ministeriū, ut purgētur fruges, et à reiectamētis secernātur. Huic legi prospicienti bubus triturantib. cōnexa est quæ præcipit de iumentis arātibus. Vetat enim ne arandi causa sub idem iugū mittatur bos & asinus: non solum quoniā genere plurimū differunt: bos enim purus, asinus impurus est, & ideo iungi eos nō decet: uerūetiā quia non pollēt parib. uiribus, infirmiori cōsulitur, ne cū fortiore cōtendēs succūbat negocio: quāuis asinus infirmior à sacris locis arceatur, bos fortior cēseatur inter præcipuas uictimas. attn̄ impurorū etiā securitati prospicitur, purorū robori nō plus q; æquū est, permittitur, lege tantū non occlamāte habentib. aures animę: ne mini

mini alieno inferendam iniuriam,in quo nihil præterea sit culpabile,quandoquidem externũ genus culpa careat. quicquid enim nec uitiũ est, nec à uitio proficiscitur,non est culpabile.Adeò autẽ abũdat & exuberat æquitas legislatoris,ut à rationalibus ad bruta,à brutis ad stirpes se porrigat,de quibus iam dicendum est,sicut antea de hominib.cæterisq; animatis diximus.Diserte igitur cautum est ne quis cædat frugiferas arbores,ne'ue segetes in detrimentũ colonorũ ante tempus demetat, ne'ue ullum fructũ corrũpat,ut præsto sit humano generi ciborũ copia,non solum ad necessitatẽ, sed & ad delicias.frumentũ enim alimenta necessaria suggerit hominibus, delicias autẽ ministrat secundarum mensarũ inenarrabilis uarietas: quæ tẽporibus egestatis in alimentorũ uicem succedunt. imò quod magis etiam mireris,ne hostium quidem arbusta sinit cædere,iubens ut eis parcatur: q iniquũ sit bellum susceptũ aduersus homines,sæuire in res innoxias,præterea uult rationẽ haberi nõ solũ præsentis temporis facile mutabilis,uerum etiam eius uicissitudinum,quãdoquidem accidere potest ut qui modo fuerant hostes infestissimi,pace impetrata recipiantur etiam in fœdus & amicitiã.amicos autem inopia ciborum premere inhumanum est, si nihil præparetur in euentus incertos futuri temporis. non temere enim uetere prouerbio iactatum est:ita amicum habeas,posse ut fieri inimicũ putes. ita offendas amicũ,tãq; rediturus in gratiã.sic securitati prospicitur, neque post detectum dictis factisq; ingenium,sero nimiæ facilitatis pœniteat.Sed maxime ciuitatibus hoc præceptum utile fuerit,ut in pace de bello,in bello de pace cogitent, & neq; socijs nimium confidant tanq; nõ transituris ad partes hostium,neq; de hostibus omnino desperent,tanq; nunq; recipiendis in fœdera.Imò etiamsi nulla pax speranda sit ab hostibus,certe stirpes infestant neminem,omnibus pacatæ atq; utiles,præsertim frugiferæ, quæ aut alendo uitam iuuant,aut alijs non minorib.cõmoditatibus.cũ igitur nemini noceãt,non debent quicq; hostile pati,nõ cędi, nõ uri,non extirpari radicibus, ab ipsa natura æstiuis auris refocillatæ hybernisq; pluuijs, ut annuum tributum hominibus pendant tanq; regibus.itaq; ut bonus præses curauit sartam tectamq; præstare incolumitatem,non pecudum solum,uerum arborum etiam,præcipue mitiũ:quippe quæ maiore cura dignę sunt, nec ita ut syluestres possunt carere colonorũ prouidẽtia. iubet enim nouellas plantas nutricari per triennium, resectis superfluis stolonibus, ne grauentur onere,ne'ue absumpto alimento in minutos ramulos languescant stirpes ipsæ:easdemq; ablaqueari, nequid succrescens in proximo earum augmenta impediat. fructum quoque harum non sinit decerpi pro cuiusque arbitrio, non solum quia imperfectus ex imperfectis nascitur:nam neq; animantes ante adultam ætatem generationi sunt idoneæ: sed etiam quia lædit teneras arbusculas,quodãmodo nõ sinẽs supra fruticũ altitudinem se ab humo tollere. proinde sunt qui uere ineunte nouellas stirpes inspiciũt,ut si quẽ proferũt fructũ deterãt prius q excrescat, metuẽtes ne firmitati parẽtis officiat.quod ni præcaueatur, iã adultæ fallũt expectationẽ, fertilitate hebetata uel euanida, ut exhausta partu intẽpestiuo: quod & in uetulis uitib.usu uenit,succo ad eũ modũ absumpto radicitus.at post triennium

nium actis iam altius radicib. & in solo defixis firmiter, postq̄ stirps bene fundata se humo extulit, potest perfectos fructus gignere anno quarto iuxta perfectū numerū. tū uero ita demū decerpi permittitur, si nō in priuatos usus uertatur, sed deo sacretur primitiarū nomine, in testimoniū gratitudinis & in spem fertilitatis futuræ. reliquū ætatis prodest sui cultoris usibus. Vides bonitatē eximiā, primo diffusam in omnes species hominū, non exteris exclusis, nō hostibus: deinde in bruta quoq̄, impurorū etiā ratione habita: postremo in omne genus plātarū ac stirpiū. quisquis enim in stupidis naturis æquitatē meditatur, ne in uiuas quidē peccat facile: & quisquis nihil absurdi tētat in cæteris animātibus, iam inde discit rationalib. potiorē curā impēdere. Talibus præceptis ubi mētes ciuiū suorū mansuetas reddidit, liberauit eos ab arrogantia superbiaq̄ uitijs grauissimis, quę tamē multi amplectuntur pro uirtutib. præsertim quotquot opibus extollūtur atq̄ honoribus. nā arrogantia sæpe nascitur etiā in contemptis & obscuris hominibus, sicut cæteræ perturbationes & ęgritudines: sed non potest in his crescere, quia sicut ignis absq̄ fomento deficit, & ad magnates demigrat, quibus ut dixi large opes honoresq̄ suppetūt: atq̄ ita dulci fortuna ebrij debacchantur in seruos ac ingenuos, interdum & in ciuitates integras. Saturitas enim parit ferociā, ut est in uetere prouerbio. quamobrē optime docet Moses in sacris suis præceptis, abstinendū ab omni peccato, sed maxime è superbia. moxq̄ memorat unde accendi soleat hoc uitium, nimirū è saturitate, & prædiorū pecudumq̄ copia. tunc ēm̄ possessores impotētes sui fiunt, elati inflatiq̄, proculdubio perituri nisi deū semper habuerint in memoria. Quemadmodū enim sole exorto euanescūt tenebræ, & luce implētur omnia: eodē modo quādo sol diuinus illucescit animę, uitiorū affectio numq̄ caligo dispellitur, & splēdidissimæ uirtutis pura amabilisq̄ se profert species. Et quo magis compescat superbiā, uult nos causas habere præ oculis, quæ nunq̄ sinant beneficiorū dei memoriā elabi è nostro pectore. Hic enim, inquit, tibi præstat robur ad exerendam potentiam. Recte monet. quisquis enim didicit donatā sibi à deo fortitudinē, reputans infirmitatem suam pristinā, seponet omnē iactantiā, q̄ gratias aget ei qui se mutauit in melius. nam gratus animus alienus est ab arrogātia, sicut ediuerso ingratus affinis est superbię. Bene se habēt tua negocia: accepto igitur corporis robore, quod fortasse nō expectaueras, exerce potentiā. hoc quid sit, clarius propter imperitiores explicādū uidetur. Multi accepto beneficio abutuntur in cōtrarium, dum aut diuitijs suis alios ad inopiā adigunt, aut quāto magis pręeminēt honore atq̄ gloria, tāto maiore alios afficiunt ignominia. atqui decet ut uir prudēs ac solers familiares reddat sibi similes, fortis itē fortes & iustus iustos, & in uniuersum bonus bonos. Has ēm intelligo potētias, quas uir prob. amplectetur ut proprias. Est aūt potētia imbecillitati cōtrarias, alienæ à bonis moribus. Et alioquin etiā hic traditur præceptū ratiōali naturę utilissimū, ut deū imitetur pro uirib. nullā eius imitationis occasionē sinens pręterlabi. ergo quoniā accepisti à potentiore fortitudinem, cōmunica eam cum alijs, sic eos afficiēs ut ipse affectus es, ut hoc pacto deum imiteris. publicā enim utilitatē afferūt largitiones & gratię summi princ-

mi prins

mi principis, nõ ideo profusæ in quosdã ut celentur aut uertantur in alio-rum incõmodum, sed ut proferantur in mediũ tanq̃ in epulo publico, inuitatis ad fruendũ omnibus. Hortamur igitur locupletẽ, honoratũ, bene ualentẽ, multiscium, ut diuites, bene ualentes, multiscios, & in uniuersum bonos reddant eos cũ quibus habent consuetudinẽ, semotaq; inuidia uirtutibus suis utantur in rem publicã. cæterum illos qui fastu turgidi nolunt resipiscere, lex nõ ad humanũ tribunal mittit, sed diuino tradit iudicio. Ait enim: Quicũq; aggreditur aliquid agere cum superbia deũ irritat. Cur ita? primum quoniã arrogantia uitium est animæ: anima aũt deo soli est uisibilis. quisquis autẽ punit, si cæcus est, ut ignorans arguitur. cum uero uidet, laudatur, ut scientiã adhibens in consilium. deinde quoniam quilibet arrogans insana opinione inflatus, non tam uirum aut heroem q̃ geniũ quendam se existimat, ut Pindarus inquit, transcendens naturæ humanæ terminos. est autẽ nec animi satis compos nec corporis, toto habitu gestuq; morbum præ se ferens. Incedit summis pedum digitis, ceruicẽ in equi morẽ erigens, attollẽsq; se supra naturæ modulũ: nec aliter q̃ oblique intuetur, nec aliter audit q̃ quasi nõ audiens: famulis pro iumẽtis utitur, ingenuis uerò pro mancipijs: cognatis item pro alienis, amicis pro adulatoribus, ciuibus pro exteris. arbitratur enim se omnium ditissimum, nobilissimum, pulcherrimum, fortissimũ, prudẽtissimũ, temperantissimũ, iustissimũ, solertissimũ. alios uero habet pro pauperibus, obscuris, contemptis, imprudentibus, iniustis, insipientibus, piacularibus, nihiliq; homuncionibus. Merito igitur talis ad dei tribunal puniendus relegatur prophetæ sententia. Cum autem uirtutis amantissimus sit sacer hic Moses, omnes ubiq; pietatis iusticiæq; cultores excitat propositis præmijs tanq̃ in certamine, conuersis ad bonã frugem offerens ius ciuitatis optimæ, & societatẽ cõmodorum paruorum magnorumq; omniũ. siquidem præcipua bona sunt, in corpore sanitas, in nauigatione prosperitas, in anima rerum nõ obliuiscendarũ memoria: secundaria uero quæ ad correctionẽ pertinent, uirium post morbum recollectio, salus optata superatis marinis periculis, & post obliuionẽ reminiscentia: cuius germana est resipiscentia, in primũ supremumq; bonorũ referenda ordinẽ potius q̃ in alterũ proximũ. nã omnino nõ peccare, deo proprium est, aut fortassis etiam homini deo simili. cæterum à uitiosa uita trãsire ad innocentiã, est prudentis & intelligẽtis suam utilitatẽ. Tales igitur cõuocans & initians præceptis amicis instruit: ut ueritati studeant, uanitatẽ fugiãt ac mẽdacia, q; in hoc potissimũ sita sit felicitas, si auersentur figmẽta fabularũ, quæ teneris etiãtũ animis instillant nutrices ac pædagogi, alijq; familiares plurimi, errores infinitos inuehentia, & summi boni noticiã impediẽtia. quid porrò aliud est summũ bonũ q̃ deus? cuius honorẽ isti falso nominatis dijs tribuũt, attollẽtes hos supra modũ, illius uero prorsus obliti, homines deliri ac miseri. Itaq; omnes quotquot conditorẽ parentemq; uniuersitatis uel serius agnoscũt, malentes unum q̃ plures deos colere, habendi sunt pro amicissimis & cognatiõe proximis, cum nihil æque ac cõmunis pietas conciliet mutuam beneuolẽtiam: gratulandumq; est talibus, haud secus quàm si post cęcitatem uisum recepissent, ex altissimis tenebris

addu-

adducti ad lucem clarissimã. Tanta est uis resipiscentiæ rei uehementer necessariæ. postulat autẽ resipiscentia non solum correctionẽ opinionis quæ creaturis tribuebat honorem creatori debitũ, uerumetiam officiorum studiorumq́ mutationem in melius: ut relictis incõditi uulgi moribus transeatur ad bene constitutã ornatamq́ optimis legibus rempublicã: hoc est, ex ignorantia migretur in scientiam rerum quas ignorari non decet, ex imprudentia in prudentiam, ex incontinentia in temperantiam, ex iustitia in iustitiam, ex timiditate in fortitudinẽ. Bonum enim utileq́ fuerit ad uirtutem transfugere, deserta malicia uelut insidiosa domina. Solent etiã pietatem comitari uirtutes cæteræ, à qua non magis diuelli possunt q̃ umbra à corpore quod in sole uersatur. proinde quotquot ad nostrã religionem se conferunt, statim fiunt sobrij, continentes, uerecundi, mites, iucundi, humani, graues, iusti, magnanimi, ueritatis amatores, contemptores uoluptatum ac pecuniæ: quandoquidẽ ediuerso quicunq́ à sacris legibus deficiũt, eos uidere licet intemperantes, imprudentes, iniustos, leues, pusillanimos, irritabiles, mẽdaces, periuros, cupedijs, potationibus uenereisq́ rebus deditos, uentri pendentes tributa cũ graui corporis animiq́ dispendio. Itaq́ perpulchre præcipitur ut discamus uitam cõponere, & ex perturbatione in meliorem statum reformare. ait enim id nõ esse nimis arduum, nec è longinquo petendũ, non ex æthere, nec ab extremis oceani finibus: sed in prõptu esse, nẽpe in ore, pectore atq́ manibus, hoc est in dictis, factis & consilijs. nam per os uerba, per pectus cõsilia, per manus actiones significantur, in quibus consistit felicitas. cum enim cogitationes à uerbis, & actiones à consilijs non discrepant, absoluta uita est modis omnibus laudabilis: sicut ediuerso imperfecta & uituperabilis si hæc inter se parum consentiant, nec adhibeatur tale temperamentum, ut homo & amet deum, & ei carus esse studeat. proinde pulchre nobis attestatur illud scripturæ oraculum: Fœdus fecisti hodie cum domino ut sit tibi deus: & ipse fœdus fecit hodie tecum ut fias ei populus. Pulchra sane permutatio, homine properãte ad cultum dei, deo quoq́ sine dilatione admittente supplicem, & occurrente accedenti ad se sincero animo. Talis porrò cultor et deprecator, etiamsi unus homo fuerit, ipsius dei existimatione non minus honoratur quàm totus populus: id quod & aliàs usu uenit. quemadmodum enim in naui gubernator confertur cum omnibus uectoribus, in castris item imperator cum omnibus militibus, adeò ut per huius interitum nõ minor quàm per iuuentutis stragem clades accipiatur: eodem modo etiam uir sapiens totius gentis dignitatem obtinet, quippe qui pietatẽ habeat pro munimento inexpugnabili.

PHILONIS IVDAEI
DE IVDICE.




ACRAE leges cum ab omnib. instituta Mosis seque̅tibus exigunt sinceritatem, & animu̅ tranquillum, nullis obnoxiu̅ perturbationibus, tum pręcipue ab his quibus iudicandi potestas aut per electione̅ aut sorte obuenit. absurdu̅ enim fuerit eos in culpa hærere qui iura præscribunt aliꝭs, quandoquide̅ ab his potissimu̅ exemplum uitæ petendum est. Sicut eni̅ ignis quæcunq; admouentur calefacie̅s, ipse primu̅ innata sibi ui calet: nix co̅trà suapte natura frigida, infrigidat & alia: sic iudex ipse debet esse plenus iusticia, si aliꝭs ius administraturus est, à quo ceu fonte promana̅t flue̅ta dulcia legu̅ & potabilia sitientibus iusticia̅. id ita demum fiet, si is qui ad iudicandu̅ ascendit tribunal, iudicari se non minus q̅ iudicare cogitet, & unà cum potestate assu̅mat prudentia̅ ne decipiatur, iusticiam ut suum cuiq; tribuat, fortitudine̅ ne flectatur precibus aut misericordia quominus animaduertat in conuictos sceleris. na̅ cuicunq; uirtutes hæ cordi fuerint, bene meritus de republica existimandus est, quippe qui more boni gubernatoris sedat te̅pestates negociori̅ co̅missorum suę fidei ad salutem securitate̅q; illoru̅ qui pendent ab eius arbitrio. Ergo ante omnia lex præcipit iudici, caueat ne uana̅ narrationem auribus accipiat. quasi dicat, Heus tu, cura ut aures perpurgatas habeas. purgabuntur autem, si sępius eluantur doctis sermonibus, & excluda̅t uanas, uulgo protritas damnatasq; fabulas figmentoru̅ poeticoru̅ scenicorumq;, res nihili multis uerbis exaggerantiu̅. Quin & aliud quiddam idem præceptum admonet, ab expositione priore nihil discrepa̅s. Qui auritos testes, inquit, accipit, uane non sane accipit. nam oculi rebus ipsis interueniunt, & contrectant quoda̅ modo negocia, totaq; percipiunt adiuuante luce per quam illustrantur deprehendunturq; omnia. aures au̅t, sicut recte dixit quida̅ è ueteribus, minus fidei habent quàm oculi, ut quibus no̅ cum rebus ipsis sit co̅mercium, sed cum sermonibus rerum interpretibus no̅ semper ueritatem sectantib. quod legis caput mihi uidentur quida̅ è Gręcis legislatoribus desumpsisse è sacratissimis Mosis tabulis, interdixisseq; ne ex auditu feratur testimonium: quòd quæ quis uidit certa iudica̅da sint, quæ uerò audiuit, no̅ perinde firmæ fidei. Secundum præceptu̅ iudicis est, ne accipiat munera. na̅ munera, ut lex ait, excæcant oculos, officiu̅ iusticiæ, mente̅ à recta uia cogunt decedere. præterea muneribus induci ad iniusticia̅, est scelerati hominis: sicut semimali, non reddere ius absq; operę præmio. Sunt enim quida̅ prętextati inter iustos iniustosq; mediꝭ, instituti ad tue̅dos oppressos ab oppressoribus, qui tamen non dignantur gratis ferre sententia̅ pro causa meliore, uenales mercenariꝭq; iudices. quod si quis queratur, nega̅t se pręuaricatos. uicisse enim litem quos oportuit, & uicta̅ partem aduersaria̅. Quæ excusatio nequam est. oportet enim duo quæda̅ inesse in sententia boni iudicis

dicis,ut sit incorrupta & legitima. Cæterum præses uenalis muneribus,iu stitiam suapte natura pulcherrimã dehonestare se non intelligit, & peccat non simpliciter. primum quòd assuefacit se ad auaritiam, arcem iniquitatũ omniũ: deinde quòd accepto pretio mulctat eum cui prodesse debuerat. Ideo salubriter Moses admonet,iuste administrandã esse iusticiam, subindicans etiã iniuste administrari eam interdũ,quoties præsides inhiant muneribus,non tantum in iudicijs,sed terra mariq; in omnib. penè uitæ negocijs. siquidẽ reperire licet aliquem qui modicum depositum reddit, magis ut insidietur accipienti quàm ut prosit: uidelicet ut approbata sua fide in modico,inescatum capiat maiore perfidia:quod nil aliud est,quàm iusticiã nõ iuste facere. quoniam alienæ rei restitutio iusta,iniuste fit,inquantũ captat lucrum cumulatius. Huiusmodi autem peccatorũ præcipua caussa est assuetudo mendacij,quo ab incunabulis nutrices matresq;, & alia tum seruorũ tum ingenuorum turba alumnũ suum imbuunt, dictis factisq; astruentes id animo quasi agnatum naturaliter,cum extirpari potius debuerit per honesta studia,etiamsi à natura fuisset inditũ. Quid enim in uita est æque preciosum ac ueritas? quã uates sapiẽs inscripsit loco sacratissimo, ea parte uestis pontificiæ,ubi est principalis uis animæ,ut sacerdotẽ per hoc ornamẽtum augustiorẽ faceret. Veritati aũt adiunxit cognatã uirtutẽ,declarationẽ ut uocat,ut essent ceu imagines orationis, quę uel animo cõcipitur,uel profertur etiã. nam huic declaratione opus est, per quã aperiatur alijs quicquid latet in animo:sicut ueritate illi alteri ad perfectionẽ uitę actionumq; per quas itur ad felicitatẽ. Tertium iudici pręcipitur,ut causas partium examinet ante iudicium,semoto in totum respectu personarũ, siue sint ciues, amici,domestici,siue contrà inimici,alieni,exteri: ne quid uel beneuolẽtia, uel odium cognitionẽ impediat. alioqui necesse est iudicẽ impingere, uelut si cęcus incedat absq; baculo,ducẽte sustentanteue nemine. Ideo decet bonum iudicẽ personas quæ iudicantur, nõ animaduertere, sed solã naturam negociorum sinceram nudãq; considerare, ut non iuxta opinionem, sed iuxta ueritatem iudicet,sic cogitans, dei rem esse iudicium,iudicẽ uero ministrum & procuratorẽ. procuratori autem non permittitur largiri de eo quod dei est,à quo ut optimo accepit hoc depositũ rerum omniũ optimum. Præter iam dicta & aliud quiddam mirandum pręcipitur,ne in iudicio miseremur pauperẽ,cum alioquin legislator omnes suas leges condiat humanitate ac misericordia,magnas minas intẽtans superbis & arrogantibus,& magna præmia proponens alienos casus subleuãtibus, bonaq; sua non tanquã propria seruantibus,sed cum egenis cõmunicantibus. Vera est enim illa prisci cuiusdam autoris sentẽtia,nunquã homines propius ad dei similitudinẽ accedere,quàm cũ sunt benefici. Quid porrò fieri potest melius quàm si creatura imitetur deum immortalẽ & ingenitũ? Ergo nec diues aurum argentũq; in thesauris domesticis custodiat, sed in medium proferat ut benignitate soletur inopes:nec honoratus ceruicẽ extollat,sed malens æquo iure uiuere,sinat libertate frui etiã ignobiles. Quisquis autẽ præcellit robore,sit protector infirmiorum,non pulsans protrudensq; minores quasi in pancratio,sed proprijs uiribus etiam alijs prodesse cupiẽs.

nam qui hauserunt è sapientiæ fontibus, inuidiã ex animo suo exterminãt, & ultro succurrunt proximis, sermonibus per aures traijcientes scientiam in eorum animas: & quoties reperiunt iuuenes bonæ indolis, uelut generosæ plantæ surculos, gaudent rati se inuenisse hæredes opulentiæ reconditæ in animo, quæ solæ ueræ sunt diuitiæ: itaq; assumunt eos & excolunt eorum ingenia dogmatibus contemplationibusq;, donec confirmata uirtutis fructum proferant. Huiusmodi exemplis præceptisq; leges referte ac distinctæ sunt in gratiam egenorum, quos in solo iudicio miserari non est fas. nam miseratio debetur infelicibus. quisquis aũt sponte male facit, non infelix sed iniquus est. cæterum iniquis pœna proponitur, sicut iustis honor & præmium. Itaq; nemini misero propter suam inopiã pœna remittatur: quandoquidem non miserationem (absit) sed iram meretur. Et qui ad iudicãdũ accedit, debet more boni numularij naturas negociorũ discernere, ne turbatis signis confundantur proba cum improbis. Poteram & alia multa de falsis testibus deq; iudicib. dicere: sed ne nimis prolixus fiam, trãsibo ad præceptum decalogi ultimum, quod compendiarium sicut cætera oraculum continet, Non concupisces uidelicet.

PHILONIS IVDAEI
DE CREATIONE PRINCIPIS.



VIBVSDAM placet sortito creari principes, nullo sane subditorũ cõmodo. sors enim ad felicitatem nõ ad uirtutem attinet. itaq; sæpe accidit, ut ad principatum sors eueheret, quos uir bonus nõ ferret in subditorum numero. nam et minores principes, qui ab alijs uocãtur domini, nõ omnes uernas empticiosue assumunt in famuliciũ, sed solos morigeros obsequẽtesq;: cæteros refractarios & incorrigibiles gregatim interdum hastæ auctioniq; subijciunt, ut indignos qui uel seruiãt in boni uiri familia. Quanto minus decét dominiũ principatũq; integrarum ciuitatũ gentiumq; sorti cõmittere, lubricæ rei pendenti à fortuna instabili. certe in ægrotis curandis sortiũ nemo meminit. nec enim sorte capiũtur medici, sed peritissimus quisq; eligitur. item cum de prosperitate saluteq; nauigantiũ agitur, nõ sorte decernitur qui gubernaturus puppim ascendat, ne forte aliquis imperitus uel in trãquillitate ac serenitate asciscat naufragiũ: sed quęritur aliquis qui artẽ gubernandi à iuuentute didicerit: hoc est, qui sæpe nauigauit perlustrauitq; aut omnia aut plurima maria, qui bene nouit emporia, portus, stationes, receptacula, quę uel in continẽte sunt uel in insulis, qui in mari quoq; callet inuenire semitas ex obseruatione siderũ, peritus stellarũ, & suos cursus ad illarũ motus dirigens, ita ut per inuia uiã expediat, et nouo more maria terrestri animãti aperiat, reddatq; traiectu facilia. & postea ciuitates magnas, populosas, plenas habitatoribus, earumq;

earumq́ administrationẽ,& curam rerum priuatarum ac publicarũ,sacrarum ac profanarum, quam merito quis artem artium & scientiã scientiarũ dixerit,cõmittemus incertę rei fortuitæq́,reiecto ueritatis examine: est autem ueritatis examen,rationabilis probatio. His igitur cõsideratis Moses sapientissimus nusquam meminit principatus quæsiti sortibus; maluitq́ suffragijs electos introducere. Sic igitur præcipit: Præficies tibijpsi principem nõ alienigenã,sed unũ ex tuis fratribus: nimirũ significans electionẽ debere fieri uoluntariã ex suffragijs consensuq́ totius populi,præcedente ut oportet examine. huiusmodi porrò comitia ut rata fiant,requirũt etiam dei calculũ,ceu signaculũ,sicut & cætera publica negocia:quãdoquidẽ huius uolũtate homo in uniuersa rerũ natura pręeminet,sicut facies in corpore. Cur aũt principatus nõ detur extero,duæ causæ assignantur: altera, ne sibi magnã uim auri,argẽti,pecorũq́ colligat spoliatis iniuste subditis:altera,ne propter sua priuata cõmoda gẽtẽ traducat in regionẽ aliã,& subinde aliò atq; aliò migrare iubeat, ostẽtata uana spe agri uberioris,& omissa certa possessione pristina. merito enim legislator in defectu principis habuit rationẽ cognationis &,cõmunis originis & familiaritatis intimæ. ea est cõsensus in institutis ac legibus,& unius dei religio,qui sibi optauit peculiarem populũ. sub tali principe nihil timẽdum est eorũ quę modo diximus, sed speranda omnia contraria. tantum enim abest ut cogat colonos demigrare aliò,ut potius si qui ante dispersi fuere colligat, eisq́ ius postliminij concedat. & adeò nõ auferet alienas pecunias, ut potius de suis largiatur in usus publicos. Cæterum mox post acceptam potestatem iubetur deuteronomium,hoc est legum compẽdium describere manu propria, quo magis ea præcepta inhæreant animo. nã legentib. elabuntur sententiæ, q lectio moras nõ patitur. qui aũt scribit per ocium, imprimit & infigit menti singula fideliter,nõ in transcursu animaduersa,sed cunctanter, nõ prius cogitatione transeũte ad sequentia,q̃ bene pensitatis quæ præcesserãt. Absoluto aũt hoc scripto, relegendũ est quotidie, ut assiduitate cõfirmetur memoria, & ipsa præcepta eo magis adlubescant per assuetudinẽ, utilitate honestateq́ sua cõmendabilia, & animo inserentia sacrũ sui desideriũ. nã longa consuetudo sincerũ amorẽ gignit nõ solum erga homines, sed & erga dignas cognitu literas. id ita fiet, si princeps euoluet à se,non ab alijs scriptos cõmentarios. nã libentius quodãmodo agnoscet propria, sic secum cogitans,Ego tantus princeps scripsi hęc,nullius usus opera,cum tot subditos habeã. fortasse ut librũ explerem literis uelut scribæ mercenarij, aut oculorũ acumen exercerẽ & celeritatem manuũ sicut notarij. nequaquam, sed ut inter transcribendũ in animã imprimerẽ, & menti diuinos characteres inscriberem nunquã eluibiles. Ergo cum alij reges sceptro utantur pro gestamine,mihi pro sceptro erit hoc legũ cõpendium: hoc insigni gloriabor,hoc me inuictũ reddet & inculpabilem, summiq́ regis imitatorem. his sacris legibus semper subnixus assequar duas res eximias:primũ æqualitatem,qua nihil præstantius. nã arrogãtia superbiaq́ pusillanimitatis est, in futurum nõ prospicientis. at æqualitas conciliat subditorũ beneuolentiam,securitatem principi bene merito rependentiũ,sicut inæqualitas periculis

culis semper est obnoxia. Hæc igitur effugiam si auersatus fuero inæquali tatem causam dissidiorū & caliginis: securusq́ uitam exigam æqualitatē colens autorē tranquillitatis ac luminis. Alterū uero assequar, ut in neutrā partē deflectā uelut in æquilibrio, recta regiaq́ uia mandatorū diuinorū incedens firmis passibus, nec usquam offensantibus. Talē enim uiam Moses solet appellare regiam, qua inter defectū & nimietatem tramitem tenet medium: quoniam in ternione quod medium est, principatū habet, utrinque contigua coaptans uinculo insolubili, latera sibi tanq́ regi stipantia. Tali aūt principi legitimo, ius æquabile honoranti, incorrupte iudicanti, semper meditanti iusticiam, longæuum principatū propheta proponit uice præmij: non quòd annosam ætatem polliceatur recte administrantibus rempublicam, sed ut nos doceat, legitimum principem uicturū etiam post obitum, relicta post se immortali uirtutis rerūq́ à se gestarū memoria. Est autem id quoq́ potestatis summæ officium, eligere aliquot administrationis reddendiq́ iuris socios. Vnus enim non sufficit, quantūuis alacris fortisq́ corpore simul atq́ animo, in tanta mole negociorū ac multitudine, quotidie alijs affluentibus super alia: proinde assumēdi sunt optimates selecti, spectatę prudētiæ, fortitudinis, iusticiæ, pietatisq́, incorrupti, & ante omnia infensi superbiæ: nā huiusmodi uiri maxime idonei sunt ad subleuandum ope sua bonum honestumq́ principē. Præterea cum aliquando res magnæ aliquando minores tractandæ sint, ne in exiguis conterat operam princeps, subpræfectis eas delegabit, maiores uero ipse examinabit diligentissime. maiora dico negocia, nō ut quidā existimāt, controuersias quæ inter claros, diuites, potentesq́ incidunt, sed quoties priuati, egeni, obscuri, premuntur à potentioribus, cum nulla præsidij spes est nisi in iudice. Quæ dico patent exemplis sacrę scripturę, à quibus non decet discedere. Fuit eñ aliquando tempus cum solus Moses præsidebat iudicijs, occupatus & laborans à mane usq́ uesperā. tum socer eius superueniens, & animaduertēs quanta mole premeretur confluente ad ipsius tribunal multitudine, optime consuluit ut uicarios eligeret qui minora tractēt negocia, ipse uerò maiora curet, interquiescēs nōnihil. id consiliū adeo placuit, ut mox probatissimus quisq́ allectus sit in ordinē iudicū, reseruatis prophetę grauioribus controuersijs. Relatū est etiam hoc in sacra uolumina, ut haberēt quod imitentur posterorū principes: primū ne aspernentur consiliarios, quasi possint ipsi dispicere omnia, cum ne Moses quidem aspernatus sit amicus dei sapientissimus. deinde ut sibi uicarios secundæ tertiæq́ notæ substituāt, ne solicitudinē impendēdo rebus uilioribus, negligāt maioris momēti negocia. Impossibile est eñ unū hominē obire omnia munia. ad hoc exemplū adiungemus & alterū, confirmaturū quæ diximus. Diximus aūt magnas causas esse personarū humiliorū, ut sunt uiduæ, pupilli, aduenæ. his debet suū ius summus princeps reddere, qui potestatē habet nemini obnoxiā, quandoquidē autori Mosi credimus, ne deum quidē rerum omnium regum grauatim causas taliū cognoscere. sic enim uates laudat eius uirtutes, dicens: Deus magnus fortisq́, qui nullius personā respicit, qui sine corruptelis iudicat. moxq́ addit quos iudicet, non satrapas tyrannosq́

rannosq́ terra & mari late imperitantes, sed aduenā, pupillū, uiduā. primū illū, quia cognatos, quos solos aduocatos habere potuerat, inimicos sibi infensissimos reddidit, postq́ se ad ueritatem & unius numinis cultū transtulit à figmentorum delirijs, quæ parentes, aui, proaui, maioresq́ ipsius pluriū deorū ueneratores sequuti fuerāt. secundū uerò, quia patris & matris naturali ac necessaria tutela destituitur. tertiam item, eo quod maritum amisit, qui ad ipsius defensionē in parentum uicem successerat. uxori enim maritus tutor est, sicut parētes uirgini. & alioqui tota Iudęorū natio est pupillo similis, si conferatur cum cæteris. nā illæ quoties in calamitates incidunt, adiuuātur mutuis cōmercijs: huic aūt nemo fert opē, propter mores ritusq́ diuersos ab alijs, contendentes ad uirtutis fastigium, rē pulcherrimā sed eandem difficillimam, ac proinde à uulgo uoluptati posthabitam. Cæterum Moses pollicetur huic orbitati desolationiq́ nunq́ defore prouidentiam cælestis numinis, tanq́ peculiari sibi prouinciæ, totiusq́ humani generis ceu sacratis primitijs. in causa est inclita iustitia uirtusq́ primorum autorū huius gentis, unde quasi ab immortalib. plantis perpetui fructus germināt & proueniunt salubres etiā posteris utilissimiq́ ad omnia, atq́ insuper peccatis eorū afferentes remedium, modo nō sint prorsus insanabilia. Nemo tamē summā felicitatis in generis nobilitate collocās honestas actiones negligat, reputās grauiori animaduersioni fieri obnoxium quisquis ex optimis prognatus maiores suos uitijs dedecorat, discedens à uirtutis exemplis domesticis: quorū reliquijs omnib. deletis ex animo, nō potest meritā reprehensionem effugere. Est & aliud interdictum iustissimum, quo cauetur ne reipublicę princeps dolose uersetur inter suos subditos. nam fallaces mores ad seruile non liberale ingeniū pertinent, dum rebus simulatio prætexitur. at princeps ad hunc modū tractare suos nō debet, qui parentis locum inter eos obtinet, ac uicissim tanq́ à germanis filijs reuerentiā postulat. Sunt enim principes (ut uerum fatear) publici parentes ciuitatū & gentium, quotquot boni sunt. nec cedunt pietati naturalium. Contrà qui in subditorum detrimentū abutuntur potentia, nequaq́ principes sed hostes appellandi sunt, cum agāt hostilia. Sic & qui per dolū inferunt iniuriā, peiores sunt apertis hostibus: siquidē hi propulsantur facile, detecto infenso animo. at illos sua malicia deprehēdi nō sinit, tanq́ in theatro personatos sub alieno habitu, tegentesq́ uerā faciem. Est aūt quædam principatus species in quouis uitæ genere, sola distans magnitudine. quod eñ est in ciuitate rex, hoc in uico magister, in domo dominus, inter ægrotos medicus, imperator inter milites, præfectus classis inter nauales socios, inter uectores nauclerus, inter nautas gubernator. hi omnes & prodesse possunt & obesse, debent tamē id uelle quod est melius. præstat aūt iuuare quoscunq́ possis pro uiribus. nam præceptū uulgo tritum, Deum sequere, nō aliud significat: quandoquidē ille quoq́ cum utrumq́ possit, mauult bene facere, ut liquet ex mundi creatione atq́ regimine. non entib. enim dedit essentiam, cōfusa digessit in ordinē, nouas qualitates rebus indidit, similia fecit è dissimilibus, è diuersis eadē, ex insociabilibus & dissitis cohærentia sociabiliaq́, ex inæqualib. ęqualia, ex obscuris illustria. sem

per enim cura est ipsi & beneficis eius potentijs,ut quicquid delinquit deterior essentia,transformetur in melius. huiusmodi exempla imitari decet bonos principes,si modo cupiunt reddi deo similes. Quoniã aũt plurima fallunt mentẽ hominis,utpote implicitam tot sensibus, per uanas opiniones facile decipientibus, imò insepultam mortali corpori ceu cuidam tumulo,nõ pudeat iudicẽ nescire quod nescit.alioqui fiet seipso deterior, ueritatẽ exterminans ex anima,& insuper multis modis lędet eos quibus ius dicit,cæcas sententias proferens,cum quid iustũ sit,non uideat.quoties igitur nõ satis causas perspiciet propter perplexitatẽ earũ & caliginẽ, recuset officium iudicis,& litigatores & accuratius tribunal ableget.id uero nõ aliud fuerit q̃ sacerdotũ atq; pontificis. nam legitimi cultores dei mẽte pollent plurimũ,qui ne leuia quidem errata negligunt, propter excellentiam summi regis in cuius uersantur obsequijs. quapropter præcipitur omnib. sacrificis ut sobrij sacra faciant, ne subrepens delirationis potio hebetet oculos animæ. Et fortassis quoniã uerus sacerdos simul etiã uates est,non tam generis q̃ uirtutis beneficio consecutus sacerdotiũ ueri numinis,ideo nihil ignorat:quippe qui habet in seipso solem intelligibilẽ,et lucem omni umbra carentẽ, ut facile percipiat ea quæ sensum effugiunt,& sola ratione cõprehenduntur.Itẽ qui mensuras tractant ac pondera,negociatores,caupones,institoresq;,& quotquot uictui necessaria uenditant seu arida seu liquida,subijciuntur quidẽ ædilibus, debẽt tamẽ sibijpsis esse pro magistratibus si sapiunt,& non præ metu quod iustũ est facere, sed ex libera animi sui sententia.ultroneũ enim officium ubiq; coacto præferendum est. ideo præcipitur cauponibus,negociatoribus,& cæteris huiusmodi uitę institutum sequentibus,ut iusta pondera mensurasq; habeant, nullis technis insidiantes emptoribus, sed ingenue absq; omni fuco dicẽtes facientesq; singula,sic cogitantes,q iniqua lucra sint damnosissima, & ediuerso diuitiæ cũ iustitia coniunctæ nunq; intercidãt. Et quoniã operæ pręmiũ mercedes proponuntur opificibus, quod genus hominũ ex inopibus constat nõ ex diuitibus, lex iubet ut absq; procrastinatiõe repræsentetur eis quod debetur.Iniquũ ẽm fuerit diuites frui pauperibus,& cum ipsi laute uiuãt, differre solamen eorũ inopiæ. Hęc nõ'nne rudimenta sunt manifestaria,quibus pręcauetur ne peccetur grauius.nã qui ne mercedem quidem sinit differri ultra præfinitum terminũ,hoc est ultra uesperam, quando emeritã stipem referre domũ debet opifex, nõ'nne multo magis interdicet rapinis, furtis, decoctionibusq;, & id genus alijs, fingens formãsq; animos ad probatas omnibus uirtutis species? Illud quoq; recte interdicitur, ne quis impetat alterũ conuicio,præsertim surdũ,qui ne sentiens quidẽ iniuriã,par pari referre nõ potest. est ẽm iniquissima conflictatio, ubi altera parte agente,altera tantũ patitur.quisquis aũt muto surdoq; facit conuiciũ, similis est facienti cæcis offendiculũ,& obijcienti præ pedibus:quod cum illi transcendere nesciunt,& aberrant à uia,& impingendo crura oblędũt.Hos & eorum similes lex merito minis cælestibus intẽtatis territat,quandóquidẽ solus deus prótegit nõ ualẽtes sibijpsis succurrere.uideturq; illa tãtũ nõ his uerbis increpare iniurios:ô uacua cerebro capita, creditis uos latere posse

deum

dum illuditis miseris, & calamitates eorũ deridetis, maledicẽdo surdis auribus, & cæcos inducendo in lubricũ? certe deum inspectorem speculatoremq́ rerum omnium non latebit uestra insultatio petulans, cum & ipsi circumferatis corpora similibus malis exposita, & sensus uitiabiles, leuiq́ momento hebetari faciles, & interdum post acceptum detrimentum insanabiles. ita'ne immemores uestræ conditionis putatis uos exemptos ab humanis necessitatib. naturalibus, & ab incertis inexpectatisq́ fortunę insidiatricis casibus? quæ sæpe repentino percellit uulnere, & in media uitæ tranquillitate tantum non in portu nauigantibus infert naufragium. quid opus est uos insultare alienis miserijs, quasi non iusticia diuino tribunali assideat, quã uereri debueratis, insopitis oculis lustrantem omnia uel in penitissimis recessibus haud secus ac in luce clarissima. talium crudelitas, opinor, non abstineret nec à mortuis iniuriã, iugulatura hos quoq́, iuxta uulgare prouerbiũ: quãdoquidẽ partibus quodãmodo præmortuis non uerentur illudere. oculi eñ dum non uident, sunt mortui, sicut aures dum non audiunt, itaq́ si post cladem membrorũ suorũ etiam totus homo tolleretur è medio, ne tũ quidẽ ad miseratione mouereretur istorũ immanitas: adeò alieni sunt ab omnibus humanitatis affectibus, quos etiam infensissimis hostibus nonnunq́ exhibemus post obitum. Verũ de his hactenus. Deinceps aũt contexuntur alia præcepta similia, de non miscẽdis coitu iumẽtis diuersi generis, de nõ facienda semente inter uineas ob reportandũ fructũ duplicẽ, de non induenda ueste improbo artificio contexta è duab. diuersis materijs. quorum primũ opponitur adulteris, quo magis intelligatur nõ esse insidiandũ alienis thalamis, nec uitiãdos mores mulierũ, nec corrumpendã spem posteritatis procreãdæ legitime. qui enim bruta saliri nõ uult à diuersæ speciei admissarijs, quanto magis mœchos è sua ciuitate rejciet? Huc pertinet etiam quod de iusticia disseruimus, quandoquidem nihil uetat eadẽ alibi repetere, modo cõueniant. Est igitur iustũ ea coniungere, quę societatis sunt capacia. sunt aũt ad societatẽ nata quęcunq́ cadũt sub eandẽ speciem: sicut diuersorum generũ nulla est consociatio, quæ si quis miscet coitu nefario, ius naturæ quantũ est in se tollit è medio. proinde sacra lex hic quoq́ rationẽ habet iusticiæ, adeò ut ne arationẽ quidem fieri permittat iumentis imparibus robore, uetans sub idem iugum agi iuuencũ & asinũ, ne forte dum contẽdit cum robustiore infirmior, lassus succumbat operi, & in labore deficiat. & tamẽ taurus qui est ualidior, cẽsetur inter pura animalia, sicut inter impura asinus infirmior. nihilominus uel deterioribus in speciẽ, nõ inuidetur ius suũ, ut discant (opinor) iudices inter iudicandũ obscuro loco natos nõ contẽnere, quando nõ generis examẽ agitur, sed uirtutis aut uitij. Huic mãdato simile est illud ultimũ, de nõ texenda una tela è duabus materijs, lana linoq́. hæc enim non solum propter diuersas species male cõueniunt, uerũ etiã quia non est par eorũ firmitas, ut sic in usum recepta facilius rumpantur q̃ contexta fuerãt. his duob. præceptis mediũ est interpositũ de nõ facienda semẽte in uinea. primum ne hoc modo cõfundãtur diuersa genera. segetes eñ et arbusta nihil habẽt simile. ideo natura quoq́ nõ eosdẽ utrisq́ prępfixit terminos prouentus an-

nui:

nui: ſed meſsibus uer,æſtatis aũt extremũ comportandis arboreis fructib. itaq; fit ut eodẽ tempore illæ flaueſcant quæ prius uiruerant,arbores uero germinent ſqualore depoſito. per hyemẽ enim arboribus fronde nudatis uirent ſegetes, uere aũt redeunte areſcunt, quando germinãt mites ſylueſtresq; arbores.atq; ita ferè circa eundẽ terminũ cereales fructus matureſcũt,&arborei ſe exerunt.merito igitur tam diſtantes res natura,germinatione, maturitateq; legislator cõiungi uetuit,ut omnia diſponeret ordine. nã ordo affert ornatũ, quẽ adimit cõfuſio. Alia uero huius legis cauſa eſt, ne altera ſpecies lædatur ab altera, dum ſibijnuicẽ alimẽta ſubtrahunt, & humor in multas ſtirpes abſumptus languidiores eas facit præ inopia, aut in totũ ſteriles, aut fructũ degenerẽ. Eſt & tertia ratio,ne bonus ager prematur onere grauiſsimo, uexatus uel ſerentium plantantiumq; operis in orbem redeuntibus, uel duplicata ferocitate fructuũ. Satis enim eſt ſi dominus è ſuo prædio tributũ unũ exigat annuũ, ſicut rex è ſua ditione. qui uero plura tributa conatur imponere ſubditis,non facit officiũ boni principis, ſed auari & pugnantis cum naturæ legibus, quapropter quicunq; colonus nimis ad rem attentus inter arbuſta ſeminat, poteſt obiurgari his uerbis legislatoris: Cur ſæuior es regibus ciuitates regionesq; debellantibus? Illi proſpicientes futuro tempori ſuis parcunt prouincialibus,cõtenti uno tributo annuo,ne ſubiectos redigant cito ad extremã inopiam. Vos aũt cum ex eodẽ fundo colligatis in uere hordeũ atq; triticũ, in æſtate fructus arboreos,duplici eũ tributo grauatũ opprimitis. fieri nõ poteſt quin exhauſtus deficiat, quemadmodum athleta cui reſpirare nõ datur ac uires colligere,ut certamẽ redintegret. Videmini prorſus obliti utilitatis publicæ, alioqui ſi meminiſſetis præcepti proditi de anno ſeptimo, quo iuſsi agros ut ſacratos interquieſcere, immunes ab operibus ruſticis, in gratiam laborum exantlatorum per continuũ ſexennium, & annuorum prouentuum iuxta præſcriptos à natura terminos temporum: nihil contra receptum morem tẽtaretis ob auaritiam,nouas culturas cõminiſcendo, faciendo ſementẽ inter arbuſta & uineas: ut gemino reditu iniquo utroq; quotannis augeretis rem domeſticã, auare colligentes pecuniã iſtis ueſtris uaſtis cupiditatibus.certo nõ eſt eiuſdem hominis, ceſſationẽ immunitatẽq; ſeptimo quoq; anno ſuis prædijs concedere,ut quies hæc ea reficiat,& duplicibus eadẽ grauare premereq; oneribus.proinde neceſſe habui execrari ut impuros huiuſmodi reditus, ſiue autumni fructus ſint ſiue fruges ęſtiuæ:quandoquidẽ hoc pacto uim genitalẽ terræ uelut obtorto collo cogitis ſeruire ueſtræ auariciæ,& diuinæ beneficentiæ illuditis,nullũ modum finẽmue imponẽtes luxui.Ergo nõ cõplectemur talia monita,quæ procul homines arcẽt ab auaricia,retudẽdo eam acriter? nã ſi priuatus ciuis diſcat iniqua lucra è ſuis arbuſtis contẽnere, idẽ ad principatũ euectus uiros æque ac mulieres tractabit more ſolito, ne tributa exigẽs duplicia,nec uectigalib. ciues opprimẽs. cõſuetudo eñ inolita ingeniũ eius mite leneq; faciet,& tanq; pędagogus formabit in melius,hoc eſt meliorẽ notã iuſticię in animũ illius imprimet.Hæc ſunt quæ pręcipit lex ſingulis ciuibus. ſunt & alia quę gẽti uniuerſę imperat,cõmonẽs quomodo ſe gerere debeat nõ ſo

lum

lũ erga socios amicosq́;,uerũ etiã erga eos qui desciuerũt à fœderib. Si rece perint se intra munitiões uiolato fœdere, iuuẽtus uestra expeditionẽ suscipiat armis instructa & apparatu cætero,obsessisq́; hostib. oppugnationẽ differat, ne quid per iracundiã aggrediatur temere. oportet em̃ ante omnia perfeciales inuitari eos ad renouanda fœdera, simulq́; ostentari copias gerendo bello idoneas. tũ si pœnitentia defectionis admiserint pacẽ quibuscũq; cõditionibus,recipiatur libẽter in amicitiã.pax em̃ quantũuis iniqua,bello præferẽda est.q; si obstinati perstiterint in eadẽ insolẽtia, nostri quoq; forti animo rem gerant, inuictæ iusticiæ freti auxilijs, admoueãtq́; machinas muris hostilibus,& demoliti partẽ eorũ, irrumpãt strenue conferto agmine,telis feriendo eminus & gladijs cominus cædendo ad satietatẽ, inferẽdoq́; cladẽ quã accepturi fuerãt, donec stratis internecione hostibus,uictores auro argentoq́; potiantur & præda cætera.tum uerò urbẽ quoq; deleant incendio,ne denuo belli sedes fiat nouis hostibus, & ut exemplo eius terreantur finitimi, quãdo hominũ ingeniũ ex alienis calamitatibus solet discere modestiã.à uirginibus aũt & mulieribus abstineatur iniuria,quandoquidẽ ab his nihil est periculi, quas immunes à militia natura esse uoluit. Vnde liquet Iudæorũ gentẽ sociam & amicã esse omnib. pacẽ amantibus:non contẽnendam tamen,ut cui satis animorũ sit ad repellendam iniuriam,si quis ultro uelit lacessere. discernit aũt in bello,qui se infestent,qui nõ.nam cædibus sæuire in immeritos aut leuiter noxios,immanis est ferociæ,et ijsdem cladibus mulieres cum uiris inuoluere,quarũ uita pacata intra priuatos parietes se continet. Tantus porrò amor iusticiæ ex institutis domesticis concipitur, ut ne agros quidẽ hostiles uastare liceat, & arbusta cædere ad fructuũ interitũ.Videtur em̃ lex dicere: Heus tu,cur inanimis stirpibus infensus es, mitibus & mites fructus ferẽtibus? num aliquã significationẽ odij præ se ferunt arbores,ut aut læsus,aut ne lędaris ueritus,eas eradices? imò prosunt uictoribus præbẽdo rerũ copiã, uel uictui necessariarũ uel delicijs.nõ à solis enim tributa exiguntur hominibus, sed utiliora etiam quotãnis ab arboribus, sine quibus non datur uiuere.syluestrem aũt & sterilem materiã licet cuiuis cædere ad uallum & munitiones, aut si opus fuerit,ad parãdas scalas turresq́; ligneas. ad ista enim & similia usus earum est præcipuus. Hæc sunt quæ ad iusticiã attinẽt, quam nullus poeta,nullus scriptor satis laudauerit:tanta est eius excellentia. nam ut reliqua eius bona sileantur, unũ hoc omni laude maius est, quod ipsa omnes creaturas conciliat.Est enim æqualitas,ut naturæ scrutatores asserunt, mater iusticiæ. est aũt æqualitas lumen clarissimum, sol (ut ita dicam) factitius:sicut ediuerso inęqualitas,tum in defectu,tum in nimietate,fons & origo caliginis.At æqualitas omnia uel in cęlo uel in terra bene disposuit iure humano diuinoq́; immobili. Quis em̃ nescit,solem dimetiri æquabiliter dierum noctiumq́; uices & spacia certis proportionibus? siquidẽ quotannis recurrentia quæ ex re uocantur æquinoctia, uernum autumnaleq́;, natura tam manifeste signauit, ut uel indoctissimi sentiant,quantitate dies pares fieri noctibus.Quid lunæ cursus recursusq́;,à coniunctione usq; plenilunium, & inde rursus usq; coitũ & interlunium, nónne paribus dimetiuntur

tiuntur ſpacijs: nam ſiue creſcat ſiue decreſcat, utrunq; fit numeris dierum æqualibus. & augmentis detrimentiſq; parilibus. adeò in cælo quoq; puriſsimo eximius honor habetur æqualitati, ſicut & in uicino eius aere. Cũ enim quadrifariam annus ſit diuiſus in horas quas uocant, aer mutari ſolet naturaliter his uiciſsitudinibus, ineffabilem oſtendens in hac ipſa permutatione ordinẽ. nam in totidẽ menſes hyems, uer, æſtas, autumnus diſtribuitur, trinos uidelicet, atque ita expletur annus ſolidus: quem ideo Græci ἐνιαυτὸν nominant, quia in ſe recurrit ſua per ueſtigia, in ſe complectens omnia, quod aliàs fieri non poterat, niſi adiuuaretur horarum dictis uicibus. Eadem ęqualitas à cæleſtibus extendit ſe ad terreſtria, pro ſuo uigore natiuo, cum ſit ætherea natura prędita, & illic ex propinquo cuncta diſponens ſublimia, & deorſum more ſolis mittens ſecundos radios. Quicquid enim apud nos peccat, eſt inæqualitas: quicquid non decedit ab officio, æqualitatis opus eſt: quam in rerum uniuerſitate proprie mundum dicere licet: in ciuitatibus optimam & maxime legitimam reipub. ſpeciem democratiam, ſiue popularem adminiſtrationem: in corporibus ſanitatem, uirtutem in animis. nam ediuerſo inæqualitas morborum ac uitiorum cauſa eſt. Aetas quantumuis longa me deficeret, ſi uellem percenſere omnes laudes æqualitatis, & ex ea natæ iuſticiæ: ideo ſatius iudico iam dictis contentum eſſe, & ad excitandam ſtudioſorum memoriam, reliquas illarum imagines conſecrare in ipſorum animis.

PHILONIS IVDAEI
DE FORTITVDINE.



E IVSTICIA & his quæ ei coniuncta ſunt locutus quantum uiſum eſt eſſe commodum, tranſeo deinceps ad fortitudinem, non illam uulgarẽ armis martijs ſæuientem rabiem, ſed aliam, quæ ſapientiam non iram in conſilium adhibeat. quidam enim elati audacia fretiq; robore corporis, in acie muniti armatura ferrea, poſt magnas ſtrages hoſtium editas, claram quidem, at non propriam laudem rei bene geſtæ referunt, appellati glorioſi uictores plebeio iudicio, cum ſint immanes beluæ, aucta per diuturnam meditationem genuina ferocia ſitientes humanum ſanguinem. alij uerò domi manentes, corpore affecto morbis aut ſenectutis moleſtijs, ſed meliore ſui parte animo iuueniles ac ualidi, magnanimitate pleni atq; fiducia, ferrum ne in ſomnis quidem tractare ſoliti, bonis conſilijs ſæpe iuuerunt rem & priuatam & publicam in ſummo ſalutis diſcrimine, conſtanter ſequendo utilia uel amicis uel patriæ. hi ſunt qui exercent ſe in uera fortitudine, meditatores ſapientiæ. penes alteros eſt ſolum nomen fortitudinis, imperitiæ morbo immedicabili obnoxios, quos aptius audaces quàm fortes dixeris: ſicut adulterini numi referunt nonnihil ueram principis effigiem. nec deſunt & alia in uita toleratu

difficilia

difficilia confessione omnium, paupertas, obscuritas, defectus integritatis sensuum membrorumq́, & morborum species multifariæ, quibus succumbunt pusillanimes, ita ut non possint se contrà erigere. Sed quicunq́ generoso animo ad certamẽ sese expediũt, fortiter contẽnunt minas istas & terricula: opponuntq́ paupertati opulentiã, non illam cæcam, sed aliã perspicacem, quæ mundũ suum recondere solet in animo. multi enim paupertati succubuerũt, tanquam ignaui athletæ, propter infirmitatẽ animi. cæterum uero iudicio nemo egenus uidetur qui cõtentus est naturæ diuitijs nunq́ deficiẽtibus: primum aere quo indefinenter alitur, respirãs noctu & interdiu, deinde largis fontibus amnibusq́ tam torrentibus quàm perennibus spõte potum copiosum subministrantibus: item arboribus uarios fructus ad cibum quotannis porrigẽtibus. nam hi certe desunt nemini, sed passim omnibus præsto est magna eorum abundantia. quod si qui contemptis naturæ diuitijs sectantur istas quas uulgus falso sic nominat, malunt sequi cæcum ducem quàm uidentem, & infirmo baculo innixi uitare non possunt quin procidant. Dixi quas opes corpori suggerat naturæ munificentia: dicam & alias augustiores, quæ non omnibus contingunt, sed solis diuinis uiris & uere uenerabilibus. Eas opes sapientia porrigit per rationales, morales, naturales contemplationes atq́ dogmata, ex quibus uirtutes proueniunt, quæ luxũ eijciunt ex animo, & frugalitatis amorẽ excitant, ad quandam dei similitudinem. nam & deus nulla re indiget, sibijpse sufficiens. at malus uir requirit plurima, semper quæ desunt appetens, propter cupiditatem insatiabilem, quam ipse quasi ignem fouens, ad parua æque atq́ magna lucra contendit. contrà bonus paucis contentus, in naturæ mortalis immortalisq́ situs collimitio, corpus quidem habet egestati obnoxium, animum uero diuitem, aspirantem ad immortalitatem. atq́ ita paupertati opulentia opponitur, obscuritati uerò gloria. laus enim cum à uirtute proficiscatur, uelut à fonte perenni, nõ moratur uulgi suffragia, animorum inconstantiã aperientis incertis uocibus, quas nonnunq́ largitionibus corruptũ perfricta fronte uenditat. itaq́ horum uilis est existimatio. uirtus enim non late inter mortales diffunditur. defectui uerò sensuum in multis uiuis præmorientium, cum aliud remedium nõ inueniatur, obijcit se prudentia res præcellentissima, illustrans mentis oculos, incomparabiliter acutiores quàm istos corporeos. nam hi superficiem cõtemplantur rerum uisibilium, adiuti externo lumine. illa intimos etiam sinus penetrat, tota quãta sunt corpora diligenter considerans, & insuper naturas incorporeas, quas sensus speculari non potest. nam ferè totam perspicacitatem oculorũ intelligit, non indiga lucis ascititiæ, cum ipsa sidus quoddam sit, instar illorum cælestiũ. proinde morbi corporis tantisper dum anima sana permanet, nõ lædunt admodũ. est autem animæ sanitas, bona cõstitutio potentiarũ eius, irritabilis, concupitiuæ, rationalisq́, ita ut rationalis cæteris præpolleat, & utramq́ uelut effrenes equos cohibeat. huius sanitatis propriũ nomen est sobrietas, Græce *σωφροσύνη*, quòd conseruet prudentiã, & eam nostri partem qua sapimus. Curat enĩ ne perturbationibus tanquã fluctibus pulsata oppugnataq́ pessum eat, sustentãs eã attollensq́, & quodãmodo animãs

immortalemq́ faciens. hæc autẽ omnia quo pacto fieri oporteat, multis in locis docemur sacris legibus, ingenia docilia lenius admonentibus, contumaces uerò grauius obiurgantibus: ut contemnant res externas ac corporis, & unicũ scopum sibi proponant, uitã cum uirtute agendã, cætera tanti faciant, quantum conducunt ad hoc propositũ. Et nisi disseruissem in prçcedentib. scriptis de singulis quæ conferunt ad modestiam, prolixius nũc agerem, contexens & in unum cõtrahens prçcepta passim super hac re prodita: sed quia tunc dictum est quantũ licuit pro tempore, nõ libet eadem repetere. si quem non pigebit superiores libros legere, inueniet quicquid dictum est de modestia, posse accõmodari ad fortitudinẽ: quoniam constantis, firmi generosiq́ animi est, despicere cuncta quæ fastus suspicit, sinceræ uitæ corruptor. Tanta porrò contentione lex studet exercere confirmaréque animos ad fortitudinem, ut & de uestimentis qualibus utendũ sit, prçcipiat, diserte interdicens ne uir sumat muliebria, ne uel umbra aut uestigium effœminationis sexui masculo inurat aliquam maculam. semper enĩ naturam sequendo obseruat quid deceat etiam in rebus minimis, quæ infra curam legislatoris uideri poterãt. cum enim animaduerteret difformia esse uirorũ mulierũq́ corpora, & utriusq́ sua esse officia: alteris attributã curam rei domesticæ, alteris publicæ, & ab ipsa natura nõ ad eadem factos negocia, oportereq́ bonam mentem sequi naturæ instituta, utile iudicauit de his quoq́ rebus decernere, scilicet de uictu amictuq́, & huiusmodi cçteris. uoluit enim uirum etiam in his se ut uirum decet gerere, præsertim in uestitu: quem cum die noctuq́ circumferat, talis esse debet ut eum semper decori honestatisq́ admoneat. sic & mulierem ornans pro dignitate, uetat uirilem uestem sumere, longe submouens tum effœminatos uiros, tum plus æquo uiriles fœminas. Nam si unum aliquid mutaueris, ne cçtera quidem pristinam formam retinent, ut licet in ædificijs cernere. Præterea cum res hominum duobus spectentur temporibus, pacis belliq́, suas quodque uirtutes requirit. Verum de alijs dictum est aliubi, & rursum posthac dicetur, si opus fuerit. nunc non obiter disquirendum uidetur de fortitudine, cuius etiam in pace opera legislator laudauit sæpenumero, prout opportunum fuit, de quibus suo loco mentionem fecimus. itaque aggredimur dicere quantum in bello ualeat, illud præmonendo: cum habetur delectus militum, non oportere uniuersam iuuentutem euocari, sed esse exceptionem ob causas immunitatis idoneas. Ante omnia non admittendos timidos, ob natiuam pusillanimitatem futuros socijs exemplo ignauiæ. Facile enim serpit uitiorum contagio, præsertim in tumultibus bellicis, ratione per contentionem turbata, nec satis ualente discernere quid tentare debeat. Tunc enim ignaui cautos se uocant, timidi consultos, segnes prouidos, prætexendo uicia turpissima honestis uocabulis. Ne igitur talium militia detrimento afficiat rempublicam, & prosit partibus hostium, ignauos facile trucidantiũ, legislator sciens inertẽ turbam impedimento esse non adiumẽto, prohibuit timidos: sicut & ducibus corpore inualidis nemo imponit necessitatem militię, quos excusat infirmitas. nam timiditas quoque morbus est, & quidem grauior quàm corporis. alter enim nõ diu durat:

durat:hęc uero coalita ceu membra agnata corpori,à tenera ętate perseue-
rat usq; ad extremam senectutem,ni deus remedium attulerit. is enim po-
test omnia. nec tamen omnes audaces iubentur dare nomina, etiamsi ani-
mo corporéque ualidi cupiant cum primis patrię nauare operam:sed lau-
data horum prompta uoluntate, & alacritate approbata socijs, exami-
nat dux nequibus sint obnoxij causis efficacibus ad distrahẽdos à propo-
sito eorum animos.Edicitur enim ut siquis ædificauit domũ,necdũ immi-
grauit in eam:siue plãtauit nouellã uineam opera sua, necdum aduenit tẽ-
pus uindemiæ:siue spõsam habet uirginem,necdũ celebrauit nuptias: ab-
stineat à militia.humana sane remissio duabus de causis: una, quoniam in-
certi sunt casus bellorum, nequis ociosus fruatur alienis laboribus. ini-
quum enim uisum est non permitti è proprijs fructum percipere, & cũ a-
lius ædes extruxisset,inhabitare has alium, & ex consitis ab alio uitibus a-
lium uindemiam facere: cumq; alius procatus sit, alium nuptã domũ du-
cere:atq; ita sua spe frustrari qui aliquid cõmodi in uita expectauerit. alte-
ra uero causa,ne præsentes corpore in exercitu,absint animo. necesse est e-
nim mentem illò tendere,quò desiderio trahitur. nã quemadmodum esu-
rientes sitientes'ue ad conspectum cibum potum'ue accurrunt ut auidita-
tem expleant:ad eundem modum quicunque uxorem legitimam aut do-
mũ aut prædium parauerũt sua industria,sperãtq; se iamiam potituros eo-
rum cõmodis,ægre ferunt speratum fructum intercipi sibi: ut quãuis uer-
sentur inter socios,meliore tamen sui parte absint animo, quo solo res for-
titer aut secus geritur.hos igitur & similes in delectu militum prætereun-
dos legislator noster existimat,&asciscẽdos alios integros ab omnib.per-
turbationibus,ut expediti liberiq; sine tergiuersatione aggrediantur peri-
cula.sicut enim armatura solida nihil prodest infirmo aut mutilato corpo-
ri,cp perferri nequeat:sic anima infirma corpus quoq; male afficit,& inha-
bile reddit ad pręsens negocium.Eam ob rem non solum tribunos centu-
rionesq;,& cæteros ductores ordinum, uerũ etiam singulos milites inspi-
cit,examinãs tum robur corporis tum mẽtis habitũ: illud num usquequa-
que sanũ sit & integrum,absolutũ partib. omnibus mẽbrisq; agile:hãc ue-
ro num audacia plena sit ac fiducia,sui compos & cõtemptrix terroris:ad-
hæc honoris cupida,& honestã mortẽ uitæ ignominiosæ præferẽs. hęc e-
nim uel singula proculdubio ualent plurimum: si uero in unum conueni-
ant,fortitudinem afferunt inexpugnabilem, adeò ut incruẽta uictoria pò-
tiri liceat:quod exẽplo euidẽtissimo docent sacrę literæ.Arabũ gẽs.est nu-
merosissima,quos Hebræi prisci Madianços nominabant.hi cũ odio pro-
sequerentur Hebræos,ut deditos cultui summi numinis, & ab ipso in tu-
telam receptos,omni conatu uarijs'que artibus tentabant eos à uera pieta-
te ad impias superstitiones seducere: quòd non sperarẽt aliàs consecutu-
ros se de illis uictoriã. cumq; parũ eis succederet quicquid dicerẽt aut fa-
cerent,præ desperatione ruentes in pericula tali usi sunt stratagemate. ac-
citis mulierum formosissimis,sic eas allocuti sunt: Videtis immensam He-
bræorum multitudinem, eamq; munitam egregie consensu atq; concor-
dia.ut autem sint unanimes,facit cõmunis unius dei religio,à qua ceu fon-
Philo R 2 te nasci-

te nascitur indissolubilis amicitia. potest tamē homo uoluptate decipi, præsertim uenerea. Vos estis forma uenustissima ornatæ, cui natiuæ insunt illecebræ, & iuuentus procliuis est ad incontinentiam. nec uos deterreāt scortationis adulteriiq́ nomina, quasi allatura dedecus, cum ediuerso tāta proponatur utilitas publica, quæ facile præsentem turpitudinem uertet in immortalem gloriam, si hoc astu succedente uestris corporibus redemeritis de hoste uictoriam. animis certe incolumis constabit sua pudicitia, quam in futurum licebit uobis colere. ita hoc bellum conficietur cum peculiari laude mulierum, quod uirorum uirtute debellari non potuit. Fatemur enim nostrum sexum hostibus imparem, omni apparatu instructioribus. uester sine dubio dabit uictoriam, & rem bene geret absq; periculo. nam sine cruore, atq; adeo citra puluerem, solo aspectu superabitis aduersarios. his auditis fœminæ quæ castitatem ne per somnium quidem cognouerāt, & educationem honestam nunquam gustauerant, libenter consenserunt: omissoq́; ficto castitatis studio, quod paulisper simulauerāt, ornant se preciosis uestibus monilibusq́; ac muliebri mundo cætero, atq; ita cultu exquisito natiuam augent pulchritudinem, & magna contentione ad captandam iuuentutem circumuentu facilem in apertum prodeunt. Vbi uero accesserunt propius, aspectibus meretriciis & uerborum lenocinio, saltationibus etiam ac lasciuis gestibus, iuuenum partem non contemnendam pelliciunt: pertractisq́; in stupri societatem animis nulla morum disciplina cō stabilitis, ad profana quoq; sacra eos induxerūt, & libationes nefarias manufactorum numinū, abalienatos à religione ueri dei quem antea pie sanctéq; coluerant. quo facto retulissent uiris suis lætum expugnati hostis nūciū, ni propitius deus casum miseratus repræsentasset amentiæ deploratæ supplicium. Erant aūt uigintiquatuor milia cō tacta hoc crimine, ita ut ceu torrente abrepti castigatione seuera tollendi essent è medio, ad metu continendos reliquos in officio. proinde gentis princeps qui pietatem auribus suorum per præcepta plurima inculcauerat, è singulis tribubus millenos delegit fortissimos, sanctitatis dolo malo uiolatæ uindices: ut eos qui sperarent pietatē astu muliebri penitus subuertere, ferirent ultore gladio, quā uis non plures ꝙ dixi, deceperant. is exercitus exiguus numero contra plurima hostium milia progressus in aciem, uirtute ac rei militaris peritia superans, cum singuli cohortis animos gererēt, contemptim irruit facto cuneo, stratisq́; primoribus manipulis simul ac subsidiariis, ad primum clamorē sublatum cladem ingentem patrauit, & internecione deleuit hostiles copias. deniq; ne mulieribus quidem pepercit, quæ impio consilio uirorum assenserāt: solæ uirgines seruatæ sunt ætatis innocētis miseratione. Hæc uictoria fuit incruentissima, nemine desiderato è sociis, ac ne sauciato quidē, sed cunctis integris in castra reductis ex acie, atq; etiam ualētioribus ꝙ exierant iuxta ueram æstimationē, quippe quos alacriores uictoria reddiderat, conduplicatis corū uiribus. nec alia fuit causa huius felicitatis, ꝙ quòd fortiter pro pietate in certamen descenderant, cuius propugnator & adiutor deus esse solet, consilia bona suggerens, & robur addens corporibus. Liquet enim opem diuinā affuisse, uel quia multo plures à paucis profligati

sunt

ſunt proſtratiq́;, uel quia nemine hoſtium ſuperſtite nemo ſociorum pe-rijt, integris & uiribus & numero. Quapropter exhortans ad bene uiuendum uates ſic loquitur: Si iuſticiæ cęteriſq́; uirtutibus operam dederis, uitam pacatam uiues: aut ſi bellum exoriatur, facile hoſtes debellabis, deo clā obeūte imperatoris munia, cui ſalus bonorum uirorum ſemper cordi eſt. Ergo ſiue pedeſtres equeſtreſq́; copiæ cum armis ingruant, ſiue munitiora loca in poteſtatem eorum ueniant, ſiue apparatus belli fiat maximus, caue formides, etiam ſi minus inſtructus ſis apparatu, ſocijs, armis, locorum opportunitatibus, & commeatibus. illas enim opes, uelut nauem onerariam refertam uarijs mercibus, ſæpe repentinus uentus ſubmerſit aut alliſit. mediocres autem res & tenues, uelut ſpicas iam per ſqualorem ſitimq́; languidulas, deus rore pluuiaq́; ſalutari demiſſa excitauit ac reparauit, & ad maturam frugem perduxit. Vnde ſatis apparet, q́ iuſtis pijſq́; proſpicere nunquam deſinat. nam quicunque cum deo fœdus habēt & amicitiam, hi felicitatis tenent faſtigium: ſicut e diuerſo longe miſerrimi ſunt, qui ſentiunt illum parum propitium. Hactenus & de fortitudine dixiſſe in præſens ſufficiat.

PHILONIS IVDAEI
DE DECALOGO QVOD
EST IVRIS SVMMARIVM.



ITAS ſapientum, quos Moſes autores noſtri generis prodidit, & leges nō ſcriptas, quas ſacrę literę cōtinent, in ſuperioribus libris ſatis indicauimus: reliquū eſt ut deinceps leges ſcriptas ſpeciatim excutiā diligentius, ne penitiore quidem & allegorico earū ſenſu præterito, propter mentes ſtudioſas parandæ ſcientiæ, obſcura non minus q́ aperta inquirere ſolitas. Si quis igitur quærat, cur nō in ciuitatib. ſed in uaſta ſolitudine hæ leges perlatæ ſunt, reſpōdendū: primum, quia pleræq́; ciuitates uix dici poteſt q́ refertæ ſint uicijs, ſiue ſpectes impietatē erga numen cæleſte nefariam, ſiue mutuas iniurias hominum. nihil enim in his nō deprauatur, ubi adulterinæ res pluris fiunt q́ legitimæ, & ueræ nō tantū ualent quantum uerisſimiles, naturam ſuam tegentes mēdacio, & falſis imaginibus illudentes uulgo credulo: ubi etiam faſtus inſidioſus exoritur adoraturq́; à uanis hominib. ſtupētibus ad cōſpectum coronarū aurearum & purpuræ ſellarumq́; curuliū, quibus impoſitas celſas poteſtates dijs ęquas officioſa turba aſſeclarum proſequitur, inuectas quadrigis mulorum equorum ue, interdum etiā lectica geſtatas ſuccollantib. hominibus, & ipſo corporis habitu animum ſeruitute oppreſſum oſtendentibus. Is faſtus aliorū quoq́; multorū malorum eſt opifex, arrogantiæ, contēptus, impietatis: unde origo bellorum externorū & ciuiliū, dum terra mariq́; turbatur, nō pu-

blicis rebus non priuatis in quiete manētibus. & quid opus est de mutuis hominum iniurijs dicere, cum idem fastus etiam res diuinas paruipendat, quarum honor putatur præcipuus? quis enim honor esse potest, ubi deest ueritas, res honorata, sicut & nomen eius: quandoquidem illi contrarium mendacium suapte natura est uile ac aspernabile. Quàm autem contempta sit religio, sciūt qui modo utuntur oculis. nā pictores fictoresq; innumeris simulacris templa fanaq; repleuerunt & circumdederunt, eaq; surda & inanima dignati sunt aris ac honoribus cælestibus, quod genus hominum sacræ literę natis ex meretrice adsimilant. sicut enim hi patres appellant omnes, à quibus mater adamata fuerat, cum naturalem parentem nesciant: ita populi oppidatim abalienati à ueri dei noticia, innumera sibi consecrauerunt falsi nominis numina. cumq; alius aliud colendum accepisset, ex hac de summo bono dissensione cæteræ contentiones uniuersæ enatæ sunt. & hoc est cur extra ciuitates legem diuinā perferri placuit. huc accessit causa altera, quòd ad sacras leges recipiendas animus purificatus requiritur, elutis maculis quæ hærent ex miscellaneæ turbæ in ciuitatibus degentis contagio. id uero non est possibile aliter q; in secessu efficere, & longo temporis spatio, donec exolescant & euanescant ueterum erratorum species ex animo: qui modus obseruatur etiam à peritis medicis. nec enim prius cibos ægrotis præbent, q; morbi causis sublatis. nam illis manentibus alimenta fiunt inutilia, ut quæ uertuntur in humorum noxiorum materiam. nō mirum igitur si à perniciosa ciuitatum cōsuetudine in desertum abductus est populus, ut animos purgaret ab iniquitatibus, moxq; mentis alimenta caperet, uidelicet leges præceptaq; diuina. Quin & tertia causa eius facti adfertur hæc: Quemadmodum qui longinquam nauigationem suscipiunt, non inter soluendum è portu uela parant & gubernacula, sed anteq; nauē conscendāt, instructa habent quæcunq; ad propositum suum sunt necessaria: ad eundem modum decebat ut accepturi agros & nouellas colonias, non unà cum eis leges acciperent, sed iam ante præparata haberent instituta & uitę regulas, ne rudes ac inexercitati admouerentur ad rempublicam, cum satius sit iam ante recepto iure cōsociatos sua quemq; obire negotia. Nec desunt qui & quartam causam afferant, non alienam à ueritate quantum ego iudico. Quoniam enim oportebat persuasum esse mētibus, leges has non esse commenta humana, sed oracula certa diuinitus prodita, abducta est multitudo longe ab urbibus in uastam solitudinem omnium fructuum mitium sterilem, atq; etiam aqua carentem limpida: ut constituti in summa cibi potusq; inopia, & salutis periculo, repente inuenirent sponte oblatam rerum copiam, in panis uicem depluente manna cælitus, accedentibusq; in obsonium coturnicibus, aquis autem nunc edulcatis deposita salsugine, nunc è rupe largo fonte promanantibus: ne posthac Nilum mirarentur, aut deum esse legum nouarum autorem ambigerent, sumpto bonitatis eius experimento manifestissimo in tam insperato egestatis remedio. Nam qui ope sua uitam eis prorogabat, idē præscribebat etiam bene uiuendi formulas: alterum præstans suggerendo commeatus quos nō prę parauerāt, alterum uero ferendo leges profuturas corrigendis animis. Hę

causæ

causæ possunt afferri uerisimiles: ueræ deo soli notæ sunt. ego contentus iam expositis, deinceps leges ipsas tractabo diligentius, præfatus primùm, leges has partim deum ipsum prodidisse uocis suæ oraculo absq; ullius interpretis ministerio, partim per Mosem prophetam, quem unum ex omnibus optimatibus maxime idoneum enunciandis his sacris præceptis delegerat. Quas igitur ore suo cecinit, & leges sunt, & capita legum particularium: quas autem uates promulgauit, omnes ad illa referuntur. De utrisq; dicam quantum potero, & primum de summarijs, in quibus illud mirandum occurrit ante omnia, quòd absoluũtur denario numero inter omnes perfectissimo, complectente cunctas numerorum differentias parium & imparium, parium duorum, imparium trium, pariter imparium quinq;, & rationes eorum multiplicatiuas ac superpartientes superpartitas que: item proportiones tum arithmeticas quæ tantundem numero superant quantum superantur ab alijs, ut in I. II. III. tum geometricas, ubi sicut se habet secundus ad primum, sic ad secundum tertius, ut patet in I. II. III. & in duplis triplisq; ac sesqualteris supertertijs'que & similibus. Nec deest harmonica proportio, iuxta quam medius inter extremos æqua portione uel superatur uel superat, ut apparet in secũdo, quarto sextoq;. Quin & triangulorũ, quadrangulorũ, aliorumq; multiangulorũ proprietates denarius numerus continet: atque insuper symphoniarum, eius quæ diatessaron uocatur proportionem habens supertertiam: & eius quæ diapente, quæ est sesqualtera, ut tria ad duo: sicut dupla quæ diapason dicitur, ut duo ad unum. quadrupla uero disdiapason, ut octo ad duo. Quapropter impositores primi nominum, uiri sapientes, meritò uidentur appellasse hanc δεκάδα quasi δεχάδα, quòd capiat comprehendatq; omnia numerorum genera, & rationum proportionumq; arithmeticarum, ac insuper harmoniarum symphoniarumq;. Hæc sunt quæ denarium faciunt admirabilem, qui complectitur naturam & indimensam & dimensionibus obnoxiam. indimensa ad solum punctum pertinet. dimẽsiua tres habet species, lineam, superficiem, solidum. Quod enim duobus punctis terminatur, est linea: superficies uero quod duas dimensiones habet, accedente ad lineam latitudine. Tres autem dimensiones solidum corpus conficiunt, quando & altitudo assumitur: nec habet natura quò procedat ulterius, quandoquidem non plures tribus dimensiones produxit. Harum rerum exempla uidere licet in numeris, indimensi puncti unum, lineæ duo, superficiei tria, solidi quatuor, qui numeri compositi denarium conficiunt, alijs quoq; spectabilem pulchritudinibus. Nam per hunc numerus infinitus penè fit mensurabilis: quia cũ constet è quatuor terminis uno, duobus, tribus, quatuor, totidem termini gignunt centenarium è denarijs. Nam X. XX. XXX. XL. centenarium faciunt. Sic è centurijs fit millenarius, è millenarijs myrias. Vnitas autem, denarius, centenarius, millenarius quatuor sunt termini, è quibus denarius nascitur. In eo præter iam dictas numerorum differentias apparent & aliæ: primò is quem metimur unitatibus, ut III. V. VII. deinde quadrangulus quartus, pariter par. denique cubicus octauus, pariter par pariter. Quin & ille perfectus senarius, exæquatus sui partib. ternario, binario, u-

nitatiq;. Quorsum autẽ attinet decadis uirtutes innumeras percensere obiter, quæ per seipsæ possunt exhibere amplum argumentũ mathematicis? dilatis igitur alijs unam etiã non intempestiue memorabo docendi gratia. Quæ in rerũ natura prædicamẽta uocantur, decem sola esse aiunt studiosi philosophię, substantiã, qualitatem, quantitatẽ, ad aliquid, agere, pati, habitum, situm, & sine quib. nihil, locũ tempusq;. nihil est enim non horũ particeps. Equidẽ substantiã habeo desumptam ab elemẽtis singulis ex quibus mũdus totus cõpactus est, terra, aqua, aere igneq;, quæ ad mei cõtemperationem sufficiũt. particeps sum & qualitatis, quatenus homo, & quantitatis pro statura. ad aliquid quoq; cõsideror, cũ mihi dexter aliquis sinister've astitit. ago quippiã fricãs tondensq;, patior frictus tonsus've ab alijs. in habitu examinor indutus armatus've: in situ sedens cubans've. Sum utiq; in loco & tempore, quandoquidẽ nihil ex omnib. prædictis absq; his ambobus potest subsistere. de his igitur satis dictũ sit. superest ut attexamus decem illa præcepta siue leges, seu uerius oracula, quę pro totius gentis cõcione, ne mulieribus quidẽ ab hoc cœtu semotis rerũ pater cecinit. Quæres, num ipse uocẽ mittens? absit ut in mentem nostrã descendat hæc cogitatio. nec eñ more hominũ deus habet opus ore, lingua, & arterijs: sed opinor eum illo tempore sacrum quoddã edidisse miraculũ, iussisseq; uocem inuisibilem prodire ex aere, quouis instrumento absolutiorẽ sonantioremq; non inanimem, nec tamen profectam ex corpore animato qualis est animalium, sed animam rationalem diserte sonorã: quæ pulsato aere formatoq; in flammæ speciem, spiritu quodam instar tubę articulate ab omnibus exaudiretur uel prope uel longius distantibus. hominũ enim uoces in longũ extentæ solent deficere, ut à procul stantibus percipi clare nequeant, hebetatæ paulatim medio spatio, ut profectæ ab instrumentis corruptibilibus. hanc autẽ nouam uocem & mirificã inspirabat dei uirtus uegetabatq;: & diffundens eam per omnia, pulsabat aliũ quoq; auditum præstantiorẽ q̃ aurium, uidelicet tangẽs singulorum animos. sensus enim cum sit tardior, nil mouetur, donec percellatur à motu aeris: at mens afflata numine, ultro procurrit præceptis eius obuiam. Hactenus de uoce diuina. Quærat & illud aliquis nõ immerito, cur in cõcione tam multorũ milium, quodq; oraculũ singulos appellat nõ plures: Non mœchaberis, non occides, nõ furaberis, & ad eundẽ modum cætera. Respondendũ est igitur, ideo placuisse hanc formulam, ut lectores sacræ scripturæ discerẽt quiddã ualde pulchrũ & necessariũ: uidelicet unumquenq; tantisper dum deo paret ac legib. honore æquari frequẽtissimo populo, uel potius omnibus gentib. addo amplius, mundo etiã uniuerso: quoniã alibi quendã iustum uirũ laudãs inquit, Ego sum deus tuus: ipse aũt erat etiã deus mũdi totius. ita qui pariter suum ordinem non deserunt, & imperatori pariter officium suum approbant, in eodem honore habentur. Altera causa est, quia qui concionem alloquitur, non semper interdicit aut præcipit: cum aũt singuli admonentur quid agere debeãt, omnes docentur eadem opera, & quisq; redditur obsequentior, sibi dictũ existimãs. qui uero cũ cætera turba cõprehenditur eodem alloquio, surdescit, turbã ipsam prætexẽs suę cõtumaciæ. Tertia causa

hæc

hæc affertur, exemplũ hic datum esse ne quis unquam rex tyrannus'ue superbe despiciat priuatũ obscurumq; ciuẽ, sed doctus à sacris legib. deponat supercilium fastumq; dediscat, sic secũ uerisimiliter, imò uere, cogitans: Si ille ingenitus, immortalis, sempiternus, nullius indigus creator rerum omniũ, beneficus regum rex & deus deorum, ne humilissimũ quidẽ cõtemnere sustinuit, sed hunc quoq; admisit ad oraculorum suorum epulũ, tanquam inuitato ei soli paratũ ad exhilarandã animã quantũ fas est sacris magnisq; mysterijs initiatã: ego mortalis cur inflatus ceruicem erigã efferens me ultra eiusdem naturæ participes, fortuna impares mihi nõ origine generis, eadẽ forma insignitos, & mecum cẽsos in hominum numero? exhibebo igitur me comem & affabilem, etiam si terræ marisq; imperium assequar, uel egentissimis obscurissimisq; domestico destitutis auxilio, utroq; parente orbatis, & mulieribus uiduitatẽ tolerantibus, senibusq; quibus aut nunquam cõtigerunt liberi: aut erepti sunt immaturo interitu. homo enim cum sim, non est æquum ut maiestatem tragicam in me recipiam. continebo me intra naturam meam, nec transgrediar eius terminos: assuefaciam potius mentem humanitatis affectibus, nõ solũ propter incertas fortunæ uices mutantis lætis tristia, uerum quia sic decet etiamsi felicitas maneat perpetua, non obliuisci conditionis suæ. hæc sunt opinor causæ cur singulariter loquuntur oracula, quasi dirigantur ad unum hominem. Interea, ut par erat in præsentia numinis, omnia perstrepebant prodigiosis tonitribus aures obtundentibus coruscabant fulguribus micantissimis, sonus tubæ inuisibilis è longinquo exaudiebatur è nube, quæ instar colũnæ innixa terræ è basi tendebat ad æthereã celsitudinem cælestis ignis impetu, profunda caligine fumi offuscante circumuicinũ aerem. oportebat enim ad dei aduentum turbari mundũ omnib. sui partibus, & exciri ad ministerium. Adstabat autem populus purus à mulierib. & omnibus uoluptatibus abstinens præter cibos necessarios, lauacris etiã purificatus per triduũ, candidis nitidisq; indutus uestibus, arrectus & attẽtus, ita ut Moses præmonuerat. is enim iam diem concioni præstitutã seorsum didicerat. Tum uox è medio flammæ superne ruentis horrendum insonuit, diserta & articulata iuxta cõmunem captũ auditorij, tam manifeste se ingerens, ut uidere magis quam audire se putarent: sicut in lege ipsa scriptũ legitur his uerbis, Vniuersus populus uidebat uocem apertissime. Humana enim uox auditu, diuina uisu, percipitur. quare? quia quæcunque deus dicit, non uerba sunt, sed opera, quorum iudicium non tam est penes aures quàm penes oculos. Siquidem pro dignitate rei dicitur è flamma uox procedere. probata sunt enim dei præcepta, uelut aurum igni examinatum. Nec caret hæc figura mysterio. Quoniam ignis habet uim geminam, illustrandi urendiq;, præcepta hæc obedientibus erunt per totam uitam pro lumine, legibus ceu sideribus animæ prælucentibus. quotquot autẽ cõtumaces fuerint, æstuabũt urenturq; intestinis concupiscentijs, more flammę totos homines semel occupatos depascentibus. Hęc sunt quæ præfari necesse fuit. Nunc sermo erit de ipsis præceptis, & dispiciemus quid à se inuicẽ differunt. decẽ enim cum sint, in quina diuiduntur, inscripta duabus tabulis. prior quinarius habetur potior, secundus inferior.

rior.utraq; bona sunt & ad uitā utilia, uias latas in unū finē cōpetētes sternentia, per quas anima summi boni cupida inoffensum iter faciat. ille igitur potior quinarius de monarchia loquitur, qua mundus regitur, de statuis simulacrisq; & id genus manufactis operib. de non assumendo in uanū Dei nomine, de obseruatione religiosa diei septimi, de honorandis parentib. & ambobus & singulis. itaq; una hęc tabula incipit à deo patre cōditoreq; rerum omnium, definit in parentes, qui ad illius imitationem gignunt particulariter. alter quinarius ex interdictis constat, uetans adulterium, homicidium, furtum, falsum testimonium, concupiscentiam. ea praecepta singula perscrutāda sunt diligenter, ne quid à proposito euagetur oratio. Principium rerum omnium optimum deus est, sicut uirtutum pietas: de his igitur necesse habemus ante omnia disserere. Error non exiguus occupauit maximā partem humani generis, de re quae uel sola uel inter praecipuas ab omni errore libera puraq; infigi debuerat singulorū mētibus. nā alij quatuor elementa cōsecrata suis decretis colunt tanq; numina: alij solem ac lunam caetera'que sidera tum fixa tum erratica: alij caelū, alij mundum uniuersum. at illum summum antiquissimumq; parentem, illum magnae ciuitatis principē, & imperatorē inuicti exercitus, omnia gubernantem salubriter, silentio texerunt, istis falso nominatis imponēdo alias alia uocabula. uocant enim terrā Proserpinam, Plutonem, Cererē: mare Neptunum, in cuius famulicium fingunt turbas maximas geniorum sexus utriusq;. Sic aerem Iunonē, ignē Vulcanū, solem Apollinē, lunā Dianam, luciferū Venerē, stilbonta Mercuriū: & alijs stellis indūt alia cognomina desumpta è fabulis, arte cōtextis confictisq; ad decipiēdas aures credulas: mirifice'que sibi placent hac nominum elegantia, dum orbe dissecto in duo hemisphaeria, alterum superius ac conspicuum, alterum subterraneum, appellant ea gemellos Castores, & addunt prodigiosum mendacium de uita eorum alternis diebus mutabili. cum enim caelum continenter & irrequiete in orbē circumagatur, necessario cōsequitur ut hemisphęriū utrūq; susq; deq; feratur alternis diebus, sicut nobis uidetur: nā re uera in orbibus nihil est superius aut inferius: sed iuxta sitū nostrū ista dicuntur, quae super caput supera, infera quae contraria. caeterum germanae philosophiae studiosus puręq; pietatis sectator, discit egregiam sententiā, nullam mūdi partem esse suimet compotem, & suomet arbitratu agere: genitae sunt eñ utiq;: generatio uero corruptionis est principiū, quamuis creatoris prouidentia immortalitatem adipiscantur quae aliquando non fuerant. at de deo dicere q aliquando non fuerit, & aliquo tēpore natus sempiternitatē acceperit, nefas est. sed nonnulli tam peruerse iudicāt, ut nō solum deos credant quos diximus, uerùm etiam unumquemque horum esse deum summum & maximum, cui uere nomen id cōueniat: siue quia habēt ingeniū indocile, siue quia nō curāt discere, quippe qui pręter ista sensibilia nullum inuisibilem intelligibilemq; rerum autorem existimant esse, quod tamē euidentissimis argumētis potuissent cognoscere. cū eñ animae suae acceptū referant uitā, consilia, caeteraq; officia, nunq; tamē potuerunt animam corporeis oculis inspicere, quamuis nihil non facturi, ut sibi lice-

bi liceret uidere imaginem eius augustissimam, è cuius contemplatione possent transire ad cogitationem de deo sempiterno ac ingenito, mundi gubernatore atque conseruatore, quem inuisibiliter temperat. Quemadmodū igitur si quis magni regis honores satrapis eius præfectisque exhiberet, non stulticiæ solum argueretur, sed & periculosæ audaciæ, tribuens seruis, quod debetur domino: ita quicunque sic creaturas colit ut creatorem, sciat se impudentissimum & iniustissimum, qui paria largiatur imparibus, non tam in honorem inferiorum, quàm in potioris contumeliam. Verum hos quoque impietate superant, qui ne parem quidem honorem habent utrisque, sed alteros omni cultu dignantur, alterum adeò nullo, ut eius nec meminerint. Nec solum obliuiscuntur cuius minime debuerāt, sed homines miserrimi augent eam obliuionem data opera. Nec desunt quidam uaniloqui rabulæ, quos non pudet impietatem suam proferre in medium, & maledicā linguam contra deum acuere, ut contristent pios, & in dolorem conijciāt maximum, dum uerba per aures ingressa urunt totam animam: quòd impij his utantur machinis, & amicos dei adigant ad silentium, ne forte aduersarij per contentionem proritētur ad maiores blasphemias. Amota igitur omni superstitione germanas nobis naturas non adoramus, ne immortales quidem & purissimas. intercedit autem inter creaturas quædam germanitas hoc ipso quod creatæ sunt: quandoquidem creator omnium idē etiam pater est uniuersorum. proinde malumus totam mentem, totam rationem, uires omnes exercere ad cultum ingeniti sempiterni'que autoris rerum, non submittendo nos uulgaribus religionibus, quæ multos perdunt qui aliàs seruari poterant: & primum illud sanctissimumque præceptum penitus inscribimus pectori, unum summum deum credendum esse colendumque. at multorum deorum religione in aures quidem puras admittitur hominum sedulo ueritati studentium. Ergo quotquot solis, lunæ, cæli, mūdi, præcipuarumque huius partium cultores habentur & huiusmodi sacrorum antistites, peccant proculdubio, dum posthabito principe uenerantur eius subditos: minus tamen à recto declinant, quàm qui ligna, lapides, argentum, aurum, similesque materias formatas, ut cuique libuit, uertunt in statuas ac simulacra, cæteraque manufacta opera: qua parte fictorum pictorumque ars ualde humanæ uitæ nocuit, omnes terras implentium his abominationibus. exemerunt enim robur ex anima, persuasionem ueram de semper uiuente deo, ut uacillet tanque male saburratum nauigium, huc illuc undis iactatum, cui nec facile portum attingere, nec tutum in statione aliqua interquiescere, propter cæcutientes circa ueritatem oculos mentis, quam solam uidere debuerant. ego certe tales miseriores iudico, quàm orbatos corporeis oculis. nam hi mulctati sunt aut incurabili morbo aut inimicorum insidijs: illi suapte uoluntate obscurarunt uisum animæ, aut omnino perdiderunt. Quapropter alteris miseratio debetur ut infortunatis calamitosisque, alteris pœna ut ultro complexis miseriam ac maliciam: qui ne illud quidem considerant quod uel pueris est conspicuum, artificē præstantiorem & antiquiorem suo esse opificio. iuxta tempus enim prior est cum sit quasi pater: potentia quoque superior, quāto id quod agit, præcellit

ea quæ

ea quæ patiuntur.certe si error placuit, pictores ac statuarij magis merebãtur ut consecrarentur & diuinos honores acciperent, nunc ipsis contemptis ac si nihil præstitissent egregium, pro dijs habentur eorum opera: & cum artifices sępe inhonorati in egestate consenuerint, absumptiq; sint uarijs casibus, opera eorum exornantur purpura & auro luxuq; cætero quē diuitiæ suppeditant,adoranturq; religiose non solũ ab ingenuis, uerũ & à nobilibus honestaq; specie præditis. nam in sacerdote & genus examinatur ut sit inculpabile,& corporis partiũ modus cõpetēs, ut sit usquequaq; integrum.nec hic gradũ sistit impietas,procedit ulterius.noui enim quosdam qui à se factis simulacris preces uotiuasq; uictimas offerũt, iustius utramq; manum suam adoraturi,aut si hoc nollent uitantes crimen arrogantiæ,saltem incudes,malleos,scalpra,forcipes, ferramentaq; cætera quibus materiæ formam addiderant. huiusmodi homines deploratæ amentiæ libet sic increpare: heus uos uiri egregij, uotorum summa & felicitatis finis est reddi deo similem.orate igitur ut similes fiatis uestris statuis, & summa felicitate fruamini,non uidentes oculis,non audientes auribus,nec respirãtes nec olfactantes naribus,ore nec loquentes nec gustantes, manibus nec dantes nec capientes nec agentes quicquam aliud, pedibus non incedentes, ociosiq; omnibus partibus corporis, templo inclusi asseruatiq; tanq; in carcere adhibitis interdiu noctuq; custodijs, & inibi haurientes nidorem ac fumum exhalãtem è uictimis. nam hoc uno commodo frui statuas sacratas,falso licet, creditis tamen. atqui reor, talia dicentem non ut fausta ominantem audirent libenter,sed ut diras imprecantem auersarentur, conuicijsq; uicissim proscinderent:quod ingens argumentũ est impietatis hominum nimiæ,opinionem diuinę maiestatis concipientum de his, quibus deprecantur abominãturq; similes fieri. nemo igitur animam habens adoret brutas res cassas animis,indecorum enim & iniquum est, opus naturæ submittere se operibus artificum.cæterum Aegyptijs non satis est in eodē cum reliquis hærere crimine,habent & aliud suum eximium:qui non solũ delubra uenerantur cum sacratis statuis,sed etiam animantes mutas in deorum numerum referunt,tauros,hircos,arietes,affingendo suas cuiq; fabulas.hæc tamen habent fortasse quandam recti speciem.prosunt enim uitæ, bos arando & terram prædomando ad futuras segetes, triturando item quando fruges conduntur in horrea:aries præbendo tegmina commodissima contra tempestatum iniurias,siue ardores solis nimios,siue immoderatum frigus aeris.cæterum quod immanes crocodilos, ferocissimos leones,uirulentas'que aspides pariter templis,lucis,aris,sacrificijs,fastis, pompis'que honorant,quæso cuius pietatis est aut prudentiæ?in utroque elemento diuinitus concesso ad usum hominum,terras & aquas scrutati, nec inter feras leone ferocius quicquam inuenire potuerunt, nec inter aquaticas beluas crocodilo crudelius,quos adorant pro nominibus.nec hos solum,sed & animantes alias,canes,feles, lupos, è uolucribus ibides & accipitres, pisces quoque aut integros aut membratim consecrant: quod sine risu dici non potest.certe hospites recens in Aegyptum delati, priusquam assuescant eius prouinciæ uanitatibus,abhorrent ab eis usque ad tædium.

Quod

Quod si qui eruditi sunt liberalius, obstupescunt dum uident in honore esse res uilissimas, & his uiliores cultores ipsos miserantur, animo transformatos in illas animantes, bestias obambulantes sub humana specie. sublatis igitur è iure diuino huiusmodi factitijs dijs omnibus, ad ueri dei cultũ lex nos reuocat, quãuis ille opus eo nõ habeat, nimirũ ipse sibi sufficiens, nullius indigus. sed hoc tantũ agitur ut humanũ genus ab errore in uiam rectam redeat, & naturæ ductum sequendo finem optimum inueniat, Entis ueram noticiam, qui est summũ bonum & absolutissimũ, à quo ceu fonte mundus rigatur bonis istis particularibus. Hactenus & de secundo præcepto quantũ potuimus, deinceps excutiamus tertiũ, hoc est, Nõ assumes dei nomẽ in uanũ. Et ordo quidem per se patet mentib. perspicacibus. semper enim nomẽ rem tanquam umbra corpus sequitur. ergo postquam dixit de essentia honoreque eius qui semper est, secutus rerũ seriem, ita ut decet præcipit de usu eius nominis. multis enim & uarijs modis in hac parte peccant homines. proinde utilissimũ fuerit & rationali naturæ conuenientissimũ, omnino abstinere à iureiurando, & sic ueritati assuescere, ut simplex sermo uim iuramenti habeat. secundaria uero iuxta prouerbium nauigatio, est recte iurare. iam enim qui iurat, suspectus est de perfidia. Sit igitur cunctator & procrastinator, si forte differendo possit euitare ne iuret. Quod si qua incumbat necessitas, dispicienda sunt curiose singula, de quibus fit controuersia. Est enim iusiurandũ nõ exiguũ, negotiũ tametsi cõtemnitur propter consuetudinem, uidelicet testimonium Dei de rebus dubijs. Deum autem citare testem mendacij, scelus est nefarium. Introspice, si libet, falso iurantis animum. Aspicies eum nõ quiescere, sed plenum tumultu trepidationeque, accusatum à seipso & sibijpsi facientem conuicium modis omnibus. Insita enim à natura cuique conscientia non solet admittere quicquam culpabile, propter natiuum uirtutis amorem & uiciorum odium, eadem accusatrix ac iudex, primò indignatione pudorem incutiẽs, deinde more iudicis docens, monens, præcipiens mutare propositum. Quæ si persuadere ualuerit, gaudens accusatum recipit in gratiam: sin minus, irascitur infensa hostiliter, nocte dieque urgens, stimulans, infligens insanabilia uulnera, donec abrumpat uitam execratam & miseram. Quid ais, inquam, tu, periure? audebis improbe adire notum quenquam, & asseuerare quæ nec uidisti unquam nec audisti, quasi uisa, audita, te præsente acta omnia? i depone testimonium. non facies opinor. Alioqui perniciosæ insaniæ peccatum committeres. Qua fronte sobrius ab amico peteres: commoda mihi maleficium, mea causa cõtra ius & fas age. proculdubio his auditis ualere iubebit talem amicitiam, seipsum damnans quòd non initio abstinuisset, resilietque abs te tanquam à rabida fera'que bestia. & postea quod ab amico non audes postulare, ad id deum uocas? ita'ne nulla inest tibi reuerentia parentis omnipotentis atque domini? Scis an nescis illum inspicere omnia exaudire'que? si nescis, impius es. est autem fons omnium iniquitatum impietas. Præterea iurando præuaricaris & dolo malo agis, dum iuras per eum qui non animaduertit, quasi per prospicientem rebus hominum. Quod si nosti eius prouidentiam, nihil ad summam impietatem tibi facis reliquum, si non ore lin-

gua'que certe corde sic appellans deum: dic pro me falsum testimonium, esto mihi sceleris & maleficij socius. una mihi spes superest tuendæ existimationis apud homines, si celetur ueritas. esto alienæ maliciæ uicarius, melior deteriori subseruiens, deus optimus scelesto homini. Et sunt qui etiam lucro nullo proposito subinde iurant temere ob malam consuetudinem, de rebus nihili, contradicente nemine, iureiurando supplentes orationem, quasi non satius esset dimidiatam mutilam'ue relinquere, imò prorsus obmutescere: quandoquidem ex frequenti iuramento nascitur periurium & impietas. Quapropter iuraturus debet omnes rei circumstantias diligenter perspicere, quanta sit, quàm uera, quàm bene à se percepta: tum seipsum cōsiderare, num purus sit anima, corpore, lingua, illa ab iniquitatibus, hoc à piaculis, hac à maledicentia. nefas est enim per os quo profertur nomen illud sanctissimum, quicquam turpe progredi. quæratur etiam tam loci quàm temporis opportunitas. Noui enim quosdam in profanis impuris'que locis, ubi nec patris, nec matris, nec cuiuslibet honesti uiri mentionem deceret fieri, deierare, & quasi conceptis uerbis iusiurandum texere multis dei cognominibus præter omne decorum, cum impietate maxima. Quod si cui hæc contemnenda uidētur, sciat se primo scelestum esse impurumq́ꝫ: dein obnoxium diris ultricibus, per occasionem exacturis inclemēter pœnas debitas tantis sceleribus: quas tametsi diuina iustitia non statim repræsentat sontibus, reddit tamen aliquando cum fœnore, quando maxime id è republica esse iudicat. Quartum præceptum commendat diem septimā, iubens eam sancte pie'que transigi. hanc ciuitates quædam singulis mensibus ut festam celebrant incipiendo numerationem à nouilunio: Iudæis uero sancta est septima quæque dies: cuius rei rationem in libro de opificio mundi reddidimus. constat enim mundum intra sex dies creatum: septima deum quieuisse à suis operibus, & approbasse quæ bene cōdiderat. Iussit igitur ut quicunque hæc instituta recepissent, sicut in cæteris, ita in hoc quoq́ꝫ deum sequerentur, operando per sex dies, septima uero interquiescendo uacandoq́ꝫ contemplationi rerum & studio sapientiæ, retractando etiam cogitatione acta præterita & rationem eorum à se reposcendo, sicubi à legum præscripto aberratum fuerat, ut imposterum cautiores essent, prospicerentq́ꝫ ne iterum impingerent in eadem offendicula. Verùm deo satis fuit q́ꝫ semel creationi mundi perfectioniq́ꝫ sex dies impendit, quia nō opus habet prolixo tempore: homo autem quisq́ꝫ cum sit mortalis & multis necessarijs ad uitam indigeat, impigre debet ea donec spirat quærere, sabbatorum quiete se reficiens. an'non egregium præceptum, & ad omnē uirtutem excitandam utile, pietatem uero præcipue? Quasi dicat, Sequere semper deum. habes exemplum & præscriptum operandi per sex dies, qui numerus suffecit uel mundi fabricæ. habes item aliud exemplum philosophandi & examinandi quæ facta sunt, quod ipse quoque imiteris contemplando siue tua siue naturæ opera, & quantum quodque ad felicitatem conferat. Ne discedamus igitur ab his optimis uitæ tum actiuæ tum contemplatiuæ formulis: sed eas semper intuēdo imprimendoq́ꝫ nostris mentibus, conemur effingere in omnibus quæ agenda dicenda'ue sunt, duntaxat

xat quantum mortalibus licet ad immortalis similitudinem accedere. cæterum quomodo intelligatur intra sex dies mundum creatum à deo, qui non opus habet tempore, alibi hanc allegoriam explicauimus. certe septenarij priuilegium ostendunt mathematici, summa cura perquisitum & diligentia. nam hebdomas pro sua natura qua reliquos antecellit numeros, est uirgo matre carens, ualde familiaris unitati & principio, & planetarum idea, sicut unitas est idea sphæræ continentis fixa sidera. nam ex unitate & hebdomade constat cælum incorporeum, exemplar huius cæli uisibilis. compactum est autẽ cælum ex natura indiuisibili & ex natura diuisibili. in diuisibilis primam summamq; sortita est circumferentiam circuli fixorum siderum, quem tutatur unitas. diuisibilis secunda est tum uiribus tum ordine, ad hebdomadis curam pertinens, scissaq; sex limitibus, septem quos planetas & errones uocãt, efficit, cum tamen in cælo nihil sit errori obnoxiũ, propter beatam, felicem diuinamq; huius naturam, ab omni errore alienissimam. proinde cælestia semper sui similia currunt recurruntq; perpetuo, nullam prorsus mutationem admittentia. sed quia cursum tenent indiuisibili & extremæ sphæræ contrarium, parum proprie sidera erratica cognominata sunt ab hominibus temerarijs, suummetipsorum errorẽ illis ascribentibus quæ in summi imperatoris militia nunquam deserunt ordinem. his atq; alijs pluribus de causis honoratur septenarius, sed ob nullam magis quàm quod per hunc numerum manifestatus est pater uniuersitatis & conditor: in quo ceu in speculo mens considerat deum fabricantem mundum & quicquid eo continetur, regentem que sua prouidentia. Sequitur quintum præceptum de honorandis parentibus situm in duarum tabularum confinio, cum enim in prima sit ultimum coniungit ambas, priori secundam applicãs complexam ius quod nobis intercedit cum hominibus, quod ideo factum arbitror, quia parentum natura uidetur mortalis & immortalis essentiæ confinium: mortalis propter cognationem cum hominibus & cæteris animantibus, & propter corpus corruptibile: immortalis uero, quia gignendo refert deum genitorem omnium. Sunt igitur qui alteri parti addicti, alteram uidentur contemnere. pleni enim pietatis desiderio, relictis alijs negotijs, totam uitam dedicant diuino cultui: alij contrà, dum nullum esse ius præter humanum existimant, solam curant societatem hominum, bona sua cum quibuslibet communicantes liberaliter, & mala illorum subleuantes pro uiribus. illos dei amatores, hos hominum, recte dixeris, semiperfectæ uirtutis homines, integri enim ab utroq; probantur genere. cæterum qui nec de hominibus bene merentur læti eorum prosperitatibus condolentes aduersitatibus, nec pietatem sanctitatemq; suspiciunt, possunt uideri mutati in ferarum ingenium: inter quos primas ferent qui parẽtes suos negligunt, utriusq; partis hostes, tum eius quę deo, tum eius quæ hominibus se approbare uult. sciant igitur se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia: impietatis apud diuinum, quòd secundos post deum autores uitæ suæ non tractant ex officio: inhumanitatis uero apud humanum. cui enim bene facient qui proximos & optime de se meritos uilipendunt, quibus nulla potest referri gratia non infe-

rior acceptis beneficijs. quo modo enim natus genitorem ſuum poterit ui ciſsim gignere, quam eximiam prærogatiuam natura dedit parentib. nunquam compenſandam à liberis. proinde indignißimum fuerit, ſi qui ne omnibus quidem officijs poſſunt gratitudini ſatisfacere, grauentur præſtare uel minima. Eos ſic libet alloqui. Feræ debent cicurari ab hominibus, & licet nonnunquam uidere manſuefactos leones, urſos, pardos, blandiẽtes non ſolis cibum præbentibus, ſed alijs etiam, opinor quia uidẽt eos illis ſimiles. decet enim deteriorem ſectatorẽ eſſe potioris, in ſpem profectus futuri. nunc cogor contrarium dicere. uos cùm homines ſitis quaſdã feras imitamini. illæ pro accepto beneficio norũt gratiã reponere. Canes domos cuſtodiunt, & cadunt pugnando pro dominis circunuentis aliquo repentino periculo. alij gregib. ſeruandis adhibiti, uſq; ad mortẽ decertant pro ſalute pecorũ, ne damnum accipiant pecuarij. & nõ fatebimur probrũ eſſe longe turpiſsimũ, hominem gratijs natũ gratitudine ſuperari à cane audaci aſperaq; beſtia? q; ſi à terreſtribus uirtutem hanc nõ diſcimus, eamus ad uolucres præpetibus pennis ultro citroq; uolitantes per aerem, diſcamus ab his ſaltem quid nos deceat. Ciconię ſenes impotes uolandi nido ſe continent. ex his prognatæ terra mariq; uolitant, & cibos parentibus afferunt. Sic illæ ut earũ ætate dignum eſt, quiete fruuntur & copia: iuniores uero laborem cõportandi ſolantur pietate ac ſpe recipiendæ in ſenectute gratiæ, debitum perſoluentes interim quod tempus poſtulat: & eadem opera natos implumes effœtosq; parentes educãt, naturę inſtinctu & pullis & decrepitis alacriter præſtãdo mutuum officium. & poſtea nõ obuoluẽt faciem præ pudore homines parentum cõtemptores, damnabuntq; ſuam incuriam in re quæ uel ſola erat curanda, uel ante alias, præſertim cum nõ tam conferatur quàm referatur beneficium? Filiorum enim nihil eſt proprium, quod non parentibus debeant, à quibus uel acceperunt, uel in acquirẽdo adiuti ſunt. Habent ne igitur pietatem ac ſanctitatem principales uirtutes in anima, an ciecerunt eas è pectore? Deo enim ſubminiſtrant parentes in gignendis liberis. Cæterum qui miniſtrum ſpernit, ſpernit & principem. & ſunt qui audacius exaggerantes nomen parentum, aiunt patrem matremq; deos conſpicuos, illius ingeniti imitatores fingendis animantibus: hoc uno differre, quòd Deus ſit mũdi genitor, hi uero filiorum tantũmodo. nec fieri poſſe ut pius ſit erga illum inuiſibilem, qui erga hos conſpicuos eſt impius. Hoc præceptum de honorandis parentibus, claudit priorem illum diuinum quinarium, alterum uero ſcripturus legislator interdicta continentem & ſpectãtem ad homines, orditur ab adulterio, ut peccato grauiſsimo. fontem enim habet amorem uoluptatis, quæ & corpus atterit, & robur animi reſoluit, & rem familiarem abſumit, quicquid attigerit more ignis adurens, & nihil ſaluum relinquens in uita hominum. hæc adultero perſuadet ut non ſolum ipſe peccet, ſed & alios aſciſcat in culpæ ſocietatem nefariam & aduerſam ſocietati legitimæ. percitus enim hoc œſtro non poteſt ſolus explere cupiditatem, ſed opus eſt omnino ut duo ſint, alter quaſi magiſter nequitiæ, alter diſcipulus rei turpiſsimæ. nec enim ſolum corpus mulieris impudicæ uitiatur, ſed ſi uera fateamur, multo prius

to prius animus assuescit malis morib. discens modis omnibus auersari ma ritū & odio prosequi:quod tamē malū leuius multo esset si non dissimula= retur.nā quæ sunt in propatulo,cauentur facilius. Nunc uero uix ullus suspicioni locus relinquitur,adeò se malis artib. celat & obumbrat ne depre= hendatur,plerunq; præ se ferens affectum contrarium, & mirificis præsti= gijs opinionem amoris sibi concilians. eadē certe opera subuertuntur tres familiæ.is cuius cōiugium uiolatur,nuptialia uota perdidit,& spem prolis legitimæ nec minus incommodi accipiūt reliquæ duæ domus, adulteri & adulteræ,quandoquidem ambæ replentur dedecore,cōtumelia,probris'= que turpissimis.Quod si numerosæ fuerint istæ familiæ multis cognatio= nibus affinitatibus'que implicitæ,totam ciuitatem accendet hoc flagitium obambulans per ora ciuium.permolestum est enim dubitare de liberis:& quoties parum integrè seruatur uxoris pudicitia, uerus pater certò cogno sci non potest.itaq; dum res in obscuro latet, adulterini subrepunt pro le= gitimis,alienarum familiarum sinceritatem deprauant,hæreditatem,ut tūc uidetur paternam,alioqui nihil ad se pertinentem,usurpāt. Et adulter post quam illusa muliere despumauit feruentem libidinem, & expleuit nefariā cupidinem, abit ridens læsi mariti ignorātiam:at ille tanquam cęcus nihil sciens de fraude domestica, ut propriam sobolem indulgenter habebit na tos ex infensissimis sibi hominibus. Quod si detegatur iniuria, miserrimi erunt licet insontes pueri,in neutro accensendi genere,nec mariti,nec adul teri. Tales calamitates cum proueniant è cōcubitu illegitimo,non mirum si adulterium res probrosa & inuisa deo primum locum inter peccata ob= tinet.Secundo uero interdicitur homicidium.cum enim natura gregale ac cōpascuum edidisset illud mansuetissimum animal,ad cōsensum & societa tem inuitauit,dato eis sermone, quo magis conciliarentur conspirarentq; moribus.proinde quisquis occidit alterū,sciat se naturæ ius fasq; subuerte re,scriptū ad omnium utilitatem publicam:sciat etiam se cōmittere sacrile= gium, sublata è possessione dei re sacratissima. quid enim tam religiosum tam sacrum est quàm homo?aurum,argentū,gemmæ, aliæq; pretiosæ ma teriæ,inanima ornamēta sunt ædificiorum perinde anima carentium. ho= mo autem animal optimum, potiore parte sui cælo cognatum purissimo, & ut pleriq; arbitrantur ipsi mundi conditori,propius accedit ad illius fe= licis sempiternæq; ideæ imaginē q̃ ulla terrestris natura,propter mentē ac ceptā diuinitus. Tertiū in secundo quinario præceptū est,Ne furtū facias. qui enim alienis inhiat,hostis publicus,uoluntate omnes,ui quotquot ua= let,spoliat,cupiditatem extendens longissime,uiribus autem deficientibus contrahens,ut ad paucos perueniat.itaq; fures potestatem adepti populā= tur ciuitates integras,cōtemptis supplicijs, quia uidentur sibi potentiores legibus. hi sunt qui à natura insitū habent paucorū dominationis deside= rium,& dynastias tyrannidesq; appetunt,qui magna furta faciunt, latroci nia tegendo honestis nominibus principatus & imperij.ideo discāt statim pueri manus à furtiuis lucris abstinere minimis etiam,quia diuturna cōsue tudo potentior q̃ natura fit,& ni malū nascens inhibeas, crescit in immen sam magnitudinem.Post uetitū furtum mox uetat falsum testimoniū,non

ignarus falsos testes,multis magnisq; molestijs sese inuoluere. Primò sanctam ueritatem uiolant,qua nihil est in rebus sacratius, solis in morem illustrante negotia, ne quid eorum in obscuro lateat. deinde noticiam rerum quasi nocte quadam tegunt & caligine,& iniustos adiuuant aduersantúrque iniuriam patientibus,dum quæ nec uiderunt,nec audiuerunt, nec cognouerunt,se certò scire,& probe tenere asseuerant.addūt & tertium peccatum peius prioribus. quoties enim desunt argumenta aut probationes quæ ex scripto fiunt,ad testes recidit controuersia, quorum uerba pro regula sunt iudicibus pronunciaturis sententiam.Necesse est enim ut his solis attendatur,cum nemo adsit index alius.hinc fit ut qui litem perdunt grauati testimonio,iniuriam patiantur cum potuissent uincere: & iudices iniquitatis non iusticiæ opinionem lucrifaciant.Ad hæc etiam cum impietate fraus ea coniuncta est. non est enim moribus receptum ut iniurati iudicent,sed sacramēti religione obstricti,quam tamen impostores magis uiolant quàm qui decipiuntur:quandoquidem hi labuntur per ignorantiam, illi de industria technis utuntur & peccant libenter, corrumpuntq; suffragia,ut interdum ab insciјs mulctentur qui nullam pœnam meruerunt. hæc sunt opinor,causæ quas propter prohibetur falsum testimonium. Postremò uetat concupiscere,quòd cōcupiscentia res nouas moliri, & alienis bonis insidiari soleat.Omnes enim perturbationes animi graues sunt, concitantes eum & dimouentes ab ingenio sanitateq; pristina, sed nulla æque nocet ac concupiscentia.quamobrem aliæ uidentur externæ inuitis & insciјs obrepere,hæc uero sola in nobis oriri, & quidem uolentibus. dicam apertius.quoties se offert rei cuiuspiam expetendæ imaginatio, expergefacit excitatq; quiescentem animam, arrectam uelut oculis præstrictis fulgure.is eius affectus uoluptas dicitur. ediuerso quod malum & fugiendū est,quando sauciat animam,cōfestim eam replet mœsticia: qui affectus dolor nominatur.at quando malum nondum pręsens premit,imminet tamē, pauorem præmittit abominandum nuncium quo territet, qui & timor dicitur.quoties autem aliquis de absente bono cogitans habere id cupit, in longum animam porrigit, extendens eam ut possit rem adamatam attingere, tanquam in orbiculari machina semper sequendo nunquam assequendo: quod spectamus in cursoribus, quando præcurrentem tardior peruicaciter insequitur. Similem autem quiddam & circa sensus accidit. nonnunquam oculi rem aliquam longe remotam cernere cupientes, plus satis & supra uires intenti frustrantur, nec ualent eam exacte cognoscere, & insuper hebetantur conatu suo nimio. sic & fremitus obscurus auribus è longinquo allapsus eas excitat cupidas rem cognoscendi propius,& sonitum percipiendi clarius: tamen quo est obscurior & quo minus augetur,eo magis accenditur desiderium nihil proficiens, concupiscentia pœnas dante haud secus quàm de Tantalo narrant fabulæ poeticæ. fertur enim eum quicquid appetit frustra uelle tangere, rebus per ludibrium tantum non è digitis elabentibus: illum uero nihilominus impotenter eas concupiscere, sitientem ea quæ se quo minus satietur, subducunt hianti & auido, sese'que huc illuc extendenti more serpiginosi ulceris, quod in


sectio

sectionibus cauterijs'ue reprimatur, totum circumquaq; corpus occupat, nec ullam partem incontactam præterit. ad eundem modū nisi ratio philosophica ceu bonus medicus cohibeat diffundentē se concupiscentiam, totam uitā perturbabit necessario. cuncta eñ sine exceptione subijciuntur huic uitio, sed nunquam magis insanit q̃ cum nacta est licentiam, quando in omnibus facit omnia. Id quia satis liquet, non est opus uerbis pluribus, cum nemo nesciat, nulla ciuitas ignoret exempla quotidiana, imò quæ pene singulis horis fidem nobis astruunt. Pecuniarū amor, aut fœminæ, aut gloriæ, aut cuiusuis rei facientis ad uoluptatē, paruas'ne ac uulgares calamitates inuehit? no'nne amicitias dirimit, etiam cognatos è beneuolis reddens infensissimos. no'nne hinc & regiones populosæ desolantur intestinis seditionibus? no'nne hoc pacto terra mareq; replētur nouis tumultib. & cladibus ultro citroq; illatis uel naualibus uel terrestribus prælijs. nam Grecorū barbarorūq; bella tam contra suos q̃ contra diuersi generis homines gesta, omnia manarunt ab uno fonte, concupiscentia pecuniarū aut uoluptatis aut gloriæ. Hæc enim sunt fatalia mala hominum. Et de his hactenus. Illud quoq; sciendū, decem hęc præcepta esse summariū legum speciatim proditarum, in toto legislatoris sacro uolumine. nam primū caput est de legibus ad monarchiam pertinentibus. hæ docent unum esse conditorem mundi regemq; ac gubernatorem, qui regat omnia salubriter, paucorū aut uulgi dominatū esse peruersas cōstitutiones reipublicę, inductas à malis et astutis hominibus per ambitionem auariciamq; libertati ciuium insidiantibus, cæterum in cælo purissimo nihil reperiri simile. secundum caput continet omnia quæ spectant ad manufacta simulacra, statuas delubraq;, & in uniuersum quicquid è pictorū fictorūq; noxijs officinis in templa translatum dedicatur: quo diserte cauetur ne admittant figmenta fabularum de deorum connubijs & natalibus, & qui hinc oriuntur uarijs casibus. Tertio præscribitur, quas ob res, ubi, quando, iusiurandum interponi debeat, à quo & qualiter affecto uel animo uel corpore, tum quid recte secus'ue iurantes maneat. Quarto uero de festis diebus et sabbatis in summa præcipitur, deq; uotis, sacrificijs, atq; purificationibus & cætero cultu religioso numinis. Sabbatū uoco diem septimū annumerato senario fœcūditati proprio, cui accedit septimus unitati similis, quib. numeris ambobus festa dinumerantur: unitate quidē sacrum nouiluniū in quo tuba canitur, & ieiuniū in quo à cibo potuq; abstinetur, & quod patria Hebræorū lingua pascha dicitur, quando populariter singuli sacrificant non expectatis sacerdotibus, ipsi permissu legis fungentes sacerdotio quot annis per unum diē destinatū huic negotio: quando etiā offertur manipulus gratiarum actionis pro ubertate camporū & frugū abundātia. ab eo septies septimus, hoc est quinquagesimus, Pentecoste Græco & usitatiore uocabulo: quādo panes offerūtur primitiarum nomine conuenientissimo. quoniam primū hoc inter alimēta mitia prouenire deus uoluit in usum hominis animaliū mitissimi. septenario uero attributa sunt festa maiora quæ plures dies postulāt, tunc cū annus distinguitur duobus ęquinoctijs, uerno autumnaliq;, & septeni dies festi aguntur: uerno tēpore ut segetes ad maturā fru-

gem perueniant: autumnali, ut omnes arborei fructus colligãtur cõuehan turq; feliciter. ſepteni autem dies dantur his feſtiuitatibus propter menſes ſeptenos utriuſq; æquinoctij: ut cuiq; menſi honor ſuus contingat otio hi laritateq; unius diei, eodem pertinent & aliæ leges pulcherrimæ, quæ inui tant ad manſuetudinem, ſocietatem, modeſtiam, & ius exæquandum cun- ctis pariter: qualis eſt de ſeptimo quoq; anno, quo indicitur totius agri- culturæ intermiſsio, ne quis ſerat aret'ue, néue putet purgetq; arbores, aut quicq; ruſtici operis faciat. Viſum eſt enim irreprehẽſibili legiſlatoris in- genio dignum prẽmiũ ſexennis fertilitatis locorum montanorũ & campe ſtrium, remiſsio hæc laboris et ad reſpirandum libera uacatio. Nec diſsimi lia ſunt quæ præcipiuntur de anno quinquageſimo, qui non ſolum habet modo dictum ſeptimi priuilegium, uerum etiam reſtitutionem rei familia ris in integrum, neceſſariam ſane plenamq; charitatis ac iuſticiæ. In quinto capite de honore parẽtũ multæ leges ſubindicãtur perinde neceſſariæ, ſpe ctantes ad ſeniores iunioreſq;, ad magiſtratus & ſubditos, ad benemeri- tos & affectos beneficio, ad ſeruos & dominos, parentes enim cenſentur in potiore ordine, in quo ſeniores, principes, benefactores, domini. liberi uero in deteriore, in quo iuniores, ſubditi, beneficio deuincti, ſeruiq;, mul ta enim præcipiuntur, iuuentuti de fouendis ſenibus, ſenioribus uero de inſtituendis iuuenibus. item ſubditis de obedientia magiſtratibus debita, his uero de curandis ſubditorum commodis. his qui beneficium accepe- runt, de referenda gratia, de non expectanda uero his qui gratis debent eſſe benefici, ne ſint fœneratoribus ſimiles. à ſeruis exiguntur officia cari- tatis erga dominos. ab his uiciſsim humanitas & clementia, ut bene inter ſe comparentur impares. Hactenus capita quinarij primæ tabulæ, ſpecia- tim non exiguum complectentis legum numerum. in ſequenti primum ca put mœchis opponitur, multa inſtituta continens, cõtra ſtupratores, con tra puerorum amatores, contra laſciuiæ deditos & illegitimis inceſtiſq; concubitibus. Quorum formas non ideo retulit in literas, ut indicaret multiplices libidines, ſed ut eo magis imponeret pudorem turpiter uiuen tibus, exprobrando eis pudenda dedecora. ſecundum caput uetat homici dium, quo comprehẽduntur leges de ui & iniuria, de mutilatione, plagis, uulneribuſq;, omnes neceſſariæ perutileſq; reipublicæ. Tertium uero fu res cohibet, ad quem ordinem pertinent qui fraudant creditorem, uel de- poſitum abnegant, qui peculantur, qui prædantur, in ſumma quotquot præ auaricia clam'ue palam'ue aliena uſurpant. Quartum eſt de falſis teſti bus, quo etiam multæ leges continentur, de non decipiendo, de non ca- lumniando, de non adiuuandis malefactoribus, de non celanda perfidia prætextu fidei, quæ omnia legiſlatori curæ fuerunt. Quintum reprimit concupiſcentiam fontem iniquitatum, unde manat quicquid contra ius fit priuatim ac publice, ſiue paruum ſiue magnum, ſacrũ profanum'ue, ad cor pus animum'ue, res'ue externas attinens. Nihil enim, ut iam ante dixi, po- teſt euadere uim concupiſcentiæ, ſed tanq; flamma ligneã materiam, depa ſcitur abſumitq; omnia, eius quoq; multæ ſpecies coercẽtur præceptis & monitis, ut corrigãtur emandabiles: cõtumaces uero puniãtur, per totam uitam

uitam malo huic obnoxij. Hæc & de posterioris tabulæ quinario dixisse sat erit ad explēdum decalogū, sacrosancto dei proditū oraculo. eius enim naturam decuit, capita legum specialium ore proprio canere, leges uero ipsas per prophetam absolutissimum electum ex omni optimatu numero, repletumq; diuino spiritu, quo interprete oraculorū uti placuit. De cętero addamus causam, cur in his decem præceptis siue legibus contentus iubere uetareq;, secus facientibus nullam pœnam decernit, quemadmodum solent alij legislatores statuere. Quia deus erat, & consequenter bonus dominus, solorum bonorum autor, mali uero nullius. Proinde existimauit nihil magis naturam suam decere, quàm ut salutaria præcepta daret pura nō admixtis pœnarum terroribus, ne quis imprudēs metu malo consultore usus inuitus pareret, sed potius ut sapiens rationem uoluntatemq; spontaneam secutus uerteret se & applicaret ad id quod est optimū: ne quis putet ideo de pœnis silere oracula, ut qui peccant impunitatē sibi polliceantur, sed magis cogitet assidere deo iusticiam, inspectareq; quicquid agunt homines, nec dissimulare ut natura infensam sontibus, & ex officio plectētem iuris uiolatores. hoc em̄ est proprium ministris dei potentijs, ut quemadmodum in militari fit imperio, seuere animaduertant in desertores ordinum. ipse uero magnus rex gaudet appellari conseruator custos'que pacis publicæ rerum uniuersarum, fructus pacis omnibus ubique largiter copioseq; suppeditans. Nam reuera penes deum cura pacis est, belli uero penes eos quibus ille supræfectis & ministris utitur.

PHILONIS IVDAEI
DE SPECIALIBVS LEGIBVS
QVAE REFERVNTVR AD TRIA DECALOGI CApita, *uidelicet tertium, quartum quintumq;, De iureiurando religioneq;, De sacro sabbato, De honore habendo parentibus.*



In LIBRO qui hunc præcedit proximus, accurate introspeximus duo capita quæ in decē præceptis prima numerantur, de nō colēdis alijs dijs præter unū cuius imperio parent omnia, et de nō fingēdis simulacris: ubi etiam de legibus speciatim ad ea spectātibus dictū est. Nunc de tribus deinceps sequētibus differemus, speciales leges adaptando his similiter. Horū triū primum admonet, ne dei nomine abutamur in uanū. Nā quicquid uir bonus asseuerat, perinde ac iurato credi debet, cū uerbū eius firmū sit ac rigidū, nullo mēdacio flexile, ueritate in qua fundatur subnixū. Quod si rei necessitas religionē iurisiurādi postulet, magis decet iurare per patris aut matris sanitatē et senectutē prosperā si uiuūt, aut si defuncti sunt per eorū beatā memoriā. sunt em̄ effigies & simulacra

diuini numinis, qui liberos ad uitam produxerunt de nihilo. Extat scriptū in legibus prisci cuiusdam celebrati sapientiæ nomine: Deierato per religionē patris tui: opinor ut hoc præcepto prodesset posteris, docens quomodo parentes honorandi sint, pietate ut bene meriti, religione uero ut à natura constituti principes, & quòd non temere deus nominandus sit. Illis quoq; laus debetur, qui quoties urgentur sacramētum dicere, cunctando tergiuersandoq; religionem incutiunt non solum spectantibus, sed & ad iurandū prouocantibus. solent enim quidā ubi hoc solum protulerint, Ita me adiuuet, reliquū ex abrupto subticere, nihil addentes amplius, nec absoluentes formulam. Potest enim suppleri si libeat, nō statim addendo: Altissimus aut summus rerum conditor, sed tellus, sol, cęlum, mundus'ue. Sunt enim hæ creaturæ præcipuæ, nimirum antiquiores nostro genere, sempiternæq; omnis expertes senij, sic uolente cælesti numine. alij uero tā faciles sunt ad iurandū & temerarij, ut præteritis nimia properatione creaturis omnibus, ad ipsum creatorē patremq; uniuersorum audeant illotis pedibus irrumpere, non habita ratione locorum & temporum, nec soliciti q; ipsi puri sint animo & corpore non expendentes negotium, quasi linguam à natura sibi datam deberent ad usus nefarios uertere. atqui satius erat hoc instrumento pulcherrimò, quo interprete animi subsistit hominū societas, uti ad honorem & reuerentiam prędicationēq; omnipotentis numinis. nūc in tantū ualet impietas quorundā, ut uel religiosissima nec sine horrore audienda dei nomina congerantur aceruatim per summam impudentiam: quasi euicturi sint crebris deierationibus, ut sibi credatur, fatui qui non intelligunt consuetudinē crebro iurandi argumentū esse perfidię non fidei, duntaxat prudentiorum iudicio. Quod si necesse fuerit quacunque in re saluis legibus iusiurandū interponere, sanciatur id modis omnibus, ne quid impedimēto sit quo minus incertę rei cōtingat noticia: pręsertim si non agitur implacabili odio, aut amore insano, aut impotenti concupiscentia, qui affectus menti sanitatem adimūt, ne uideat quid oportet uel dicere uel facere: sed sobrie certaq; ratione ad iurandum acceditur. Quid enim est melius quàm per totam uitam abstinere à mendacio, & id approbare dei testimonio? siquidem iusiurandū nihil est aliud, quàm in re ambigua dei testis citatio. id ni fiat in ueritatis fauorem, scelus est haud expiatu facile. Qui enim hoc admittit, si non uerbis certe re ipsa occlamat deo: Te prætexo iniustitiæ meæ, quia pudet haberi pro malo & improbo, fer opem, in te culpam meā recipe. sic eīm mihi salua existimatione peccare licebit. Quæ uerba nō dictu modo, sed & cogitatu, sunt nefaria. id enim obsequiū pręstare grauaretur, nō dico deus alienus ab omni uitio, sed uel pater uel patruus, ac ne ad aures quidē admitteret, modo esset homo educatus liberaliter. licet igitur omne iusiurandum confirmare, in quo res honestæ utilesq; uertuntur, & quo prudenter iusteq; utilitati uel priuatæ uel publicæ consulitur. Huc pertinent & uota legitima, quibus in præsens aut in futurum bona petuntur. nam qui malum propositum iureiurando sanciunt, quid sanctum sit, ignorant, iurant se cōmissuros furtum, sacrilegium, stuprum, adulteriū, homicidiū, aut aliud simile: moxq; ne periuri habeantur

tur committunt,quasi non melius deoꝗ gratius sit tale periuriũ,modo ser uentur leges per manus acceptæ à maioribus, de colenda iusticia uirtutibusꝗ cæteris,sine quibus nec societas hominũ, nec naturę iura possunt in tuto consistere,siue sequatur periurium siue nõ. Proinde quisquis iuratus iura uiolat,sciat se non peierare quidẽ,attamẽ ea pessum dare,ad quæ constabilienda iusiurandũ inuentum est.addit enim culpæ culpam dum sacramento abutitur,cũ debuisset potius abstinere à maleficijs. abstineat igitur, et supplex deum exoret,ut pro sua clementia temeritati incõsultę ignoscat qua ad iurandũ præceps actus est.nã duplicare noxã, cum te possis exonerare dimidio,maxima est insania uix unꝗ curabilis. Rursum alij feroces inhumaniꝗ,aut ab ira coacti molesta domina, iureiurando suam inhumanitatẽ confirmant, dum negant se hunc aut illum admissuros in contubernium uel mensæ societatẽ,aut adiuturos ullo beneficio, aut usuros eius opera quoad uixerit.Interdum etiam ultra obitum prorogant odia, nec sinunt mortuorum corpora potiri iustis funebribus. Hi quemadmodũ & priores illi monendi sunt,ut placent deum uotis ac sacrificijs,quo aliquam consequantur medicinam animæ nulla ope humana curabilis. Alij iactatores & arrogantia turgidi, gloriæꝗ insatiabiliter auidi, frugalitatẽ sibi putant prorsus inutilem:quod si quis submoneat ut cõcupiscentijs suis imperent,contumeliam sibi factã existimant:contemptisꝗ monitoribus ruunt in delicias,risu cauillisꝗ ludẽtes in præcepta honesta uitæꝗ utilissima.his si res familiaris lauta sit,iureiurãdo affirmant, facturos se impensas in uoluptates sine parsimonia. Verbi gratia,nuper diues quidã delicatus,à sene cognato paternoꝗ amico monitus,ut honestius & castigatius uiueret, tulit id ægerrime,moxꝗ obnixius contendẽdo iurauit,quãdiu sumptus se nõ defecerint,à luxu non temperaturum uel ruri uel in urbe,sed ubiꝗ ostentaturum diuitias. Atqui nõ diuitię sic ostentantur,sed fastus ac luxus traducitur,quantũ ego intelligo. Reperias enim non paucos magnos principes affluentes apparatu copioso & inexhaustis diuitijs. tamen interdum non aspernari res tenuiũ, fictilia pocula,obolares panes, & oleas caseum'ue olus'ue uice obsonij:tum in æstate campestre lineum,in hyeme crassam ualidamꝗ penulam, & cubile aliquando humi stratũ fastiditis spondis eburneis,uel testudine auroꝗ ornatis,stragulisꝗ purpureis,& mensis luxuriosis elaboratisꝗ curiose bellarijs. In causa est non solum eorum ingenij felicitas ac bonitas,uerùm etiam à tenera ætate recta institutio,ex qua didicerunt meminisse homines se magis quàm principes, & nihil humanũ spernere:quam opinionem pene quotidie in memoriam sibi reuocant, demittuntꝗ se à celsa potestate ad ista humilia,& quadam tenus exæquant subditis,ne quid offendat disparitas. Atꝗ ita ciuitates potentia, rerum copia, legibus, moribus, paceꝗ festa florentes reddunt, nulla his subtrahentes commoda,sed omnia largientes prompte absꝗ inuidia. Hi sunt mores generosorum & uere principum hominum, alijsꝗ his similes. At isti recens euecti ad opulẽtiam, adeptiꝗ multas pecunias errantis fortunæ indulgentia,ueras autem & nequaꝗ cæcas opes, quæ constant è uirtutibus honestisꝗ' pactionibus, ne in somnis quidem unꝗ conspicati,in cæcũ Plutũ inciderunt:

ciderunt:à quo sustentati necesse est, ut per cæcitatẽ uiam non uideant, deflectantq; in auia, mirentur res nullius pretij, uere pretiosas rideant, quos sacra scriptura intempestiue iurantes non mediocriter increpat. incorrigibiles em̃ sunt & insanabiles. proinde ne à deo quidẽ natura propitio ueniam impetrant. Cæterũ uirginib. & maritatis uouendi iurandiq; potestas adimitur legibus, quod illę in autoritate parentũ, hæ maritorum esse pronuncientur, penes quos est uoluntatem earum ratam habere aut irritam. nam illæ per ætatem uim iurisiurandi parum intelligunt, & opus habent alieno iudicio: alteræ procliuiores ad iurandum sunt quàm ferat maritorũ utilitas. Quapropter his liberum est uxoris iuramẽtum ratum uel irritum facere. At uiduæ caueant ne iurent temere. Non habent enim deprecatores, nec maritos defunctos, nec parentes relictos quando migrarunt in aliam familiam: ideo iuramentum earum non conuellitur, destitutarum à curatoribus. Si quis aũt quem periurũ scit nõ indicat, amicitiæ, reuerentię, timori, plus quàm pietati tribuens, periurij pœnę fit obnoxius. Nam peccare et peccãti fauere perinde est. Pœnę aũt periuris partim à deo, partim ab hominibus, infligũtur: sed à deo grauissimę. Non fit em̃ propitius contaminatis eo scelere, sed ut impuros auersatur perpetuo. & merito. ¶Qui enim res tam serias contemnit, uicissim contemnitur, & referuntur paria paribus. Homines uero aut morte mulctãt hos aut uerberibus: seuerius dum pietatem læsam morte uindicant: remissius dum publice flagris eos lacerant, quæ pœna ingenuo non uidetur morte leuior. Hæc diserte præcipiuntur, licet interpretari possint per allegoriam ab his qui occultiorem intellectum considerant. Sciendum igitur quòd recta ratio seu sermo patris atq; mariti uim habet, sed diuersa obseruatione. Mariti, quia uirtutum semina iacit in animam tanquàm in agrum fertilem. Patris, quia cõsilia bona & actiones honestas solet gignere. prognatasq; educare decretis dulcibus, quæ doctrina & sapientia suppeditat. Mens aũt assimilatur nunc uirgini, nunc mulieri uel coniugatæ uel uiduæ. uirgini, quãdo castã puramq; se conseruat à uoluptatibus harumq; concupiscentijs, tum à dolore timoreq; insidiosis affectibus, & genitoris curam respicit. Cæterum quæ tanq; mulier proba sermoni probo per uirtutẽ copulatur, sub eius ipsius degit prouidentia, seminantis more maritali cogitationes optimas. cæterũ quæ anima destituta fuerit & parentela prudenti, et recti sermonis coniugio, uiduata pulcherrimis præsidijs & deserta à sapientia, uiuensq; uitam obnoxiam, tenetur quo se obstrinxit uinculo, non habens medicum à quo curetur, nec maritũ conuictorẽ, nec patrem genitorẽ, sermonẽ inq; ornatum sapientia. Eorũ uero qui nõ solũ bona sua partem ue horum, sed & seipsos deuouerũt, pretia cõstituta sunt, nõ iuxta formã aut proceritatẽ aut aliud simile, sed pro annorũ numero, ratione tantũ sexus ætatisq; habita. præfinit enim lex ab anno XX. ad LX. uiri pretiũ CC. argenteos solidos. mulieris uero CXX. à quinto aũt ætatis anno usq; uigesimũ, masculi LXXX. fœminæ XL. ab infantia usq; quinquenniũ, masculi XX. fœminæ XII. eorum uero qui sexagesimum uitæ annũ excesserunt, senis sexaginta, anus quadraginta solidos. Cur autem pariter omnes eiusdem ætatis & omnes eiusdem

sexus

sexus æstimati sint, tres causæ afferuntur ualde idoneæ. Vna, quia par & similis est uotorum dignitas, siue magnates siue humiles uoueant. altera uero, quia haud æquum uidebatur uota facientes æstimari eisdẽ conditionibus quibus mancipia uenalia. in illis enim spectatur pulchritudo & bona habitudo corporis, uilescẽtibus si ista defuerint. Tertia causa est præcipua, quia apud nos imparitas honoratur, apud deum paritas. Hactenus de hominibus, cæterum de pecudibus hæ leges habentur. Si quis selegerit pecudem, quę sit ex aliquo triũ generũ purorũ ad sacrificiũ, bouem, aut ouem, aut capram, illam ipsam sacrificet, nec supponat uel deteriorẽ pro meliore, uel meliorem pro deteriore. Non gaudet enim deus carnibus & adipibus animalium, sed uouentium innocẽtia pioq́ꝫ proposito. Quod si supposuerit, mactet pro una duas uictimas, & eam quam dudum uouerat, & suppositiciam. Quod si deuota pecus impura sit, adducatur ad sacerdotẽ probatissimũ. hãc ille quãti sit æstimet æquo pretio, & insuper quinta parte eius pretij, ne quid desit si substituenda sit pura uictima. Eadem opera mulctatur etiam & pudesit uouentis incogitantia, qui per errorem animal impurum uouerit, fortasis offuscante mentẽ perturbatione quapiam. Si quis aũt domum uouerit, rursum sacerdotem æstimatorem adhibeat. Emptor autem si est ipse qui uouit, non solum persoluat ęquũ pretium, sed & quintam partem superaddat, quo mulctentur duo uitia, temeritas & cupiditas, in uouendo temeritas: cupiditas in repetendo quæ semel alienata fuerant. Sin alius emerit, nihil addat ultra æquã æstimationẽ. Cæterum qui uouet, nõ differat diu res uotiuas luere, uel earum pretium. Iniquum enim fuerit pacta repręsentari hominibus, Deo cui non potest referri merita gratia, procrastinari honorem debitum, & cunctando neglıgẽtiam detegere, quasi cordi non sit cultus eius numinis, à quo & initium & summa felicitatis dependet. Hæc de iureiurando, uotisq́ꝫ dixisse sufficiat.

PHILONIS IVDAEI

DE SPECIALIBVS LEGIBVS

QVAE REPERVNTVR AD DVO DECALOGI CAPITA, *sextum septimumq́. Contra mæchos omnesq́ libidinosos, & contra homicidas omnemq́ uiolentiam.*



[F]VIT olim tempus quando philosophiæ uacãs contemplationiq́ꝫ mundo & eorũ quæ mundi cõtinentur, fruebar optatis ac beatis mentis delicijs, semper consectando diuina præcepta & oracula, quib. satiari præ auiditate nimia nõ poteram, his tantum me oblectans, humile uero nihil sapiens, gloriã, opes, uoluptatesq́ꝫ fastidiẽs: & uelut in sublime raptus diuino spiritu lustrabã animo solis lunæq́ꝫ cursus & cæterorum cælestium orbium. interdum deflectens ab æthere ad terram mentis oculos, tanq́ꝫ ẽ specula considerabã terrestria negotia cuncta, quæ

nullo sermone possunt explicari facile, mactũ me iudicans qui fortiter euasissem tot calamitates mortaliũ. sed insidiabatur mihi grauissima pestis inuidia, uirtutis aduersaria: quę nec opinantẽ aggressa nõ prius desijt deorsum trahere, quàm ui coniecit in profundũ mare curarũ spectantium rem publicam, quibus iactatus ne nunc quidẽ enatare ualeo. Gemens tamẽ eas sustineo, ætatis primæ studia pertinaciter animo hærentia desiderans, quorum amore memoriaq; in miserijs recreor atq; subleuor. Propterea nonnunquam caput attollo, & oculis animæ, licet hebetatis negotiorũ parum gratorum caligine, circumspicio, sicunde se pura lux offerat. Quod si quando non expectanti mihi contingit uel breuis tranquillitas ac quies à tumultuatione rerum ciuilium, tanquam alatus tantum non per aerem uoli to aspirante aura scientiæ: quæ me sæpe incitat ut ad se transfugiam, secũq; degam imposterum, desertis immitibus heris, non tam hominibus, quàm negotijs alijs aliunde in morem torrentis affluentibus. Verùm oportet hoc quoq; nomine deo gratias agere, quòd quãuis pulser, non absorbear tamen huiusmodi fluctibus: atq; etiam mentis oculos, quos quidam ut cæcatos iam deplorauerant, aperio, admittoq; lucem sapientiæ, ne totam uitam in perpetuis tenebris quasi damnatus exigam. Ecce audeo non solum tractare sacra Mosis eloquia, uerum etiam diligenter singula introspicere, & quæcunq; non sunt multis cognita, reuelare spectandaq; proponere. & quoniam è decẽ præceptis, quę deus ipse absq; propheta interprete ore suo prodidit, explicauimus quinq; scripta in priore tabula, specialesque leges tẽdentes ad eundem terminum, supersuntq; reliqua in posteriore contenta illis attexenda quantum possumus, conabor iterum singulis generibus suas leges speciatim adaptare. in ea tabula primum mandatum est, Nòn mœchaberis, ut opinor, quoniam ubiq; terrarum uoluptas pollet plurimum, ut potentiam eius terra mariq; atq; in aere nihil queat effugere. imperat enim terrestribus, uolucribus, aquatilibus, libenter imperata facientibus, atq; adeo nutus eius obseruantibus & arrogãtes superbosque fremitus, & hos quoque cupide præuertentibus mirifica celeritate ministerij. Incidit tamen etiam naturalis uoluptas in reprehensionẽ, propter usus immodicos: sicut lurcones insatiabiles, etiamsi à uetitis cibis abstineant, & uxorij plus satis indulgentes lasciuiæ, etiamsi ab alienis toris sibi temperent. Verũ hæc culpa est corporis magis q̃ animæ, ut uulgus putat, dum internus calor absumptis alimentis è proximo humore aliũ attrahit, cuius fluxus deriuatus in genitalia, pruritus titillationesq; irrequietas excitat. Cæterum qui in uxores aliorũ, interdum & amicorum insaniunt, & in damnum proximorũ uiuendo familias numerosas adulterare conãtur, coniugaliaq; uota irrita facere, & spem posteritatis abrumpere, laborant insanabili morbo animæ, capite plectendi ut publici hostes humani generis, ne impune plures domos contaminent, ne'ue alijs exemplum fiant nequiciæ, quæ facile imitatores inuenit. Quin & aliæ leges de concubitu recte institutæ sunt. Vetitum est enim congredi nõ solum cum maritatis mulieribus, sed etiam cum uiduis, quod illicitus sit talis coitus. Eadẽ lex Persicum quoq; morem execratur ut incestissimum. Honoratiores enĩ Persæ cum

cum matribus contrahunt matrimonia, et natos inde arbitrantur nobilissimos, regioq́; (ut ferunt) dignātur solio: quo nihil excogitari potest magis impium, conspurcari defuncti patris thalamū, cui maxima debebatur religio, matri exhiberi nullam reuerentiam, filium eundum & maritum fieri, matrem uicissim uxoris nomen assumere, communes liberos patris quidem fratres, matris uero nepotes censeri. Hanc prolis suæ matrē simul esse ac auiam, illum filiorum patrem & germanū uterinum. Accidit tam scelestum facinus apud priscos Græcos Thebis Oedipodi Laij filio, nō sponte tamen, sed per ignorantiam, nihilominus tantam uim calamitatum secum attulerunt hæ nuptiæ, ut nihil reliquum factum sit ad summum miseriarum cumulum. Sequuta sunt enim continua bella, tum externa tum ciuilia, uelut hæreditario iure filijs nepotibusq́; à maioribus tradita, quæ uastitates induxerunt maximis Græciæ ciuitatibus, strages exercitibus eorumq́; auxilijs, ducibus partium continua funera, & in his fratribus de regno implacabiliter contendentibus cædes mutuas, unde nata est non solum familiarum patriarumq́;, sed etiam ex maiore parte Græcanici generis pernicies. Nam urbes antea populosæ, euacuatæ sunt, reliquijs modo calamitatum ad memoriam, & miserum spectaculum superstitibus. Ac ne Persæ quidem, apud quos hoc receptum est, expertes sunt cladium similium. Semper enim atteruntur expeditionibus atque prælijs, dum cædunt cæduntur q́; inuicem, nunc incursando finitimos, nunc populatores arcendo à suis finibus. E multis enim locis hostes in eos cooriuntur, quòd natura inquieti sint barbari. Itaque uix dum finito præsenti tumultu, alius nascitur, ut nullum anni tempus uacet à militia, & sæpius in castris sub diuo degant miseri quàm in oppidis, eo quod pace careant. Omitto illas ingentes regum felicitates regnum auspicantium à fratricidio, uidelicet præsagientium fraternas insidias, ne gratis scelesti uideantur. Quæ omnia contingere opinor propter inconuenientissima connubia filiorum cum matribus, iusticia rerum humanarum spectatrice ulciscēte impietatem nefariā. Nam habendi sunt impij non solum qui talia flagitia perpetrant, uerum etiam qui assentiuntur patrantibus. At nostra lex tantam cautelam adhibuit in hoc negotio, ut ne à priuigno quidem post patris obitum nouercam duci permittat, tum ob patris reuerentiā, tum quia nouerca et mater cognatæ appellationes uidentur: tanto magis à matre oportet abstinere iniuriā pro brosissimam. Siquidem qui propter patris memoriā reueretur mulierem quę quondam illius coniux fuerat, satis apparet quòd multo magis in honorem utriusq́; parentis cum matre nihil tentabit nouū & illicitum. Stultum enī fuerit, rationē habere dimidiati generis, integrum uero prorsus contemnere. Deinceps præcipitur, ne sororem quidem esse ducendam, honestum sanè præceptum & aptum continentiæ, quamuis Atheniensis Solon hoc obseruat in uterinis tantum germanis, eodem patre prognatis relinquit liberum. contra Lacedæmoniorū legislator uterinis nō interdicit cōnubio, sed solis eodem patre genitis. at Ægyptius ridēs utriusq́; simplicitatem & semiperfecta placita, laxauit libidinē, & auxit in corporibus animisq́; insanabile malum intemperantię, permissa licentia ducendi sorores,

siue per alterutrum parentem siue per utrunq; cognatas, maiores pariter & minores æquales'ue, ne gemellis quidē exceptis, quas natura ipso natali se iunxit, intemperātia uero societate copulauit insociabili, & male cōparata iunctura. quas leges abominatus Moses sanctissimus, ut alienissimas à bene constituta republica, & incitantes ad omnē turpitudinem, modis omnibus prohibuit congressum cum sororibus, siue utrumq;, siue alterum tantummodo parentem communem habētibus. Quid enim opus est deturpare pudoris pulchritudinem, & uirgines ne erubescant, assuefacere? quorsum autem attinet obstare quo minus affinitates iungātur cum alijs, & intra domesticorum parietum angustias rem honestissimam includere? cum extendi ac diffundi possit per continentes terras & insulas, deniq; totius orbis habitati prouincias. nam connubia cum exteris nouas coniunctiones faciunt, nihilo deteriores quàm consanguinitas. Quapropter & aliarum multarum nuptiæ sunt uetitę, neptium, consobrinarum, nuruum, priuignarum seu uiduarum seu uirginum, siue uxore uiua siue post eius obitum. non fratris patrui'ue uxorem licet ducere, tanto minus priuignam, cui uitricus parētis loco est, & ipsa uicissim loco filiæ, nempe ex uxore huius genita. Similiter duas sorores uni marito nubere non permittitur, nec simul nec successiue, etiamsi prior repudiata fuerit. Nam priore manente in contubernio, aut etiam dimissa, siue maneat uidua, siue nubat alteri, nō uidetur pium sororem in bona illius infelicis uenire: proinde docentur seruare iura cognationis, & non insultare coniunctis genere, nec oblectari cum earum inimicis per obsequia mutua. Nascuntur enim inde graues zelotypiæ, & contentiones implacabiles, prouentusq; malorum maximus: perinde ac si membra eiusdem corporis naturali compage soluta seditionibus agitarentur, morbos immedicabiles & perniciem sibi quærentia. Germani autem quamuis membra disiuncta sint, natura tamen ac cognatione coaptātur. At zelotypia molestissimus affectus graues calamitates secum afferre solet. Ne alienigenam quidem uxorem legislator sinit in thalamū recipi, ne quando maritus ab ea seducatur, oblitusq; pietatis à recto itinere deflectat in deuia. Potest quidem fieri ut ipse resistat, assuetus à iuuentute ritibus patrijs, & sacris legibus quas parentes inculcauerāt: sed cauendum est non mediocre periculū, quod filijs & filiabus imminet. Fortassis enim unius dei cultum dedíscent illecti falsis opinionibus, quod quidē est initium & caput extremę miseriæ. Addit: Quod si quamcunq; ob causam repudiata, & alteri nupta, uiduata iterum fuerit, siue uiuo posteriore marito siue mortuo, non habet ius reuertendi ad priorem: cuiuis nubat potius, quando uinculi oblita pristini, nouos amores pręculit ueteribus. sin autem quispiā uxorē talem receperit, habeatur ignauissimus, ut cui sit exemptum è pectore uitiorum odiū, affectus ad rem tum domesticā tum publicā administrandam utilissimus, & ipse sibi duas notas inusserit, adulterij lenocinijq; Nā huiusmodi recōciliationes nō absunt à suspicione ueneficij, ideo simul cum uxore pœnas luat. Menstruorū fluxus tempore maritus uxorem ne cōtrectet, sed abstineat tantisper à coitu, legibus naturę in hoc obtemperās, nec cōmittat ut propter uoluptatē intępestiuā fœtus minus ab-
soluti

soluti in lucem ueniant. id enim perinde fuerit, ac si ebrius aut insanus agricola in paludes torrentes'ue non in arua sementē faceret. Nam semina siccatos fundos postulant, si colonus sibi uelit ubertatem fructuum promittere. Natura porrò uuluam repurgat singulis mensibus, uelut aruū quoddam mirificum, quas tempestates obseruare oportet more boni agricolæ, ut per inundationem à seminando abstineat. alioqui semen nemine sentiente diffluet præ humiditate, non modo liquidius factum, sed & omnino fluidum, euanescente in eo ui spiritus, per quē in officina uteri formantur animalia, ita ut absoluantur omnibus corporis animiq; partibus. cessantibus aūt menstruis tutò iam prolificum semen uteris committitur. cæterum qui squalidum petricosumq; fundum colunt, non euitabunt opprobrium: uidelicet qui uoluptatis consuetudinē habent cum fœminis sterilibus. Nihil enim captant præterea, qui per lasciuiam sponte prolis iacturā faciunt. quid enim aliud est cur earum coniugium expetant? certe liberos sperare non possunt, quos nullos fore sciunt, stimulantur tamē impotenti libidine, laborantes insanabili uitio. ergo qui puellas duxerunt incerti de futura fœcunditate, si sterilitate tandē deprehensa nō eis renunciant, & res suas sibi habere agereq; sinunt, merētur ueniam, quia uicti diuturna cōsuetudine amoreq; mutuo nō ualēt uim inferre suis affectibus, impresſis iam dudum in animum. Qui autem fœminas compertæ sterilitatis expetunt ad coniugium, suum hircorumq; more quærentes solam uenerem, in impiorum album ascribantur, ut Deo repugnantes. Illi enim ut amatori animalium, præsertim hominum, curæ est genitura salusq; omnium. At isti simul emittunt semen & extinguunt, inimici naturæ confessione publica. Sed & alius morbus petulanter irrupit in ciuitates hoc multo nocentior, eorum qui pueros adamant, quod olim probrum fuit maximum: nunc eo gloriantur & qui patrant & qui patiuntur muliebria, effœminati iuxta corpore atq; animo, ne scintillam quidem retinentes generis masculi, propalam plectentes cincinnos ornantesq;, & cerussa fucoq; oblinentes faciē pingentesq;, unguentis quoq; fragrantes exquisitisſimis. Nam & hac utuntur illecebra, exercitati omnibus formæ lenocinijs: nec pudet eos marem sexum data opera mutare in fœminam. His parcendum non est, si audimus legem, quæ iubet androgynum & sexum suum adulterantem impune occidi, die ipsa et hora qua deprehenditur, cum sit probrosus et familiæ suæ patriæq; dedecus, atq; adeò totius humani generis. Amator aūt puerorum fit eidem pœnæ obnoxius, quia uoluptates alienas à natura sectatur, & ciuitates, quantū in ipso est, desolat, corrumpens semina: ad hæc duorum maximorum uitiorum magister est, ignauiæ molliciæq;, iuuentutem ad formæ curam assuefaciens, & florem ætatis effœminans, qui ad uires ac robur exerceri debuerat. Deniq; more mali agricolæ fœcunda arua inculta sinit squalescere, sterilitatē eis inducens: alia uero ex quibus nullus fructus expectari potest, colit interdiu noctuq;. In causa est opinor, quia apud plerasq; ciuitates impudicis & mollibus proposita sunt præmia: ubi uidere licet istos semiuiros in medio foro frequentisſimaq; turba uersari, & cubito protrudere alios, festis quoq; diebus in pompa præcedere, &

tractare sacra incestis manibus, interesseq́ ac præesse mysterijs Cereris. qui uero cæteris insaniores omnino desciuerunt ad mulieres exectis genitalibus palliolati purpuratíq́ tanq̃ optime de patria meriti incedunt cum satellitibus, & uertunt in se obuiorum oculos. quos si maneret indignatio, qualis est nostri legislatoris, ut piaculares & patriæ probra tollerentur sine uenia, ut eorum exemplo deterrerentur alij. supplicium enim repræsentatum nō mediocriter retundit audaciā simili morbo laborantium. Nunc quidam imitatores luxus sybaritici post opipera conuiuia largasq́ potationes per saturitatem prorumpunt in lasciuiam uoluptatesq́ distensi uentris comites. Nam saturitas gignit petulantiam. ita fit ut mentis impotes rabieq́ perciti insaniant non iam in mares fœminas'ue homines, sed in brutas pecudes, sicut narratur de Pasiphae Minois olim Cretensis regis uxore: quæ taurum tanto amabat impotentius, quanto minus sperabat concubitum, ut fere usu uenit amantibus. Tandem cōmunicauit consilium cum Dædalo, fabrorum eius ætatis præstantissimo. is ut erat artifex rerum inuentu difficilium, in uaccam ligneam inclusit Pasiphaen. Taurus sui generis animal ratus in eam insilijt, reddiditq́ grauidam, unde natum dicitur monstrum semiferum Minotaurus nomine: & crediderim esse alias quoque Pasiphaas infreni libidine, nec solum mulieres, sed etiam uiros insanire in bestias, unde nascuntur abominanda prodigia, hominum cupiditates scelestas & fatuas testantia: ex quo genere fortasse fuerunt fabulosi centauri, chimæræ, aliaq́ similia. Tanta uero fuit sacrarum legum prouidentia cauendi ne homines polluerētur coitu nefario, ut diserte cautum sit ne admittantur pecudes diuersi generis. hircum nullus pastor Iudęus sinet in ouem scandere, nec in capram arietem, nec taurum ad equam admittet. Quod si fecerit, dabit pœnas ut qui naturę iura uiolauerit, distinguentis genera quo in sua sinceritate permaneant. mulos quidam præferunt iumētis omnibus, quòd bene compacta neruosaq́ habeant corpora, & in equarum pascuis stabulisq́ asinos prægrandes, quos calones uocant, nutriunt, ad gignendam eis sobolem. illæ pariunt mulos speciei confusæ animal, cuius genituram ut cum natura pugnantem prorsus interdixit Moses edicto generali, ne coitu misceātur animalia disparia, qua ratione prospectum est ne indicore confunderentur naturæ ordines, simul'que cautum est hominum temperātiæ, ut sic discant uiri atq́ mulieres abstinere à nefarijs concubitibus. Proinde siue uir ineat quadrupedē, siue mulier eam admittat, necabūtur & homines & quadrupedes: illi quia per intemperantiā transgressi sunt præscriptos terminos cōminiscendo noua genera libidinū, & uoluptatē in suauē captando è rebus etiā dictu turpissimis: hæ uero quia se præbuerunt probris talibus, & ne pariant abominandū aliquid, qualia nasci solent ex huiusmodi piaculis detestabilibus, quæ nemo honestus ferat in suis possessionibus abhorrēs ab eorū usu & ministerio, atq́ adeo aspectu quoq́ ut renouāte memoriā fœdissimā, uel solo attactu omnia cōtaminantiū. cum igitur his nemo libens utatur, nil aliud sunt q̃ telluris inutile pondus, ut quidā ait. Præterea scortū lex eijcit è republica, ut honestate, pudore, sobrietate, ac cæteris uirtutib. uacuū, & replens uiros fœminasq́ impudicitia,

dicitia, deturpãsq; immortalẽ mẽtis pulchritudinẽ, solã uero corporis uenustatẽ breui periturã excolens, prostituens se prætereuntibus, & florem ætatis uenditans, ad illectandos iuuenes omnia tum dicẽs tum faciens. Eadem cõmittit amatores suos, inhonestũ præmium seipsam proponens ei qui plura dederit. ergo ut pestis labesq; publica saxis obruetur, quòd naturæ donis abutatur, quæ uirtutib. exornasse debuerat. Adulteris deprehensis conuictisq; lex præsentem pœnam infligit: suspectas aũt cõmittit naturæ iudicio non hominũ: quandoquidem manifesta cognoscunt homines, deus occulta etiã, qui solus animos introspicit. sic igitur zelotypo uiro pręcipit. Die dicta uxori, sanctã ciuitatẽ pete cũ ea: & ubi corã iudicib. comparueritis, suspicionẽ tuam detege, nõ ut calumniator aut insidiator, captans modis omnibus uictoriam, sed ut incorruptus inquisitor ueritatis. At mulier in gemino constituta periculo, mortis & morte grauioris ignominiæ, rẽ ipsa secũ expendat, & si est innocẽs, purget se cum fiducia. quod si arguatur suapte conscientia, satius fuerit se abdere, & peccatũ pudore tegere, q̃ peruicaciter ambire uictoriã. quod si lis nequeat dirimi, neutrius coniugũ argumentis præualentibus, ambo in templũ eant: tum maritus ante altare stans corã sacerdote illius temporis, suspicionẽ suam prodat, offeratq; pro uxore pultem ordeaceã, ut appareat eum non malo sed sano animo certis de causis pudicitiam eius reuocare in dubiũ. sacerdos uero protensa manu mulieri tegmẽ capitis detrahat, ut iudicetur aperto capite sine pudoris insignijs, sicut mos est in omnib. cõtrouersijs capitalib. sed neq; oleum neq; thus, ut in alijs sacrificijs aspergitur, quia tristes nõ læti rem diuinã faciunt. puls aũt adhibetur ordeacea, fortassis ideo, quia hoc genus frugum usus est duplex, & promiscue prębetur brutis animalib. & pauperibus hominibus: quo signo subinnuitur, adulterã nihil differre à bestijs, quæ sine discrimine & sine disciplina ruunt in uenerem: pudicã uerò & puram à crimine, imitari uitam propriam hominibus. Pergit lex, iubens ut sacerdos urnã fictilem aqua è uiuo fonte hausta impleat, & terræ puluerẽ è templi solo collectũ indat in eam: quod ipsum eò spectare opinor, ut figurate significetur ueritatis inquisitio. nã urna fictilis adulterę cõuenit, cui mors optanda est, solennis pœna uiolatæ coniugalis fidei. terra aũt & aqua sic assumuntur, uelut testes periclitantis innocentiæ, uidelicet q ambæ sint causa generationis, incrementi, perfectionisq; rerum omniũ, nec temere utraq; ornatur suis epithetis, dũ aqua pura uiuaq; dicitur, quia mulier insons pura est, mereturq; uiuere: terra uero sacra, ut ex templi pauimẽto desumpta, quod suã sanctitate placet, sicut & mulier sua castimonia. His ita paratis illa capite aperto accedat, ut dixi, pultẽ offerẽs. sacerdos ex aduerso stãs cũ fictili aquã terrãq; continente, hæc uerba pronunciet: Ni uiolasti iura cõiugalia, ni'ue cum alio uiro cõgressa es proculcatis legibus, insons esto & à crimine libera. quod si cum iniuria mariti te implicasti nouis amoribus, scito te deuotã diris omnibus, quib. manifeste pœnam lues corpore. Bibe iam redargutionis poculũ, quod incerta occultaq; nudabit ac reteget. Eadẽ uerba inscripta chartulę deleat aqua in fictili, moxq; bibẽdã mulieri porrigat. illa post potum abeat, expectatura pudicitię præmiũ, aut extremam pœnã intemperantiæ.

perantiæ. nam si est passa calumniam, conceptum partumq́ꝫ speret, nihil de sterilitate solicita, quod si culpa non caret, non euadet uentris inflationẽ tu morem'que, & cruciabile uuluæ uicium, quam puram seruare marito noluit, cum quo in matrimonium rite conuenerat. in tantum autem prospicit lex puritati coniugij, ut etiam post legitimos cõplexus coniugum nihil sinat eos attingere, prius quàm abluantur purificentur'que, quo magis ab sint ab adulterij criminibus. Quod si quis uiduæ siue defuncto siue disiuncto marito stuprũ obtulerit, duplo leuiore culpa quàm adulterij, non luet quidem capite: cæterum propter libidinosam audaciam uiolentiãq́ꝫ prælatas contrarijs uirtutibus accusatus, ex arbitratu iudicum flagris cædatur aut mulctetur pecunijs. germanum uerò cognatumq́ꝫ adulterio crimen est puellarum uiciatio, quãdoquidem utrumqꝫ ex eadẽ matre incontinentia nascitur: utcunqꝫ à quibusdam res turpes appellatione honestiore prætexentibus amor uocatur, quia uerum fateri pudet. attamen quamuis cognatum, non est omnino simile: quia talis iniuria non grassatur per plures familias, sicut adulterium, sed consistit apud unam uirginem. His igitur uerbis obiurganda erit amatoris concupiscentia: Heus tu, mitte impudentem istam procacitatem, et desine insidiosos laqueos clam'ue palam'ue tendere, ne improbitatis notam lucrifacias, sed si bene affectus es erga uirginem, accede parentes eius si forte uiuunt: sin minus, fratres aut tutores, aut quoscunque in quorum est potestate: & amorem ingenue detegens pete illius coniugium, & ne te ut dignum fastidiant. nemo enim ex puellæ curatoribus tam erit difficilis ut instantiores preces rejciat, præsertim si habita inquisitione comperiat nõ fingi amorem, nec leuiter te afflauisse suis ignibus, sed citra fucũ penitus insedisse præcordijs. Quod si quis agitatus insana rabie, rationibus omnibus ablegatis, furori uiolentiam ac libidinem addiderit, posthabitisq́ꝫ legibus raptam uitiauerit, tanquam ancillis abutens ingenuis, & pacis tempore iniurias belli perpetrans, ducatur ad iudices. tum si pater uiolatę superfuerit, agat cũ uitiatore de sponsalibus. quę si ille recusarit, mulctetur pecunijs in dotem puellæ nupturæ alteri. quod si assenserit, sine dilatione ducat eam, assignata dote nihilominus: nec ei cunctari tergiuersari'ue liceat: uel suamet causa, ne uideatur per libidinem non per amorem inobediens fuisse legibus: uel propter puellam, ut læsam eius pudicitiã soletur cõnubio stabili, nec unqꝫ dirimendo ante obitũ. Sin aũt orbata patre fuerit, iudices percõtentur pariter de uoluntate ducendi. & siue assentiatur siue renuat, idem ius seruetur quod uiuente patre seruatum fuisset. Sunt qui putant medium quiddam esse inter stuprum & adulteriũ, interceptũ concubitũ, quoties de sponsa, nondũ tamen nupta, dolo aut ui opprimitur ab alio: me uerò iudice hæc quoqꝫ species est adulterij, nam sponsalia tantundẽ ualent quantũ nuptiæ, quãdo in solenni amicorũ conuentu mariti uxorisqꝫ nomina inscribuntur tabulis. propterea lex reũ & ream iubet lapidibus obrui, si accessit etiã puellæ cõsensus ad nequiciã, qui ni accedat, nõ possunt ambo hærere in culpa eadẽ. itaqꝫ pro ratione loci reputatur crimen grauius aut leuius. merito eñ habetur atrocius, si committatur intra mœnia: leuius aũt si extrà in solitudine. hic enim nemo po-

terat

terat ſuccurrere puellæ uociferanti,reluctanti,& nihil nõ tentãti ad ſeruandam uirginitatẽ integrã.in urbe uero præſto ſunt curiæ tribunaliaq́ꝫ, prætores,ædiles,magiſtratusq́ꝫ cæteri, adhæc uicini uniuerſusq́ꝫ populus,innatum eſt enim etiam plebeiorum animis odiũ ſcelerũ, quod per occaſionem proritatũ ſe aperit,& ultro fert opem patientibus iniuriam.itaqꝫ uiolentum ſtupratorem ubiqꝫ ſua pœna ſequitur,nec excuſatur locorum differentia flagitium : puella eo quo dixi diſcrimine,uel meretur ueniam, uel certum luit ſuppliciũ. Verum de hac curioſe debet iudex inquirere, locorum etiam conſiderãdo circumſtantias,poteſt enim et in media urbe inuitæ uis inferri,& extra urbem uolens libensq́ꝫ nefarium coitum admittere. ideo recte cauteq́ꝫ lex patrocinatur ſtupratæ per uim in ſolitudine,dicens: Vociferata eſt adoleſcentula,nec erat qui ſuccurreret.Itaqꝫ ſi nec clamauit, nec repugnauit,ſed uolens ſe præbuit,non eſt innoxia,quantumuis prętexat culpæ locum ſolitariũ.In urbe quoque quid iuuat pro caſtitate tuenda conari omnia,ſi puellam opprimat uiolator longe ſuperior uiribus & pollentior? Quid eñ ſi colligarit eam funibus? ſi os obturarit,ut ne in clamorem quidem ualeat prorumpere? quid tum ei proderit in propinquo habitantium uicinia? nam hoc pacto uel in urbe licet inuenire ſolitudinem,ubi nemo ſuccurrit,eadẽ ratione conſenſus in ſolitudine nihil differt ab eo qui fit in urbibus. Sunt item quidã qui facile appetitas faſtidiunt facilius, mulieroſi ſimul et infenſi mulieribus,è diuerſis promiſcuisq́ꝫ cõflati moribus, primis quibuſqꝫ cedentes affectionibus,quas refrenare fuiſſet ſatius:nunc ſinunt eas inconſiderate tanquã cæcas ruere,& in quaslibet res aut in quęuis corpora impingere,ac præ impetu nimio procidere cũ offenſione mutua.Ad eos reprimendos hæc lex eſt oppoſita. Si quis poſt epulũ nuptiale cum puella non maritali affectu, ſed tanquã cum meretrice libidinis cauſa congreſſus,deinde non habens quod ei propalam exprobret,calumnioſe uertat ſe ad occulta crimina, dicendo in primis cõplexibus eam à ſe mulierem deprehenſam non uirginẽ: uocetur uniuerſus ſenatus ut iudicet:adſint etiam accuſatę parentes,cõmunem cauſam acturi. in tali enim controuerſia,quando de caſtitate corporis quæritur,non imminet periculum ſoli filiæ, ſed etiam eius curatoribus: non modo quia uſqꝫ ad ſuum tempus non cuſtodierunt natæ pudicitiam, uerùm quia uitiatã ab alio deſponderunt pro uirgine,decepto qui eam ſibi uxorem petijt. qui ſi litem uicerint, mulctetur calumniator ex iudicũ arbitrio tum pecunijs tum uerberibus: &,quod ei grauiſsimum erit, confirmetur id matrimonium,ſi modo uxor cum tali cohabitare ſuſtineat.his enim lex relinquit liberũ, abire an manere malint.maritis eadem poteſtas non permittitur, propter recentẽ calumniam. Qui hominẽ occidit,appellatur homicida,ſed reuera eſt ſacrilegus, & quidem inſignis, quippe qui perpetrauit ſacrilegium maximũ, ſublata è mũdo re precioſiſsima ſacratiſsimaq́ꝫ:quando nihil eſt deo tam ſimile,q̃ hoc ſigillum pulcherrimũ expreſſum è matrice pulcherrima, ad exemplar ideæ rationalis effictũ. Ergo quilibet homicida confeſtim pro impio ſceleratoq́ꝫ habendus eſt ob perpetratum facinus impium atqꝫ nefarium, & debet è medio tolli ut maleficus. meritus enim plurimas mortes exoluit ſe unica,

unica, quia natura nõ fert eum affici pluribus supplicijs. nec iniquũ uideri potest si quod prior fecit, idem & ipse patitur. quãuis idem non est, quod tempore, facto, proposito, personaq; distinguitur. An non iniuria lacessere prius est quàm uim ui repellere? nonne homicidium res iniustissima est sicut ediuerso iustissima homicidæ supplicium? homicida explet suam cõcupiscẽtiam patrato facinore: occisus uerò sublatus è medio, nec iniuriam potest reponere, nec ex ultione uoluptatẽ capere. ille sua manu impetit ex insidijs: alter nihil potest officere aut nocere interfectori suo, nisi cognatis amicisq; propugnantib. ex affectu misericordiæ. Si quis gladio petit aliquem occidendi animo, etiãsi non succedat, reus est homicidij quod destinauerat, nec prodest ei quòd conatu suo frustratus sit. proinde pari pœna plectatur. Item si quis non ausus cominus aggredi, dolo malo aggreditur ex insidijs hominẽ, & necem ei machinatur, scelestus est & execrabilis, pollutus animo prius quàm manibus. Quemadmodum enim hostes habentur nõ solum qui nos iam impugnãt classibus aut exercitibus, uerũ etiam qui utrosq; apparatus faciunt, & machinas admouent portubus ac mœnibus, etiam si nõdum ad manus uenerint: ita homicidæ censendi sunt non solum qui interimunt, sed & qui nihil non conantur clamq; palamq;, ut interficiant, etiamsi nõ perpetrarint facinus. quod si præ metu uel audacia, uitijs contrarijs, in templũ irrumpere tentarint impunitatis inueniendę gratia, prohibẽdi sunt. sin aũt iam subrepserunt, dedendi sunt ad supplicium, cum hoc præconio: Hominibus nefarijs in fano ius asyli non deberi. nam quisquis malum dat incurabile, inimicus est deo. homicida autem lędit immedicabiliter, quia occisus non potest in integrum restitui. nisi forte innoxios ante solẽnem purificationem in templum non admittimus: pollutos uerò ineluibili scelere, abolendo nulla mora temporis, dignabimur aditu sacrarũ ędium, quos ne priuata quidem domus honesti uiri & sanctitatem amantis reciperet. Ergo si peccatum peccato cumulantes impietatem addunt homicidio, ducendi sunt ad supplicium, ut non unam mortẽ meriti, sicut iam ante diximus. alioqui cognatis amicisq; per dolũ necati nõ patebit templum quod homicidam excepit, qui nunquam sub idem tectũ succederent. Iniquissimum autem fuerit propter unũ multos, & propter uiolatorem iuris excludi affectos iniuria, nullo suo merito in luctũ coniectos acerbissimum. Et fortasse legislator prudẽter in futurum prospiciens, præcauere uoluit ne in templo committeretur homicidium, si illud frequentarent occisi hominis necessarij, qui prę impotenti affectu uel proprijs manibus confecturi homicidam uidebantur, patraturiq; impietatis summę facinus. sic enim uictimarum sanguis misceretur cum homicidarũ sanguine, sacratus eum execrabili. propterea iubet ut ab ipsis aris abstrahatur homicida. Cæterum qui gladio, hasta, fuste, saxo, alioue telo interimunt, fieri potest ut inconsulto repentinoq; impetu perciti scelus admittant, furori non rationi obsequuti, ita ut dimidiatũ uideatur facinus cui non accessit longa deliberatio. alij uerò sceleratissimi, polluti mẽte ac manibus, magi & uenefici per ocium & in secessũ dant operã malis damnatisq; artibus, captantes occasionem uariarum calamitatum inferendarũ proximis. ideo lex uult ue-

neficos

neficos & ueneficas ne unum quidē diem uiuere, sed mori quamprimum deprehensi fuerint, nec ullo pacto differri supplicium. nam qui propalā & cominus aggrediuntur, utcunq; caueri possunt: occultæ aūt insidiæ ueneficiaq; non animaduertuntur facile. præstat igitur ut noxa quam illaturi erant alijs, auertatur in ipsorum capita. et alioquin etiam qui gladio uel alio quouis simili telo grassatur, non enecat multos eodē tempore. uenenis autem letiferis innumeri perimūtur, inter esculenta clam admixtis confusisq; per insidias. et accidit aliquando in numeroso conuiuio sodalibus ad eiusdem salis eiusdemq; mensæ societatem collectis, inter libationes uiolari sodalitatis fœdera, repente mutatis rerum uicibus, & in conuiuij locū succedentibus funestis exequijs. quapropter etiā mitissimos clementissimosq; iudices sæuire in id genus conuenit, nec saluti eorū unquam parcere, tantum non proprijs eos tollendo manibus absq; ulla contagione sceleris, etiam si nō utātur ministris supplicij. Quid enim est iniquius, q̄ alimēta ad tuendam uitam facta uertere in perniciem, & naturæ beneficia corrumpere: ut qui ex cibo potuq; petunt refectionem necessariam, in insidias præcipitati pro salute mortē inueniant. Eadem pœna manet eos qui non letifera uenena conficiunt, sed longos morbos & tabem lentā inferentia. nam sæpe satius est emori q̄ ægrotare, præsertim diuturno morbo non habituro felicem exitum. respuunt enim medicinam morbi contracti è ueneficijs. molestiores autem sunt in hoc genere animorum noxæ quàm corporum, quoniam inde nascuntur deliria & intolerabiles insaniæ, quibus mens, qua nihil preciosus homini datum est diuinitus, obleditur, uel potius in totum demigrat sine ulla spe reditus, brutam deterioremq; animi partem relinquens corpori, communem cum bestijs: quandoquidē sublata ratione homo in feram mutatur, utcunq; lineamenta humanæ speciei retinet. Veram quidem illam magiam, hoc est perspectiuā scientiam, per quam naturæ opera cernuntur clarius, ut honestam expetendamq;, non plebeij solum sectantur, sed etiam reges regum maximi, præsertim Persici, tam curiosi harum artium, ut regnare nō liceat nisi cum magis uersato familiariter. ex hac adulterata deprauataq; descendūt quas maxime proprio uocabulo malas artes dicimus, circulatorum ariolorumq; studia, & mulierū mancipiorūq; nequissimorum expiationes lustrationesq; profitētium, mutationesq; amoris in odium, aut ediuerso in amorem odij, per quasdā potiones amatorias & incantamenta idonea: atq; his dolis inuncant simplicissimū quemque, donec in calamitates ingentes pertrahant, ut nonnunquam magnæ familiæ cognationesq; paulatim sidendo sine ruinæ strepitu intercidāt. His omnib. opinor consideratis noster legislator non sinit procrastinari ueneficorum supplicia, sed absq; mora uult exigi: quod dilatio noxijs opportunitatem peccandi præbeat, ultro ad mortē properantibus, cæteros uero suspicione metuq; repleat, existimantes quicquid illorum uitæ accedit, suæ securitati decedere. idcirco sicut uiperas, scorpios, aliasq; uenenosas bestiolas, prius q̄ mordeant, aut saucient, aut omnino se commoueāt, sine mora ad primum aspectum occidimus, præcauendo genuinam eorū maliciam prius quàm noceāt: eodem modo etiam homines plectendi sunt, qui cum
sint

sint animalia rationalia, nihilo secius à natiua mansuetudine in ferinos mores degenerãt, & pro delectamẽto habent lædẽdi quotquot possunt licentiam. Hactenus in præsenti de ueneficis dictũ sit. Sciendũ tamen hoc quoque, interdũ accidere ut aliquis nihil minus cogitans committat homicidium, nõ destinato consilio, nec paratus ad id antea, sed repentino furore percitus, impotenti malo & obrepenti facile, quod nõ minus nocet commoto, quàm sustinenti talem debacchationem. interdum enim aliquis progressus in forum ut agat sua negocia, casu homini uel lingua uel manib. petulanti fit obuius, lacessitusq; aut ipse contentionẽ exorsus, ut rixa citius dirimatur, aut pugno ferit, aut eminus lapide. Tum si letali plaga ictus alter moritur, percussor quoq; ferat quod intulit. quod si non statim ab ictu perit, sed decumbit læsa ualetudine, ac mox curatus si non suis pedibus, saltem alijs sustentantibus, aut scipione subnixus obambulat, duplicem mulctam luat, tum eam qua rependatur percussi ocium, tum qua satis fiat medico. hac persoluta immunis sit à supplicio: etiamsi percussus moriatur postea. fortassis em̃ non ex ictu, postquẽ cœpit obambulare ualereq; meliuscule, sed alijs de causis interijt, quæ repente aggressæ uel sana corpora enecant. Quod si quis rixando cum muliere grauida pugnos in uentrem inflixerit, ita ut abortus sequatur, si abortiuum informe fuerit, mulctetur, tum propter uiolentiam, tum quia fuit impedimento naturæ exorsæ opificium hominis, animalis pulcherrimi. Quod si formatus fœtus absoluta mẽbra et in ordinem digesta habuerit, moriatur percussor. iam em̃ erat homo qui in naturæ officina interemptus est, nondũ ab ea prolatus in lucem, similis statuæ latenti apud fictorem suum, & nihil aliud expectanti quàm dum liceat illi spectandam proponere populo. Hæc lex etiam grauius quiddam prohibet, expositionem infantium, quæ apud multas gentes propter natiuam inhumanitatẽ uulgaris est impietas. nam si prospiciendum est, ne ante præfinitũ natiuitatis tempus uim patiantur in utero, quanto magis conseruãdi sunt iam editi, & quasi nouelli coloni adscripti cæteris hominibus, ut unà fruantur naturæ donis, quæ in terra, aqua, aere, cælo proueniunt, cælestia contemplationi & spectaculo, terrestria uero ut usibus seruiant, et expleant omnium sensuum desideria: menti quoq; famulentur tanquam regi magno per eosdem sensus ceu satellites: aut etiam sine horum ministerio, duntaxat in his quæcunq; sola ratione possunt percipi. Hæc tanta bona quisquis adimit pueris, et alimenta statim à natiuitate denegat, sciat se uiolare iura naturæ, & hoc modo incidere in maxima crimina, libidinosus, immanis, homicida, atq; adeò infanticida prolis propriæ. libidinosus ut qui non liberorũ causa conseruandiq; generis cum uxore cõgreditur, sed uoluptatem captans ex coitu more suum hircorumq;. immanis autẽ quis potius censebitur, quàm natorum suorum inimicus implacabilis? nisi quis est tam fatuus, ut credat non temeraturum fœdera inita cum exteris, eum qui cognationis iura & communis generis societatem nodosq; arctissimos ducit pro nihilo. certe homicidæ infanticidæq; sunt manifestarij, siue scelus id peragunt suis manibus immaniter elidendo præfocando'ue recentem spiritũ: aut in flumen mare'ue projciendo è sublimi, quo celerius

mergan-

merganturac profundius: siue in deserta loca deportatos exponunt, ut ipsi aiunt non desperantes de salute: sed reuera ut abiecti miserius intereant. nam quæcunque feræ carnes humanas appetunt, accurrūt & auide fruuntur bellis epulis obiectis sibi à parentibus, qui soli aut præcipui curatores infantis esse debuerant: atq; etiam reliquias eorum carpunt alites carniuoræ, si serius ueniant. Nam quoties mature præsentiunt, decertant pro præda cum terrestribus bestijs. Sed fac alicuius prætereuntis miseratione colligi expositicium, & alimenta cæteramq; educationem consequi, hoc beneficium quid aliud est quàm parentum ipsorum condemnatio? Siquidē exteri faciunt horum officium, parentes uero ne eam quidem curam natis impendunt quam exteri. immensum igitur quāto magis expositionem infantum uetitam innuit, qui autori abortus infligit pœnam capitis, si fœtus iam formatus erat in utero. quamuis infantem tantisper dum matrice clauditur, partem matris aiunt scrutatores naturalis philosophiæ, cum'que his medicorum probatissimi, qui paraturam hominis inspexerunt, non foris solum, uerum etiam dissectis corporibus, ne quid eius ignoratum in curandis morbis afferret causam ingentis periculi. hanc concretionem partus se cernit, absoluens animal, ita ut nil ei desit eorum quæ natura humana postulat: proinde sine cōtrouersia homicida est quisquis infantem interimit, ætate non obstāte, cum lex uindicet iniuriam illatam generi. attamen si ætatis quoq; rationem haberi placet, maiorem indignationem infanticida mereri uidetur. nam perfecta ætas multis modis irritat offenditq;: infantibus uerò tum recens in lucem ac uitam editis ne falsum quidē crimen licet obijcere propter summam eorum innocentiam. ideo sæuissimi omnium & immanissimi iudicandi sunt qui his struunt perniciem, merito capitalem pœnam daturi legibus. Ei autem qui nolens cædem commisit, occisum sacra lex ait in manus à deo traditum: uel quo excuset culpam. nunquam enim deus clemens ac propicius insontem ad necem dederet: sed aliquoties qui apud humanum tribunal euadunt modis uarijs, in naturæ iudicium adducti damnantur, ubi sola sincera ueritas spectatur, nec offuscatur ullis uerborum præstigijs. imò ne opus quidem uerbis est, ubi nudantur consilia, uoluntatesq; occultæ antea in apertum producuntur. uel quo percussor licet exemptus crimine homicidij, quasi minister iudicij diuini, tamen declaretur obnoxius exiguo cuidam piaculo, quod ueniam impetrare debeat. nō nunquam enim deus paruis delictis & sanabilibus utitur ad punienda magna atq; insanabilia peccata, non quòd ipsos ministros probet, sed quòd eos putet instrumenta pœnarum idonea, ne quis alioqui tota uita purus & è puris prognatus parentibus, cæde uel iustissima suas manus contaminet. ideo cæde præter animi sententiam pollutis exiliū indicitur, certis quidem locis circumscriptum, non tamen perpetuum. Sex enim ciuitates attribuuntur huiusmodi exulibus, octaua pars possessionum quæ sorte obuenerunt sacratæ tribui, & ex re nominantur profugorum receptacula. Finis autem exilij est idem qui uitæ pontificis. tunc enim reditus permittitur. quod ad locū exilij attinet, hęc causa redditur. tribus de qua loquimur, has ciuitates accepit in cædis piæ iustæq; premium, propter operam nauatam

egregie. Cum enim propheta in celsissimum ac sanctissimum eius tractus montem accitus, ex ore dei capita iuris acciperet, semotus per dies aliquot à conspectu hominum, quidam seditiosi per absentiam principis multa mala inuexerunt, & ad extremum impietatem his adiecerunt, unius ueri dei cultu exploso, & consecrato iuuenco aureo ad exemplar typhi Aegyptiaci: uacabantq; profanis sacrificijs & festis nefarijs, inconcinnisq; choreis, cantantes hymnos cum debuerint lamentari potius. hanc repentinã à bonis moribus defectionẽ indigne ferens ea tribus, ira zeloq; accensa armauit se uelut ex composito, & uino simul orgijsq; furentes contemptim aggressa trucidauit, initio cædis facto ab amicissimis & coniunctissimis, pietate tantum metiendo necessitudines. itaq; exigua parte diei ceciderũt uigintiquatuor milia, quorum clades reliquos in officio continuit, similem pœnam ueritos. eam uoluntariam militiam pro pietate cultuq; ueri numinis susceptam non sine periculo, ipse rerum pater approbauit, pronunciauitq; interfectores puros ab omni scelere, & honorauit sacerdotio, uirtutis ergô pietatisq;. ideo quisquis inuitus necauit hominem, iubetur in non nullas huius sortis ciuitates secedere, ad eius casus solatium, néue desperet de securitate fretus loci priuilegio, redigentis in memoriam, quòd qui contra uoluntatem suam necesse habuerunt ferro grassari in uitam quorundã, honores etiam & magna præmia supra impunitatem olim adepti fuissent. tanto magis absolui debere à crimine, qui idem peccatum cõmiserunt per imprudentiam, & saltem hoc impetrare ne plectantur capite. Vnde discimus, non omne homicidium damnandum esse, sed ea solum quæ coniuncta sunt cum iniuria: quandoquidem licet interdum laudem hoc facinore quærere, si per æmulationem & uirtutis amore patratum sit. certe ueniam meretur qui nolẽs occidit. Altera causa est hæc. Vult lex incolumitatem eius qui necauit imprudens, quoniam insons est animo, licet manibus ministrarit iusticiæ rerum humanarum præsidi. infestatur enim & ad mortem expetitur ab occisi cognatis proximis, quos uel miseratio uel domesticus luctus ad ultionẽ stimulat, nec sinit iura naturæ diligenter expendere. ideo datur huiusmodi homini refugiũ, non in templum, utpote nondum expiato: nec in obscurum aliquem neglectumq; angulum, ne contemptus dederetur facile: sed in urbem sacerdotalem, hoc est mediam inter sacram profanamq;, quæ est quasi templum quoddam secundarium. nam sacrificorum oppida religiosiora sunt cæteris, sicut augustiores ipsorum incolæ. proinde ob receptaculorum priuilegium certa securitas contingit eò fugientibus. terminum autem reditus præfinijt lex, ut dixi, mortem summi pontificis, ob causam hanc. quemadmodum quisq; occisus cognatos habet superstites ultionis auidos, ita uniuersæ gentis in cõmune cognatus & propinquus est pontifex, reddens omnibus iura controuersiasq; dirimens, et sacra uotaq; quotidie faciẽs, omniaq; fausta petẽs tãq; fratrib. & liberis, & parẽtib. ut omnis ætas cunctæq; partes gẽtis in unũ ceu corpus coeãt coaptenturq;, & sic pace fruãtur ac cõmunib. legibus. hũc igitur timere debet quisquis inuitus cædẽ patrauit, ut propugnatorẽ & protectorẽ necatorũ, cõtinereq; se intra sua receptacula, si modo cupit sine periculo uiuere. cum igitur

igitur lex dicit, nō reuertetur exul in patriam donec moriatur summus pō tifex: perinde ualet ac si dicat, donec moriatur cognatus omniū publicus, qui solus habet ius in uiuos pariter ac mortuos. hęc est causa quæ placet rē cētiorib. altera uero grauiores habet antiquioresq́ꝫ, hæc uidelicet. A peccā tis uoluntarijs debēt esse puri plebeij homines, aut etiā sacerdotes, si cui libet hos quoqꝫ addere: princeps uero sacerdotum siue pontifex per excellentiā ab utrisqꝫ uoluntarijs pariter ac inuolūtarijs. nefas est enim hūc quic quam pollutū attingere uel sponte sua uel casu fortuito, ut cū sacris præsit, ornatus sit parte utraqꝫ, tum mente irreprehēsibili, tum uita nullis probris obnoxia. itaqꝫ tali merito suspecti sunt qui nolentes cædem fecerunt, non ut scelerati, sed ut minus puri à peccato: utcunqꝫ uoluntati naturæ uidētur præbuisse ministeriū aduersus prædānatos illius occulto iudicio. Hactenus de ciuibus & ingenuis: deinceps etiā de seruis lex loquitur occisis per uim ac iniuriam. hos fortuna & conditio uilior distinguit à suis dominis, de cætero natura utrisqꝫ cōmunis est & eadem. at lex diuina regulas iuris nō fortunæ, sed naturæ accōmodat. ideo decet dominos nō abuti sua potestate cōtra famulos, cauereqꝫ ab insolētia, cōtēptu atqꝫ sæuicia. nā ista nō sunt indicia placidi animi, sed impotentiæ tyrannicę, exercētis licentiā pro arbitrio. quisquis em̄ domū suam tāquā arcem munijt, neminē domestico rū sinens loqui libere, asper in omnes præ agnata uel etiā affectata sæuicia, tyrānus est apparatu tantū minore differens: unde satis apparet eū progressurum ulterius, si quid opibus accreuerit. Transcendet enim mox ad ciuitates, gentes, regionesq́ꝫ, oppressa prius sua patria, ut specimē de se præbeat, quàm immitis sit futurus in cæteros subditos. Talis igitur certo sciat, non semper, nec in omnes habiturū se peccādi licentiā. Vltrix enim ei resistet iusticia, propugnatrix iniuriam patientiū, reposcetqꝫ rationem necis quam ille suis intulit: nec satis erit dicere inflictas plagas castigandi nō occidēdi animo. non enim statim dimittetur impune, sed ad iudices ductus diligēter examinabitur num uera dicat, uolens an nolēs interemerit. si dolus malus & nefarium propositum compertū in eo fuerit, moriatur, nec prosit ei ad salutē quòd sit dominus. sin aūt non mox post uerbera, sed altero tertio 'ue die seruus expirauerit, iam non erit reus cædis dominus, excusationem ha bens hoc ipsum quod ille inter uapulandum nō sit mortuus, permissus intra ædes uiuere quamdiu potuit, licet breui tempore. Huc accedit, quòd nemo est tam fatuus ut alium uelit lædere cum suo incōmodo. at quisquis seruum interficit, seipsum mulctat, cariturus eius ministerio, & insuper preciū perditurus fortasse non modicum. quod si seruus meruit suppliciū, ducatur ad iudices, & crimē eius indicetur, ut legibus pœnas luat nō suo domino. Quod autem attinet ad bruta mortem merita: si quem taurus cornupeta interemerit, obruatur lapidibus. nō est enim idoneus sacrificio, & carnibus eius uesci nō est fas. quam ob rē? quia nō est purus cibus homini, animal quod interfecit hominem. quod si dominus eius sciens ferum imman suetumq́ꝫ, nec alligauit nec inclusit, ac ne ab alijs quidem præmonitus eum asseruauit, reus esto. necatoq́ꝫ cornupeta, ipse quoque tollatur è uiuis, aut certe caput suum precio redimat, iuxta æstimationem iudicum. Si seruus

fuit qui sic peremptus est, precium eius restituatur ipsius domino. Quod si non homo, sed pecus cornu confixum fuerit, mortuum sumat cornupetæ dominus, reddatq; aliud simile, propterea quòd incaute seruauit pecudis suæ ferociam. quod si ipse alienam necarit pecudem, restituat similem, & boni consulat non mulctari se grauius, cum prior læserit. Quidam profundos puteos fodiunt, aperiendo uiuos latices, aut ut pluuiales aquas colligant: deinde nec os putei sepiunt, nec addunt operculum, per summam negligentiam uel amentiam sinentes id patere ad quorundam interitum. in hos si quis uiator incautius incedendo prolapsus perierit, actio sit cuilibet defuncti propinquo contra fossores putei: tum iudices litem ęstimēt, & mulctam ab eis exigant. quòd si iumentum eò prolapsum perierit, quanti uiuum æstimabatur, tantum luant domino, ipsis cadauer tollere liceat. Huic modo dicto crimini admittunt simile, qui ædificata domo solarium relinquunt sine loricula, nec cauent nequis deferatur in præceps. nam ut uerum fatear committunt homicidium, quantum in ipsis est, etiamsi nemo delapsus intereat. proinde pœnam eandem debebunt, quā illi qui puteos relinquunt absq; operculo. Homicidis lex nō indulget ut pecunijs luant, quod luendum est capite aut exilio: sed exigit rigide, ut sanguis expietur sanguine, & insidiatoris capite satis fiat interempti manibus. alioqui peruersa ingenia nunquam satiantur maleficijs, sed facinora cumulant facinoribus, augendo usque maliciam, nec ullis eam circumscribendo terminis. Contra tales mille supplicia decreuisset legislator, si potuisset: id quia non poterat, nouam pœnā addidit, iubens in ligno suspendi homicidas. mox'que ad suam clementiam reuertitur, humanitatis erga inhumanos non oblitus: Non occidat, inquit, sol super pendentes in ligno, sed depositi ante occasum sepeliantur. nam necesse fuit eos qui omnes mundi partes infestarant, sublimes tolli, ut ostenderetur soli, cælo, aeri, aquæ terræ'que illorum supplicium: mox'que in sepulchreto condi, ne quid super terram contaminent. Quin & illud pulchre cautum est, ne patres moriantur pro filijs, ne'ue filij pro patribus: sed ut quisque mortem meruit, pro se luat proprio capite. atque ita lex hæc opponitur, ijs qui uel ius collocant in uiolentia, uel suos nimis tenero affectu adamant. tales enim se libenter supponerent mortis uicarios, insontes pro sontibus, lucrum ducentes non uidere supplicium uel parentum uel filiorum, utpote insuauem & morte tristiorem uitam uicturi postea. Quibus respondebimus, Intempestiuā est uestra ista beneuolentia, nec potest probari quicquid fit alieno tempore: sicut ediuerso laudantur quibus in suis factis constat ratio temporum. debemus amare quos amore dignos censemus. malus autem nemo uere amicus est. genere coniuncti amici, ut uocantur, alienant se sceleribus. arctius enim consensu uirtutum quàm cognatione sanguinis astringimur: quas si quis deseruerit, nihil uetat eum referri in hostium, nedum alienorum hominum, numerum. Cur ergo affectibus istis parum uirilibus beneuolentiæ humanitatis'que falsa nomina prætexitis? nisi forte apud uirum fortem miseratio plus ualebit quàm ratio: præsertim cùm peccetis non simpliciter, dū noxios uultis eripere supplicio, uosipsos uero insontes pro illis pœ

næ subij-

næ ſubijcere. Verùm iſtis increpatio ſatis fuerit, non ex utilitate publica in dulgētibus ſuis affectibus, & alienam ſalutem ſua morte redimere cupientibus. cæterum illorum immanitatem quis non deteſtetur, quorum tam dira eſt ferocia, ut clam'ue palā'ue pro aliorū culpis ab alijs pœnas grauiſſimas exigere audeāt, obijciēdo eis cognationem reorū, aut ſocietatē, aut amicitiam aliud'ue ſimile, ut in uitam eorum ſæuiendi occaſionē habeāt. & hæc interdum faciunt nulla prouocati iniuria, tantum ut per auariciam rapinas exerceant. Nuper quidā tributis exigēdis apud nos præfectus, quoniā aliquot qui debere uidebātur, fugerāt propter inopiā, ueriti ne torquerētur, uxores eorū, & liberos, parentes, cognatosq; cæteros uniuerſos per uim abduxit, protruſos, uerberibus affectos, & omnib. cruciatibus, ut aut indicarēt profugorū latebras, aut pro illis dependerent, cū neutrū poſſent, alterum quia neſciebāt, alterū quia ipſi nō minus erant pauperes. nec prius abſtitit, q̃ nouis tormentis eos enecaret, inauditoq; mortis genere, ſuſpēſa de collo ſportula plena ſabulo: ut preſſi onere grauiſſimo ſub diuo in medio foro, uarijs modis uexati, uento, ſole, prætereuntium ludibrijs, miſere deficerent. quod tam crudele ſpectaculū ſic affecit nōnullorum animos, ut aliorū exēplo docti mortē præoccuparēt gladijs, aut uenenis, aut laqueis, in tam miſero rerum ſtatu partem felicitatis exiſtimantes abſq; cruciatu interitū. cæteri moras inter ac deliberationes correpti, prius quàm ipſi ſibi necem conſciſcerent, uelut ſortito ducebantur iuxta cognationis ordinē, primùm proximi, poſt hos ſecūdi atq; tertij, donec perueniretur ad ultimos: quod ſi quando nullus è cognatis ſupererat, ad uicinos tranſibat ea calamitas. interdum etiam totos uicos & oppida deſolabat, colonis diffugientib. & latebras ubicunq; ſibi quærentibus. attamen fortaſſe minus mirū fuerit tributorū exactores ingenio barbaros, liberalis inſtitutionis expertes, ob ſequentes iuſſis herilibus, collectores annuorū redituum, nec facultatibus parcētes nec corporibus, in uitæ quoq; periculum multos uarijs de cauſis adducere. nūc ipſi legiſlatores penes quos ſunt iuris regulę, perinique ſtatuūt, opinionem ſuam magis quàm ueritatem ſecuti, proditorem plecti unà cum liberis: tyrannum uerò unà cum quinq; familijs cognatione proximis. libenter diſcerem cur ita. ſi unà peccarunt, ſimul etiam puniātur. quod ſi nec ſocij fuerunt eorum nec imitatores, nec felicitatis uoluptatisq; domeſticorum participes, cur interimentur? ideo'ne tātùm quia cognati ſunt? genus enim non ſcelus punitis. nimirum uos ô uenerandi legiſlatores, bonas habetis familias: alioqui ſi malæ eſſent, opinor nunquam uobis in mentem ueniſſent inſtituta huiuſmodi: imò ne alios quidem ferretis hęc ſtatuere, ut ob cauenda ſcelera innocentes quoq; inuoluantur alienis periculis. nā hic metus ita cautus debet eſſe, ut tamen non contemnatur cuiuſquā incolumitas. Cæterum qui nimium ſecuritati conſulit, cogitur ſæpe innoxijs nō parcere. His rationibus conſideratis noſter legiſlator, ſimulq; animaduertens quantum hic peccetur ab alijs cōtra rempublicam, damnauit pariter & negligentiam & inhumanam ſæuiciam: nec paſſus eſt quenquam pro auctario dedi ad luendū alienæ culpæ ſuppliciū. ideo diſerte cauit ne filij pro parentibus, ne'ue parentes plectantur pro filijs: æquum cēſens ut qui peccāt,

ijdem puniantur etiam, siue mulcta pecuniaria, siue flagris & cruciatibus, siue talione læsi mutilati'ue corporis, siue ignominia exilioq́ꝫ, aut quacunqꝫ tandem pœna legitima. dũ enim unũ genus exprimit, nõ permittens caput plecti pro capite, latenter & de cæteris subindicat suam sentẽtiam. Fora, curiæ, tribunalia, sodalicia, comitia, & subdiualis uita quæ causis agendis rebusq́ꝫ gerendis in bello ac pace peragitur, uiris conueniunt: fœminis uero cura rei familiaris, & domus custodia. uirgines penetralia, mulieres aulam, nõ egrediantur. duę sunt em̃ ciuitatũ species, maiorum minorumq́ꝫ. maiores urbes uocantur, domus uero minores. harũ præfecturæ sorte obuenerunt, uiris maiorum, hoc est respublica: mulieribus minorũ, hoc est res domestica. Absit igitur ut mulier aliquid extra familiæ curã satagat, sed amet solitudinem, nec tanquam prostituta in publico in conspectu uirorũ operetur, nec nisi ad templum procedat, ac ne tum quidẽ sine pudore per forũ frequentissimum, sed turba iam domum reuersa, ita ut decet mulierem ingenuam & uere ciuilem, persolutis sine strepitu uotis atqꝫ precibus ad auertẽda mala & bona impetranda. Rixantibus autem pugnantibusq́ꝫ uiris mulieres audenter procurrere uelut in auxilium, nõ mediocris fuerit impudẽtiæ, quãdo etiã in bello uacationẽ habent militiæ, ubi de cõmunis patrię salute agitur: adeò decorũ & honestas fuit curæ legibus, ut semper & ubiqꝫ immotum seruaretur, quòd in hoc incomparabili bono sita uideatur uictoria, etiamsi cætera ueniãt in periculũ. quod siqua tam impotenter amat maritum, ut iniuriam ei factam dissimulare non ualeat, tamen sexus memor sit etiam cum opem ferre parat. periniquũ enim fuerit, si ut uirum cõtumelijs eximat, ipsa sibi faciat contumeliam, oblita pudoris fœminei, & probrũ sibi concilians ineluibile. itáne decet mulierem conuiciari per uias, & uerbis uti non licitis, ac nõ potius si alius conuicietur fugere obturatis auribus? at nunc nonnullæ procurrunt armatæ non lingua tantum sed & manibus, natis exercitatisq́ꝫ ad lanificium, non ad protrudendos pulsandosq́ꝫ obuios more pugilum. cætera tamẽ utcunqꝫ tolerari poterant: illud uerò immanis audacię fuerit, mulierem inter rixandum inuolare aduersarij genitalia. Nõ debet enim hic ualere causatio, quòd marito ferre opẽ conata sit, seuere potius cohibenda est audacia: ut nec ipsa posthac possit peccare similiter, nec aliæ petulantiam hanc imitentur, exemplo in eam edito deterritæ. Erit aũt pœna, mutilatio manus ipsius, quæ nefaria licentia rẽ illicitã attigit. Laudãdi sane gymnicorũ certaminũ præsides, qui fœminas arcẽt ab huius generis theatris, ne uiros nudatos contẽplatę, probitatẽ pudoris deprauarẽt cõtemptis naturæ legibus, quæ insigniter discreuit utrũqꝫ sexum nostri generis. nam ne uiros quidẽ decet interuenire exutis ueste mulierib. sed uterqꝫ sexus debet ab altero nudato uisum auertere, ita ut natura postulat. ergo si temerarius uisus reprehenditur, quanto magis manus procaces culpandæ sunt? nam oculi nonnunquam incidunt in ea quæ uidere nollent, si esset ipsis integrum. manus uerò censentur inter obsequẽtissimas partes corporis, promptæ ad exhibẽda nobis ministeria. Hæc est causa, quam uulgus afferre solet. aliam autem audiui à uiris diuinis, qui plerasqꝫ leges autumãt apertis uerbis significare obscura mysteria. est autem illorum sententia hęc. Duplex

plex animæ uis,quasi sexu distincta,coniuncta genere,altera ut mascula ad mares pertinet,altera ad fœminas ut fœminea:mascula soli deo deuota, parenti,factori,autoriq; omnium: fœminea uerò pendens à generatione corruptioneq;,& extendens tanquam manum suam potentiam, ut in obscuro apprehendat fortuita,generationi hærens multis modis mutabili, cum debuerit potius amplecti diuinam illam naturam nunquam mutabilem, terbeatã & felicissimam. Merito igitur lex figurate iubet resecari quæ apprehendit testiculos,non ut mutiletur corpus parte maxime necessaria:sed ut ex anima excidantur cogitationes impiæ, insidentes omnibus rebus generationi obnoxijs.testes enim generationem significãt. Addam & illud, unitatem esse primæ causæ siue primi autoris imaginem, dualitatem uero, passibilis & diuisibilis materiæ.quisquis igitur dualitatem pluris q̃ unitatem faciens arripuerit,sciat se deo præferre materiam. ideo lex æquum censet excidi hunc affectum tanquam manum ex anima. nulla enim maior est impietas,q̃ rebus passibilibus ascribere illius summi agentis potentiam. Illi quoq; reprehendendi sunt qui non pro dignitate peccatis pœnas statuunt,percussori mulctam pecuniariam,uulneratori ignominiam,homicidę exilium,furi uincula.nam ista inæqualitas & disparitas inimica est rectè institutæ reipublicæ.at nostra lex æquitatem docet,ut quisq; pro his quæ facit patiatur similia.si facultatibus sui ciuis nocuit,luat de proprijs: corpore uerò, si membra læsit aut instrumenta sensuum. quod si uitæ struxit insidias,ipse uita mulctetur. nam aliam pro alia pœnam exigere in rebus toto genere dissimilibus,soluere leges est non constabilire.hoc autẽ dico, si circunstantiæ rem non uariant.non enim perinde fuerit uerberare parentem ac quemuis alium,conuiciari priuato ac magistratui,illicitum aliquid in sacro ac profano loco facere,aut in celebritate festoq; publico,ac in alio quouis die non eximio:& in uniuersum quæcunq; sunt huiusmodi differentię quæ crimen aut minuunt aut exaggerant.Item si quis, inquit, seruo ancillę'ue oculum extuderit,manumittat eos liberos.quia sicut in corpore principatum natura dedit capiti cui summum locum tanq̃ regiam attribuit, reliquis membris omnibus quæ à ceruice usque ad imos pedes pertinent,ei pro basi suppositis:ita inter cæteros sensus imperium penes oculos esse uoluit.ideo hos quoq; in sublimi collocauit ut principes, & quidẽ uarijs modis honoratos,sed præcipue loco tam insigni ac conspicuo.quantam uerò utilitatem ex his genus humanum percipiat,recensere longum fuerit, unã tamen dicemus eximiam. Philosophia defluxit quidem è cælo in hominum animos,sed oculis sequestris deducta est in id hospitium.nam hi primi conspexerunt uias,quæ à cælo ad nos tendunt,regias.bonorum autem omnium,quæ uere bona sunt, fons est philosophia. ex eo si quis haurit ut uirtutem sibi quærat,laudandus:contrà uituperandus qui solam inde petit uafriciã.nam alter similis est conuiuæ exhilaranti & se & sodalitiũ: alter uero meribibo ingurgitanti se usq; debacchationẽ tum in seipsum,tũ in cęteros. nunc dicendũ quõ philosophia per oculos deducta sit in nostrum hospitium.sublato uultu in æthere uiderũt illi solẽ, lunã, stellas fixas & erraticas,sacratam cæli militiã,& ipsius mundi ornatũ,adhæc ortus harũ ocs

casusq́, choreas concinnissimas, status circuitus, coniunctiones, defectus, emersiones. deinde incrementa detrimentaq́ lunæ, solis motus transuersos à meridie septentriones petentis, ac rursum recipientis se ad partes austrinas à septentrionalibus, atq; ita uariantis annua tempora, ad absoluenda maturandaq́ omnia, multosq́ alios effectus mirificos. ijsdem collustrātibus aerem, terras, maria, cuncta hæc mens percepit ipsorum indicio: & quę per se uidere non potuerat, eorum ope contemplata, non hic substitit: sed ulterius progressa discendi studio, & spectandi dulcedine, rationibus coniecturis'que assecuta est, hæc non temere ferri suopte impetu, sed gubernari dei prouidentia, quem parentem conditoremq́ rerum nominare fas est. Item non esse hæc infinita, cum circumscribantur unius mundi terminis, orbe illo extremo ceu urbem includente, stellis fixis conspicuo. porrò illum summum parentem lege naturæ curare suam progeniem, tum uniuersitatem ipsam, tum partes eius singulas. amplius considerauit quænā sit essentia rerum uisibilium, & num eadem omnium quæ mundo continētur, an aliarum alia: tum quæ singularum materia, quæ'ue causa finalis, quę uires quibus conseruantur, & utrum hæ corporeæ an incorporeæ. nam horum & similium scrutatio, nihil aliud appellari potest quàm philosophia, sicut ipse uestigator proprie dicitur philosophus. nam mundi consideratio, & contentarum in eo stirpium atq; animantium, tum exemplorum intelligibilium & effectuum sensibilium, quidq́ in his singulis insit uirtutis aut uitij, res est hominis studiosi cognitionis, auidi contemplationis, & uere philosophi. at hoc summum generis humani bonum acceptum fertur oculis: quos dignatos opinor eo priuilegio, quia sunt dilucidiores cæteris sensibus, & magis illustrant animam. habent quidem omnes familiaritatē quādam cum eo, uerum hic tanquàm cognatione proximus primum locum obtinet, sicut multis argumentis licet colligere. quis enim nescit gaudente animo subridere oculos hilariter: sicut eodem mœrente ipsos quoq; submitti ac languescere. quòd si grauior premat molestia, lacrymas etiam exprimit. ijdem per iram tumescunt, & ignitum quiddam tuentes suffunduntur sanguine: remissiores uerò præ se ferunt mansuetudinem. inter ratiocinandum considerandum'ue stant immotæ pupillæ & ipsæ cogitabundæ quodammodo: fatuorum autem oberrant, quorum ne oculi quidem possunt quiescere præ stulticia. denicq; omnibus animi affectibus afficiuntur & oculi, uarijs mutationibus declarātes naturalem quandam cognationē. equidem nullam opinor inuisibilis rei tam euidentem imaginem à deo factam, q̄ rationis oculos. Ergo si quis conuictus fuerit hūc præcipuum sensum dolo malo impetisse, & extudisse oculū ingenuo homini, talionem feret. sin seruo, non item. non q̄ uenia dignus sit, aut minus peccauerit: sed quoniam si talione ageret seruus, infestiorem herum esset habiturus, acceptæ calamitatis semper memorē, & implacabiliter uindictam meditantem quotidie, donec eum iniquis iussis usq; magis ac magis grauatū ad mortē adigeret. Prospexit igitur lex ne uel maleficiū sineretur impunitū, uel orbatus oculo grauiora pateretur insuper, statuēs absq; cōtrouersia mācipium manumitti, cui herus extudisset oculum. Sic em̄ dupliciter mulctabitur, &

precio

precio serui & ministerio: tum quod est utroque grauius, maximo afficiet beneficio quem maluisset habere semper obnoxium suæ sæuitiæ. at læsus duplex habebit solatium, libertatem lucratus, & ereptus sæuo imperio. eadem lex iubet uel pro dente excusso libertate donari mancipium. cur ita? quia uita nihil preciosius, cuius instrumentum natura dentes fabricauit ad ciborum dispensationem. his enim conciduntur, dictis ab edendo detorto uocabulo, sicut molares dicuntur qui attritu frusta comminuunt. quapropter ille rerum parens & conditor, cuius nullum opus est superuacuũ, dentes non ut cætera membra nascenti statim addidit, ne infantem lacte nutriendum grauarent inutiliter, & fontes uberum per quos alimenta deriuantur, uexarent inter sugendum: sed in tempus præstitutum, hoc est ablactandi, exortum eorum distulit, quos prius abdiderat: scilicet quia iam solidiores cibi hæc instrumenta postulant, cessante nutrimẽto lacteo. Siquis igitur præ nimia superbia dentem seruo excusserit, priuaritq; hominem instrumento ad sustentandam uitam necessario, manumittat læsum tã grauiter, & mulctetur uiuo instrumẽto cariturus eius ministerijs. Dicet aliquis, Ergo pari pœna uindicatur dens & oculus? Respõdebo: & meritò: par enĩ utriusq; usus est, in suo dũtaxat officio, in aspectu oculi, dentis uerò in edẽdo. imò si hæc diligẽter inter se comparentur, apparebit oculum esse honestissimam partem corporis, ut contemplatorem cæli quo nihil in mũdo augustius: dentem uerò non minus utilem, ut qui præmandendo cibos uitæ sit adminiculũ. præterea uisu orbatus potest nihilominus uiuere: dẽtes uerò extusos sequitur mors miserabilis. Hos igitur si quis infensus seruo adimat, sciat se ipsi famẽ in annona quantulibet bona inuehere suis manibus. quid enĩ proderit ciborum copia per summã domini crudelitatẽ spoliato instrumẽtis ad uescẽdum necessarijs? & hæc est causa cur alibi interdicatur nequis fœnerator à debitore molam superiorẽ inferiorémue sumat pro pignore, non sine præfatione legis, quòd qui hoc facit, oppignerari sibi sinit uitam hominis. nã qui aufert uitæ sustẽtacula, fit homicidio proximus, nõ parcẽdo uel animæ. Intantum autẽ solicitus fuit legislator, ne quis alteri necis causam præberet, ut eos etiã qui cadauer fatali morte defuncti hominis attigissent, impuros pronunciet, tantisper dum se lauacro purificarint. à tẽplo autẽ etiam post purificationem tales arceantur per septem dies, iubenturq; tertia latere atq; septima. præterea funestam domum ingressos lex uetat quicquam attingere prius quàm abluãtur unà cum suis uestibus. eo enĩ cõtactu uasa & quamcunq; supellectilẽ pollui iudicat. nam anima facit hominem, qua demigrante reliqua contaminantur omnia, destituente se diuina imagine. mẽs enim refert dei similitudinem, formata iuxta exemplarem ideam illius supremæ sapientiæ. Addit lex, impurũ fieri quicquid ab impuro tangitur, per contagionẽ uidelicet. Videtur autem late patere hoc sacrũ oraculum, non consistẽs intra corpus, sed amplius inquirens etiam in mores animæ. nam proprie loquẽdo impurus dicitur quisquis est iniustus & impius, cui nulla iuris humani diuiniq; reuerentia, qui omnia miscet cõturbatq; propter immoderatos suos affectus & uitia nimia. proinde quęcũq; aggreditur negocia, omnia reprehẽsionẽ merẽtur, ut uitiata per autoris sui

nequi-

nequiciam. Sicut ediuerso actiones bonorum uirorum laudātur, per uirtutem eorum meliores redditæ: quandoquidem ita natura comparatum est, ut effectus similes fiant suis autoribus.

PHILONIS IVDAEI
DE CIRCVMCISIONE.



APITA legum specialiū, id est decē præcepta quæ uocant decalogū, superiore libro diligēter tractauimus: nunc superest ut speciatim mandata considerremus, ordine quo in sacris literis sunt prodita. initiū autē faciam à re iuxta multorum opinionem ridicula. Ridetur enim maiorū nostrorum circūcisio, quã uis in non mediocri honore habita etiam apud gentes alias, præsertim Aegyptiā, præcellentē hominū tam frequentia quàm sapientia. ideo conuenientius erat absque cauillis puerilibus prudenter & serio quærere causas cur is mos inualuerit, quàm præpropera sententia damnare facilitatē gentium nobilium, cū uerisimile sit nō temere circumcidi tā multa hominū milia, perferreque cruciatus mutilationis in suis & charissimorum pignorum corporibus: imò esse causas permultas quæ suadeant ab hoc priscorum instituto non discedere, sed quatuor præcipuas. Vnam, ut caueatur morbus curatu difficilis, quem uocant carbunculum, opinor ideo sic appellatum, quod urat inflammatione, quæ præputiatis facilius innascitur. alteram, ut totum corpus sit purius, nec impediat officia sacerdotalis ordinis: quamobrem etiam radunt corpora Aegyptij sacrifici, ne quid sordium uel sub pilis uel sub præputijs hæreat, quod possit obesse puritati sacris debitæ. tertiā, quòd cordis similitudinē quandam habeat circumcisa hæc particula. ambæ enim generationi seruiunt. nam ab altera spiritus animales, ab altera geniture proficiscuntur. ideo prisci æquū censuerūt occultæ illi potiorique, ceu fonti sensuum animi, adsimilare hanc uisibilē, unde origo crassiorū sensuū corporis. quarta porrò causa summe necessaria, est cura fœcunditatis & numerosæ sobolis. aiunt enim ita semē recta eiaculari integrum nec diffluens per sinus præputij: & ideo circumcisas gentes fœcunditate pollere, esseque populosissimas. Hæc sunt quæ ad aures meas peruenerunt, tradita per manus à diuinis uiris nostris maioribus, qui Mosis placita diligenter explicauerunt suis interpretationibus. equidem præter iam dictas rationes per circumcisionem significari arbitror duo quædam ualde necessaria. unum, excisionē uoluptatū quę mentē fascināt. quoniā enim inter omnes uoluptatū illecebras principatū tenet uiri cōgressus cū muliere, instrumētū eius legislatores mutilari iusserūt, innuēdo resecādas uoluptates superfluas, nō unius tātum huius generis, sed oēs per unā subindicantes. alterū uerò, quo moneātur abijcere arrogantiā, graué morbū animæ. quidā enim uelut præclari fictores, iactāt se posse hominē animal

animal pulcherrimum producere, & inflati hac ſuperbia gerũt ſe pro dijs, uero autore generationis diſſimulato, cum tamen eum errorem conſidera tis alijs quibuſcũ uerſantur, potuerint corrigere. multi enim ſunt inter eos uiri ſteriles, & infœcundæ mulieres multæ, atq; ita utriq; conſenuerunt in orbitate. hæc igitur praua opinio excidenda eſt ex anima, ſicut & cætera quæcunq; pietati repugnant. uerum de his hactenus. nunc uertendus eſt ſtilus ad leges ſpeciatim proditas, ac primum ad eas quibus debetur initiũ, pertinentes ad caput de monarchia.

PHILONIS IVDAEI
DE MONARCHIA
LIBER PRIMVS.



QVIDAM ſolem & lunã cæteraq; ſidera crediderunt eſſe deos rerum dominos, ad quos omniũ quæ fiũt cauſas retulerunt. at Moſes opinatur mũdũ & cre aturam eſſe, & more amplę ciuitatis magiſtratus ha bere ac ſubditos: magiſtratus, quotquot in cælo ſi- dera uel fixa uel erratica: ſubditorũ uerò loco natu- ras quæ lunam inter & terras degũt in aere. cæterũ dictos magiſtratus nõ eſſe poteſtatis liberę, ſed ſub præfectos unius patris rerũ omniũ, ad cuius imitationem iuſte legitimeq; adminiſtrent ſingula negocia. ſed hebetes quoſdam quia ſummum illũ re ctorem non uideant, inferioribus iſtis, quaſi liberę poteſtatis eſſent, cauſas rerum attribuere. quorum ignorãtiam ſacer legislator caſtigat uerbis his: Caue ne conſpicatus ſolem, lunam, ſidera, omnemq; cæli ornatum, opinio ne falſus adores ea. Recte admodũ & pulchre fallaciam uocat, diuinũ cul- tum rerũ ſupradictarũ. nam quidã animaduertentes ſolis proceſſibus ac re ceſſibus temperari anni tempora, quibus animalia, ſtirpes, fruges, prouení ant matureſcãtq;, lunam uero miniſtram ſolis & abſentis uicariam, ut quæ noctu præſit rebus quibus ſol interdiu, alias item ſtellas afficere uarie terrẽ ſtria, in errorẽ inducti ſunt inexplicabilẽ, ſuſpicati nullos eſſe deos præter hos. quòd ſi ſtuduiſſent per rectam uiam incedere, ſtatim didiciſſent, quòd quemadmodum noſtri ſenſus miniſtri mentis ſunt, ſic & ſenſibiles iſti ma- giſtratus miniſtri ſunt illius intelligibilis, boni cõſulentes cẽſeri ſe in ſecun do ordine. ridiculum autem eſſet opinari, mentem in nobis, cum ſit parua & inuiſibilis, præeſſe inſtrumentis ſenſuum: illam uerò uniuerſalem maxi- mam perfectiſſimamq; nõ habere regnum in reges ipſos, inuiſibilẽ in uiſi- biles. ergo credendum eſt omnes illos cælites qui percipiũtur ſenſibus, nõ eſſe ſui iuris, nec habere poteſtatem propriam, ſed ſubpræfectorum tenere ordinem, ſic natura factos ut ſint obnoxij, quamuis ſummus ille rector nõ repoſcat ab eis rationem, propter uirtutem ipſorum eximiam. Itaq; trãſcen ſa per cogitationem omni uiſibili eſſentia, pergamus ad cultũ illius inuiſi- bilis qui ſola mẽte percipitur, ſolus deus deorum tam intelligibiliũ quàm ſenſi-

sensibilium,atq; etiam rerum cunctarū opifex.quòd si quis religionē quæ sempiterno conditori debetur, alteri iuniori aut creato tribuat, inter insanos referendus est ac impios.Sunt item quidam qui aurū argentumq; statuarijs,quasi deos fingere scietibus,suppeditant. hi mox acceptam rudem materiam ad exemplar mortale formant,ut(quod est absurdissimum)talia simulacra pro dijs colātur, fanis constructis & dedicatis altaribus,honorē turq; pompis, sacrificijs & cæteris ritibus atq; ceremonijs per sacrificos & sacrificas augustū in modum exquisitis cura quoad fieri potest maxima. id rerū pater uetat prædicens:Non facietis uobis deos aureos & argēteos. tantum non expresse docens,ne ex alia quidem ulla materia deos manu faciendos esse,quādo præcipuis duabus interdicitur. argentum em̄ & aurū primatū in metallis obtinēt. Verùm præter hoc apertū interdictū,uidetur mihi subesse hic & aliud præceptum utile moribus,auaros ualde arguens, undecunq; argentum & aurum sibi quærentes, & acquisitum tāquam numen recondentes in penetralibus,totam suam felicitatem acceptā illi ferendo.quin & illos qui cum non possint proprias diuitias colere, quòd his careant,alienas mirātur,nō minus auari quàm illi priores:quos adoraturi mane ad ædes eorum tāquam ad sanctissima templa cursitāt, bona petituri ab his quasi numinibus.Hos alibi quoq; lex admonet:Idola nō cōsectabimini,nec facietis uobis deos fusiles:figurate docens,diuinos honores nō cōuenire diuitijs.auro enim argentoq; ferme constant diuitię,quas uulgus sectatur sub illius cæci Pluti nomine, cui soli se debere felicitatem existimat: hoc est simulacris,ut scriptura loquitur,umbris & uanis imaginibus, nihil solidum firmum'ue habentibus.feruntur em̄ ultro citroq; uentorū in morem.id uerum esse argumento certissimo colligitur: quia sicut interdum repente aduolant,ita prius quàm prehendantur, possessore illuso rursum auolant.atq; etiam cum adsunt maxime, speculares quasdam repræsentant imagines,præstigias sensuum, ludibriaq; instabilia. Sed quid opus est fastum istum & opulentiam,quam sibi homines fingunt,uanitatis coarguere,cum non desint qui existiment animalia stirpesq;,& quicquid gignitur ac corrumpitur,perpetuo fluere, detrimentis tamen obscurioribus quàm ut sensui pateāt, q̄ naturę uelocitatē uisus quantūuis acer assequi nequeat. Nec tātùm opulētia gloriaq; habēt sua simulacra & inanes imagines, uerū & omnes isti fabulosi quos poetæ cōmenti sunt cōtra ueritatē propugnatores mēdacij,nouis dijs uelut è machina introductis,ut ille uerus sempiternusq; obliuioni traderetur.& quo facilius homines allicerēt,carminib. numeris metrisq; ornarūt mēdaciū,rati se fucū facturos lectoribus. Nec hoc cōtenti assumpserunt in fraudis societatē pictores & statuarios, ut colorū specie figurisq; affabre factis & expolitis spectatores incscatos subigerent, iniectis in præcipuos sensus uisum auditumq; laqueis, alterū captū inanimis pulchritudinibus, alterum uero suaui incātatione poetica,insinuāte se in animam & uires eius labefaciente atq; cōstantiam. Propterea legislator non ignarus ad quantam molem ista uanissima persuasio intumuerit,quātoq; stipata sit plerorumq; hominum imperitorum satellitio, spōte sua potentiam eius protegentiū, ueritus nequando meditatores incorruptæ ue-
rǽq;


rocꝗ pietatis, ab ea tanquam torrente raperentur inuoluerenturꝗ, profundos sanctitatis typos in auditorum mentes imprimit & insculpit, ne unquam deleantur confundantur'ue iniuria temporum, continue cantionem eandem repetens: unum esse deum conditorem factoremꝗ rerum uniuersarum, & hunc dominari creaturis omnibus, quandoquidem uere firma constansꝗ penes ipsum solum est autoritas. Dictum est autem omnes uiuere, quicunꝗ deo uero adhærent. an non igitur felicissima & ter beata uita fuerit, unum rerum autorem antiquisimum colere potius, quàm hoc regepo sthabito uenerari ianitores eius apparitoresꝗ? nam uitæ huius immortalitas relata est in naturæ tabulas, duraturis in æternū unà cum mundo literis. difficile quidem uidetur quærere perciperecꝗ patrem & rectorē uniuersorū, sed conādū tamē impigre. occurunt autē hic duo præcipue quærenda menti germane philosophāti. Vnum, an sit deus, ꝗ negat quorundam pessima impietas: alterum, quid sit deus. horum primum non magno discitur negocio: secundum uerò nō solū difficile est discere, sed etiam fortassis impossibile. consideremus utrunꝗ. Opifices plerunꝗ noscuntur ex opificijs. quis enim inspecta statua uel tabula, nō statim intelligit pictorem uel statuariū? quis uestibus, nauibus, domibus inspectis, non cogitat textorem, materiarium, cæmentarium? item dum aliquis adit urbem cuius bene constituta sit respublica, ornatacꝗ pulchris legibus, quid aliud credet quàm bonos ei magistratus præesse? sic qui uenit in hāc ueram Megalopolim, mundum uidelicet, uidens terræ montana & campestria plena stirpibus & animalibus, amnibus perennibus & torrentibus, pabulis, & maritimis subuectionibus, tum aeris temperiem & mutationes uicesꝗ annuas temporum, ad hæc solem lunamꝗ noctis & diei principes, cæteraꝗ sidera uel fixa uel erratica, totiusꝗ cæli choreas & ambages: non'ne uerisimilem atꝗ adeò necessariam cogitationem de horum patre conditore atque rectore concipiet? nullum enim artificiosum opus sponte prouenit. mūdus autem arte summa factus est, dubio procul à conditore optimo ac perfectissimo. Ita iam esse deum percepimus. Nunc essentiam huius, quamuis uestigatu inuentuꝗ perdifficilem, tamen quoad fieri potest scrutari libet. nihil enim magis quàm uerus deus quærendum est, etiamsi eius inuētio supra uires humanas sit: quandoquidem ipsum per se discendi studium incredibilem affert uoluptatem ac læticiam, sicut testantur quicunꝗ non summis labris degustarūt philosophiam, sed affatim oblectati sunt dogmatum eius epulis. horum enim ratio sublimis à terris rapta incedit per æthera, totum cælum cum sole ac luna perlustrans studio uisendi omnia, quamuis hebetiore uisu uix ferat clarissimum sincerissimumꝗ splendorem effusum obuiam, ita ut animæ oculis caliget ad eius radios, & quasi tentetur quadam uertigine. nec tamen ab incepto desistit præ lassitudine, sed inuicta contētione pergit contemplari pro uiribus, uel ad secundam palmam aspirans, sicut in sacris certaminibus, quando non datur primam assequi. post imaginationem autem ueri coniectura secundum locum obtinet, in quantum non discrepat à bonis rationibus ac probabilibus. Quemadmodum igitur certo scire non possumus, cuiusꝗ stellæ qualis sit essentia, quæ

rimus tamen alacriter, oblectamurq; rationibus uerisimilibus propter genuinum discēdi desiderium: ad eundem modum licet uerum illud ens deū non ualeamus cernere, debemus indesinenter eum quærere, quando hæc consideratio uel per se ipsa citra inuentionem, res est summe desiderabilis. nam nec corporis oculis quisquam uertit uicio, quòd cum non possint solem ipsum obtueri, radiorum ab eo in terram defluentium splendorem extremum aspiciunt. quapropter amicus dei Moses & mysteriorum eius interpres, supplex precatur: Ostende mihi teipsum. tantum non diserte proclamare coactus, Esse te docente mundo didici, qui me ut filius de patre, ut opus docuit de artifice. quę porrò tua sit essentia cū scire cupiā, qui me hoc docere possit in uniuerso mundo inuenio neminē. oro igitur ut exorari te patiaris ab amico supplice, & qui solus potes opē afferas. Sicut enim lux à nulla re illustratur, sed seipsa ostēdit, sic tu te solus potes ostendere. sit ergo uenia cōfugere ad te audēti propter penuriā magistrorū in summo discēdi desiderio. Ad hæc deus: Ardorē discendi probo ut meretur, cæterū q petis, neminē natū impetrare fas est. tibi tantū largiar quantū cōuenit. nec em̄ quicquid ego dare possum facile, id & homo potest accipere. ideo cum dignus sis mea gratia, donaberis omnib. quorū capax es muneribus. mei uerò noticiā tantū abest ut natura humana capiat, ut ne totū quidē cælū totus'ue mūdus possit eam capere. Nosce teipsum, nec sinas te cupidine rerū quib. impar es abripi, & sublimiora te noli plus ęquo appetere. potieris enim omnibus, quib. potiri fas erit. His ille auditis preces iterat. Persuades, inquit, mihi me nō posse manifestā imaginationem tui mēte cōcipere: oro tamē, ut saltem gloriam tuam uidere liceat. gloriā dico potestates quarum stiparis satellitio, quæ hactenus ignoratæ miro me torquēt cognitionis desiderio. Tum deus: Quas quęris potestates, utiq; intelligibiles sunt, nō uisibiles, sicut ipse sum inuisibilis & intelligibilis. intelligibiles inquā, non q iam intellectæ sint, sed quia si comprehendi possent, duntaxat mēte, nō sensibus, essent comprehensibiles, cum mentis natiuus uigor talium rerum sit capacior. attamen quamuis earum essentia sit incomprehensibilis, uidere licet sigillum quoddam & effigiem earū efficaciæ: quemadmodū apud uos anulis in ceram impressis similem'ue materiā, exprimuntur figuræ uariæ, & quidem integræ omnibus sui partibus. tales cogitandę sunt potestates, quæ mihi astant pro apparitoribus, & qualitates formasq; addūt reb. qualitate formaq; carentibus, absq; ullo sempiternæ suæ naturæ detrimēto. hę nō temere ideæ nominantur à quibusdā uestratib. quia singula *ἰδιοποιοῦσι*, hoc est suam cuiq; reddunt proprietatem, inordinata redigunt in certū ordinem, infinita, indeterminata, informia formant, definiunt, termināt, & in uniuersum deteriora in melius reparant. Non est igitur quod speres te percepturū unquam uel meipsum, uel ullam è meis potestatibus. quorū aūt capax es, libenter (ut dixi) facio tibi copiam. patebit tibi mundi & eorū quæ in ipso continentur spectaculum, non corporis, sed mentis peruigili collustrandum comprehendendumq; oculo. tu modo perge amare indesinēter sapientiam, quæ suos discipulos explet laudatissimis honestissimisq; placitis ac sententijs. His auditis confirmatum est in eo sapientiæ studiū, & hodieq;

dicēꝗ ad rerum inuisibilium amorem excitat omnes sui similes, cōplectens tum populares, tum eos qui aliunde transitionem fecerunt ad meliorē ordinem: alteros ut à nobilitate nō degeneres, alteros ut in generis societatē ascitos à nobilibus. quales uocantur proselyti seu aduenæ, quòd postquā aliunde uenere nouelli coloni sint ascripti in ciuitatem, qui contēptis figmētis fabularum, sincera instituta recipiūt. omnes autem æquo iure uti uoluit tā aduenas quàm indigenas, ueteres ciues admonens ut hos nouos nō solum honorēt, uerū etiam eximia prosequantur beneuolentia. & merito. Cum reliquerint patriā, cognatos amicosꝗ pietatis ergô sanctitatisꝗ, nō excludātur ab alijs ciuitatibus, familijs, amicitijs, sed pateāt receptacula hominibus ad religionē ueram transfugientibus. nā unius dei cultus est amoris mutuæꝗ beneuolētiæ uinculum insolubile. exæquatis autem honore iureꝗ cum alijs ciuibus, propter abdicatam superstitionem traditā sibi dudum à maiorib. non permittit effreni linguæ petulantia conuiciari dijs creditis falsa persuasione aliarum gentium, ne & illæ iritatæ prorumpāt in uoces nefarias contra deum optimum maximum, nimirum non docti uerū à falso discernere propter deprauatam institutionem & errorem iam inueteratum. interdum tamen reperiuntur quidā è ciuibus, qui omisso unius dei cultu à pietate deficiunt, & ordinem suū deserunt, plectendi pœna ultima, quòd tenebras præponant luci clarissimæ, & data opera mentem excæcāt, cū potuerint uerū cernere. permissum est aūt cuiuis bene nato educatoꝗ & maiorū uirtutis æmulo, à talibus sine mora pœnas sua manu exigere, nō expectato assensu senatus & iudicum, imò ne delato quidem nomine: & se qui animi amantis deum infestiꝗ uicijs impetū concitati aduersus impios nulla dignos clemētia, semel accepta potestate senatus, iudicum, prætorū, tribunorum, accusatorum, testium, legum, populi, ut absꝗ omnib. impedimentis intrepide pro pietate decertare liceat. & extat in sacris legū uolumi nibus exemplū tam præclari facinoris. Vir quidam conspicatus ciues suos in amplexus exterarum ruere, pellicique harū blandicijs in ritus alienos à religione patria, atꝗ etiam sacris earum initiari, principem eius factionis et legū contemptus autorē praeferocē (iam enim propalam ostentabatur audacia nefaria, & simulacris mactabātur uictimæ) in cōspectu totius populi furore diuino percitus, dimotis turbis quæ ad spectandū conuenerāt, fortiter aggressus interemit unà cum muliere: ipsum quia facilem se discipulum præbuerat ad discenda quæ satius fuisset dediscere, illā uerò quòd maliciæ nequiciæꝗ magistra fuerat. id tam calidum facinus repente uisum castigauit plurimos, & reuocauit ad officium. Quocirca deus laudauit strenue nauatā operam iniussu magistratuum, & promptā alacritatē honorauit dupli ci præmio, pace ac sacerdotio: tum quia iudicauit immunē à militia debere esse in posterū propugnatorē diuini cultus fortissimū: tum quia sacerdotalis honor pietati debeatur merces propria, quæ est professio seruiendi cœlesti parenti optimo, cui seruire optabilius est quàm regnare, nedum esse liberum. non desunt tamen quidam prolapsi eò insaniæ, ut ne receptum quidē ad pœnitentiam sibi reliquum faciāt, ad cultum simulacrorum præcipites, confirmantes eam seruitutē literis, non in chartula scriptis sicut mos est mā

cipiorum,sed inustis in corpus ferro ignito ne deleri queant postea. nã hæ non obscurãtur ullo tempore.At legifer Moses uir sanctissimus idem pro positum per omnia cætera tenuit,utpote ueritatis amator atq; magister,cũ ctis suæ gentis hominibus cupiens hãc imprimere in præcordia,procul re iectis falsis opinionibus.proinde cum sciret hunc errorem uitę nõ medio- criter foueri prauis diuinatiõibus,totum hoc genus auersatur maxime,di- uinos cunctos arcens in perpetuũ à sua republica,sacrificos,expiatores,au spices,prodigiorum procuratores,incantatores, sortilegos. omnes em̃ hi coniecturis ducuntur in speciem probabilibus,easdem res aliter atq; aliter interpretando,tum quia subiectum eorum nõ habet naturam stabilem, tũ quia ipsi carent ratione accurata examinandi conceptus suarũ mentiũ.im- pietatis apparatus isti sunt.quare? quia qui attendit his & obsequitur, cre- dens hinc pendere bona malaq;,contemnit autorẽ rerũ omnium:nec intel ligũt se uitæ curas cõmittere incertissimis alitum motibus per aerem ultro citroq; uolitantiũ,& reptiliũ è terræ cauernis quærẽdi cibi causa prorepta tium:item uisceribus pecudũ, cruori & cassis anima cadaueribus collapsis ut mutentur in deterius.requirit enim lex in huic ciuitati ascripto absolutã scientiã,nõ istarum artium quibus uulgus instituitur à teneris, quales sunt diuinationum sortilegiorumq; coniecturis nitentium: sed certæ persuasio nis & ueritatis indubitatissimæ qua deus & pietas perdiscitur. sed quoniã à natura insitũ est hominibus prænoscendi futura desideriũ, & ideo multi se ad aruspicinam similesq; diuinandi artes applicãt,sperantq; harũ ope se fore uoti compotes,cum tamen seipsæ uanitatis coarguant,seuere usus ea- rum interdicitur.nec enim defore pietatis ueræ cultoribus futurorum pr̨ scientiam:exoriturum repente prophetam aliquem qui uaticinetur corre- ptus numine,nihil de suo dicẽs (nec enim scit quid dicat qui uere diuinat) sed quicquid proferet quasi alio dictante interpretans.deus enim per pro- phetas loquitur,quibus pro instrumentis utitur ad significanda quęcunq; uoluerit.Hæc & similia postquã de uno uero deo cognoscendo uates legi fer nos præmonuit, deinceps præscribit quo ritu eum coli oporteat.

PHILONIS IVDAEI
DE MONARACHIA
LIBER SECVNDVS.



Et templũ alterum summum uerumq; existiman- dum est,mundus hic uniuersus,cuius sacrariũ sit cę lum in tota rerũ natura præstantissimũ, donaria ue rò sidera,sacerdotes & æditui potestates angelicæ, animæ carẽtes corporib.nõ quemadmodũ nostræ cõtẽperatæ è rationali brutaq; natura, sed totę quã tæ sunt intellectu prędite,ratione sinceritatis unita ti similes:alterum uerò manufactũ, non erat em̃ re- primen-

primendus impetus hominum ad pietatem properantium, & grata sacrifi cia pro acceptis beneficijs reddere parātium, aut pacē ueniamq; petentiū. prospectum est tamē ne uel passim uel uno loco plura templa dedicarētur æquissima ratione, quandoquidem unus deus non nisi unicum sibi dicari postulare uidetur. ac ne apud priuatos quidem focos licet rem diuinam fa cere, sed uel ab extremis terris ad hoc templum proficisci iubentur sacrifi caturi, hac quoq; de causa quo morū experimentum de se præbeāt. nemo em̄ nisi caste pieq; sacra facturus sustineat relictis cum patria cognatis ami cisq; peregrinari, & diuelli à necessarijs coniunctissimisq; affectibus. id ue rum esse apparet cuilibet. innumeri em̄ ex innumeris ciuitatibus terra ma riq; ab oriente, occidente, septentrionibus, meridieq; singulis festis ad tē plum hoc confluunt, quasi ad quoddam commune refugium uitæ nego ciosæ ac tumultuariæ: ut ibi tranquillitate inuenta remittant animum, sepo sitisq; curis quibus per totam uitam grauantur, respirent paulisper degen tes hilariter, conceptaq; bona spe uacent rei cum primis necessariæ, sancti tati religioniq;, inter se quoq; nouis cōiuncti amicitijs, & promiscuis epu lis ac libationibus instaurata firmataq; concordia. eius templi extimus am bitus longe lateq; patens, munitur quatuor elegantissimæ structuræ porti cibus: quarum singulæ duplici constant ordine, materie, marmoribus, arti ficumq; ingenioso labore architectorumq; cura ornatissimæ. sed ordo in terior est submissior, & in apparatu plus austeritatis præ se fert. in medio templum ipsum nullis uerbis enarrabile, quātum licet ex his quæ foris spe ctantur, coniecturam facere. nam intima nemini uidere fas est, præterquam soli sacerdotum principi, & id ei quoq; uno die duntaxat anniuersario per mittitur, quo introspicit omnia. infert autem odoramēta & foculum cum ignitis carbonibus. ibi multo suffitu facto fumus circūquaq; offunditur, & uisum offuscat, nec sinit longius prospicere. Cum em̄ sit ingens & in ma gnam substructum altitudinem quamuis in loco situm nō admodum edi to, instar celsorum montium attollitur. eius structuræ amplitudo eximia miraculo est omnibus spectatoribus, præsertim hospitibus uisentibus, & cum alijs publicis ædificijs conferentibus uel pulchritudinem huius uel gentis in hoc opere magnificentiam. Lucus autem nullus est intra dictum ambitum, quia lex id multis de causis uetuit. primo quoniam uerum tem plum non amœnitates postulat, sed seueram castimoniam. deinde quia nō est fas importare quæ faciunt ad uirorem arborum, hoc est brutorum ex crementa & hominum. tertio quia siluestris materiæ nullus est usus, cum sit ut poetæ loquuntur, telluris inutile pondus: mitiores uerò arbores quę mites fructus ferunt, parum cordatos à religione retraherent. præterea cō densa siluarum maleficis conueniunt, ex latebris securitatem & insidiarum occasionem quærentibus. at aperta loca & propatula prospectumq; intro gressorum & obambulantium late admittentia, sacris sunt aptissima. redi tus autem hoc templū habet non solū è latifundijs, sed & multo potiores alios, nullo unq; interituros tēpore. donec em̄ genus humanum permane bit, perpetuo reditus hi cū mūdo uniuerso stabūt incolumes. institutū est em̄ quotānis offerri primitias ab anno ætatis uigesimo: has redēptionē uo

cant, ac proinde uolentes libentes summa cũ alacritate offerunt, quasi hoc pacto suam libertatem, sanitatem, salutemq́ redempturi in posterum. cum autem hæc gens sit populosissima, proculdubio hæ primitiæ maximam rerum copiam suppeditant. quocirca penè oppidatim sunt sacrata æraria, ubi mos est deponi primitias, quam sacram pecuniam certis temporibus legati ad templum perferunt, delecti ex cuiusq; ciuitatis optimatibus, committentis huic legationi spes suas, quas in religione oblatisq́ rite primitijs collocant. Huius nationis cum tribus numerentur duodecim, una ex omnibus selecta fungitur sacerdotio, quod accepit præmium pietatis atq; fortitudinis, quo tempore plebeia multitudo uisa est seduci errore quorundam popularium, ad Aegyptiacum delirium & typhum illius regionis familiarem desciscentium, quæ brutis animantibus præcipue tauris miras affingit fabulas. huius igitur dementiæ scelestos autores cùm internecione deleuissent iniussu magistratuum, comprobatum fuit eorũ facinus, & pietati nauata opera. Leges autem de sacerdotibus extant hæ. integritas corporis in sacerdote requiritur, ne quam labem mutilationem'ue habeat, ne'ue ullam agnatam particulam superuacaneam, siue in natiuitate, siue per morbũ postea: ne'ue colorẽ mutatũ in leprã aut ferã impetiginẽ, aut formicantes uerucas alias'ue pustulas & tubercula. quę omnia mihi uidẽtur figurate referenda ad perfectionẽ animæ. nã si mortale corpus sacerdotis inspici oportet ne quo contactũ sit uitio, quãto magis immortalẽ animã, formatam (ut creditur) ad dei ueri effigiẽ. sermo autẽ est imago dei, quo ille totũ mundũ cõdidit. post nobilitatẽ uero generis & integritatẽ animæ simul & corporis, de uestitu quoq; præscribitur, quẽ sumi à sacerdote sacris operaturo deceat. is est lintea tunica & subligar, alterũ quo tegantur partes pudendę, quas apud altare nudari nefas est, altera uerò ut expeditius obeãtur ministeria. absq; amictu em̃ tunicati sacra libatiõeśq; peragũt, & quicquid ad rem diuinam opus est celeriter ac incunctanter suggerũt. põtifex autem iubetur & ipse uestem similem sumere, quando adyta subit ut aram odoramentis adoleat, quia lintea non conficiuntur è mortali materia sicut uestes laneæ: assumit tamen & aliam pictam, quæ uidetur mundi referre quandã imaginem, quantum è paratu eius apparet. primum enim indumentũ eius rotundũ est totum hyacinthinũ, talaris tunica significans aerem: siquidem aer suapte natura nigricat & ipse talaris quodammodo superne à lunari uicinia tensus usq; ad terræ infima. huic superinduitur textum pectorale thoracis specie, quo cælum subindicatur. nam duo smaragdi preciosissimi eminent in summis humeris, orbiculares, in singulis singuli, qui hemisphæria duo nobis innuũt, alterũ superũ, alterũ subterraneũ. in pectore sunt gẽmæ xij. eximijs coloribus, ternæ serie quadruplici, ad exemplar signiferi circuli. nam & ille terna è suis xij. signis in quatuor anni horas distribuit. cæterũ tota hęc pars in qua sitæ sunt, rationale uocatur uero nomine, quoniã quicquid cęlo cõtinetur, fabrefactũ ornatũq; est certis rationib. inter se cõgruẽtibus. nã ibi nihil nõ sua ratione nititur. id rationale geminus textus uariat, quorũ alter claritas appellatur, alter ueritas. per hãc subindicatur non esse fas ulli mendacio cælũ ascendere, quod totũ inde ad terrestria loca relegatum sit,

tum sit, & demigrarit in animos scelestorum hominum. per claritatem uero, res nostras clarescere naturis cælestibus, aliàs in obscuro futuras. liquet em̃ quòd nisi sole illustrante, nõ essent cõspicuæ tot qualitates corporum, nec tot colorum formarum'que species, nec dierum, noctium, mensium, annorum'que discrimina. & in uniuersum quis distinxit tempora, nisi solis, lunæ cęterorum'que siderum cursus ac recursus concinniores quàm ut enarrari possint humana facundia? unde numerorum natura nisi ex obseruatione modo dictarum temporis partium? quis in tanta maris latitudine simul & altitudine uias nautis aperuit, nisi ratio siderum? alia quoque innumera uiri sapientes deprehensa per eorum noticiam retulerunt in literas, ut procellas & tranquillitates aeris, felices ac malignos frugum prouentus, æstus remissos & ardentissimos, hiemes asperas aut uernantes, siccitates & pluuias, fœcunditatem animantium & stirpium, aut ediuerso sterilitatem, & id genus alia. omniũ enim rerum terrestrium in cælo signa notata sunt. ex ima uero talari pendent aurea mala punica & tintinnabula & flosculi, quæ terram & aquam significant: terram flosculi quòd ex ea germinent floreant'que omnia: aquam uero punica, dicta ῥοαὶ παρὰ τὴν ῥύσιν, id est à fluxu iuxta græcam etymologiam. harmoniam porrò consensum'que mundi partium tintinnabula indicant. quæ omnia sita sunt decẽtissime, in summo gemmæ, pectorale illud cæli simulacrum, quia & cælum summum est. sub hoc talaris tota hyacinthina, quia & aer nigricans secundum à cælo tenet ordinem. in extrema uero eius fimbria flores & mala punica, quia terra & aqua infimum in uniuerso sint sortitæ ordinem. hoc cultu pontifex utitur, totum mundum referens ornatu mirando uel menti uel oculis. Sicut enim hos aspectu ob pretium simul ac uarietatem stupendo percellit magis quàm ullum textile in nostris regionibus: ita interpretationem sui partium habet sapientem ac philosophicam. admonet enim pontificem ut considerata uniuersi quam gestat imagine, uitam præstet à natura non degenerem. deinde ut operando sacris totum mundum deprecatorem alleget. Decet enim ut patris sacerdos filium eius mundum hunc ad preces uota'que adhibeat. Est & tertium huius sacræ uestis mysterium non prætereundum silentio. nam alij sacerdotes tantum pro familiaribus amici ciuibus'que solent rem diuinam facere: at Iudæorum pontifex non solum pro toto humano genere, uerum etiam pro naturæ partibus, terra, aqua, aere, igne, precatur & agit gratias: quippe qui existimat mundum (ut re uera est) suam patriam, solitus supplicationibus ei reddere propitium parentem conditorem'que suum. Posthæc legislator præcepit, ut qui accedit altare contrectaturus uictimas redeuntibus ad se sacræ functionis uicibus, à uino temeto'que abstineat, quatuor de causis, scilicet ut effugiat pigritiam, obliuionem, somnum, amentiam. merum enim laxatis uiribus corporis facit id minus agile, & in somnum uelit nolit pertrahit: animi quoque intentionem remittens, fit ei causa obliuionis ac desipientiæ. contrà sobriorum & membra sunt leuiora habiliora'que, & sensus puriores sinceriores'que, & mens ipsa perspicacior, ad prospiciendum futuris negotijs, & ad præteritorum reminiscentiam. itaq; in uniuersum uini usus censetur

X 4 aduis-

ad uitã inutilis,quandoquidẽ grauat animã,ſenſus hebetat, deniq; corpus onerat,nihil enim ſinit in nobis liberum,ſed quicquid attigit, prępedit.At cum puritati ſacriſq; uacatur,tanto eſt hoc onus moleſtius, quãto grauius peccatur in deũ q̃ in hominem.Merito igitur inſtitutũ eſt ſacrificiũ abſtemium,ut diſcrimẽ ſit inter ſacra & profana,pura & impura, legitima & illegitima.Cæterũ quoniã nemo niſi uir cooptatur in ſacerdotiũ,nõ cariturus amplexuũ cupidine,quærũtur ei caſtæ uirginis nuptiæ, ſanctis prognatæ parentib.ac honeſtis generoſiſq; maioribus. Meretricẽ em̃ pariter animo impuram atq; corpore, ne aſpicere quidẽ ei licet, etiamſi quæſtu relicto ad frugem redijt,eo q; olim pollutũ uitæ inſtitutũ ſecuta ſit. ipſa uero de cætero quidẽ eximatur ignominiæ,propter propoſitum mutatũ in melius: laudanda eſt em̃ nequicię pœnitẽtia, nec uetãdus quo minus eã ducat quiſq; alius:ſacerdotem uero ne accedat quidẽ propius. huius em̃ eſt eximiũ priuilegium, quod requirit conſenſum mutuũ actionũ eius omnium inculpabilium ab initio uitæ uſq; ad exitum.Videtur enim à ratione boniſq; moribus alieniſſimum,cicatricoſos arceri ſacerdotio propter notas infelicitatis nõ maliciæ:eas uero quæ nõ ſolũ coactæ,uerùm etiã interdũ ſponte formam uenditarãt,poſtquam uix tandem reſipuerint,ab amatoribus diuulſas iũgi mox ſacerdotibus,& è lupanaribus migrare in ſacra domicilia. manent enim nihilominus in animis pœnitentium cicatrices quædã & ueſtigia nequiciæ priſtinæ.proinde recte honeſteq; uetitum eſt aliubi, ne merces meretricis inferatur in ſacrarium. Atqui numi per ſe carent crimine,ſed quæ hos accepit unà cũ ſuo quæſtu eſt abominabilis. quomodo igitur admittetur in ſacerdotis cõſortiũ mulier, cuius etiã pecunia profana habetur adulterinaq;,quantumuis probatæ notæ ac materię?itaq; tanta requiritur in pontifice puritas,ut nec uiduam ſinatur ducere,ſiue mariti obitu deſolatam,ſiue diuortio:primò ut ſacrum ſemẽ intacto puroq; aruo capiatur,nec ullo modo miſceantur huius natales cum alijs familijs: deinde ut initia cũ nondum deprauatis animis conſuetudine,facilius eas ſuis moribus accommodent. Sequaces enim & flexiles ad uirtutem ſunt mentes uirginũ & ad diſciplinam promptiſſimæ.At quæ iam experta eſt uirũ alium, probabiliter uidetur ad inſtitutionem difficilior, ut quæ non adeo purã habeat animam,nec inſtar ceræ leuigatam,ſed iam ante inſcriptis notis aſperam, quæ ægre delebiles,uel non recipiunt figuras alias, uel receptas cõfundunt inæqualitate ſua.Virginem igitur ducat põtifex caſtã à nuptijs: uirginem,inquam,non ſolum cum qua nemo congreſſus eſt alius,ſed ne deſpõſam quidem alteri,quando non ſola hic requiritur caſtitas corporis.Reliquis ſacerdotibus,quod ad nuptias attinet,præſcribuntur eadem quæ pontificibus: uerùm his pręter uirgines etiam uiduas licet ducere,nõ quaſuis tamen, ſed quarum mariti defuncti ſint.non uult enim lex materiam contentionũ pręberi ſacerdotibus,quas uiuis prioribus maritis poſteriores uix poſſunt effugere propter zelotypiã.cęterũ illis extinctis,ſimul affectus talis extinguitur.& alioquin etiam æquum eſt põtificem puriorem ſanctioremq;, ſicut in cæteris rebus omnibus, ſic in nuptijs quoq; ſe approbare,nec niſi uirginem puellam ducere. Secundi autem ordinis ſacerdotibus permittitur cũ mulie-

mulieribus uirum expertis connubium. Quin & de genere futurarũ uxorum diligenter præscribitur, ut pontifici despondeatur non solum uirgo, sed sacerdotalis generis, ut sponsus sponsaq; gentiles sint & quodammodo consanguinei, quo magis per totam uitam moribus conueniant. cæteris conceditur ut quamuis ipsi sacerdotes sint, possint tamen ducere non sacerdotum filias: siue quòd leue sit hoc piaculum, siue quòd non expediat plebem in totum submoueri à sacerdotum affinitatibus. ideo licitum est sacerdotibus huiusmodi connubium, ut cognationi proximum. nam generi loco filiorum sunt soceris, & hi uicissim loco parentum suis generis. Hactenus de coniugio, & cura procreandi liberos. Quoniam autem generationem sequitur corruptio, etiam de uita functis leges sunt proditæ, quibus decernitur, sacerdotes non funestari ob cuiusuis amici cognati'ue interitum, sed tantum sex cognationis proximæ, patris matris'que, filij uel filiæ, germani germanæ'ue uirginis. at pontifici in uniuersum luctu interdicitur, nec fortasse immerito. nam aliorum sacerdotum functiones habent suas uicissitudines, ut pro alijs cessantibus ministrent sacris alij, & quibusdam luctu occupatis, nihil tamen omittatur è solennibus ritibus atq; ceremonijs. pontificis autem officia propria committuntur præter ipsum nemini. Quamobrem semper impollutus permanere debet cauens à contactu cadaueris, ut paratus sit temporibus debitis uota sacraq; sine impedimento facere. Cũ enim alioqui sit deo dicatus ductorq; sacrati ordinis, oportet eum abdicari omnibus cognationis affectibus, ut charitatẽ erga parentes, liberos, fratres posthabeat, nec unquam ea retardatus potiora negotia differat. idem uetatur in domestico luctu uestimenta scindere, & insigne sacerdotij suo capiti detrahere, aut è fano per occasionem luctus excedere, ut ob loci ornatusq; reuerentiam resistat mœstitiæ, & fortis malit uideri, quàm miserabilis, Postulat enim in eo uiro lex præstãtiorem homine indolem, quippe qui deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodã diuinę humanæq; naturæ (si uerum fateri licet) confinio, ut hoc mediatore deus propitietur hominibus, eiusdem ministerio porrigat eis largiaturq; suam gratiã. Post hæc præcepit lex de ijs ad quos primitiarum usus fructus pertinet. Si quis, inquit, sacerdos oculum, aut manum, aut pedem aliud'ue membrum amiserit, aut maculam aliquam contraxerit, ad sacra quidem tractanda nõ admittatur propter calamitates huiusmodi, fruatur tamen sacerdotum honoribus, propter dignitatem generis irreprehensibilem. Quod si aut lepra sacerdotem occupet aut seminis profluuium, nec sacram mẽsam attingito, nec portionẽ accipito honorariam, donec sistatur profluuium & lepra decedens cutem relinquat concolorẽ. Quod si sacerdos rẽ quamcunq; impurã attigerit, aut somnio uenereo pollutus fuerit, ea die sacrificijs abstineat: sed sub uesperam ablutus sinatur partẽ suam capere. Accola uero sacerdotis & mercenarius arceatur à primitijs. Accola ideo, quia nõ omnibus uicinis mensa communis est, & cauendum ne sacra profanentur nimio humanitatis studio. Non omnibus enim danda omnia, sed quæ accipientibus conueniant. Alioquin ordo, quo nihil in uita melius, tolletur è medio, succedente confusione perniciosissima. Si eñ in nauibus onerarijs nautæ guberna-

bernatoribus pares erunt, & in triremibus æquabuntur præfectis remiges naualesq́ socij, in exercitu uero equites magistris suis, scutati ordinum ductoribus, centuriones legatis & imperatoribus: item in republica cōcionatores senatoribus, rei iudicibus, & in uniuersum plebeij magistratibus, tumultus seditionesq́ nascentur, & ista uerbotenus æqualitas inæqualitatem rerum pariet. Nam æqualia dignitate imparibus tribuere, est inæqualitas: inæqualitas uero, fons malorum. Quam ob rem honorariæ partes sacerdotum ne cum accolis quidem communicandæ sunt, ne propter uicinitatem attingant quæ nefas est tangere. Nam is honor non domui habetur, sed generi. Similiter merces è sacra portione non est reddenda mercenario. Nam is si profanus sit in profanum usum uertet quæ honoris causæ tributa sunt nobilissimo sacerdotum generi. Quapropter neminem alienigenam lex admittit in societatem sacratorum fructuum, etiamsi ex indigenarum nobilitate paterno materno'que genere sit laudatissimus, ut hi honores incorrupti permaneant penes sacerdotalem ordinem. Inconueniens enim fuerit, uictimas, sacrificia, cęterasq́ altaris ceremonias cōmitti sacerdotibus, præterea nemini, honores uero eorum communicari quibuslibet: quasi deceat illos diuexari nocturnis diurnis'que curis ac laboribus, præmia uero etiam otiosis promiscue contingere. Vernę autem, inquit, & empticio dominus suus sacerdos impartiat cibum potum'que de primitijs. Primum quia seruus nihil lucratur nisi ex domino, cuius ipse est possessio, ut necesse sit seruum ali è sacris prouentibus. Deinde ne quod omnino futurum est, id inuiti faciamus. Nam serui, dum uelimus nolimus nobiscum uersantur perpetuo, & cibum potum'que parando mensas heriles instruunt, dum ministrant uescentibus & reliquias efferunt, si non aperte desumunt, certe clam surripiunt, necessitate cogente: atq́ ita uni culpæ, si tamen culpa est uti cibis dominicis, alteram addunt furtum uidelicet, ut furtim sacris fruantur sine crimine, quod est absurdissimum. Huc accedit causa tertia, quòd non est periculum ne primitiæ uilescant seruis communicatæ, quandoquidem hi cohibentur metu dominorum, qui ne insolescat, possunt in officio continere familiam. Postremo sequitur lex humanitatis plenissima, sic præcipiens: Si filia sacerdotis nupta sacerdoti per mortem mariti fiat uidua, aut à uiuo propter sterilitatem deseratur, retro in paternas ædes reuertatur, ut de primitijs uiuat, sicut quando uirgo erat. Nam & nunc quodammodo uirgo est potentia, siquidem destituta marito ac liberis, nullum præter parentem habet refugium. Vbi uero supersunt filij filiæ, necessariò liberis suis mater attribuitur: qui cum ad paternam domum pertineant, matrem quoque secum adducent in idem domicilium.

PHILONIS IVDAEI
DE PRAEMIIS SACERDOTVM ET HONORIBVS.



ACERDOTIBVS nullam agri partem lex attribuit, unde more cæterorum in usum uitæ fructus terræ colligant: sed honoris causa deum ipsum fore sortē ac possessionem eorum pronunciat, ad res offerri Deo solitas respiciens, id'que duabus de causis: primo quia summus honor est participes fieri eorū quæ deo sacrantur à gratis hominibus: deinde ut circa solum Dei cultum occuparentur, ceu curam & possessionem propriam. Huc accedunt & alij honores, uirtutis ergò illis habiti, & ante omnia cibus absque ipsorum cura laboreq; paratus. Præcipit enim lex, ut quotiescunq; panis à pistoribus fermentatur ac subigitur, totius primitiæ separentur in usum sacerdotum: atq; hoc pacto etiam offerētium pietati prospicitur. Dum enim assuescunt semper alimēti partem deo decidere, nunquam in eius obliuionem ueniunt, qua re nihil in uita potest contingere felicius homini. Cum autem hæc gens plurimum abundet numero uirorum, necesse est primitias afferre magnam copiam, ut nemo sacerdos tam pauper sit, quin diues uideatur. sed & è reliquis prouentibus imperantur primitiæ, uinum in singula prela, triticum hordeūq; in singulas areas. similiter ex oliuetis oleum, cæteriq; mites fructus ex arboribus, ne contenti necessarijs sustentent uitam durius, aut delicatiore uictu careant, sed hilarius mensis fruantur cum mundicie. tertium præmium sunt primogenita mascula, ex omni genere terrestrium quæ in usum hominum ueniunt. Nam hæc iure diuino debentur sacerdotibus: ex armentis boum & ouium caprarum'que gregibus ipsi iuuenci, hirci & arietes, quippe cibo puri ac sacrificio: pro equis uero, asinis, camelis & similibus æstimationis non iniquæ pretium. est autem hic quoque prouentus maximus. nam uetere gentis huius instituto pascuntur multi greges armenta'que omnis generis animalium. hic lex non contenta primitijs omnium prouentuum, alias insuper exigit animarum atque corporum. nam liberi sunt parentum partes separabiles: imò (si uerum fateamur) inseparabiles, propter communem sanguinem & latentem quandam rationem generis demanantem à maioribus, natiua beneuolentia coniungente affectus mutuos. Attamen & horum exiguntur primogenita primitiarum nomine, ut appareat gratam esse fœcunditatem uel præsentem uel quæ speretur in posterum: id quod cedit in laudem coniugij, sacrari primum eius fructum, simul'que coniuges admonet temperantiæ, curæ domesticæ atque concordiæ, ut mutuo consensu in ueram firmam'que societatem conueniant. Cæterum ne filij primogeniti sacrati'que disiungantur à parentibus, redimuntur certa pecunia, tantidem pauper ac diues, nullo respectu uel dignitatis offerentium, uel recens natorum habitudinis, modo ne quis quantumuis pau-

per

per grauetur. Quoniam enim liberi tam humilibus de plebe uiris contin-
gunt quàm clarissimis proceribus, oblationem parem debere fieri iudica-
uit, facultatum (ut dixi) potissimum ratione habita. Alios insuper non me-
diocres reditus iura sacerdotibus tribuunt, dum à singulis exiguntur deci
mæ frumenti, uini, olei, fœturæ pecudum ex armentis ac gregibus: quanta
uero hinc quoque proueniat copia, licet ex numerosissimæ gentis frequētia
cōiecturam sumere. ex his rebus liquet iuxta legis iudicium sacerdotes æ-
quiparari honore ac maiestate regibus: siquidem illis tanquam principib.
conferri tributa imperat, id quod fit longe aliter quàm in cæteris ciuitatib.
sub dynastis degentibus. nam hæ gementes & coactæ uix tandē conferūt,
perosæ quæstores ceu pestem publicam, nunc has nūc illas causationes fin
gendo, ne ad præstitutum tempus tributa repræsentent. At hæc gens sacer
dotibus debitam pecuniam libens gaudēsque depromit, quasi nō daret sed
acciperet, addens faustas ominationes & gratiarum actiones populariter,
idque quotannis nec uiris cessantibus nec mulieribus, sed alacritate sponta-
nea, quanta nullis uerbis exprimi potest, conferentibus. & hæc quidē con
tribuuntur ex priuatis possessionibus, nec desunt etiam alij reditus è uicti-
mis, digni sacerdotibus. Nam de qualibet mactata pecude lex iubet duas
certas partes eis decidi, armum dextrum & pectoris pinguedinem: quarū
altera significat requiri in eis fortitudinem in omni actione legitima, siue
dandum siue capiendum siue operandum sit quippiam: altera uero animū
placatum & alienum ab ira postulat. Hūc enim aiunt habitare in pectore,
ubi natura collocauit uim irritabilem, ceu militem in præsidio, munito ui-
delicet compage ossium firmissima, neruis adstricta ualidis. De pecudibus
autem quæ aliàs mactantur causa uiscerationis, tria suo iure sacerdos acci-
pit, armum, maxillam, & quod omētum dicitur. Armum eà ratione quam
modo diximus. Maxillas uero, ut capitis, quod inter membra præeminet,
sermonisque primitias. Nam hic promanare non potest nisi maxillis cōmo-
tis, unde σιαγόνας ἀπὸ τοῦ σείεσθαι, hoc est ab huiusmodi cōmotione Græci
has nominant. Nam ijs plectro linguæ percussis, omnia uocis instrumen-
ta consonant. Omentum uero uentris est protuberatio: uenter porrò nil a
liud quàm præsepe brutæ concupiscentiæ: qui potationibus rigatur & in
gluuie, & inundatur alijs post alias cibi potusque delicijs, suis more gaudēs
in cœni uolutabro degere. Proinde locus excrementis dicatus, conuenien
tissimus est illi turpi & intemperanti pecudi. Aduersatur autem ei tempe-
rantia, quam exerceri & labore studioque confirmari decet modis omni-
bus, ut bonum maximum ac perfectissimum, priuatim & publice utile.
Quocirca gulosa concupiscentia, cum sit impura profana'que, merito ex-
tra uirtutis fines exulat. Temperantia uero pura uirtus & immaculata, ci-
bi potus'que negligens, ut contemptrix uoluptatum ad uentrem pertinen
tium, ad sacrum altare admittitur: aufert'que illam uentris protuberanti-
am, quo magis admoneatur despicere gulam insatiabilem, & quicquid ac-
cendit hanc concupiscentiam. Quin & holocautomatum, quorum uix ini
ri potest numerus, tergora cedunt sacrificis, unde quæstus cum primis o-
pimus percipitur. Satis igitur apparet, quamuis tribus destinata diuino
cultui

cultui exors agrorum sit, alia tamen ratione prospectū ei honorificentius, ut sine labore suo uiuat è primitijs & oblationibus. Sed ne quis è cōferentibus exprobret accipienti suū beneficium, iubentur prius in templū deferre munera, ut tū demū inde sacerdotes desumāt. Decebat enī pro diuinis beneficijs largissimis aliquā ex rebus uictui necessarijs delibari gratiā : autorem uero eorū cum ipse nulla egeat, ista largiri tēpli ministris & sacrorū curatoribus. Nam quisquis nō ab hominibus, sed à Deo nunꝗ nō in omnes benefico munus accipit, saluo pudore accipit. Itaqꝫ tot præmijs decretis sacerdotū ordini, si quis eorū eget honeste uiuens sine crimine, uel tacitus nobis legū contemptū opprobrat. Nam si earū iussis pareremus, & oblationes debitas in quem oportet usum uerteremus, haberent illi non solum uictū necessarium, uerùm etiam cætera delicatioris uitę subsidia. Sicut ediuerso uictus sacerdotum lautior, argumentū euidens esse potest pietatis publicæ, & legum semper seruatarum summa diligentia. Verùm quorundam incuria (nec enim tutum est id imputare omnibus) sacratis uiris affert pauperiem, imò (si uerum fateri licet) illis ipsis ab officio decedentibus. Nam leges contemptæ nocent contēptoribus, quamuis seductis & inescatis ad tempus aliqua illecebra. Cęterū nihil utilius, ꝙ sequi leges naturæ, utcunqꝫ primus earum gustus austerus & immitis uidetur. Tot lucrorum accessione ubi satis prospectum est sacerdotibus, etiam secundi ordinis habita est ratio. Hi sunt æditui, pars fungentes ianitorum, pars uero atriensium officio, ne quis profanus uolēs nolens'ue transcendat sacrata limina. Alij circūquaqꝫ obuersantur noctu & interdiu, per uices sortiti diurnas nocturnasqꝫ stationes atqꝫ custodias. Rursum alij porticus atriūqꝫ uerrūt & exportāt scobes ac quisquilias, curātqꝫ mūditiē, & mercedē accipiūt uictum ex decimis, ut prouentu proprio. Verùm his ipsis decimis eis frui non licet, prius quàm harum quoqꝫ decimas offerant primi ordinis sacerdotibus. Tunc enim demū libere fruuntur, non antea. Oppida quoqꝫ quadraginta octo acceperunt lege concedente & cuiusqꝫ pomœria per duo milia cubitorum in circuitu pascendis pecudibus, & in reliquos usus oppidis necessarios. Eo his selecta sunt sex, tria cis Iordanem, transamnana totidem, in refugium eorum qui nolentes cædem fecerint. Quoniam enim qualemcunqꝫ homicidam nefas erat fanum introgredi, ut se religione loci tueretur, iam dicta oppida sunt aperta uelut asyla secundaria, propter incolarum honorem ac priuilegium, qui supplicibus contra uim futuri erant præsidio, non armorum ope, sed dignitatis respectu, & iusta reuerentia sacerdotalis ordinis. Cæterum profugus iubetur continere se intra septa oppidi quo receptus est, ne in ultores cæsi cognatos incidat, in homicidam quamuis non spontaneum sæuituros propter extincti desiderium, quod officit æquitatis examini. Quod si oppido exire ausus fuerit, sciat se in manifestam ruere perniciem. Nec enim illius à se occisi cognatos latere poterit, sed confestim peribit interceptus eorum laqueis & casibus. Terminus aūt huius exilij, sit idem qui uitæ summi pontificis, quo defuncto impetrabit ueniam, & ad patriam reditum. His similibusqꝫ legibus perlatis de sacerdotio, deinceps docet de animalibus, quæ'nam sint sacrificijs idonea.

PHILONIS IVDAEI

DE ANIMALIBVS IDONEIS SACRIFICIO, DEQVE VICTIMArum generibus.



NIMALIA quę in sacris mactari solent, aut terrestria sunt, aut uolucria. sed uolucriū cum sint innumeræ species, præteritis cæteris omnibus, duas tantū selegit Moses legifer: quoniam columba inter natura mansuetas & gregatim uolitantes est mitissima, turtur uero inter solitarias cicuratu facilima. Terrestrium quoq; innumeris gregibus omissis, tria præcipua secreuit genera, boum, ouium, caprarum'que ut mitiora mansuetiora'que. Siquidem armenta magna boum, magni greges caprarum & ouium, ab uno quouis aguntur, nec solum uiro, sed & puero, dum exeunt in pascua, rursumq; suo tempore decenter ad septa redeunt. Quod autem animalia hæc ingenio miti sint prædita, uel illud euidens est indicium, quòd omnia uescantur herbis non carnibus, nec unguibus aduncis armata, nec continua serie dentium. Nam gingiuæ dentibus aliquot destitutæ sunt. Præterea maxime uitam iuuant hæc animalia. Arietes uestitum præbent tegendis corporibus. Boues arando terram sementi præparant, & fruges ipsas tritura reddunt alimento utiles. Ex caprarum pilis ac tergoribus contextis consutisq; fiunt penulę uiatorię, uelaminaq; militibus, & aliis quos necessitas aliqua cogit extra urbes sub diuo degere. Requiruntur autem integra hæc omnia, illæsa partibus omnibus, & maculis etiam neuisq; carentia. Tanta enim cautela utūtur in hoc negotio & qui offerunt uictimas & ipsi sacrifici, ut probatissimi sacerdotū peritissimiq; ab extremis pedibus exorsi per totū corpus inquirant quę sunt conspicua, ne uentre feminibusq; celetur uel minima labecula. Adhibetur autem hæc cura non propter uictimas, sed ut sine omni culpa sint qui eas mactandas offerunt. Submonētur enim his symbolis, ut quoties accedunt altaria, uel nuncupaturi uota uel reddituri, nullum uitium nullumq; morbum afferant in anima, sed conētur omnino nitidam & immaculatam in conspectum dei producere, ne uisam auerseiur. Quoniam aūt quædam sacrificia fiunt pro uniuersa gente, quædam pro uniuerso (si uerū fatendū est) humano genere, quędam pro singulis rem diuinam facientibus. prius dicetur de publicis. Est enim in his ordo mirificus. Nam alia sunt quotidiana, alia recurrunt septimo quoq; die, alia cum sacratis nouiluniis, alia ieiuniorum tempore, alia tribus festis præcipuis. Itaq; agni duo iussu legis mactantur quotidie, mane ac sub uesperam, uterque cum gratiarum actione, alter pro diurnis, alter pro nocturnis beneficiis, quæ indesinēter Deus largitur humano generi. is numerus duplicatur septimo quoq; die, ut par pari addatur, in æternitatis honorem, quod septimus dies mundi natalis sit. Quapropter hebdomadarias uictimas placuit esse similes quotidianis &

nis & continuis. Institutum est etiam ut quotidie bis adolerentur odoramenta fragrantissima in ara quæ intra uelum est, oriente sole occidenteq́, ante matutinum & post uespertinum sacrificium: ut sacra cum sanguine fiant pro nobis qui constamus è sanguine, incruenta uero pro principali nostri parte anima, ratione prædita, factaq́ ad exemplar diuinæ imaginis. panes item septimo quoq́ die proponuntur in sacra mensa, pares numero mensium, in quaq́ serie seni, pro ratione æquinoctiorum. Nam seni menses intersunt uernum inter autumnaleq́. Post uernum fruges maturescũt, quando fructus arborei se proferre incipiũt: qui mox post autumnale maturescunt, quando sunt sementis initia. Sic natura sempiternis orbibus in sese recurrentibus alia post alia dona mortalibus per uices cumulat, quod significatur per bis senos panes propositos. Iidem admonent nos temperantiæ inter omnes uirtutes utilissimæ, quam comitantur facilitas, simplicitas, frugalitas, hostes cupiditatis & intemperantiæ. panis enim alimento contentus esse potest sectator sapientiæ, habiturus sanũ corpus & mentẽ sobriã. cupediæ uero, placentæ, bellaria, cõmentaq́ alia curiosa pistorũ & coquorũ, gustui præ cæteris sensibus inerudito illiberaliq́ seruientium ad nihil honestum et spectatu uel auditu dignum, sed ad miseri uentris desideria, conciliant morbos tum corpori tum animo plerunq́ insanabiles. cum panibus autẽ sal & thus mensæ imponitur: quorũ altero significatur, nullum esse condimẽtum frugalitate suauius, ex sapientũ sententia: altero uero, uidelicet sale, rerum omnium perpetuitas. nam hic cõseruat ea quibus inspergitur, & sufficit uice obsonij. Ridebũt hæc sat scio, isti qui nihil tractãt præter epulas & cõuiuia, lautarum sectatores mensarum, seruiliter inhiantes auibus, piscibus, carnibus & id genus cæteris, qui ne in somnis quidem unq́ ueram libertatem gustarunt. eos ego contemnendos iudico his qui deo uitam suam approbare cupiunt, docti uoluptates aspernari, & assueti mentem oblectare naturæ contemplatione. Post hæc legislator distinguit sacrificia trifariam, in holocautoma, & quod pro salute, & quod pro peccato uocatur. Deinde singula exequitur accuratissime, seruator respectu decori pietatisq́. Quin & ordo in hac diuisione spectatur aptissimus. nam si quis examinare uelit causas, cur illi prisci homines aggressi sint sacrificia, tres præcipuas inueniet. Vnam cultum dei, uel per se honestum ac necessarium: alteram uero, utilitatem sacrificantium. ea duplex est, dum bona impetramus, & à malis eripimur. Cæterum primo illi generi, quod solum dei honorem sibi proponit, lex apte holocautoma tribuit, quando uictima integra igne absumitur, humana cupiditate nihil inde sibi usurpante. Alterũ genus quoniam ad homines pertinens ipsorũ opinione diuiditur, etiam lex subdistinguit, ut alio bona quærantur, quod nominatur pro salute: alio fuga calamitatis, quod pro peccato dicitur. atq́ ita holocautoma solius est dei, cui semper debetur honor etiãsi nihil expectaremus ab eo gratiæ, reliquæ duæ species ad nos proprie pertinent: altera incolumitatẽ postulans & profectum in melius: ea uero quę pro peccato nuncupatur, ueniam delictorũ & medicinã languentis animæ. Dicemus de singulis quæ lex ipsa præcipit, initio facto à specie præstantissima, hoc est ab holocautomate.

Ante omnia,inquit,feligatur mafcula uictima ex animalibus puris ad facrificium,iuuencus, aut agnus,aut hędus.Hanc qui offert,ablutas manus imponat eius capiti.Tum aliquis facerdos accipiat eã & immolet, mox alius fanguinem eius exceptum phiala fundat per altaris circuitum, detractoq; tergore uictimæ,artus in frufta concidantur, & ablutis inteftinis atque pedibus, tota uictima igni altaris tradatur, congeftis rurfum in unum partibus quæ modo diffectæ fuerant. Hæc funt quæ diferte lex pręcipit.fubeft tamen intellectus obfcurior,qui è fignis quibufdam declaratis elicitur. primum fexus mas in uictima requiritur, quia præftantior eft quàm fœmina,& primæ caufæ efficienti propinquior. nam quicquid fœmineum eft, imperfectum cenfetur & fubditũ,ut quod patiatur magis quàm agat. Porrò cum anima noftra conftet è duabus partibus,bruta rationaliq;, rationalis uidelicet intellectus mafculini eft generis,fœminini uero bruta illa quæ fenfus fortita eft. Intellectus autem fenfui tanquam uir mulieri præftat toto genere, quippe purus inculpatusq;, purificatus perfectis uirtutibus. ipfa èft tota deo grata & fanctifsima hoftia. cæterum quòd manus imponuntur capiti uictimæ,euidens indicium eft innocentiæ, uitæ'que fine culpa exactæ iuxta naturæ leges & diuina oracula. poftulat enim deus à facrificante primũ bonam mentẽ, fanctã & in pietate exercitã: deinde uitam benefactis ornatam, ut dum manus imponit,pofsit libera confcientia dicere: manus hæ nec muneribus corruptæ,nec innocenti fanguine pollutę funt, noxam, iniuriam,uulnus,uim intulerũt nemini,nulli rei turpi prębuerunt minifterium,fed rebus honeftis ac utilibus, quæ uiris iuftis,honeftis fapientibusq; probantur. Sanguis autem circum altare funditur,quia circulus figura eft perfectifsima, ne huius libationis exors fit ulla pars animæ. nam animam quodãmodo libare uidemur fanguine. Figurate igitur docemur, ut integra mente in orbem choreas agitante per omnes confiliorum, dictorum factorum'que fpecies deum colamus. Nec myfterio caret quòd iubemur inteftina & pedes abluere.per inteftina enim lota fubinnuitur oportere cupiditates ablui, abftergi'que maculas contractas ex ebrietate ac crapula,uitijs humanæ uitæ ualde noxijs. Pedum uero lotio fignificat,nõ humi pofthac incedendum, fed per æthera. Amans enim deum anima re uera in cælum à terris emicat,fumptis'que alis petit fublimia, cupida oberrandi cum fole, luna cæterarum'que ftellarum facra militia, ipfo deo duce atque imperatore, cuius inexpugnabile regnum iufte moderatur uniuerfa & fingula. Quod autem membratim uictima diuiditur, fic interpretantur, uel quòd ad unum referantur omnia, uel quòd orta ex uno in unum redeant: id quod nonnulli fufficientiam nominant, alij uero mutuum fomentum ornatumq; elementorum quatuor. Mihi uerifimilior coniectura uidetur, admoneri hoc pacto dei cultricem animam,ut Ens illud non temere colat,fed certa ratione atq; fcientia. Ea ratio confiftit in hoc, ut diuidantur ac diftinguantur dei uirtutes & potẽtiæ.Nam deus eft bonus,conditor parensq; huius rerum uniuerfitatis,prouidens fuis operibus, feruator atq; benefactor,idem beatifsimus omniq; felicitate refertifsimus: quæ fingula tum per fe maieftatem habẽt mirificam, tum collata cum alijs eiufdem

dem generis. Idem dicendum uidetur & de rebus cæteris. Quoties subit tuum animū uoluntas agendi deo gratias propter mundū conditū, age et pro uniuerso & pro integris eius partibus tanquā animalis perfectissimi, atq; ut clarius loquar, pro cælo, pro sole, pro luna cæterisq; uel fixis uel erraticis sideribus: deinde pro terra cum suis animantib. & stirpibus, pro mari ac perennibus torrentibusq; fluuijs, & his quę uictū in eis sibi quęrunt. deniq; pro aere ac huius partibus. Nam hyems, æstas, uer, autumnus, anni tempora tuendæ uitæ necessaria, mutationes sunt aeris commodæ reb. sublunaribus. q; si quando gratias agis pro hominibus, id non in genere tantum fieri oportet, sed speciatim iuxta distinctiones præcipuas, pro uiris ac mulieribus, pro Græcis ac barbaris, pro insularib. æque ac pro continentem colentibus. item si pro uno uiro uota facis, diuidēda sunt non in minutias, sed in ea quæ sunt potissima, ut res animi ac corporis, & rationis atq; sensuum. Non est enim ingrata Deo pro his singulis gratiarum actio, uel deprecatio. Hactenus de holocautomatis: nunc sacrificium quod pro salute uocatur, considerandum uenit. In eo non refert utrius sexus sit hostia, uerum ex ea tria hæc debentur sacrificis, adeps, fibra iecinoris, & renes duo. Cętera in epulum cedunt ei qui obtulit. Cur aūt dictæ partes interaneorum sacratæ sint, non obiter despiciendum est. equidem sæpe de his rebus cogitans, miratus sum cur ex ea uisceratione lex desumēs ceu primitias fibram iecinoris, & renes cum adipe, nec cor requirit nec cerebrum utranq; sedem principalis partis animę. nec dubito alijs quoq; nonnullis, sacras literas magis mente quàm aspectu perlustrantibus eandem quæstionem occurrere. qui si causam probabilem inuenerint, & sibi & nobis profuerint. sin minus, nostrum commentum iudicent, an uideatur uerisimile. est autem hoc, principalis nostri pars capax est iniusticiæ, timiditatis, imprudentiæ, cæterorumq; uitiorum: habitat autem in duabus modo dictis sedibus, corde atq; cerebro. itaq; sacra lex æquum iudicat, non oportere ad altare dei, ubi solet impetrari omnium peccatorum & iniquitatum remissio, inferri uas illud & conceptaculum, in quo mens proclinauit ad iniustitiam ac insipientiam, deflectens à uia ducente ad uirtutem honestatēque. stultum enim fuerit in ipso sacrificio refricari nō aboleri peccatorum memoriam. & hoc est opinor, cur neutrum offeratur principalis partis conceptaculum, neq; cor neq; cerebrum. quæ autem iussu legis offeruntur, cōpetentem habent rationem. adeps propter pinguitudinem protectricem extorum. est enim pro amictu, & multū ea iuuat sua mollicie. Renes uero propter neruos tendentes genitalia, qui tanq; boni uicini genituram adiuuant. quoties absq; impedimento natura operatur feliciter. Sunt enim subcruētæ quædam lacunæ, per quas se humida excrementa exonerant. Per neruos autem proximos (parastatas uocant medici) genitura deriuatur. Fibra porrò iecinoris, est præstātissimi uisceris delibatio, cuius opera cibus in sanguinē uertitur, moxq; per uenas ad cor promanat, distribuendus porrò in omnes partes corporis. stomachus ēm gulæ subiectus cibos dentibus præmansos excipit & præparat. ab hoc traditos uenter cōficit secundo ministerio, à natura sibi assignato, eos in succū mutans. è uen-

tre duo caui tubuli enascuntur,facti ad digestionem & mutandū illum succum in sanguinem.digestiuus quicquid cōcoctu est difficile in fellis secernit uesiculā.alter uero perpurgatū iam calore colatumq́ sanguinem uitalem ad cor transmittit,unde (ut dixi)diriuatur in corporis totius uenas sinuosis flexibus,alimentum ei suggerens. Accedit huc quòd iocineris natura sublimis & leuigata refert instar politissimi speculi propter nitorē absolutissimum : ut mens quoties à diurnis curis cessat in somnum soluto corpore, nullis interturbata sensibus,seipsam suosq́ intellectus in secessu pure dispiciat, intuendo iecur tanq̃ speculum : & in eo sincere contemplata res intelligibiles, circumspiciat sibi obuersantes imagines, quo turpes fugiat,contrarias eligat, & ex imaginationū consideratione ceu uates coniecturam de futuro faciat. In hoc genere duobus tantum diebus epulari fas est,ita ut nihil reliquiarū supersit in tertium,idq́ de causis pluribus. Vna, quia sacrę mensæ usus tempestiuus debet esse, curando ne quid corrumpatur mora temporis,cùm carniū uel conditarū natura sit obnoxia putredini.altera,quia uictimarum partes nō sunt in penū retrudēdæ, sed in mediū proponendę omnib.indigētibus. iam em̄ sunt non offerentis,sed eius cui litatū est:qui cū sit beneficus ac munificus,uult conuiuis uocatis communicari suum epulū,non eius qui exhibet: quem sic cogitare iubet,ministrum esse ipsum conuiuij non dominū. nam apparatus fit de liberalitate domini,quam dissimulari non decet, pręferendo humanitati sordidā parsimoniā. postrema, quia sacrificium hoc pro salute duorum offertur, corporis & animæ:proinde suus cuiq́ dies epularis tribuitur:q̃ æquū uideatur ut primę diei cōuiuium admoneat nos salutis animę, sicut postera dies sanitatis corporis. Quoniā aūt tertiū nihil est cui proprie quæratur salus, serio uetitū est proferri epulū usq́ diem tertium, ita ut ne per obliuionem quidē liceat superesse reliquias absq́ piaculo. Quod si quis hos ritus negligat,seuere diuina uoce obiurgabitur:Hoccine homo ridēdo putas sacrificiū?nihil moror tua sacra profana polluta execrataq́,carnes istas quas tibi ipse coxisti uentri seruiens, nc in somnis quidē doctus rationem uerā sacrificij. Ad hoc genus pertinet illud etiā sacrificiū quod laudis dicitur, & fit ad hunc modū, Cum aliquis in nullam aduersitatem incidit uel rerum externarū uel corporis,sed quieta tranquillaq́ uita fruitur, prospere degens & feliciter absq́ offensis damnisq́ omnibus, longū uitæ cursum ceu nauim in alto dirigens in serenitate perpetua,secundę fortunæ auris à puppi aspirantibus, necesse est ut deo gubernatori debeat sanitatē continuam & nō interpellata cōmoda, atq́ in uniuersum sinceras felicitates nullis uitiatas calamitatibus:& horū largitorē demereatur hymnis,laudationibus, sacrificijs, & alijs gratiarū actionibus: quæ omnia cōprehenduntur laudis nomine.hanc uictimā non biduo,sicut priorē illam pro salute,sed ipsa prima die lex iubet absumi:ut qui experti sunt propensum paratūq́ fauorem cælestis numinis,incunctanter de hoc sacrificio impertiātur alijs. Sequitur quod pro peccato nūcupatū, uariatur & personis & hostiarū genere:personis pontificis,totius populi,principis,plebeij:uictimis uero uitulo, hirco,capra uel agna.uacca quoq́ offertur in hoc genere,ab ijs qui uel per imprudens-

prudentiam peccarunt, uel ſcientes quidem & uolētes, ſed iam mutata uoluntate factum ſuum damnant, & uitam melius inſtituunt. Pontificis peccata & populi ſimili expiantur uictima, uidelicet uitulo: principis uero minore, tamen & hac maſcula. Hircus enim cæditur. At priuati etiamnum deteriore. Fœmineum enim non maſculum pecus mactatur. Decebat autem principem priuato homini præferri uel in ſacrificio: ſicut principi populum, quãdoquidem totum eſt ſua parte potius. Pontificem uero æquiparari populo in expiatione impetrandaq; peccatorũ uenia. habetur tamen is honor pontifici non propter ipſum, ſed quia miniſter eſt populi, publice uota faciens ſoluenda totius gentis nomine. Præceptum autem quod ad ſacra hæc attinet, eſt mirificum. Si, inquit, pontifex ignoranter peccauerit: moxq; addit, ut delinquat populus: tantumnon dicens, uerum pontificem expertem peccati eſſe. Quod ſi quando labatur, id ei non priuatim ſed propter populũ accidere, ita ut in promptu ſit remedium. mactato eñ uitulo iubetur digitum intingere in ſanguinem, & ſepties eum aſpergere contra uelum ſacrarij, quo loco ſacra uaſa ſunt repoſita: deinde aræ quadrangulæ in qua ſolet ſuffitus fieri, cornua quatuor eodẽ ungere, reliquũ uero profundere, ad baſim altaris in atrio: ibi offerre illa tria quæ diximus in ſalutari ſacrificio, adipem, renes, fibram iecinoris. tergus uero atq; totũ reliquũ corpus ad pedes à capite unà cum inteſtinis efferri in locum mundum quò ſolent deferri altaris cineres, atq; ibi exuri ſtrue lignorũ ſuppoſita. idem ritus eſt ſacrificij quo totus expiatur populus. Quod ſi quis princeps peccauerit, capro ut dixi expiabitur: priuatus uero ciuis aut capra aut agna ſi malit. nam huic fœmina conuenit, ſicut mas magiſtratui, cætera fiunt ritu eodem ab utroq;, unguntur altaris ſubdiualis cornua, offeruntur adipes, renes, & fibra iecinoris, reliqua cedunt ſacerdotibus in epulas. Quoniam autem peccata quædam in homines quędã in ceremonias committuntur, hactenus de peccatis in homines factis mandatum eſt: cæterum ſi quis deum & ſacra eius offendat, expiabitur ariete, ſi prius luat pro damno dato pretium, quinta parte ſuper iuſtam æſtimationem addita. Hæc & ſimilia poſtq; legiſlator præſcripſit de delictis ignorantiæ, deinceps tranſit ad ea quæ admittuntur à uolentibus ac ſcientibus. Si quis, inquit, mentitus fuerit de ſocietate, aut depoſito, aut rapina, aut inuentione rei perditæ, deinde ad uitandam ſuſpicionem iurare non recuſarit, & tandẽ arguente ſe intus conſcientia periuriũ ſuum abnegationẽq; ipſe damnans confeſſus fuerit, ac ueniam petierit: merebitur delicti obliuionem, quandoquidẽ ueram pœnitentiã re magis q̃ uerbis approbat, dum reddit depoſitũ aut rapinam aut inuentum, aut in uniuerſum quicquid alienum uſurpauit, ſuperaddita quinta pretij parte in ſolatiũ eius cui fecit iniuriam. Cui poſtq; ſatisfecerit, eat, inquit, in templũ oraturus ueniam & peccati remiſsionem, non contemnendam aduocatam adducens curam animæ, emergentis è calamitate grauiſsima, & à morbo penè letali redeuntis ad ſanitatem priſtinam. Hic quoq; iubetur immolare arietem, ſicut ille præuaricatus ceremonias. Nam illud peccatum inuoluntarium lex æquat peccato in hominem uoluntario, niſi huic quoq; religionis contẽptus accedat. ut autem periu-

rus pœnã effugiat,remedium eſt uitæ correctio. Hic obſeruandũ, ꝙ quæ pro peccato altari offerũtur ex uictima,ſunt eadẽ quæ in ſalutari ſacrificio, adipes, renes, & fibra iecinoris. nam & pœnitentia genus quoddã ſalutis eſt,dum animæ affectio quouis corporis morbo grauior effugitur. Reliqua uiſcera dantur ad cibũ,ſed alijs, alioq́ꝫ loco ac tẽpore.Nam locus epuli fanũ eſt,tempus uero unus dies non duo,& ſacerdotes ſoli epulantur,ita ut nec eorũ domeſticæ fœminæ,nec ipſi qui offerunt,partes capiant.nihil em̃ extra fanũ effertur,uidelicet ne pœnitẽti exprobrentur peccata priſtina,iactata in uulgũ ſuſurris inimicorũ & linguis petulantibus gaudentium aliena ignominia. præſtat igitur ea contineri intra ſacrata limina, ubi fit expiatio.à ſacerdotibus aũt abſumitur uictima de cauſis cõpluribus.primò,in offerẽtis honorẽ.nam conuiuarũ dignitas ornat eum qui excipit cõuiuio,deinde ut pœnitentes ſecurius credant ſe habere deũ propitiũ: alioquin eius famuli hanc menſam nõ accederent, niſi anteactis omnibus obliuioni traditis.Tertia cauſa eſt, quia ſacrificare nulli ſacerdoti, niſi integro, permittitur,cui ne minima quidẽ inſit labecula. Atq́ꝫ ita monentur quotquot à delictorũ uia decedunt, ut æmulentur puritatem ſacerdotũ, qui de oblatione ipſorũ epulari nõ dedignati ſunt. ideo ſacrũ hoc intra unã diem abſoluitur,quia peccantes cunctatio decet ac procraſtinatio, in benefactis uero properãdum eſt. Sed quæ pro pontificis aut totius populi peccato mactantur,damnata cibis exuruntur (ut dixi) in ſacro cinere.nemo eſt em̃ aut pontifice aut gente potior, qui deprecator allegari poſsit pro his peccantib. merito igitur uiſcera cõſumũtur incendio ſicut fit in holocautomatis,idq́ꝫ in honorẽ offerentiũ: nõ ꝙ dignitatũ reſpectus habeatur in ſacrificijs,ſed quia hominũ excellenti uirtute præditorũ uereq́ꝫ ſanctorũ peccata nõ multo deteriora ſunt ꝙ̃ benefacta quorundã uulgariũ.quemadmodum em̃ uberes agri etiãſi ſpem coloni fallant, tamẽ plus ferunt fructuũ ꝙ̃ ſuapte natura maligni:ſic proborũ piorũq́ꝫ quantũuis modica officia non cedunt iſtorũ fortunatorũ ſed malorũ amplis meritis, nonnunq́ꝫ fortuitis magis ꝙ̃ uoluntarijs.His ita ordinatis ſpeciatim de tribus ſacrificijs,holocautomate,ſalutari,& pro peccato,addit aliud ex his conſtitutũ omnibus, ut eis bene inter ſe conuenire nos doceat. id genus ita coniunctũ, uotum magnũ dicitur.Cur aũt ſic nominetur,dicturi iam ſumus. Cum aliquis ſacrarit omnium ſuarum rerum primitias ac decimas,tritici, hordei, olei,uini,pomorũ optimorũ, primogenitorũ animalium, mactatis puris, impurorũ uero perſoluto pretio,nõ habens amplius materiã in qua pietatẽ exerceat,ſeipſum dedicat,pietate ac ſanctitate nullis uerbis effabili.ideo magnum hoc uotum appellatur.nihil enim quiſq́ꝫ poſsidet ſeipſo pretioſius, qua poſſeſsione tunc ceditur. huius uoti reo præcipiuntur hæc. primũ ne mero utatur aliòue potu ex uuis factitio,imò ne alio quidẽ ullo qui afferat temulentiã,& mẽtem labefaciat, ut ſacratus iam inde à uoti nuncupati tempore.nam qui ſacris operantur,ſitim aqua reſtinguũt, ne in ebrietatem uetitam incidant.deinde ad præſtitutam diem,rite offeret tres uotiuas uictimas,agnum,agnam, & arietem,illum in holocautoſim,illam pro peccato, arietem uero in ſalutis hoſtiam.nam uouenti conueniunt hęc omnia:holo

cautoma

cautoma,quia non sua solū,sed se quoque deo dicat: pro peccato uictima, quia homo cum sit, quantulibet perfectus,peccato nō caret:pro salute aūt quia salutē suā acceptā fert nō homini medico, sed seruatori uero deo, huiusq; potentijs.nā mortales ne sibi quidem sanitatem cōferre ualent. siquidem nec omnibus,nec ijsdem semper prosunt, interdum nocent etiā,quia negotium hoc aliūde pendet,nempe à medicamentorū uiribus. Mirandū etiam q animalia tria quæ sacrificijs diuersis offerūtur, omnia sunt eiusdē generis, aries,agnus,agnaq;.significatur enim hoc pacto, sicut paulo ante diximus, hæc sacrificia esse sibi inuicem germanitate quadā coniunctissima, quia & pœnitens seruatur,& seruatus recolligit se à morbis animæ, & uterq; properat ad integram perfectamq; habitudinem,quę subindicatur holocautomatis symbolo. Quoniam autem sic sacrificans offert seipsum, & sacrum altare nefas est pollui humano sanguine,& opus fuit omnino eius partem offerri aliquam, electa est quæ detracta nec dolorē afferret nec noxiam.Cum enim corpus sit instar quoddam arboris, tanquam frondes superfluæ capilli ex eo præfecti mittuntur in ignē, quo rite coquuntur carnes salutaris hostiæ:ut quia uotiuam partem inserre in altare non licet,saltem ignem sacratum lignis admixta nutriat. Hæc sunt sacra omnibus popularibus communia.Sunt & alia priuatim sacerdotū sacrificia,ne se putēt immunes propter functionem sui ministerij. Nam & hi offerūt quę decet offerri ab hoc ordine,non cruentas uictimas,sed similam, cibum hominis purissimum,quod perpetuū & quotidianū est sacrificium,sacræ mensuræ decima pars in dies singulos,cuius dimidiū mane, dimidium offertur uespere,frixū in oleo.quod non estur tamē.mandat enim oraculū,ut quæuis oblatio sacerdotis exuratur ignibus, nullis ad cibum seruatis reliquijs.Hactenus de uictimis, nunc dicemus de has offerentibus.

PHILONIS IVDAEI
DE VICTIMAS OFFERENTIBVS.



FFERENTI uictimas lex præcipit, ut purus fiat corpore ac animo: animo quidem à morbis atq; uitijs tum dicta tum facta corrumpētibus: corpore uero à maculis,& alijs rebus id contaminare solitis. Vtrique suæ lustrationes inuentæ sunt,animo per hostias sacris idoneas,corpori per lauacra & aspersiones de quibus paulo post dicturi sumus.ęquū est enim ut prius agamus de potiore nostri parte anima.quę est igitur huius purificatio? Vide,inquit,tu quisquis es,ut uictima quā offers, sit integra,eximia,carēs maculis omnibus,probata acri & incorrupto sacerdotum iudicio,haudquaquā fallendo propter cōtinuam experientiā. nisi enim eam tum mente tum oculis exploraueris, non elues peccata & contractas in omni uita maculas,siue oblatas inuito siue uolūtarias.in hoc enim tam accurato examine uictimæ inuenies figurate significari morum tuorum

tuorum emendationem & profectũ in melius. Nec enim bruta legi curæ sunt, sed animæ rationis compotes. Itaq; de offerentibus non de uictimis est solicita, ne quod uitium eis insideat. De cętero corpus (ut dixi) lauacris & aspersionibus purificat, nec tamen a spersum semel aut ablutum mox intra fanum admittit, sed iubet foris expectare per septem dies, & interim aspergi bis, tertia septimaq; die, ac tum demum post ablutionẽ ad sacrificandum ingredi. Nunc consideremus quàm prouide hæc fiant & quàm philosophice. Cæteri ferè omnes aqua pura lustrantur, marina pleriq; aut fluuiali, aut urnis hausta è fontibus. At Moses cinere præparato è sacri ignis reliquijs (id quomodo fiat, mox dicetur) de hoc nonnihil sumptum iubet in uas indere, & aquam superinfundere: deinde hyssopi ramo in hac temperatura tincto lustrandos aspergere. Eius rei causa non absurde hæc colligitur. Admonet eos qui ad Dei cultum accedũt, ut ante omnia seipsos noscant & suam essentiam. Nam quisquis seipsum ignorat, qui potest summam illam & excellentissimam Dei potentiam percipere? Est igitur nostra, quantum ad corpus, essentia terra & aqua, id quod docemur hac purificatione: quando hoc ipsum creditur ad purgandum utilissimum, nosse seipsum, ex quib. & quàm nihili rebus constemus, ex aqua & cinere. Nam hæc reputatio confestim arrogantiam insidiatricem animo eximit, simulque superbiam: atque ita deum homini conciliat infensum huiusmodi uitijs. Recte enim alibi dictum est: Qui superbis dictis factisq; nõ abstinet, non homines solos sed & deum irritat, æquissimum optimarũ rerum opificem. itaq; aspersione hac sic excitamur & tãgimur, quasi hæc ipsa clementa terra et aqua nos appellent in hunc modum: Nos sumus uestri corporis essentia. ex nobis natura, id est ars diuina, contemperatis effinxit humanã speciem. ex nobis compacti prodistis in lucem, in nos rursum soluẽdi post obitum. nihil em̃ in nihilum recidere natura patitur, sed unde est initiũ, eodem finis redit. Nunc tẽpus est exhibere quod promisimus, quę nã sit huius cineris proprietas. non è solis lignis combustis fit, sed è uictima etiã ad talem expiationẽ idonea. præcipit enim lex, uaccã rufam indomitã mactari extra pomœrium. deinde pontificẽ desumpto huius sanguine septies eũ contra templũ aspergere. tum totam exurere unà cum pelle, cornibus atq; intraneis. iamq; subsidente paulatim flamma in mediam hæc tria superinijci, lignum cedrinum, hyssopum, cuminumq;. ubi uero extincta fuerit, cinerem ab homine puro collectum, reponi rursum in loco puro extra pomœrium. Quid autem sibi uelint hę figuræ, alibi exposuimus in allegorijs. Necessum est igitur aditurος templum sacrorum gratia, & corpore nitidos esse, & multo magis anima. Hæc enim domina est reginaq;, modis omnibus illo præstantior, ut diuinioris naturæ particeps. nitescit autem mens cognitione placitorum sapientię, deducentis se ad contemplationem mundi, rerumq; contentarum in eo, et consuetudine cum cæteris uirtutibus, à quib. promanãt actiões honestę ac laudabiles. his quisquis se perornauit, eat bono animo in templũ, locũ sibi conuenientissimum, seipsum oblaturus pro uictima. sin adhuc pectus infesũ est iniustis cupiditatibus, præstat in abdito quiescere, nec temeritati adiungere impudentiã, religione posthabita.
nam

nam ueri dei templum non patet profanis sacrificijs. Tali homini diceremꝰ: ô bone, non gaudet deus centenis boum uictimis, cum sit cunctarū rerum dominus, nec ullius indigeat: mauult pias mētes & uiros sanctitatis meditatores, à quibus popana pultesq́ꝫ uilissimas ut gratissima munera libenter accipit. imò etiamsi nil afferāt, ipsos cōplectitur, absolutos in omni uirtutum genere, pro uictimis opimis adducentes hymnos in seruatorem suum ac benefactorem, partim uocales, partim absq́ꝫ ore linguaq́ꝫ cōceptos in animo, & sic quoq́ꝫ penetrantes ad deum, quantumuis non sentiātur humanis auribus. Hæc uera esse, ut nō à me autore sed à natura profecta, testatur uel ipsa euidentia manifestam fidem faciēs nō cōtentiosis hominibus, testatur etiam lex iubendo poni duo altaria, materia, loco, usuq́ꝫ differentia. Alterum enim è saxis collectitijs impolitis extruitur in atrio iuxta templi uestibulum, ad immolandas uictimas. Alterum uero aureum, situm est post primum uelum in penetralibus, nemini cōspicuum nisi sacerdotibus functionis suæ tempore castitatem seruantibus, quod factū est adolendis odoribus: unde liquet, micam thuris oblatā ab homine pio, deo gratiorē esse multis hostijs, si offerenti non adsit probitas. quāto enim aurū præstat lapidibus, & adytū uestibulo, tanto acceptior est suffitus, gratiarū actionis q̄ꝫ mactata uictima. ideo nō solū materię pretio, artificū opere, sanctitateq́ꝫ loci ara hæc augusta facta est, sed & hoc quod apud eam quotidie sacra exordium sumunt à gratiarū actionibus. nō est em̄ fas immolare foris, prius q̄ꝫ intus summo mane suffitus factus sit. quo significatur nihil aliud, nisi deum non delectari uictimarū multitudine, sed offerentis bona mēte atq́ꝫ puritate spiritus, nisi forte eū iudex religiose iudicaturus aspernetur munera partium sententiā expectantiū, alioquin ipse corruptelæ reus futurus: imò cum uir probus à malo ne diuite quidē dignetur munus accipere: tu putas largitionibus capi deum nullius creaturæ indigū? qui cum sit primū illud bonū perfectissimū, perennis fons prudentiæ, iustitię, uirtutumq́ꝫ omniū, auersatur dona iniustorū hominum. quod si quis talis offerat, nonne uidetur impudentissimus, de illicito quęstu, furtis, rapinis, abnegatis depositis, deo tanq̄ꝫ iniquitatis socio partem decidens? equidem hunc pronunciarim infelicissimū, siue latere speret, siue deprehendi metuit. si putat fore ut lateat, ignorat dei potentiam uidentis & audiētis omnia. sin rem palàm fore cogitat, audacissimus est quē peccati nō pudet. itàne decet proferre iniuste partarū rerū specimina, & ostentare inter donaria tanq̄ꝫ primitias? an dubiū est, neq́ꝫ legē quicq̄ꝫ ab iniustis, neq́ꝫ solem à tenebris, accipere? atqui deus & legū primitiuū exemplar est, & ipsius solis sol, illustrās sensibilem intelligibilis, & ex inuisibilibus fontibus ei splendorē uisibilem impartiens. Præterea de altari exteriore mandatū extat, Ignis in altari ardebit perpetuus. merito, ut equidē arbitror. Nam quia perennes dei gratiæ nec deficiunt nec intermittūtur, sed interdiu noctuq́ꝫ fruendas se præbent nobis hominibus, gratiarū actionē hæc sacra flāma figurat, semper instaurandam ne quādo extinguatur. quin & illud fortasse hoc modo quæritur, ut uno eodēq́ꝫ igne continuato coaptētur noua sacra ueteribus, quo sacrātur utraque, ut approbetur perfecta gratiarum actio, quamuis pro uarijs

occasioni-

laboribus,& leuati curis,animo in ſeipſum ſecedente à turbis ſenſuum, & ſibi ipſi uacante:merito lex æquum iudicauit gratiarum actiones ita distribui,ut ſacra fiant pro uigilantibus,pro ſomno uero & prouenientibus inde commodis accendantur ſacrata lumina. Hæc & huiuſcemodi ſunt mandata interdictaq; ad ceremonias ſpectantia. Præcepta porro ad ſapientiam conducibilia ſic inde licebit elicere. Videtur legislator dicere: Nihil ô anime à te Deus exigit graue multiplex & arduum, ſed ſimplicia quædam & facilia.uidelicet ut eum tanquam bene meritum diligas, ſi non libet reuereri ut principem ac dominum:ut'que incedas per uias ei placitas, colas'que illum non obiter,ſed ex tota mente referta pijs opinionibus:tum mandata eius retineas firmiter,& ius diuinum habeas in pretio: quæ cuncta ſi accurate obſeruaueris, nunquam degenerabis à natura propria. Quod ſi quid in mundo promouetur,ſol,aut luna,ſtellæ'ue cæteræ,aut cælum ipſum uniuerſum,uel terra dum celſis attollitur montibus,aut in patentes campos liquidæ naturæ more diffunditur, uel mare dum uertitur in dulcedinem, aut flumina reſtagnant tanquam maria, ſtatim tamen ſingula redeunt ad priſtinos terminos. Tuus autem profectus erit,ſi uiuas innocẽs. Quid hic moleſtum eſt aut difficile? non iuberis maria nunquam prius tentata traijcere, & tempeſtate furente in medijs fluctibus ſus'que de'que iactari procellis inter ſe conflictantibus,non pedibus emetiri aſperos calles & inuios, non itinera ingredi feris infeſtata & latronibus, non agere ſub diuo excubias expoſitus inſidijs hoſtium. Abſint à bonis hæ moleſtiæ. Melius ominandum eſt in rebus tam utilibus. Satis eſt ſi annuat animus, mox in promptu erunt omnia. An neſcis Dei eſſe cælum,tum hoc ſenſibile, tum illud intelligibile quod cælum cæli dicere licet: terram item & quicquid ea continet, mundum'que uniuerſum uiſibilem, atque alterum illum inuiſibilem ac incorporeum ad cuius exemplum hic noſter eſt conditus? & tamen ex toto humano genere ſelegit ſibi aliquot præcipuos uerè homines, quos curare dignatus uocauit ad ſui cultum & religionem, ceu perennem fontem unde cæteræ uirtutes promanant,ad fruendum iucundiores nectare, nec minus ad parandam immortalitatem utiles. Miſeri qui ſe alienant ab hoc uirtutis epulo, miſerrimi qui ne guſtum quidem honeſtatis unquam ceperunt,cum liceat deliciari & hilariter degere in ſanctitate ac iuſtitia. Verum iſti ſunt corde incircumciſo, ſicut ſcriptura loquitur, & contumaces propter morum duritiem,petulãtes & immorigeri, quos lex his uerbis admonet:Circumcidimini cordis duritiem:hoc eſt, excidite ſuperflua mentis germina,prognata ex immoderatis affectibus & coalita inſita'que in animum à malo agricola inſipientia, quàm primum excidenda ſummo ſtudio. Et cauete, inquit, ne ceruix ueſtra dura ſit:hoc eſt ne ſit refractaria, ne'ue data opera duretur ad ruditatem noxiam: ſed omiſſa intractabilitate natiua ut pernicioſa,flectatur ad ea quæ decent,obſequendo naturæ legibus. Annon uides,circa ipſum Ens primarias maximas'que potentias,beneficam & ultricem? beneficam deum nominant, quoniam huius opera mundus conditus & ornatus eſt:alteram uero dominum, penes quam eſt rerum uniuerſarum imperium. Deus non hominum tantum,ſed & deorũ


est Deus, magnus, uerè ens, & pollens potensq;. Attamen hic tam ingens uirtute ac robore, miseretur egenorum inopiæ, nec dedignatur esse iudex in causa inquilini, pupilli, & uiduæ: sed posthabitis regibus tyrannisq; & magnatibus, humiles dignatur hoc priuilegio. inquilinos, quia relictis institutis patrijs uanitate mendacioq; plenissimis, amore ueritatis ad pietatem se transtulerunt, & uersi ad eum qui uere est colendum, religiosi animi fruuntur priuilegio, ne frustra ad diuinam opem confugisse uideantur. Pupillorum autem uiduarumq; tutelam profitetur, quia hæ maritis, illi parentibus, orbati sunt: quibus humana ope destitutis nullum præterea relinquitur auxilium. Ideo maxima in diuino spes superest: quia propitium numen non auersatur huius generis patrocinium. Sit, inquit, solus Deus tua gloriatio. Non diuitijs, non honoribus, non principatu, nō pulchritudine corporis uel robore, aut similibus rebus, quibus homines uesani extolluntur, tibi placeas, cogitans primum hæc ad bonorum naturam nō pertinere: deinde mutari momento minimo, & simul ac effloruerunt marcescere. Illi soli adhæreamus supplices, ac ne deuicti quidem ab hostibus æmulemur impias eorum ceremonias, in honorem Deorum exurentes filios ac filias: nō quòd is mos sit omnibus barbaris: nec enim tam fero sunt ingenio, ut iniuriam, quam in bello ab infensissimis hostibus abstinent, in pace charissimis pignoribus inferre sustineant: sed quia re uera concremant corrumpuntq; animas ex se prognatorum, dum ab incunabulis in teneras etiamtum non insculpunt ueritatis dogmata, unde unum uerum deum discere ualeant. cauendum igitur ne uel deuicti prolabamur in superstitiones eorum, quasi pietatis merito adepti sint uictoriam. multis enim insidiantur præsentes felicitates, ut inescatos in calamitates maximas pertrahāt. & fieri potest ut quamuis indigni, potiantur uictoria ut nos id male habeat, qui educati in diuinitus instituta republica, & innutriti legibus ad omnem uirtutem incitantibus, à prima ętate doctrina imbuti quę uiros deceat, hæc contemptim habemus, & nugas æstimamus cuiusuis pretij, seria uero nihili. quod si quis sumpto prophetæ habitu ac nomine, correptū se diuino spiritu simulet, atq; ita ad externorum deorū cultum inuitet, cauendum est ne quis decipiatur à personato propheta. magus enim nō uates est. qui quoniam mendacia cōmentus est & falsa oracula, etiamsi frater aut filius, uxor aut filia, familiaris aut amicus sit, si per speciem beneuolētiæ seducere te ad impietatem suam studeat: necandus est tāquam hostis publicus sine respectu priuatæ necessitudinis: & hortatio illius proferenda est ad omnes pietatis amatores: qui absq; mora in scelestum irruent, rati sanctitatis officiū, talem hominem occidere. debet enim nobis esse unica familiaritatis et amicitiæ tessera, Deo placendi studium, & dicendi faciendiq; pro pietate omnia. Cæterum cognationes siue ut quidā uocant consanguinitates descendentes à communibus maioribus, tum affinitates quæsitæ per connubia, rejciendæ sunt si non ad eundem finem properant, honorē dei uidelicet, quod est omnis coniunctiuæ beneuolentię uinculū insolubile. nam talib. non deerit cognatio sanctior & honestior. attestatur mihi lex ipsa, quæ naturæ placita & uirtutem seruantes, filios dei nominat, dicens: Filij estis domino

mino deo nostro:mirum ni quia sicut pater dignatur eos sua cura & prouidentia. quæ cura tantum ab humana differt, quanto curator ipse maior est hominibus. præterea profanas initiationes orgiaq; lex sacra omnino submouet è sua republica, quòd periniquum censeat bene ac diligenter educatos contempta ueritate animum applicare ad huiusmodi mysteria, & secta ri pernoctationes tenebricosas, relicta luce actionibusq; quales diem decent. nemo igitur ex Mosis discipulis initiet initietur'ue: quando uel docere uel discere hæc iuxta est nefarium. cur enim ô mystæ, si hęc pulchra sunt & utilia, clausi profundis tenebris tribus tantum quatuor'ue prodestis hominibus, cum liceat coram omnibus in medio foro utilitates istas proponere, ut omnes ad meliorem feliciorem'q; uitam se conferrent intrepide. nam à uirtute disiuncta est inuidia. cælent se suaq; præ pudore qui tractant illicita, subeant secessus terræ obscuros & abditos, ne quis eos uideat. qui autē prosunt publice omnibus, in clara luce uersentur in foro medio, libere se in cœtus hominum ingerant, in illustri uitam suam proponant, & per præcipuos sensus iuuent turbas mortalium, dum uident stupenda, sed iucunda spectacula, & dulces sermones auribus hauriunt, mentes nō prorsus indoctorum exhilarare solitos. An non uides naturam quoque haud occultare sua pulcherrima laudatissima'que opera, sed in conspicuo posuisse cælum cum sideribus omnibus, ut uisum allectaret ad philosophiæ desiderium? maria quoq;, fontes, fluuios, aeris temperiem, uentos anni horas moderantes suis uicibus, stirpium animantium frugumq; innumeras species, promp sisse in usumfructum hominum? & non oportebat uos quoq; illam imitatos omnia necessaria quibusuis dignis utenda proponere? nunc sæpe fit ut nemo bonus initietur, sed latrones piratæq; ac mulierum probrosarum & impudicarum sodalitia, modo pecunia numeretur initiatoribus. Procul semoueantur omnes isti extra fines bene cōstitutę ciuitatis in qua uirtus & ueritas colitur. de his hactenus. Cæterū quia societatē humanitatēq; maxime docet lex nostra, utriq; uirtuti honorem habet meritum, neminem deplorate malum ad eas admittens, sed quàm longissime in rem malam ablegans. Cum igitur sciret concionibus admisceri multos improbos, quòd se posse in turba latere autument, ut id caueret in posterum, omnes indignos à sacro cœtu edicto prohibuit, exorsus à semiuiris obsceno morbo laborantibus, qui naturæ monetam adulterantes, in impudicarum mulierum affectum & formam sponte degenerant. Spadones item & castratos arcet, quòd ut florem ætatis seruarent diutius, è masculino sexu transcribi se passi sint in fœmineam speciem. Pariter repellit non tantum scorta, sed & natos è prostitutis, contactos materno dedecore, propter natales adulterinos. Qui locus, si quis alius, allegoriam recipit, plenam contemplatione philosophica. impiorum enim & scelestorum nō unum genus est, sed multa & uaria. Quidam enim incorporeas ideas nomen inane aiunt rei ueræ nullius, tollunt'que è rebus essentiam summe necessariam, quæ est archetypum exemplar omnium quæ specificantur & dimetiuntur qualitatibus. Hos sacræ legis tabulæ spadones nominant. Quod enim conuulsum est, priuatur qualitate atque specie, fit'que nil aliud quàm (ut proprie loquar) infor-

informis materia. Eodem modo opinio quę tollit ideas, confundit omnia, & super ueterem illam informitatem quæ ante digesta in ordinem elementa fuerat, adducit scenica deliria: quo quid iniquius cogitari potest aut absurdius? nam ex materia creauit deus omnia, licet eam non attigerit: nec enim fas erat rudem indigestam'que contrectari ab illo beato ac omniscio: sed incorporeis potentijs, quarum uerum nomen est ideę, usus fuit ad apte formanda singula genera. at ista opinio ualde perturbat omnem rerum ordinem. sublatis enim ideis unde qualitates sunt, qualitates ipsas tollit pariter. Alij uero quasi contendant hos in impietatis stadio post se relinquere, addunt amplius, ut non solum ideas, sed & deum esse negent per summam impudentiam: quasi conducat uitæ uel falso credi præsentiam inspectantis cuncta numinis, miseri & steriles sapientiæ, impietati malo maximo deuoti ac dediti. Tertium genus eorum est, qui uiam ingressi contrariam, cōminiscuntur deorum multitudinem, mares & fœminas, seniores & iuniores, replendo mundum multis præsidibus, ut de uno uero deo persuasionem eximant mentibus hominum. Hi sunt quos lex figurate dicit natos è meretricibus. quemadmodum enim hæ uerum filiorum suorum patrem nesciunt, nec possunt eis quenquam assignare ex tam multis amatoribus, cum quibus habuerunt stupri consuetudinem: eodem modo qui unum uerum deum ignorant inter multos falsos cæcutiunt, neglecto præcipuo fine ad quem ab ipsis incunabulis tendere debuerant. Quæ enim disciplina est honestior, quàm ueri dei cognitio? Tertios autem quartos'que repellit, quamuis ad eundem finem tendentes, non tamen eodem cum cæteris consilio. utrique enim magnæ pesti obnoxij, hoc est amori sui, quasi communem hæreditatem diuiserunt animam, distributis inter se partibus eius bruta rationali'que. nam alteri rationalem, hoc est mentem, sortiti sunt: alteri uero brutam, dissectam in sensus aliquot. qui à mente stant, principatum & regnum in res humanas ei tribuunt, aiunt'que idoneam retinendæ præteritorum memoriæ, tractandis præsentibus, & futuris per coniecturam assequendis. hæc enim campos montes'que conseuit plantis ac segetibus, inuento agriculturæ ad uitam utilissimo. hæc è siderum obseruatione diuersis terris commercia nauigationis aperuit ratione uix enarrabili. hæc literas, musicam & encyclopædiam totam inuenit simul absoluit'que. hæc philosophiam rerum optimam excogitauit, ut eius partibus adiutaret genus mortalium: per rationalem ut sermo fallacijs careat: per moralem ut mores corrigantur, per naturalem ut noscantur mundana & cælestia. Alias præterea permultas laudes mentis aceruatim congerunt, quæ possunt referri ad iam dictas species, nunc prætereundas breuitatis studio. Alteri uero qui patrocinantur sensibus, haud minus eos extollunt, enumerando usus eorum necessarios: aiunt'que duos ex his uiuendi causam esse, gustum & olfactum, duos bene uiuendi, uisum auditum'que. quoniam per gustum alimenta traijciuntur, per nares aer, quo totum sustētatur animal. Nam & is alimentum est continuum, nō uigilantes solum, sed & dormiētes conseruans atque nutriens, id quod uel hoc argumento certissime colligitur. Liquet enim si tempore breui cohibeatur respiratio, præciso spiritu qui

tu qui solet externe influere, necessario sequi animalis perniciem. Verùm unus è philosophicis sensibus per quos homini contingit bene uiuere, uisus lumen uidet rerum pulcherrimum, & alia quoque huius auxilio, solem, lunam, sidera cætera, cælum, terras, maria, stirpium animalium'que plurimas differentias, & in uniuersum corpora omnia qualia quanta'que sunt, quorum per contemplationem absoluta prudentia magnum scientię desiderium excitat. quamuis & aliæ uisus utilitates sint maximę, in dignoscendis alienis & domesticis, amicis & inimicis, ut caueantur noxia, eligantur commoda. Sic aliæ quoque corporis partes suos usus habent ualde necessarios, ut pedes ad ambulandum, & ad alia quæcunque peraguntur crurum ministerio: manus ad operandum & dandum accipiendum'que. At oculi, ut bonum quoddam publicum, & his & alijs partibus præstant facultatem perfungendi suis cuique officijs. id ita esse cæci testabuntur uerissime, qui reuera nec manus habent nec pedes, & ideo uel à petulātibus uel à miserantibus appellantur horum membrorum impotes. Auditus porrò carmina, rhythmos totam'que musicam iudicat. Cantus enim uerba'que sanitatem & salutem afferunt. Cantus quidem excantando perturbationes animi, & quicquid in nobis dissonat, in concentum quendam redigendo reprimendo'que immodicos affectus certis modulis. Quibus in rebus singulis sunt uarietates plurimæ, si musicis & poetis credimus, haud contemnendis autoribus. Verba uero retundendo impetus ruentes in uitia, & homines occupatos ab inscitia simul ac imprudentia liberando, perductis obsequentibus, pertractis'que renitentibus prosunt plurimum. Hæc sunt quæ uel mentis uel sensuum sodales pro suis partibus tuendis undecunque colligunt, dum ex his ex illa'ue deos faciunt, obliti ueri dei præ nimio contentioso'que opinionum suarum studio. proinde omnes hi meritò pelluntur à sacris cœtibus: & spadones qui ideas negant: & qui omnino impij cum sint, contemptores'que numinis, executi dicuntur proprio uocabulo: & his contrarij qui genealogias deorum afferunt, quos scriptura natos è meretrice nominat: postremo qui amore sui cæcati, pars rationem, pars sensum aliquem consecrant. omnes enim hi ad eundem finem properant, & si non eodem consilio. At nos Mosis sacri uatis auditores & discipuli non desinemus eum Qui est quærere, cum sciamus esse felicitatis finem illius noticiam, & longæuam uitam eos qui deo uiuunt uiuere: quod dogma è sacris literis discimus cum primis necessarium, & philosophorum quoque placitis consentaneum. certum enim est animi morbis laborantes censendos pro mortuis: eos uero qui ordinem in quo à Deo constituti sunt non deserunt, uitam immortalem uiuere.

PHILONIS IVDAEI
DE MERCEDE MERETRICIS NON ACCIPIENDA IN SACRARIVM.



GREGIVM præceptum extat in sacro legum codice non decere meretricis mercedes inferri in ædẽ deo sacratam, fœminæ formam florentem uenditantis, & uitam probrosam professæ quęstus gratia. quod si mulieris amatoribus suis obsequentis profana du cuntur munera, quanto magis scortãtis animæ, quę se prostrauit constuprandam uinolentiæ, gulæ, uo luptatum studio, ambitioni, auaritiæ, alijsq́ uitijs innumeris, quorum maculæ an unquam elui possint nescio. Nam meretri cum quæstui finem nonnunquam senectus imponit, quando pristina de stitutas pulchritudine adire nemo dignatur, postquam ætatis uigor floris in morem emarcuit. at animam fornicationi iam assuetam & eruditam ad intemperanti[illegible] quæ tandem ætas in honestatem restituet? ætas certe nul la, sed solus deu[illegible], cui facilia sunt, quæ nos efficere non possumus. oportet sanè sacrificaturum dispicere, ut mens eius integra sit magis etiam quàm ui ctima, uidere itidẽ cur eam offerat. aut enim gratias agit pro acceptis bene ficijs, aut præsentis status confirmationem futuráue sibi precatur commo da, aut deprecatur mala præsentia uel imminentia: quibus modis sanitas & salus rationi quæritur. nam aut pro ante donatis aguntur gratiæ, ad cui tandum ingratitudinis uitium. in bonos enim conferri solẽt beneficia. aut si quis præsentia bona precatur sibi perpetua, melioraq́ uota concipit, si non est inciuilis, dignũ expetitis felicitatibus se prębeat. Quod si aduersita tes effugere postulat, caueat ne quód admittat flagitium. duas eñ nostrum quisq́ uxores habet in suo contubernio, easq́ infensas sibi inuicem, & ani mæ domum replentes contentionibus zelotypis. harum alteram diligi mus, quasi amicam blandam & familiarem, quæ uoluptas dicitur: alteram odio prosequimur, ut immitẽ ac tetricã, & nobis minime beneuolam, hęc uirtus nominatur. illa nos accedit cum ornatu meretricio, fracto incessu præ mollicie, obtutu lasciuo inuncans animas iuuenum, temeritatem & impudentiam præferens in oculis, elata ceruice supra natiuã staturam as surgens, ridens cachinnabundáq́, calamistrata & cincinnatula, fucata fa ciem, pictis superciljs, recens lota, purpurissata, pretioso floridoq́ amicta palliolo, aureis gemmatisq́ armillis superba & murenulis mundoq́ mu liebri cætero, spirans unguenta fragrantissima, non tam domum suam q̃ fora compitaq́ diligens, petulans, suæ formæ prodiga, ascititiæ uero aui da. & cum ea pedissequæ, domestica uafricia, iniustitia, nequicia, quibus stipata more principis, sic pertentat animum: Heus tu, omnium bono rum humanorum thesauri apud me sunt reconditi. diuinis enim fruuntur cælites. præterea nihil inuenies. ego meos, si mecum consuetudinem ha bere cupis, proferã, nec inuidebo quo minus utenda fruendáq́ continue

depromas

depromas pro tuo arbitrio. eorũ tibi recenſebo multitudinẽ,ut aut liberi-teraſſentias, aut eis tuapte culpa careas.apud me eſt relaxatio, ſecuritas, quies,laborum obliuio,utenſiliũ uarietas, uocum modulamina, luxus in cibo potuq́;,odorũ ſuauiſsimorũ plurimæ ſpecies, amores perpetui,luſus licentiſsimi,coitus liberrimi,ſermones ſine reprehenſione,actiones ſine caſtigatione,uita ſine ſolicitudine,ſomnus molliſsimus,ſatietas inexplebilis. Proinde ſi tibi placet meum contuberniũ,parata habebis in hac omni copia quæcunq; delectant maxime: mihi erit curæ ne quid deſideres eſu potu'ue ſuaue,aut oculis,auribusq́; gratum & naribus. potieris eñ rebus omnibus quaſcunq; concupiueris,pluribus in abſumptarũ locũ ſubſcatentibus.Sunt enim in theſauris modo dictis perpetuò uirentes arbores feraces aliorum poſt alios fructuũ,recentibus & matureſcẽtibus maturos iam ac uietos protrudentib. Hæc arbuſta nullo unq; externo ciuili'ue bello ceſa ſunt,ſed ex quo primum è terra fuerũt edita,ab ea tanq; bona nutrice aluntur,fundata profunde ſitis radicib. eisq; firmiſsimis, ſtirpes uero inde prominentes ad cælum uſq; attollentia:unde rami enaſcuntur manib. pedibusq; animantium pro portione nõ abſimiles,& in his frondes ad ornatum pro comis additæ germinãt,fructusq; quorũ cauſa paraui tibi cętera. His auditis altera in abdito ſtãs,ſed ita ut exaudire poſſet uerba æmulę,uerita ne forte illa mariti communis animũ ad ſe ſolã pertraheret corruptũ donis uel oblatis uel oſtentatis, ne'ue ſpecioſo aſpectu emollitũ deciperet, quãdo aſcititio cultu & magicis eũ allectari,demulceriq; animaduertebat præſtigijs,repente ſuperuenit ingenuo matronaliq; inceſſu grauis, uultu ſerena,genuino quodã pudoris colore ſuffuſa, ſimplex moribus, uitæ integra mente ſemper ſui ſimilis, uerbis haud blanda ſanam mentẽ ueraciter exprimẽtibus,decora natiuo habitu,moderata geſtu,ueſtitu modica,ornata non auro,ſed longe pretioſioribus ornamentis, artibus uirtutẽ decentibus.Comites eam ſequebãtur, pietas,ſanctitas, ueritas, religio,caſtitas,utraq; iuſtitia, tum quæ deo debetur,tum quæ hominibus: iuris æqualitas, fides, liberalitas,taciturnitas,ſobrietas,honeſtas,tẽperantia, manſuetudo, frugalitas,facultas,reuerentia,fortitudo,generoſitas, ſecuritas, prudentia, prouidentia,uis conſulendi,diligentia,tranquillitas,comitas,bonitas,ſuauitas,humanitas, lenitas,clementia,magnanimitas,beatitas.dies me deficẽret percenſentem ſingularum nomina, protegentiũ latera dominę ſuę more ſatellitij.illa uerò ad conſuetam grauitatem cõpoſita, ſic exorſa eſt: Video hanc impudicam nugatricem & pręſtigiatricẽ ſplendide ac ſcenice ornatã,blandicijs te aggredi. quamobrẽ cùm odio natiuo malos proſequar, uerita ne per imprudẽtiã deceptus mala maxima pro bonis eximijs eligas, non grauabor tibi qualis ſit hęc mulier ueriſsime prædicere,ne ſtolide reiectis rebus utilioribus,inops conſilij tibi acceſſas infortuniũ. Ergo totum iſtum apparatũ quo ſe iactat,aio aſciticium. nihil enim habet proprij natiuiq; decoris,ſed aſſumpſit ſibi adulterinam falſamq; pulchritudinẽ,qua te in ſuos caſſes pertrahat.id præmonitus,ſi ſapis,irritam eius uenationem facies. delectat illa quidem aſpectu oculos,aures uoce demulcet:animã uero cuius præcipua habenda eſt ratio, non poteſt non lædere, per has alia'ſue

partes se insinuãs. de rebus suis quicquid auditu gratum sciebat, narrauit: cætera innumera, ut iniucunda, maliciose dissimulauit, quòd ea quemuis absterrere queant facilime. at ego hęc quoq; detecta in mediũ proferã, nec imitabor ipsius uaframenta, ut sola ostentem quę pelliciunt, difficultates uero meas è conspectu submoueã: imò rebus lætis prætcritis silentio, q; ipsas clamaturas sciam, tantum onerosas nominabo suis uocabulis, ut nudę in medium propositę, uel hebetibus qualem singulę naturam habeant, sint conspicuæ. nam quæ ex uoluptate cõmoda uidentur præcipua, uiliora deterioraq; sunt q̃ si qua ex me accipiuntur incommoda, sicut usu quotidiano compertum est. Sed prius quàm loqui de me incipiam, quantum potero memorabo quæ illa reticuit. postquã enim suos thesauros percensuit, colores, uoces, ac sonos, sapores odoresq;. & uires tactus cæterorumque sensuum uarias, morbos noxasq; non indicauit, necessarios rerum ante dictarum comites, ita ut si aura quadam afflatus ipsas captaueris, mox te nearis laqueo. Scias uelim ô tu si uoluptatis amator fueris, eris & uafer, audax, incompositus, insociabilis, morosus, iniquus, difficilis, iracundus, peruicax, molestus, inobediẽs, leuis, maliciosus, ineruditus, iniustus, nefarius, sibi uiuẽs, infidus, fœdifragus, auarus, male moratus, nemini amicus, exul, sine lare, seditiosus, perfidus, impius, profanus, inconstans, instabilis, execratus, piacularis, scelestus, scurra, pestilens, noxius, illiberalis, refractarius, ferus, seruilis, pauidus, perditus, turpis, probrosus, propudiosus, immoderatus, immodicus, inexplebilis, arrogans, sibi placens, suo iudicio sapiens, sordidus, inuidus, calumniosus, contentiosus, delator, uanus, fallax, circulator, temerarius, indoctus, insensatus, nemini conueniens, inobsequens, contumax, pręstigiator, dissimulator, simulatorq;, cercops, suspiciosus, infaustus, inscrutabilis, ineuitabilis, perniciosus, maleuolus, inconcinnus, importunus, loquax, nugax, inaniloquus, assentator, piger, luctuosus, durus, meticulosus, insidiosus, incircumspectus, imprudens, improuidus, negligens, imparatus, bonarũ rerum imperitus, superfluus, errabundus, ostentator, indispositus, inaccessus, gulosus, uagus, futilis, mobilis, dolosus, bilinguis, animi ambiguus, impostor, subsessor, petulãs, incorrigibilis, semper indigus, incertus, circumforaneus, seductor, inconsultus, obnoxius, insanus, fastidiosus, uitæ auidus, gloriosus, irritabilis, iræ tenax, infensus, procrastinator, suspectus, implacabilis, suppuratus, male sperans, lacrymosus, alienis gaudens calamitatibus, rabidus, adulter inus, informis, machinator, turpis lucri cupidus, amans sui, seruitutis patiens, simultatis appetens, ambitiosus, de re domestica parum solicitus, ceruicosus, effœminatus, inanis, profusus, mordax, pugnax, fatuus, uinolentus, infortunatusq;. Hæc sunt huius formosæ ac exoptatæ uoluptatis magna mysteria, quæ libenter omnino tegeret, ne ijs cognitis auerseris eius consuetudinem.

meorum uero thesaurorum copiam & amplitudinem nulla lingua pro dignitate eloqui ualeat.

PHILO.

PHILONIS IVDAEI QVOD LIBER SIT QVISQVIS VIRTVTI STVDET.



Vperiore sermone docuimus Theodore, seruū esse omnem quicunq; peccet, idq; multis probabilibus rationibus uerū confirmauimus. addemus nūc alterū illius cognatū, imò germanū gemellūq;, per quē ostendemus omnē probū esse liberū. Extat sane inter cętera sacrata Pythagoreorū pręcepta & illud egregium, quo monemur per uiam publicā nō ingredi, nō ut feramur per rupes deuias: nec em̄ labore pedibus imperat: sed figurate subindicatur, nec dictis nec factis utendum protritis ac uulgarib. Id præceptū diligēter obseruarūt, haud aliter q̄ oraculū, quotquot legitime sunt cōplexi philosophiam: adeò ut deflectentes à gregarijs opinionibus, nouā sibi uiā aperuerint, inducta propria quadam specie dogmatū, quā nefas sit alijs præterq̄ puris attingere. impuros aū censeo quotquot uel disciplinas nunq̄ gustarūt, uel eas perperā non recte acceperunt, sapientiæ pulchritudinē dehonestando in speciē sophisticēs. hi cum propter hebetes animi oculos lumē intelligibile uidere nequeant, quod nimio fulgore præstringit aciē, tanq̄ in tenebris degentes non credūt in die uiuentibus, & quæcūq; illi perspiciūt adiuti radijs solaribus, pro spectris habent ac prodigiosis mendacijs. An non absurdū & mirum uidetur, exules dici eos qui nō solū uersantur in urbe media, sed curias, tribunalia, rostra occupant, & gerunt ędilitates reliquosq; magistratus curules etiam. ediuerso ciues haberi qui aut nunq̄ ascripti sunt in eū numerū, aut damnati exilio, sub interminatione supplicij, si nō dico attigerint solū patriū, sed uel è longinquo fuerint ausi prospicere. præsto sunt enim innumeri qui obseruent & animaduertant, tū sponte infensi, tum subministrantes legibus ex officio. An non etiam ab omni ratione alienū, plenū impudentia et insania, aut quomodocunq; dicenda est: non enim succurrit proprium tam indignæ rei uocabulū: diuites nominari qui sunt omniū egentissimi & carēt uictui necessarijs, sordide se sustentātes ac misere, uix quotidianū cibum capientes, & ultro sibi famē indicentes in abundantia publica, aura se nutriētes, sicut cicadas aiunt rore uiuere: pauperes uerò qui argēto, auro, pecoribus, reditib. alijsq; bonis ineffabilibus affluūt, quorū opulentia prodest nō solū cognatis amicisq;, sed non continēns se intra domesticos parietes, effunditur in turbas tribulium atq; populariū: imò ulterius etiā se porrigēs, ciuitati multa largitur belli pacisq; temporib. Eadem somniatio patricijs, paterno maternoq; genere abauos atauosq; illustres memorātibus, seruitutē audet obijcere: alios contrà inscripta frōte uernas, ex similib. oriundos maioribus, ingenuos pronunciat. In causa est, ut dixi, hebetudo mētis hominū addictorū opinionib. & sensibus, quorū cōsistoriū semper à rebus iudicatis corrūpitur propter ipsorū incōstantiā. atqui

debue-

debuerant, si æmularentur ueritatis studium, non minus sapere quam qui ægrotant corporibus. nam illi desiderio sanitatis cōmittunt sui curam medicis: istos uerò piget inscitiam depellere morbū animi, accitis uiris sapientibus: qui non solum profligare possunt imperitiam, uerum etiam scientiam in eius locum inducere, rem omnium preciosissimā. Et quoniā, ut ait Plato suauiloquus, inuidia extra diuinū chorū sita est, nihil aūt sapiētia diuinius & magis expositū, nunquam claudit suum auditorium, sed patentibus ianuis admittit sitientes sermonē dulcem ac potabilē, frequentatores suos affluentis doctrinarū abunde proluēs, ut inebrientur sobria temulentia. illi uerò iam ut sacris initiati, furoreque diuino perciti, damnant pristinā suam negligentiam iacturāque temporis, in rebus nihili contrita uita per imprudentiā. operæpreciū igitur fecerint, si quotquot ubique sunt iuuenes, ætatis floridę primitias eruditioni dedicarint, tam in pręsens quam in futurū paraturi sibi decus & præsidium. sicut enim uasa odorē, quo primū fuere imbuta, referūt: sic iuuenū animæ quas primū formas imaginatione cōcipiunt, nunquam aboleri sinunt, ne alijs quidē insuper affluētibus. De his hactenus. nunc quęstionē nostrā dispiciamus accuratius, ne nos obscuritas nominū decipiat. intellecto aūt quid sit de quo disserimus, demonstrationes aptius adhibebimus. Seruitus quædā animi, quædā corporis dicitur. corporib. dominātur homines, animis affectus & uitia. itidē libertas quædā est corporū, nō subiecta hominib. potētioribus: quædā animi, nullis affectib. obnoxia. de priore genere nūc nō quæritur. innumeri em̄ boni uiri libertatē amiserūt uarijs casib. Nos agimus de moribus quos nō cōcupiscentia, nō timor, nō gaudiū, nō dolor subigit, uelut è carcere liberatos et uinculis. omissa igitur altera illa libertate fortuita & alienis à natura, pendentibusque ex sola opinione uocabulis, uernarū, uenaliciorū, captiuorū, quæramus uere liberū, qui solus sui cōpos est, etiāsi multi se heros eius nuncupēt. is em̄ exclamabit illud Sophocleū nihil differēs à Pythijs oraculis: Deus mi princeps, nō ullus mortaliū, nā reuera solus liber est, qui solū deū sequitur: imò ut equidē sentio, imperiū habet in terrestria, tanquam immortalis summique regis mortalis uicarius. sed præstat sermonē de principatu differre in tempus cōmodius, et de libertate, ut cœpimus, disserere. certe siquis negociū penitius uoluerit introspicere, liquido noscet, nullas res tam cognatas esse inuicē, quam libertatē, & curā sui. improbos em̄ multa impediūt auaritia, luxus, ambitio: probos omnino nihil, resistētes tanquam in certamine, cupidini, pauori, timiditati, dolori, & cęteris id genus. didicerūt em̄ cōtēnere iussa iniqua dominorū animis imperitare uolentiū, quippe libertatis amatores: cuius propria felicitas, hoc est sua spōte facere quicquid placuerit, laudatur hoc senario:

Quis seruus est, mortem qui potest temnere?

Nimirum intellexerat quisquis eius autor fuit, nihil æque mentē in seruitutem redigere, ut mortis metū: usque adeo sumus uitæ cupidi. cogitandum aūt, immunem esse à seruitute nō solum contemptorē mortis, sed & paupertatis, & obscuritatis, & doloris, atque cæterorū quæ uulgares inter mala numerant, cum sint ipsi mali rerum iudices, qui seruū ex usu suo æstimant, considerantes eius ministeria, cū oporteat mores ingenuos respicere. nam qui

qui humili seruiliq; animo humilib. seruilibusq; negocijs inuitus dat operam, uere seruus est. cæterũ qui tempori se accommodans, suapte uoluntate tolerat fortunæ insolentiam, nihil humanũ à se alienũ putans, non ignarus diuinas res perpetuo seruare suæ felicitatis ordinẽ, & hac quoq; parte humanis præcellere, agitatis iactatisq; fluctuatione continua, utcunq; momenta negociorũ hinc inde prægrauant, fortiter ferens quicquid acciderit, philosophus mox euadit & ingenuus. proinde non cuiusuis audiet imperia: quod si quis urgeat tormenta minitans, reclamabit strenue:

Combure carnem hanc, concrema, repleto te
Meo cruore. nam prius uel sidera
Terram subibunt, terra uel scandet polum,
Quàm mollis à me extorqueatur uox tibi.

Spectaui aliquando certantes pancratio, alterum obtundentẽ pugnis & calcibus, totisq; uiribus contendentẽ ad uictoriam, tandem lassum & incoronatum è stadio discedere: alterũ carnosum, neruosum, musculosum, referтumq; spiritu uere athletico, tanquam saxeum ferrum'ue nihil plagis cedere, solaq; patientia superare aduersarium, & ad extremũ adipisci uictoriam huic similem bonum uirũ censeo, qui ualide confirmatus certo animi proposito, efficit ut aduersarius prius delassetur inferẽdo iniurias, q̃ ipse quicquam agat præter animi sui sententiam. Sed hoc inexpertis uidetur incredibile. nec mirum, quando ne illud quidẽ quod de pancratiastis diximus, quisquam, nisi qui uidit, crediderit. nihilominus uerum est quod diximus. Vnde profectum est Antisthenis dicterium uirum bonum esse molestam sarcinam. nam sicut insipientia bene & fertur & leuiter, sic prudentia grauiter incumbens, premit uehemẽter suopte pondere, nec facile potest excuti. proinde Iudæorũ legislator ait sapientẽ graues manus habere, actiones eius hoc ænigmate significans, nõ superficiem contrectantes, sed penetrantes in solidũ, utpote subnixas nõ flectendo mentis proposito. itaq; à nemine cogitur, cũ sit contẽptor & mortis & cruciatuũ, lege naturæ præpositus omnib. insipiẽtib. Quemadmodũ eñi capris, bubus, ouib. præsunt caprarij, bubulci pastoresq;, greges aũt nõ possũt preesse opilionibus: sic & uulgus pecori non absimile, opus habet curatore principe, qui ordo est bonorũ uirorũ, præfectorum suis gregibus. certe Homerus reges solet uocare pastores populi. at natura bonis uiris hoc nomen magis cõpetere uoluit. Illi pascuntur magis q̃ pascũt, dediti amoribus, potationibus & cupedijs, nequid dicam de auro argentoq;, & alijs rebus preciosiorib. quas expetunt, at hi nullis capiuntur illecebris, & insuper alios monẽt, caueant sibi ab insidiosis uoluptatibus. q̃ aũt publicę functiones nõ sint seruitutis indiciũ, apparet belli tẽpore. tũc enim uniuersi milites sunt in opere, nõ solum armis onerati, sed & sarcinis, comportantesq; in castra aquam, ligna, & iumentis pabulum: ne quid interim dicam de alijs laborib. militaribus, dum uallũ aut fossam faciunt, mœnia reparant, triremes ædificãt, artibusq; uarijs manus exercent cũ reliquo corpore. quin & in pace nõ deest alia nihilo segnior conflictatio cum paupertate, obscuritate, rerũq; necessariarum inopia, quę mala inuitos ad seruiles labores adigunt, & fossores, agricolas,

colãs, sordidosq́ opifices faciunt uictus parandi gratia, interdum etiam in medio foro cogunt baiulare onera in conspectu condiscipulorũ & ęqualiũ. Alios seruili natos genere, benignitas fortunę promouit ad ingenuorum officia. fiunt enim procuratores in amplis opibus, interdũ etiam conseruis præficiuntur cæteris. quibusdã uxorum pupillorumq́ herilium tutela commissa est, ob spectatã ipsorum fidem, posthabitis amicis & necessarijs: nihilominus tractant seruilia, fœnerantur, emptitant, reditus colligũt, patronos suos demerentur obsequijs. Quid igitur mirum si aduersus fortunę fauorem inuoluunt se negocijs illiberalibus, & libertatem suam ipsi produnt, ultro se subijcientes alijs. sic parentũ mãdata exequũtur pueri, sic magistrorum iussa discipuli. Nemo em̃ sponte seruus fit. Sed parentes nunquam sic obliuiscuntur charitatis debitę liberis, ut ullum ministerium uel in speciem seruile sibi exhiberi ab eis sustineat. Quod si quis à mãgonibus uili uenditos, ob id ipsum cẽset in seruorum numero, prorsus fallitur. nam isthęc uenditio nec hunc seruum facit, nec emptorem eius dominum: quandoquidem & patres filios redimunt, & suos parẽtes filij, uel captos à latronibus, uel iure belli redactos in potestatem hostium, quos tamẽ summum naturæ ius humanis legibus potẽtius ingenuitati restituit. quin & illud aliquoties accidit, ut uersis rerũ uicibus, empticij suis heris nõ tam seruirent quàm dominarẽtur. Ipse uidi ancillas formosas & naturali facundia prędiras, duplici gratia fretas sermonum & pulchritudinis, plurimum pollere in expugnandis dominis. sunt em̃ hæ præcipuæ machinæ contra infirmos & parum constabilitos animos, efficaciores multo q̃ illæ quibus perfringuntur mœnia. id ita esse liquet animaduertentib. eos adamatis blandiri supplicareq́, captantes eorum fauorem tanquam genij propitij: tum si putent se parum gratiosos, quasi despiciantur, ferre indignissime: rursum si obtutum hilariorem uiderint, exilire præ gaudio. alioquin etiam leonis emptorem dicemus eius dominũ: quẽ ille si uel torue aspexerit, statim miser suo malo doctus ferociam eius sentiet. & credimus sapientem seruitutis patientiorem quàm beluas? cum maiorem ingenuitatem fortitudinemque habeat in anima quàm cuius ullum corpus capax sit, utpote à natura seruituti addictum, quantumui recalcitret. Hanc probi uiri libertatem & aliàs licet cernere quàm præclara sit.

Miser fiet profecto quisq; seruulus.

Quid enim miserius quàm ne sui quidẽ esse compotẽ? atqui sapiens felix est. uirtutis summarium circumferens, in quo sita sunt omnia, ut necessario consequatur uirum bonum esse liberũ. pręterea dei amicos nónne liberos fatebimur? nisi forte regum amicis nõ modo libertatẽ, uerũ & imperijs societatem concedimus simul administrantibus rempublicã: cælesti uerò numini charis seruitutẽ exprobabimus: qui amatores dei redamatiq́, iusto fauore honorãtur ab incorrupto eius iudicio, suntq́ poetarũ quoq; testimonio reges regum & rerũ domini. At Iudæorũ legislator audet quiddã maius dicere, ut simplicis meditator philosophię, amore dei correptũ, & eius solius cultui deditum, plus q̃ hominem pronuncians, uidelicet hominum deũ non item naturę, qui honos uni deo debetur patri regiq́ rerũ omniũ,

& postea

& postea tali priuilegio dignatū seruum censebimus potius q̃ ingenuū? qui licet ipse non est habendus pro deo, tamen ut amicus dei felix est pro culdubio. deus enim nec infirmus propugnator est, nec immemor iuris amicitiæ, cui tutor ipse præsidet, gaudetq; inuocari hoc cognomine. Adhęc sicut ciuitates dominatum paucorū & tyrannidē ferentes seruiūt, oppressæ molesto imperio, contrà quæ legibus parent, degunt liberæ: non aliter etiam homines, quotquot in iræ, concupiscentiæ, aut cuiuscunq; uitij perturbationis'ue insidiosę potestatē deueniunt, omnes seruitutē seruiunt: sicut ediuerso liberi sunt quotquot uiuūt sub legib. est aūt uera lex, recta ratio, nō huius aut illius mortalis institutū in tabellis chartulis'ue scriptū inanimis, sed immortalis ipsa stilo naturæ sempiternę in mēte immortali exarata. proinde miranda est hebetudo multorum, tam manifestas rerū proprietates nō considerantiū: qui maximis populis Atheniensi Lacedæmonióq; aiunt ad libertatem sufficere leges latas à Solone Lycurgoq;, quarū præscripta obseruantur ab his ciuitatibus. uiris autē sapientibus negant satis esse dictata rationis, ex qua ceu fonte leges nascuntur, liberum facturæ omnē qui aduersus eius imperata interdictáq; non est contumax. Est aūt manifestū libertatis indiciū, præter dicta superius, æquū ius disserendi de republica, quod omnibus liberis hominibus & probis est mutuū. quāobrem laudantur illi senarij, ut consoni philosophorum sententiæ:

Cum lege seruus nullum habet commercium. rursum alius:

Es seruus, & rationis expers natus es.

Quemadmodū igitur de musica ex ęquo licet disserere peritis eius artis omnibus, & de grāmatica geometria'ue grāmaticis geometris'ue: ita de uita recte instituenda peritis rerum ciuiliū, circa quas hominum uita uersatur quotidie. Domini autem sunt omnes periti rerū talium, sicut etiam naturæ totius, & inter hos multi liberi. ergo hi quoq; quib. est ius loqui de rebus huiusmodi. unde sequitur, neminem probum seruire, sed esse omnes liberos. quo argumento etiam insipientē seruū esse colligitur. sicut ēm amusis non est uis ex æquo disputare cum musicis, nec illiteratis cum literatoribus, & in uniuersum expertis artis cum artificibus: ita lex ad uitā instituendam pertinens non finit de hac loqui peritos imperitosq; sine discrimine. ut liberis omnibus ex æquo ius loquendi cōceditur, inter quos probi nōnulli: & nulli minus sciunt uitā instituere q̃ mali, sicut nulli melius quàm sapientes: ergo nemo malus liber est, sed omnes seruiūt. Zeno quoq; cum cæteris uirtutis admiratoribus fortiter pronunciat, nō oportere malos uiros cum probis cōtendere. ait enim: An nō plorabit malus si bono aduersabitur? Ergo nullum ius sinit malū probo contradicere. Nec me latet fore qui subsannent hanc meā sententiam, & arrogantē insensatamq; iudicent. uerū isti si risu cauillisq; sedatis uoluerint penitius totā rem intróspicere, scient nō alia de causa quenq; ploraturū citius, q̃ si sapiētis monita cōtempserit. nam pecuniarū iactura, ignominia, exilium, uerbera, similesq; iniuriæ, non sunt conferendæ cum uitijs, & cæteris calamitatib. quas uitia secū afferunt. at uulgus nō animaduertens quàm perniciosa sit animis rationis cæcitas, tantummodo externis angitur infortunijs, quandoquidē caret iudicio,

dicio. quod si possent uisum recipere, conspicati tot insipientiç decipulas, tot damna accepta per ignauiam, debacchationesq́ luxuriæ, iniquitatesq́ iniustitiæ, summæ felicitatis amissæ iacturam deplorarent serio, nec ullam in tanta calamitate consolationem admitterent. Cęterum illa Zenonis sententia tanquam è fonte hausta uidetur ex Iudæorum legibus: in quibus narratur de duobus fratribus, altero frugi, altero luxu perdito, q̃ cõmunis amborum pater miseratus eum qui à uirtute desciuerat, precatur ei ut fratri seruiat, seruitutem quæ uidetur malum maximum, existimans rem insipienti utilissimam: ne si relinqueretur in sua potestate, prolaberetur in omnem licentiam, sed per potioris curã emendatis moribus in melius proficeret. Hæc ad confirmationem rei qua de quæritur, mihi sane sufficerent. sed quoniam medici solent uarijs morbis adhibere uaria remedia, necessarium duco istis ut uidentur paradoxis propositionibus propter nouitatẽ alias insuper probationes apponere. quidam enim uix continuatis argumentationibus conuicti errorem suum agnoscunt. Recte igitur uulgo dici audimus, eum qui prudenter agit, bene agere omnia. quisquis autem recte agit omnia, peccatum, reprehensionem, culpam, mulctam euadit. itaq́ licet ei quidlibet agere, & quomodolibet uiuere. at bonus uir prudẽter agit omnia. solus ergo liber est. quid ni? cum nec cogi possit nec uetari. ergo nemo bonus seruus est. liquet aũt q̃ nec cogi nec uetari possit: uetatur enim qui à concupitis rebus cohibitus arcetur. at sapiẽs cupit uirtutẽ, qua non potiri non potest. quod si non cogitur, certe sua sponte agit. actiones uero aut bonæ à uirtute proficiscuntur, aut malæ à uitio, aut indifferentes sunt & mediæ. quæ ad uirtutem attinent, nõ coactus agit sed uolens. cum uirtute enim coniuncta sunt facta eius omnia. quicquid aũt uitiosum est, ut fugiendum ne in somnis quidem attingit. idem credibile uidetur & de indifferentibus, circa quæ animus pendet tanq̃ in æquilibrio, doctus nec trahi ab eis ut pondus habentibus, nec eis offendi ut auersandis. Vnde satis apparet nihil inuitũ coactumq́ facere. q̃ si seruus esset, cogeretur utiq́. ergo liber erit quisquis bonus est. Quoniã aũt quidã ineruditi argumẽtationes tales nõ intelligunt, quib. in uniuersum de rebus decernitur, solent percontari, ecquãdo fuerũt uiri quales fingitis, aut ubi reperiũtur: respondere licet, nulli seculo defuisse uiros uirtute præstantes, qui freti ope dei solius, & iuxta rectum naturæ ius uiuentes, nõ modo ipsi fuere liberi, uerum etiam familiares suos repleuerunt ingenuo generosoq́ spiritu: & sunt nũc quoq́ imagines quædã uiuæ expressæ ad illorũ sapientũ effigiem. quãuis enim aduersarij fateantur se carere libertate huiusmodi, pertractos in seruitutem ab imprudentia uitijsq́ cæteris, non statim id existimandum est de uniuerso hominũ genere. q̃ si non uidemus prodire horũ agmina, nil mirum. primum quia quæ pulchra ea rara sunt. deinde quia semoti à turba domesticorum uacant naturæ contẽplationibus, cupientes quidẽ siquomodo queant, uitã ciuiũ corrigere: uirtus eñ libenter prodest publice omnibus: sed uidẽtes id onus suas uires excedere, propter absurdos mores receptos in ciuitatibus, & morbos animi auctos uicior[illegible] [illegible] id [illegible] kunt ne uelut torrentis impetu transuersi ab[illegible]ipiãtu[illegible] [illegible] [illegible]ro, [illegible] cura

esset mutationis in melius, deberemus uestigare latebras eorũ, et orare supPliciter, ut efferatã uitã nostrã ad mitiorẽ statũ reducãt, & pro bello ac seruitute pacem inducant, libertatẽq; huius comitẽ. nunc pecuniẽ causa seruiamus intima quæq;, aperimus terrẽ uenas duras & refractarias: metallarij puteos fodiunt in planis atq; montanis, quęrendo aurũ, argentũ, cuprum, ferrum, cæteras species. Vanitas fastũ colens pro numine, profunda maris penetrat, quærens uaria lapillorũ preciosorũ genera, uel saxis latentibus adnata uel ostreis, & ob hoc ipsum preciosiora, quantũ oculi delicijs ac luxu corrupti iudicant. at prudentiæ, tẽperãtiæ, fortitudinis, iusticiæq; causa nemo peregrinatur, ne in peruijs quidẽ regionibus & hospitalibus: nemo enauigat maria, naucleris alioqui patentia per totũ annũ ultro citroq; cursitantibus. Quãuis non habemus opus uirtutẽ in longinquas aut transmarinas regiones petere, cuius radices autor naturæ in proximo deposuit, sicut ille sapiens Iudæorũ legislator testatur dicens, In ore tuo, in corde tuo, in manib. tuis. subinnuens dicta, facta consiliáq;, quæ omnia cultura indigent. ergo qui labori præferunt ocium, non solũ germinibus officiunt, sed & radices ipsas exiccando interimunt. contrà qui ocium ut noxiũ fugientes, ad laborẽ se applicant, uelut generosarũ plantarũ cultores, continua cura pręcelsas uirtutũ stirpes educunt in æthera, immortales uirentesq; perpetuo ferentes felicitatis fructũ nunq; interiturũ: quandoquidẽ iuxta quorundã opinionẽ nõ tam felicitatẽ afferũt, q; ipsæ sunt felicitas, & ut Moses uocare solet cõposito uocabulo ὁλοκαρπώματα, quasi dicas frugẽ solidã. si quidẽ terrestres plantæ interdũ nullũ fructũ suo cultori afferũt. at quę inseruntur in anima, totæ quantæ sunt in fructus abeunt, prudentię, iusticiæ, fortitudinis, tẽperantiæ. Cum igitur tales occasiones ultro nobis se prębeant, nõ pudet querelarũ quasi negata sit hominũ generi sapientia, quã poteramus ceu scintillã in fomite fumãte redaccẽdere. nos uerò ubi res diligentiã postulat ad nos proprie pertinẽs, segnes et supini sumus, corrũpimus uirtutũ seminaria: quæ aũt fugienda sunt, desideramus & requirimus. propterea diuitũ, illustriũ, uoluptariorũ, terra mariq; plena sunt omnia. prudentũ aũt, iustorũ, proborũ exiguus numerus. pauca uerò sunt quidẽ rara, tamen reperiuntur, attestante Græcia simul & barbaria. nã in illa septẽ meriti sunt cognomen sapientiæ. quãuis alij quoq; præcesserũt eos aut secuti sunt: illorũ memoriã uetustas obliterauit, recentiores non fuerũt in precio apud sui seculi homines, ideo minus inclaruerũt. at in barbarico solo frequẽtior numerus celebratur eorũ quibus egregia dicta factaq; pepererunt tam insignẽ gloriam: quales apud Persas magi naturæ scrutatores præ ueritatis cognoscendę studio, qui per ocium diuinas uirtutes contẽplantur clarius, & alios eisdẽ initiant mysterijs, apud Indos gymnosophistæ, qui cum naturali moralẽ coniungunt philosophiã, honestatis probitatisq; amorẽ tota uita præ se ferẽdo. nec Palestinæ Syrięq; deest hoc genus hominũ uirtutem sectantium, cuius regionis non paruã partẽ populosa Iudęorum gens incolit. in his quidã nominantur Essæi, circiter quatuor milia, à sanctitate dicti, quia summa religione deo seruiũt, nõ mactãdo uictimas, sed suasmet ipsorũ mentes cõponendo ad sanctimoniam. hi uicatim habitãt, urbes fu-

giunt,propter familiaria ciuibus carũ uitia, gnari nõ minus periculi esse ab eorum conuictu ꝗ ab aeris intemperie pestifera, propter contagium incurabile:uiuuntq; partim ex agricultura,partim ex opificijs in pace florentibus,benefici erga suos & proximos,nullã condentes pecuniã, nec parantes ampli reditus latifundia, sed quotidianis necessitatibus quærentes remediũ.nã pene soli hominũ degunt sine præsidijs,ne pecunijs, & propter uitæ institutũ diuites habẽtur magis ꝗ ob rerũ copiã, frugalitatẽ nõ uana existimatione ducentes esse quæstũ maximũ. tela, iacula, gladios, galeas, thoraces,scuta,nemo apud eos fabricat, sicut nec arma cætera, nec machinas,aut aliud quicq; bello utile: imò ne ea quidem studia reperias ibi,quibus in pace facile abutuntur homines.negociatores, institores, naucleros ne in somnis quidẽ uiderunt,subtrahendo materiã auariciæ.nemo ex illis seruit,omnes liberi ministrant sibijnuicem: dominationẽ damnant ut iniustam atq; impiam,repugnantem iuri naturæ, quæ omnes ex æquo genuit educauitq; tanquã mater germanos fratres re uera,non solo nomine. eam cognationem labefactã cõuulsamq; insidijs auaritiæ, huius opera inductã pro familiaritate abalienationem animi, & odium pro beneuolentia. philosophiæ partem ratiocinatoriã,ut parãdæ uirtuti non necessariam, relinquũt uerborum captatoribus:eam uerò quæ naturam scrutatur,disputatoribus,ut humano captu sublimiorẽ,nisi quatenus de creatore mundi & eius creatione disserit.in sola morali se exercent sub pædotribis legibus patrijs,quas non potest concipere humanus animus absq; afflatu numinis. has ediscunt & alio tempore, sed præcipue recurrente die septimo, quem sacratum existimant, feriantúrq; tunc ab omnibus alijs negocijs. quoties sacras ædes,quas synagogas uocant,adeunt,pro ætatis ordine iuniores ad seniorum pedes considũt,& ad audiendũ se componunt. ibi alius ex libro prælegit, alius quispiam unus è peritioribus accedens quæ obscura sunt explicat.nam pleraq; per figuras more ueterũ philosophorũ eis sunt tradita.discũt aũt sanctitatẽ,iusticiam,curam rei uel domesticæ uel publicæ,uerorũ bonorũ malorũq; scientiã,atq; rerũ indifferentiũ insuper, quid expetendum,quid contrà fugiendũ,quæ triplici regula examinãt,amore dei,et uirtutis,& hominũ.pietatis erga deum argumenta præ se ferũt plurima,castitatẽ in tota uita perpetuã, à iureiurãdo mendacióq; abstinentiã,& ꝙ ad deũ autorẽ bona omnia,malũ uerò nullũ referunt. uirtutẽ quoq; sibi esse cordi satis declarant.dum pecunias,honores uoluptatesq; contẽnunt fortiter,uiuũtq; continenter in laborib.cõplexi frugalitatẽ,simplicitatẽ, facilitatẽ,modestiã,legum reuerentiã,constantiã, & id genus cætera. charitatẽ porrò eorũ erga homines indicat beneuolentia,mira dictu æquabilitas & omniũ rerum societas, de qua non intempestiuum fuerit nunc paucis dicere.Patent eorum sodalitia hominibus etiam aduenis,idem institutum seruantibus.omnibus unum est promptuarium, unde uestitus & mensa communis sumitur.nam contubernium uictusq; ac mensæ societas apud alios laudatur magis ꝗ recipitur.nec mirum.quicquid eñ lucrantur è quotidianis operæ mercedibus,non sibi quisq; seruat,sed in mediũ conferendo cuicunq; uolẽti fruendi potestatẽ faciunt. tum si qui ualetudinarij nequeunt

iustũ quærere, nõ negliguntur, paratũ habentes è publico infirmitati subsidiũ, quã secure sustentant ex cõmuni copia. Seniorib. iuniores debitã curam honorẽ reuerentiam exhibent tanq̃ germani filij, labantẽ eorum ætatem fulcientes modis omnibus tam consilijs q̃ ministerijs. Tales uirtutis athletas reddit philosophia absq; omnibus curiosis & ambitiosis Græcorum uocabulis, exercens eos in laude dignis actionibus, quibus certa perpetuaq; libertas constabilitur. id compertum est in multis & uarijs temporum difficultatibus, sub tyrrannide potentiorum diuersis præditorum ingenijs. ex quibus alij conati feroces bestias immanitate superare, nullã omiserunt crudelitatis speciem, gregatim mactando subditos, aut laniorum more uiuos frustatim concidendo: nec prius finis fuit q̃ in easdem calamitates incidere uindicante diuina prouidentia. alij uero suam rabiem celantes diuerso maliciæ genere, acerbas clades dederunt, placido sermone susurrisq; clancularijs dissimulantes odium, canum maleficorum more blandiendo, moxq; infigendo morsus insanabiles, ut oppidatim monumenta impietatis suę relinquerent ad perpetuam afflictionum memoriam. nemo tamen uel è crudelibus illis, uel ex alteris fucatis ac subdolis, ualuit modo dictos cœtus Essæorum siue sanctorum in culpam inducere, sed omnes discesserunt uicti uirtute horũ uirorũ, laudãtes eos ut liberos ciues & suo iure uiuentes accepto à natura, prædicantesq; illorũ sodalicia, societatẽq; inenarrabilẽ, in qua exemplũ felicis & perfectæ uitæ uidere liceat. Sed quoniam sunt qui putant perfectas uirtutes non cadere in multitudinẽ, uerum eas tantũmodo quæ subolescunt etiamnum augenturq;, testes citabo uitas singulares bonorum uirorum, libertatis indicia manifestissima. Calanus erat Indus genere unus gymnosophistarum. is patientissimus omniũ eius seculi hominũ habitus seu indigenarum seu exterorum, quod rarissimum est, in admiratione fuit apud reges etiam hostium ob uirtutẽ cõiunctam cum eruditione. proinde Alexander Macedo uolens ostentare Græciæ barbarorũ sapientiam, & exhibere aliquod eius specimen, primò hortatus est Calanũ proficisceretur secum paraturus magnã gloriã in tota Europa simul & Asia. quod cum non impetraret, ait inuitũ id facturũ. tum ille ualde apposite generoseq;: Et quid magnum Græcis ostendes Alexander, si potes me cogere ut quæ nolo faciam? Quid hac uoce & hac mẽte liberius? nisi quod hoc dictũ liberiore facto cõfirmauit, reliquitq; sempiternam cõstantis in libertate ingenij memoriã, ut literæ ad regẽ missę indicãt.

CALANVS ALEXANDRO. Amici tibi suadent ut cogas Indorũ philosophos, ne per somnum quidem conspicati nostras res & nostra negocia. corpora de loco ad locum transferes, animis inuitis nullam uim inferes, nihilo magis quam si lateres & ligna cogas uocem mittere. Ignis corporib. uiuis maximos dolores excitat non sine pernicie, hunc tamen nos despicimus dum uiui comburimur. nullus rex, nullus princeps potest efficere ut quicquã agamus præter animi sententiam. non sumus Gręcorum philosophorum similes, qui diu meditatas orationes recitant in celebritatum conuentibus, sed res à uerbis apud nos nõ discrepant. breui momẽto & beatitatem & libertatem adipiscimur. Talibus sentẽtijs nonne decet illud Ze-

nonium succinere: Facilius esse utrem inflatum mergere, quàm quemuis uirum probum inuitum ad aliquid agendū cogere. nam inuictus animus, rationis rectæ placitis confirmatus, cedit nemini. Extant de hac bonorum uirorum libertate multa poetarum & historicorum testimonia: quorum sententijs Græci simul & barbari penè ab ipsis incunabulis innutriti profiiciunt in bonis moribus, quicquid uitiorum ex mala educatione aut deprauata uictus ratione contraxit anima, recudēdo in melius. Vide quid apud Euripidem loquatur Hercules:

Combure carnem hanc, concrema, repleto te
Meo cruore. nam prius uel sidera
Terram subibunt, terra uel scandet polum,
Quàm mollis à me extorqueatur uox tibi.

Reuera enim seruilis est adulatio simulatioq́, quoties à mente uerba dissident. Cæterum ingenue sine fuco è sincera conscientia liberā sententiā depromere decet generosos animos. Rursum is ipse uir probus, uide ut ne sub hasta quidē inter uenalia mancipia seruus sibi uidetur, stupefaciēs spectatores, quasi nō solum ingenuus, sed & emptori suo dominaturus. Mercurius enim rogatus de hoc ipso an malus sit, respondet:

Non uilis est: contraq; prorsus est graui
Forma, nec abiectus, nec ut serui solent,
Facilis agi: quin splendidè uestitus est,
Clauaq; dexter. Nemo uult domi suæ
Seruum, seipso qui fiet præstantior.
At te uel aspectu pauescat quilibet,
Nam plena fers ardentis ignis lumina,
Qualis leonem taurus aggredi parat.

Deinde subiungit mores eius cuius incusat silentium.

parere namq; non feres,
Nec subijci, sed imperare cogitas.

Idem mox emptus à Syleo missusq́ ad opus rusticum, re ipsa declarauit satis quantum à seruili abesset ingenio, nam opimo tauro Ioui mactato prętextu festi epulatus est: haustaq́ meri magna ui decoquebat id cubans. Tum superuenienti Syleo grauiter ferenti rerum iacturam & serui socordiam contemnentis dominum, nihil mutato frontis colore, nec ob perpetrata demissior, confidenter dicit:

Accumbe, potemus, mei periculum
Sic protinus fac, proderit res hæc tibi.

Seruum ne hunc dicemus an herum domini, qui seipsum manumittēs, hero insuper imperitat, et nō obsequenti intētat uerbera: quod si quiritetur, uult eum unà cum opitulātibus perdere. Nugas igitur agit qui emptionis instrumentū siue cautionē per notariū curat fieri, quādo empticij nolūt ita se obligari freti uiribus, potioribus q̃ sint literatæ chartulæ, à tineis situ'ue corrūpendæ, aut certe ab iniuria diuturni tēporis. Sed negabit aliquis adducendas ad nostræ sententiæ confirmationē uirtutes heroum, uidelicet supra naturam humanam positas & cęli æmulas, propter genus mixtum è

mortali

mortali & immortali semine, ut merito semidei uocentur, prævalente immortali genitura, ne cui mirum uideatur hos uindicias secundū seruitutem cōtemnere. Esto, quid Anaxarchus & Zeno Eleates, nū hi quoq; sunt heroes dijs geniti? attamen à tyrannis & suapte natura sæuis, & tū aduersum se irritatis excruciati tormētis inauditis antea, sic ea contēpserunt quasi aut alienis aut etiam ipsorū inimicorum adhiberentur corporibus. nam olim assuefecerant animum, ex quo cum ad disciplinas applicuerāt, ut semotus à perturbationibus aspiraret ad scientiā & sapiētiā: & quasi demigrassent è corpore, in prudentiæ fortitudinisq; agebant contubernio, uirtutumq; cæterarū. Itaq; alter sublimis pendēs et distensus, ut arcanū quoddā proderet, ignis ferriq; uim superauit: præcisāq; mordicus lingua, in tortorē suum eā expuit, ne ulla uox inuito extorqueretur. alter uero stupēda uerba protulit: Tunde Anaxarchi follē, Anaxarchū em non potes. Hac confidens audacia heroicam generositatē longe à tergo reliquit: quādoquidem alteris decus traditū est à maioribus, citra omnem ipsorum operam: alteri sua spōte subeuntes laborem in uirtutis stadio, sedulo quærūt immortalitatē. & uidere memini pancratiastas tanta obstinatione ad uictoriā tendere, ut lassato corpore sola animositate persisterent in certamine: q; assueti contēnere terricula, usq; ad uitæ finem durarent intrepidi. quæ cum ita se habeant, putamus eos qui corporis robur exercendo confirmant, metū mortis calcare spe uictoriæ, aut ne uictorē aspiciant: eos uerò qui exercent mentem suam inuisibilē, quæ uere homo est domicilium hoc sensibile circumferens, & uerbis philosophiam, factis uirtutē excolunt, grauatim morituros pro libertate, ut libero spiritu fatalē uiam pertranseant? fertur in quodam sacro certamine athletas duos robore pari præditos, nō prius destitisse ab inferendis excipiendisq; ictibus, q; uterq; expiraret in uestigio. Dicat aliquis tali cuipiam: Ah miser, uirtus te perdet tua. Sed iuuat gloriose pro apio frondéue oleastri certantē occumbere. at sapientem multo magis pro tuenda libertate, quam solam, si uerum fatēdum est, animus desiderat, ut agnatam nō asciticiam, qua resecta tota hominis compages dissoluitur. Celebratur Laconis pueri, quo in genere præcipuum est uirtutis studium, mira quædam ingenuitas. Captiuus enim abductus à quodā Antigoni milite, liberalia quidē non recusauit ministeria, seruilia uerò negauit se exhibiturum, quòd abhorreret à seruitio. atq; nondum per ætatem legibus Lycurgi potuerat institui, quas uix degustauerat: tamē præsenti uitę uiolentā mortem prętulit ut feliciorē, & desperata redemptione libens sibimet manus intulit. Narrant Macedones etiam Dardanas mulieres, quæ seruitutē credebāt miseriam turpissimā, suos pueros quos in ulnis baiulabant, proiecisse in fluminis gurgitem, acclamando, Vos certe nō seruietis, sed priusquam infelicem uitæ cursum aggrediamini, salua libertate compēdiariam atq; necessariam uiam decurretis ultimā. Polyxenam quoq; tragicus Euripides inducit contempta morte curam libertatis gerere, dum sic loquitur:

Defungor ultro: nemo tangat corpus hoc:
Præbebo collum fortiter: liceat mori Me liberam.

Ergo cum pueri ac mulierculæ, illi ætate, hæ sexu fragiles, natiuo libertatis

amore teneantur, adeò ut ne hanc amittant, ad mortem tanquã ad immortalitatẽ properent: credimus uiros mere sapientes nõ hoc ipso esse liberos, fruiq́ sincera felicitate dum uirtutes secum circumferũt, quas nulla importuna uis potest eis eripere, quippe quæ perpetuũ regnum suis cultoribus conciliant: quin & integros populos accepimus pro libertate fideq́ erga defunctos principes bene meritos, ultro subijsse perniciẽ, sicut Xanthios recenti adhuc memoria. Cum enim unus è coniuratis in Iulium Cæsarem Brutus eos obsedisset, odio non tam partium quàm ipsius ducis, qui amicum & imperatorem suum interemerat, repugnauerũt pro uiribus, donec eos paulatim deficerent. postremo in totum his exhausti, concluserunt suę quisq́ domi uxores, parentes, liberos, atq́ ita mactarunt, congestisq́ in aceruos ignem subdiderunt, & seipsos insuper iugularunt, ut fatali necessitati salua libertate magnanimitateq́ satisfacerent. Sic illi acerbitatẽ tyrannicam fugiendo prætulerunt gloriosam mortẽ uitę coniunctæ cum ignominia. qui aũt seruati sunt fortunæ beneficio, patientia se muniuerunt, imitati animositatem Herculis. nam & ille imperatis Eurysthei nõ succubuit. Proinde Cynicus Diogenes tam uasto fuit animo, ut cum ei capto latrones maligne cibum præberent, nec præsenti fortuna, nec illorum immanitate deterritus diceret, iniquissimũ esse cum porcelli agniq́ uenales saginẽtur diligentius, hominẽ præstantissimũ animal inedia macerari, quasi hoc pacto non redderetur uilior, itaq́ accepto quantum sat erat, cum iam esset uendendus inter cæteros, sedit & prandebat bono animo, impartiens etiam proximis: cumq́ unus ex his ualde mœstus cunctanter sumeret: Desine, inquit, tristari, & utere præsentibus.

Nec formosa cibum Niobe non sumpsit, & eius
Pignora sub tectis letho bis sena iacebant,
Sex natæ, totidem pubenti corpore nati.

Et cũ ei licitatores illuderent iuueniliter, percontãdo quid sciret, respõdit Præesse hominibus. Qua uoce prodebat ingenuũ, generosum uereq́ regium animum. tandẽ & ipse ad iocos est uersus ex more suo, conseruis demisso uultu mœrẽtibus. cum igitur inter licitatores animaduertisset quendam effœminatum quantum ex aspectu apparebat, accedẽs inquit: Tu me emito, uiro enim opus habere uideris. Sic ille pudefactus cauillo, quod nõ esse uanum erat sibi conscius, in turbam se abdidit, cęteris audacẽ conjectorem, sed ueridicũ, stupentibus. Hunccine seruum appellabimus, ac non potius liberum, imò etiam summo dignum magistratu atq́ imperio: huius in dicendo libertatis æmulus fuit Chęreas quidam, uir eruditus. habitabat is Alexandrię: cui cum aliquando iratus Ptolemæus minaretur nõ mediocriter, ille suam libertatem non minoris faciens q̃ potentiam regiam, respondit, Ægyptijs impera, ego te tuamq́ iram nil moror. habent enim regium quiddam generosæ animæ, quarum splendorẽ nec fortunę obscurat iniuria, quod decet opponi amplis dignitatibus, ad retundendã liberis dictis superbiam. Fertur cum Theodorus cognomento Impius Athenis profugus uenisset ad Lysimachum, & quidã ex optimatibus eam fugam exprobrasset, simulq́ fugæ causam, quòd negaret deos, & iuuentutẽ corrumperet,

ret,respondisse: Non profugi,sed idem mihi accidit quod Herculi.nam et ille ab Argonautis fuit expositus,nõ ob crimen ullum, sed ꝗ uel solus esset iustum onus nauis, & cæteri uectores uererentur ne prægrauata subsideret.ita ego quoqꝫ migraui propter magnanimitatẽ,quã cum Atheniensium rectores non ualerent assequi,inuidere maluerũt.cumqꝫ Lysimachus amplius rogasset,num & è patria excidisset per inuidiam ciuiũ,respondisse,Nequaqꝫ,sed propter excellentiã ingenij,quod nõ capiebat patria.sicut enim Semele Baccho grauida cũ non potuisset perferre uterũ, Iupiter eam miseratus abortiuũ ambusit, & inter deos retulit: sic cum patria mea minor esset ꝙ ut caperet philosophũ,bonus quispiã siue deus siue genius Athenas in locũ fortunatiorẽ cõmodioremqꝫ me transtulit. ad hanc sapientum libertatẽ,sicut & ad cætera bona hominũ,uidemus aspirare quædã animalia.certe gallinacei tam audacter certare solent, ut nõ animositate uincantur sed uiribus.quod intelligẽs Miltiades imperator Atheniensiũ,quãdo rex Persarũ excito Asię robore tam multa milia traiecit in Europã, qua si ad primũ clamorẽ oppressurus Græciã,conuocatis in panathenaicũ conuentum socijs pugnantes ostendit has aliter,ratus hoc spectaculum maiorẽ uim habiturũ ad permouẽdos ꝙ orationẽ, nec eum fefellit sua opinio. spectata eñ in brutis patientia pertinaciáqꝫ contẽtione,usqꝫ ad necẽ pugnãtibus inuicto pectore,correptis armis eam expeditionẽ susceperunt, quasi debellaturi cũ ingẽti strage hostiũ,contẽptis mortib. & uulneribus, ut saltẽ insepelirẽtur libero solo patriæ.nihil eñ ęque ad rẽ gnauiter gerendam excitat, ac deteriorũ uictoria maior ꝙ sperari poterat. cæterũ solennis gallorũ gallinaceorum certaminis etiã Ion poeta tragicus meminit his uersib.

Nec iam corpore, utroq. & ocello
Ictibus obtuso ille fathiscit,
Robore sed labente gemiscit,
Et uiuus seruire recusat.

& putamus uiros sapientes nõ libẽtissime seruituti prælaturos interitum? aut æquum censemus iuuentutem magnanimam in uirtutis certamine cedere gallinaceis, ut uix secundũ gradũ obtineat? atqui ne illud quidẽ quisquam ignorat,qui modo leuiter literas attigit,libertatem esse rem egregiã, sicut ediuerso seruitutem longe turpissimam: & quod pulchra bonos deceãt, malos uerò turpia.unde colligitur euidẽtissime, neqꝫ probũ quenqꝫ seruum esse, licet innumeri tabulas de huius possessione proferant: neqꝫ insipientem ullum esse liberum,etiam si Crœsus sit aut Midas aut magnus rex. cæterum de celebrata libertatis pulchritudine,seruitutis uerò execrabili turpitudine, testimonia multa extant ciuitatũ & gentium,quarũ consecratæ sunt origines,& quas mentiri nefas est.senatus enim & conciones habentur pene quotidie, nulla magis de causa quàm ob tuendam præsentem libertatem,aut recipiendã si iam perijt. Græci barbariqꝫ conflictantur bellis cõtinuis,quid aliud uolentes ꝙ seruitutẽ effugere, libertatẽ acquirere?ideo centuriones,tribuni & imperatores ipsi nullã cohortationẽ habẽt efficaciorẽ in prælijs ꝙ Este uiri,libertas agitur, qua nihil hominibus optabilius,ut quæ sit fons felicitatũ cunctarum,priuatarũ etiã. quapropter Athenienses

thenienſes me iudice acutiſsimi hominũ (quod eñ in oculo pupilla, in anima ratio, hoc Athenæ ſunt in Græcia) quando pompã ducunt Eumenidibus, neminem ſeruum admittunt, ſed per ingenuos uiros ac fœminas peragunt omnia ſolennia, & ne eos quidem uulgares, ſed inculpatæ uitæ homines. nam & bellaria in id feſtum parant adoleſcentes honeſtiſsimi, putantq́ honorificum hoc miniſterium. Nuper etiam tragœdis fabulam Euripidis in theatro agentibus, & hos ſenarios pronunciantibus:

Nam liberum eſſe maximum dico bonum:

Quod ſi quis eſt pauper, putet ſe diuitem:

uidi omnes ſpectatores arrectos in ſummos digitos pre admiratione, ſententiæ laudatæ acclamantes magnis uocibus, & ipſum poetã certatim laudãtes, qui libertatis uel nomẽ magni faciat. Quin & Argonautas admiror, qui nullũ inter nauales ſocios receperunt niſi liberum, ingenuorũ contenti miniſterijs libertati nõ officientibus, ſi poetis fidẽ habere debemus. ſed cur non habeamus, cum ſint eruditores omnium hominũ, inſtituendo populos, ſicut patres proprios liberos. itaq́ nauclerus Iaſon, uir & natus & educatus liberaliter, amatorq́ ingenuorũ, nauem ſuam neminem ſeruum permiſit aſcendere: quamobrem Æſchylus ſic loquitur:

Argus ubi ſint ſacra ligna dicito.

Minis autẽ quas quidam intentant ſapientibus, minime terreri conuenit: ſed eludendæ ſunt exemplo Antigenidæ tibicinis. aiunt eñ cum quidam eiuſdem artis æmulus ira cõmotus ei dixiſſet: Abi, emam te pro mancipio: eum reſpõdiſſe: Tum ego te docebo tibijs canere. Ergo & uir probus contumelioſo & gerenti ſe heriliter, poteſt dicere, docendus es ſobrietatẽ atq́ temperantiã. exilium uero minãti reſpondebit: Omne ſolum forti patria. item territanti mulcta pecuniaria: Mihi mediocris uictus ſufficit. intẽtanti mortem ac uerbera: Nil iſtis terriculis moueor, nec ſum inferior pugilibus qui cũ tenuẽ modo habeant uirtutis imaginẽ pre oculis, & corporis tantũ habitudine polleant, utrumq́ perferũt fortiter. animus eñ rector mei corporis ita confirmatus eſt fortitudine, ut quemuis dolorẽ ſuperare queat. cauendum igitur ne quis talem ferã capiat, nõ robore ſolo, uerùm & aſpectu ipſo formidabilẽ, & præ ſe ferentẽ q́ non ſit deſpicabilis, ſæpe aſyla hanc ſecuritatẽ præſtant ſupplicibus eò confugientibus, ut ex æquo liceat eis contendere cũ aduerſarijs: & qui per ſucceſsionẽ in proauita uel antiquiore ſeruitute inueterauerũt, quando ad aras ſedent habitu ſupplicũ magna linguæ libertate utuntur. nec deſunt qui non tantũ heris ex æquo reſponſant, ſed ut in cauſa meliore ſuũ ius tuentur fortiter. at quos ſua redarguit conſcientia, etiãſi præclaris natalibus fulgeant, ſuopte ingenio ſe gerũt ſeruiliter. illi cõtrà qui corpori non timent freti aſylorũ priuilegio, miram animi libertatẽ exerũt, quẽ ſolum deus creauit extra ſeruitutis aleam. & quis eſt tam inſipiens ut credat loca conferre fiduciã, atq́ in dicendo audaciam, uirtutẽ uerò qua deo ſimiles reddimur, non ualere tantundẽ exiſtimet, per quã & locis & ratione præditis mentib. accedit ſanctitas ac religio? atqui aſylis ſua ſecuritas non ſemper manet inuiolabilis, uel arte mulierũ corruptarum muneribus, fauoreq́ captorũ talibus illecebris, uel liberorum negligentia,

gligentia,ſuos inde abſtrahi ſuſtinentium.at uirtus uelut arx munitiſsima, contemnit omnes machinas quibus eminus impetitur.huius robore quiſquis ſe cōmunijt,poteſt confidenter dicere:alij facile ſunt expugnabiles:

Aſt ego meipſum ſoluere,imperareq́,
Noui mihi: uirtute namq́ metior
Omnia.

Hoc eſt quod de Biante Prienenſi fertur, qui appellatus à Crœſo contemptim & minaciter, iuſsit eum cepas edere,fletū ciuiliter ſubindicans,quandoquidē harum eſus ciet lacrymas.adeo ſapientes arbitrabantur nihil eſſe æque regium ac uirtutē,cuius inſtituta per totam uitam ſequuntur: imperatis aliorū non terrentur:quo factum eſt ut omnes uafri ambiguæq́ fidei homines uulgo nominentur illiberales & parum ingenui,inde illud:

Erectum ſeruile caput uidiſſe nefas eſt,
Semper id obliquum colle retorta gerit.

Quod enim tortum eſt degeneres mores arguit,ſicut erectus habitus apertos & minime fucatos,quando dicta cum cogitatis conſonant.Illi ridendi ſunt qui manumiſsi à dominis putant ſe factos liberos. ſunt enim famuli, quamuis meliore conditione. ſerui autē & uerberones ſunt omnes quotquot nō hominibus,quod leuius eſt,ſed rebus uiliſsimis,mero,holeribus, ſeminibus, alijsq́ coquorū ac cupediariorū curioſitatibus in gratiā uētris dant operam.Quapropter Diogenes conſpicatus quendā liberū iactantē ſe hac noua felicitate,fauoremq́ gratulantium , miratus eſt fatuum eorum iudicium,perinde ac ſi præconis uoce declararetur, ſeruum aliquem in poſterum fore grammaticum aut geometram aut muſicum, qui ne in ſomnis quidem has artes didiciſſet. nam præconium ſicut doctiorem poteſt reddere neminem, ita nec liberiorem:alioqui mactum felicitate diceretur: ſed in ſeruitutem tantum uindicat. Sublata igitur uana opinione à qua pendet uulgus hominum, ueritatem rem ſanctiſsimam complexi, nec libertatem tribuamus his qui ſe ciues nominant,nec empticijs mancipijs ſeruitutem obijciamus:ſed omiſsis natalibus & tabulis & in totum rebus corporeis,ſcrutemur naturam animi, qui ſi concupiſcentijs agitatur, aut ab inopia ceruice obtorta trahitur,& ipſe ſeruit, & totum hominem heris innumeris ſeruire adigit.ſin aūt inſcitiā prudentia , luxū temperātia, formidinē fortitudine,auariciā æquitate ſuperat , imperat etiā,tātum abeſt ut ſeruiat. cæterum qui nondum ad harum alteram acceſſerunt ſpeciem, nec ſerui omnino nec liberi,quales ſunt in prima puericia puri ſincerię,pręceptis nutricandi ſunt,& ante omnia ecu lacte alendi cibis teneris,ſcilicet diſciplinis encyclicis:mox alimenta ſolidiora ſuggerenda ſunt,quorum opifex habetur philoſophia,ut ad uirilem habitudinem firmitatemq́ prouecti,ad finem optimum perueniāt: quod eſt ſecundum naturæ ductum uiuere, iuxta non Pythij ſed Zenonis oraculum.

PHILO-

PHILONIS IVDAEI DE VITA CONTEMPLATIVA, SIVE SVPPLICVM VIRTVTIBVS.



Postqvam de Essæis disseruimus, qui uitam actiuã exercent omnibus, aut quod minus inuidiosum dictu est, plerisq; felicius: ordo postulat, ut deinceps dicamus quæ dicenda sunt de contemplationi deditis, nihil affingendo rei ornandæ gratia, sicut poetæ scriptoresq; solẽt destituti uera honestaq; materia, sed simplicissime ueritatem sectando, quam uix ulla eloquentia potest assequi, conabimur tamen & operam ei nauabimus pro uiribus. nõ debet enim huiusmodi uirorum uirtus eximia causam præbere silentij his qui nihil honestum putant tacendum dissimulandumq;. institutum autem huius philosophię mox apparet ex ipsis appellationibus. uocantur enim therapeutæ therapeutridesq;, hoc est curatores & curatrices, siue cultores & cultrices, uero nomine: uel quia profitentur medicinã præstantiorem ista uulgata per oppida omnia. hæc enim medetur solis corporibus: illa & animas liberat morbis grauibus & aduersus medelas contumacibus, quos inflixerunt uoluptates, concupiscentiæ, dolores, timores, auariciæ, insipientiæ, iniusticiæ, & cæteræ perturbationes, uitiorumq; agmen innumerabile. uel quia didicerunt à natura & è sacris legibus colere illud Ens & bono melius & uno sincerius, & unitate in generando antiquius, atq; ut ita dicam principalius. horũ pietati quos tandem merito comparabimus? istos'ne qui pro dijs uenerantur elementa, terram, aquam, aerem, ignemq;, aliàs alijs notata nominibus: qualia sunt apud Græcos ignis ἥφαιστος παρὰ τὴν ἔξαψιν, id est ab accendendo: aer ἥρα παρὰ τὸ αἴρεσθαι, quòd in sublime sit elatus: aqua ποσειδῶν, à potu fortasse: terra δημήτηρ, quòd mater uideatur omnium stirpium & animalium. Latini Vulcanum, Iunonem, Neptunum, Cererem nominant. Verùm ista nomina sophistarum commenta sunt. elementa autem sunt inanimis materia à seipsa immobilis, subiecta opifici suo à quo transformatur in omnia qualitatum genera. Sed fortasse illos conferemus qui alias creaturas colũt, solem, lunam, sidera uel fixa uel erratica, aut cælum ipsum uel mundũ quãtus est. atqui ne hæc quidem ex seipsis habent originem, ab alio quodam opifice tanta arte condita. quid si illos, qui semideos heroas adorãt? id quidem ridiculum fuerit. qui potest idem mortalis esse immortalisq;, nequid dicam de horum maculosis natalibus, iuuenili plenis lasciuia, quam homines impij audent affingere beatæ illi diuinæque potentiæ, tanquàm illa in complexus muliebres insaniat, cum sit felicissima & expers affectuum omnium. statuas enim & simulacra memorare quorsum attinet? quorum materia saxum aut trũcus est paulo ante informis uexatus fabrorum iniurijs, cuius cognatę partes uersæ sunt in serias & pelluuia cæteraq; uasa sordida adhibenda secretis usibus. multo uerò magis silenda sunt Ægyptiorum

numina,

numina,qui bruta colunt non solum mansueta sed & sæuissima,consecrando quæcunq; sub luna sunt,leonem è terrestribus immanissimum, crocodilum ex aquaticis,miluium è uolucribus & ibim domesticam. hæc quamuis uident quibus nascantur originibus,quibus alimentis sustententur, ꝗ sint insatiabilia plenaq; excrementorum sordibus,uenefica etiam & humanæ carnis auida,uarijs morbis ac morti deniq; obnoxia,uiolentę quoq; interdum non modo fatali,adorant tamē ipsi mites immitia incicurabiliaq;, rationales bruta,deo cognati uix conferenda cum bestijs, naturaliter subiecta ipsi principes ac domini. Verum isti qui non modo suos sed etiā propinquos inficiunt talibus delirijs,relinquātur morbo suo,priuati uisu præstantissimo sensuum,uisu inquam non corporeo,sed quo uerum à falsis discernit animus. at illud hominum genus therapeuticum semper in contemplatione diuinitatis proficiet,etiam sole hoc sensibili prętcrito, nec unquā suum ordinem deseret tendentem ad felicitatem perfectissimam. huic uitæ instituto qui se addicunt,non ex more aut rogati id faciunt, sed amore correpti rerum cælestium,& quasi furore diuino perciti,donec ad contemplationem illam desideratissimam perueniant. deinde præ immortalis beatę que uitæ cupidine, quasi iam hac mortali defuncti, facultates suas relinquūt liberis,aut cognatis,ultro eis possessione cedendo,atque etiam socijs & amicis,si cognati desint. oportet enim ut qui perspicaces diuitias adeptus est,cæcas illas relinquat mentibus cæcutientibus. Anaxagoram & Democritum celebrant Græci,quòd præ amore philosophiæ prædia sua pecori compascua reliquerint. probo hos uiros contemptores pecuniæ. at quanto præstantiores qui non pecoribus suas possessiones depascendas permiserunt, sed impenderunt ad subleuandam egestatem hominum cognatorum amicorumq;,ut egere desinerent. illud enim inconsideratum,ne dicam insanum,factum fuit uirorum Græcis laudatorum sapientiæ nomine:hoc uerò sobrium & magnæ prudentiæ. quid aliud hostis faceret,excisis arbustis agroq; uastato redigens aduersarios ad inopiam, quàm quod suis cognatis fecit Democritus,ultro illis consciscens pauperiem, nō tam malo animo,ꝗ per inconsiderantiam & alienæ utilitatis negligentiam. hi certe multo prudentiores & magis suspiciendi,ut non minus philosophię cupidi,sed prouidi magis ꝗ negligentes:quippe qui sua donare maluerūt ꝗ perdere,quo & sibi prodessent & alijs,dum alios opibus iuuant,se philosophiæ studio. nam cura pecuniæ possessionumq; affert dispendium tēporis,cuius præcipua nos decet parsimonia,iuxta illud Hippocratis medici monitum: Vita breuis, ars longa. idem mihi uidetur Homerus subinnuere in Iliade circa initia rhapsodiæ decimætertiæ his uersibus:

Mysorum terram aspiciens,queis prælia cordi,
Et facilis uictus:siquidem lac pascit equinum
Egregios homines,nullus uirtute secundos.

ac si cura uictus parandi sit causa iniusticię propter disparitatem:iusticiā uerò gignat diuersum studium,qua naturę opulentia cernitur, non contenta uulgaribus felicitatibus. Relictis igitur facultatibus & auocamentis omnibus,fugiunt sine respectu fratrum,liberorum,parentū,uxorumq;,& dese-

runt numerosas cogitationes, societates, amicitias, ipsas denique patrias in quibus geniti educatiq́ sunt, quandoquidem consuetudo magnum momentum habet ad allectandos animos. demigrant autem non in aliam ciuitatem, sicut serui qui se uendi heris alijs impetrant, miseri ut qui seruitutem mutant non effugiunt. quęuis enim ciuitas uel optimis ornata legibus, plena est tumultu plurimo, quem nemo sapientiæ sectator sustineat. sed extra mœnia degunt in hortis aut uillis solitarijs, amantes solitudinem non hominũ odio, sed ad cauendos cõgressus cũ dissimilib. quos sciunt morib. bonis officere. hoc genus reperitur in multis orbis regionib. merito ut absolutę probitatis receptũ à Græcis atq; barbaris. maxime tamẽ in Aegypto frequentatur per præfecturas singulas, præsertim circũ Alexandriã. ex omnibus autem locis optimus quisque therapeutarũ tanquam in huius generis patriam colonus mittitur in locum quendam aptissimũ, situm ad stagnum Mariam in terreno colle accliui leniter, tutum simul & laudatum ab aeris temperie, securitatem enim ei præstant uillæ uiciq́ proximi: aerem uerò tẽperat emissorium stagni exonerantis se in mare, & auræ nunquam non ex alto aspirantes tenuiter, sicut crassiores feruntur è stagno, quibus permixtis temperamentum existit saluberrimum. domicilia uerò cõuenarum sunt admodum frugalia, parata contra æstum tantummodo & frigora, non cõtigua ut in urbibus, non enim placet id amantibus solitudinem: nec tamen longe remota, quia societatem diligunt, ut sibi possint inuicem succurrere contra latronum incursus fortuitos. singuli autem habent sacras ædiculas, quæ semnea uocant siue monasteria, ubi solitarij sanctæ uitæ mysterijs dãt operam, nec cibi potus'ue quicquam eò inferunt, aliud'ue in usum corporis, sed legem tantum & prophetarũ oracula diuinitus prodita, hymnosq́ & quædam alia pietati scientiæq́ promouendæ utilia. itaq; perpetuam habent dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obuersetur quàm imagines diuinarum pulchritudinũ: & sunt in his qui somniando produnt præclaras sacræ philosophiæ sententias. Quotidie bis precari solent, mane ac sub uesperam, oriente sole petentes diem uere felicem, utq́ mentes eorum cælesti replcantur lumine: occidente uerò, ut anima in totum exonerata sensibus moleq́ rerum sensibilium ueritatem uestiget in cõsistorio domestico. medium uerò matutini uespertiniq́ temporis interstitium totum meditationi attribuitur. Versantes enim sacra uolumina, dant operam philosophiæ per manus acceptæ à maioribus, scrutando eius allegorias, quoniam sub apertis uerbis latere credunt secreta naturæ coniecturis explicanda probabilibus. habent enim priscorum commentarios, qui huius sectæ autores multa monumẽta reliquerunt de allegorijs eiusmodi, ad quorum imitationem posteri se accõmodant. itaq; nõ solum cõtemplantur, sed etiã cantica hymnosq́ in dei laudem componunt uario metrorum carminũq́ genere, rhythmis cõcinnatos in augustiorem ac religiosam speciẽ. per sex dies seorsum quisq; in suis illis modo dictis monasterijs philosophantur, nõ progrediẽtes foras, imò ne prospicientes quidẽ. septima uerò cõueniũt in cœtum cõmunem, & iuxta ætatis ordinem cõsidunt decenti habitu, manus continẽtes sub pallio, dextram inter pectus barbamq́, sinistrã applica

tam

tam lateri. tum progressus in medium natu maximus, & dogmatum eius sectæ peritissimus, differit uultu ad grauitatem composito, uoce moderata, non sine magna prudentia, secus quàm oratores aut ætatis nostræ sophistæ, ostentatores eloquentiæ, ut quibus magis cordi sunt exquisitæ sententiæ diligensq; & accurata harum enarratio, quæ non summis insidat auribus, sed per auditum penetret in animum, ibiq; firmiter inhæreat. reliqui omnes auscultant per summum silentium, annutãtes oculis tantum aut capite. id commune semneum in quod septimo quoq; die conueniunt, septo clauditur duplici, separatis uirorum & mulierum cœtibus. nam mulieres quoq; simul auscultant ex more, duntaxat quæ institutum idem sectantur. medius autem paries à solo surgit tribus quatuor'ue cubitis, in modum loriculæ, superiora usq; ad tectum patent: unde gemina prouenit commoditas, & quòd pudori fœminei sexus consulitur, & quòd uerba doctoris exaudiuntur facile absq; ullis obstaculis quæ uocem eius intercipiant. Temperantiæ tanquam fundamento in anima iacto uirtutes cæteras superstruunt. Nec cibum nec potum quisquam sumit ante solis occasum, quòd sapientiæ studium luci conuenire iudicent, tenebris uerò curam corporis. ideo totos dies alteri, alteri uerò exiguam noctis partem tribuunt. nonnulli ex his uix tertio quoq; die famem sentiunt, attenti magis ad disciplinarum scientiam. nec desunt qui prælaute accepti epulo sapientiæ copiose præbentis sua placita, perdurant duplum eius temporis, & uix sexto die degustant cibum necessarium, assueti sicut cicadæ rore uiuere, canticis opinor solantes inediam. septimum uerò diem ut festum sacratumq; honore dignantur eximio, quo post curam animi corpus quoq; reficiunt, sicut iumento relaxantes laborem continuum. in cibatu utuntur pane simplici, sal uicem supplet obsonij, qui delicatiores sunt, hyssopum pro condimento adijciunt. potum è fluentis hauriunt, contenti placare dominas à natura mortalibus additas, famem sitimq;, absq; omnibus lenocinijs fruendo rebus sine quibus non licet uiuere. edunt igitur ne esuriant, bibunt ne sitiant, saturitatem cauendo ut inimicam animo pariter ac corpori. & quoniam tegminis quoque duæ sunt species, uestis tectiq;, de ædibus iam dixi, esse incultas & extemporaneas, factas ad præsentem usum tantũmodo. in ueste autẽ eadẽ apparet simplicitas, ad arcendos calores & frigora, pro pelliceis crassa tunica in hieme, æstate uerò exomis aut interula linea. in uniuersum enim exercẽt modestiam, ut fontem ueritatis, sicut è fastu mendacium prognatum autumant. profluũt eñ è mẽdacio uariæ malorũ species, cõtrà ex ueritate omniũ felicitatũ humanarũ diuinarũq; copia. Dicã aliquid & de sodalicijs eorũ, quoties hilarius cõuiuia celebrãt, quo magis elucescant collata cũ aliorum epulis. Vulgus enim ubi se mero expleuit, ac si nõ uinum bibisset, sed insaniæ poculum ad rationẽ penitus profligandã ex animo, offensat & canum ferociũ more in rabiem uertitur: moxq; coorti se inuicẽ morsib. appetunt, abrodẽdo nasos, auriculas, digitos, cæterasq; partes corporis, ut fabula de Cyclope Vlissisq; socijs fidem inueniat: quẽ poeta solitũ ait mandere frusta humanarũ carnium, quem tamẽ immanitate isti longe superant. nã ille inimicos ratus tractauit hostiliter. isti uerò cũ familiaribus & amicis, in-

terdum etiam cognatis,communi sali mensæq́ adhibitis. contra iura hospitalitatis omnia,nihil reueriti sacra libamina quibus cõciliari debuissent, sic confligantur tanquam in harena uel pancratio: laudatam illam contentionem quasi monetam deprauantes in deterius,athletis ipsis ærumnosiores miserioresq́.Reuera enim eos licet appellare miseros. nam illi athletæ in stadijs Græcorum interdiu captant spectatorũ applausus atq́ gratiã, expectantes artis ac uictoriæ præmiũ coronam olympiacã. at isti adulterini athletarũ simij,noctu in tenebris ebrij debacchantesq́,sine industria maliciosas artes exercẽt in aliorum iniuriã atq́ contumeliam:quos si nemo tanquã præses dirimat,maiore licentia ruunt in mutuã perniciẽ.nõ minus enĩ læduntur q̃ lædunt,ut mẽtis impotes præ uino nimio,quod (sicut inquit Comicus)non tam alieno malo bibunt q̃ proprio.itaq́ qui modo ad conuiuium uenerãt amici & integri,paulo post exeunt inimici & mulctati mẽbris quibusdam,aut certe horum extremitatibus:moxq́ alij quẽrũt sibi aduocatos & iudices,alij petũt à chirurgis opẽ & medicis.qui uerò uidentur modestiores cæteris,quasi pro mero bibissent succum mandragoræ,incũbunt læuo cubito,& obliquata ceruice ructantes inter pocula,stertũt altũ nihil uidentes audiẽtes'ue interim,ac si unicum gustus sensum haberẽt, & eum quidem illiberalissimũ.noui quosdã qui hilariores facti potãdo,prius quàm penitus se obruant crebris inuitationibus,iam tum in crastinum prospiciunt de symbolis, quia putant spem ebrietatis futuræ non mediocriter conducere ad præsentem lætitiam.atq́ ita semper extra domesticos parietes uictitãt,dissidentes à parẽtib.uxoribus,atq́ liberis, patriæ quoq́ inimici & sibijpsis deniq́.nam uita luxu diffluens malũ affert omnibus. Sed fortasse probabit aliquis morem hunc conuiuiorũ iam uulgo receptum apud Græcos atq́ barbaros,à Romanis inuentum nõ tam ad hilaritatem quàm ad ostentationem deliciarũ & opulentiæ.triclinia lectos habent eburneos aut testudineos,aut preciosioris materiæ,gemmatos plerosq́,stratos auro intertexta purpura, uel alijs floridis coloribus uarijs oculos allicientibus, poculorum etiam uim magnam,digestorum per suas species. præsto sunt enim cyphi,calices,phialę,thericlea,toreumataq́ clarorum artificum,ministrantibus formosis mancipijs, non tam ad præsens ministerium quæsitis, quàm ad exhilarandos aspectu conuiuis oculos.ex his minores pueri pincernas agunt,grandiores aquam afferunt,loti & nitidi,fucatiq́ ac cincinnatuli.alunt enĩ capillitiũ,uel omnino intonsi, uel à fronte tantũ præsectis in orbem crinibus,tenuissimas candidasq́ præcincti tunicas,anteriore parte ad genua demissas,posteriore ad poplites, utrinq́ mollibus tenijs astricti cõmissuras tunicæ,propendentibus ad latera finibus.sic ornati astãt nutus obseruando,quid quisq́ postulet.adsunt & alij adolescentes prima lanugine malas uestiti,qui paulo antè amatorum suorum deliciæ fuerant,curiose docti grauioris momẽti ministeria,mera ostẽtatio magnæ opulẽtię,ut cõuiuę splẽdore stupefacti facile intelligãt à quãto uiro quãq́ magnifico sint ad mensam cõmunem adhibiti:cum tamen totum hoc negocium uera æstimatione nihil aliud sit q̃ stolidus luxus hominis abutentis fortunæ beneficio,sicut testari possunt quibus cõperta sunt talia.huc accedunt uariæ bel-
lariorum

lariorum, obsoniorum, condimentorum'que species, elaboratæ à pistoribus & cupediariis, quorum est cura non tantum gustui satisfacere, uerum etiam oculos exhilarare mundiciis. sic fit ut septem uel etiam plures mensæ inferantur, plenæ omnium quæ terra, mare, amnes, aer'que ferunt, selectis suauissimis carnibus terrestrium, aquaticorum, & uolucrium, paratura simul ac conditura uariantibus. ac ne quid prætermittatur naturæ munerum, tandem apponuntur poma nucesq; dapsiliter, seruatis aliis eiusdem generis ad comessationes quas uocant. dein aliæ patinæ efferuntur uacuatæ à conuiuis uoracibus, more fulicarum explentibus se in tantum ut ossa etiam arrodant, aliæ cum fœde discerptis semesisq; reliquiis. ubi uerò usq; fauces expleti nil possunt amplius, cedendo lassati appetitu esuriunt, oculos pascendo carnium opimarum copia, nidorem uerò exhalantem attrahendo naribus. postremo his quoq; sensibus saturatis, faciunt mentionem de abitu, egregie collaudata conuiuatoris magnificentia. Sed quorsum attinet ista narrare prolixius, quæ multis moderatioribus displicent, ut cupiditates accendentia, quas minui præstaret. quis enim sobrius non mallet famem & sitim, quàm in talibus epulis nimiam cibi potusq; abundantiam. in Græcia duo conuiuia præcipue celebrantur, quibus & Socrates interfuit: alterum in ædibus Calliæ, quando is coronato Autolyco amicis epulum uictoriale præbuit, alterum in Agathonis: quæ literis mandare digni sunt moribus ac professione philosophi, Plato & Xenophon. uisa sunt enim eis digna memoratu, ut essent exemplo posteris, quid & quomodo agendum sit in conuiuiis. Veruntamen hæc quoq; si conferantur cum nostris contemplatiuæ uitæ sectatoribus, erunt ridicula. habet quidem suas uoluptates utrumq;, sed magis decoras homini quod Xenophon prodidit. nam tibicinæ, mimi, præstigiatores, balatrones, iocis tantum placent scurrilibus ad exhilarandos animos. Platonicum uerò penè totum disputationi de amore impenditur, non illo quo uiri in mulieres insaniunt, aut hæ in uiros, sed quo uiri in masculos ætate tantum minores. nam si quid ibi de amore uenereq; cælesti dictum uidetur elegantius, pro condimento modo est additum. cæterum maiorem partem uulgaris & promiscuus amor occupat, fortitudinem uirtutem bello paceq; utilissimam tollens è medio, & pro hac morbum muliebrem inducens in animas, & homines reddens androgynos, quos oportebat potius omni contentione exerceri ad confirmãdum robur tam corporis quàm animi. at isti qui pueros transferunt in amicarũ habitum & ordinẽ cum summa ætatis iniuria, ne amatoribus quidem eorum melius consulunt, magnis detrimentis afficiendo eorũ facultates, animos, atq; corpora. necesse est enim ut puerorum amator animũ habeat in suis deliciis, & huc tantum acres intẽdat oculos, cæteris in rebus tũ priuatis tum publicis cæcutiat hebetatus cupidinibus, tunc præcipue contabescens quando impos uoti frustratur. facultates autem duobus modis decrescunt, partim per rei familiaris incuriam, partim per sumptus & profusiones quæ fiunt in adamati gratiam. huc accedit & maius aliud malum totis populis pestiferum. desolationem enim urbium & raritatem optimi generis hominum sterilitatemq; meditantur isti, qui more imperitorum agri

colarum præteritis aruis campestribus & feracibus in aspreta saxosa salebrosaq; sementem faciunt mox perituram, nec unquam ad frugem peruenturam. taceo nunc illos fabulosos bicorpores, olim concretos ui amatoria, dein disiunctos, soluto nexu quo antea cohæserant. habent hæc nouitatẽ quandam & illecebram aurium ac mentium, sed ut superuacanea fastidiuntur à Mosis discipulis, à prima ætate ueritati assuetis, ut decipi nequeant. ergo cum illa celebrata conuiuia tantum nugarum contineant, ut ipsa se coarguant, si quis rem magis spectet quàm aliorum præiudicium, ex aduerso his opponam quæ ex instituto Mosis prophetæ agitantur certis temporibus apud eos qui totam uitam dedicarunt cognitioni naturæ contemplationiq;. hi numeros in primis obseruando post septem hebdomadas elapsas cõuentus suos instaurant, uenerati non solum simplicem septenarium, sed & uim eius multiplicem. castam enim sciunt hebdomada & semper uirginem. is dies profestus est maximæ festiuitatis incidentis in numerũ quinquagenarium sanctissimum & naturæ gratissimum, constantem ex ui rectãgularis trianguli, quod est initium generationis rerum omnium. ubi uerò conuenere candidati & læti cum summa grauitate, ad signum datum à quopiam ephemereuta (sic huiusmodi ministros nominant) prius quàm discũbant stantes una serie decentes, sublatisq; ad cælum manibus atque oculis, his quoniam didicerunt spectare cælestia, illis utpote incorruptis à muneribus & à quęstu illicito, precantur ut deo placeat id cõuiuiũ. absolutis precibus seniores discumbunt, ac mox alij pro cuiusq; dignitate. nec enim seniores ex annis æstimant, sed quantumlibet grandæuos habent pro pueris, si sero institutum hoc complexi sunt: honorem uerò senectutis tribuũt his qui exercuerunt se à iuuentute in hac pulcherrima diuinaq; parte contemplatiuæ philosophiæ. Adhibentur mensæ fœminæ quoq;, anus pleræque sed uirgines, non coactæ castitatis, sicut apud Græcos quædam sacrificulæ, sed sponte continentes præ amore sapientiæ, cuius studio per totam uitam contempserunt uoluptates corporis, nimirum diuinæ non mortalis prolis cupidæ, quam solæ deo charæ animæ ex seipsis pariunt, excipientes pro semine intelligibiles patris radios, ut decreta sapientiæ contemplando percipere ualeant. discubitus ita distribuitur, ut seorsum uiri dextrum latus, seorsum fœminæ sinistrum teneant. quod si quis suspicatur lectisternia, & si non sumptuosa, certe molliuscula parari hominibus ingenuis & philosophiæ deditis, sciat esse tegetes rudes è uili contextas materia, uidelicet è papyro indigena, sic humi aggestas ut eminẽdo fulciãt cubitos. remittunt enim paulum illam Laconicam disciplinæ duriciã, semper & ubiq; probantes liberalem frugalitatem, totis uiribus auersando uoluptatis illecebras. in ministerio non utuntur mancipijs, quandoquidem seruitutẽ cũ natura omnino pugnare autumant. nam ea liberos omnes genuit, sed huius legũ contẽptrix auaricia, fontem malorũ inæqualitatem ei præferens, infirmioribus necessitatem imposuit, ut iussa potentiorum facerent. cęterũ in hoc sacro conuiuio nemo, ut dixi, seruus adest, ministrãt ingenui, & spõte quicquid opus est, faciunt, iussa non expectãdo, sed pręueniendo alacritate uoluntaria. non enim quibuslibet ingenuis delegatur id officiũ, sed ha
bito

bito delectu ex omni sodalitatis huius iuuentute, ut quisq; aliquod praecla rum indolis ac uirtutis specimen edidit. hi tanquam germani filij libēter & certatim ministrant haud secus ac parentibus publicis, hanc coniunctionē arctiorem ducentes quàm sanguinis, quandoquidem recte sapientib. uirtute nihil est antiquius. discincti autem & promissis tunicis accedūt ad ministrandum, ut absit omnis seruilis species ab hoc conuiuio. Scio quosdā his auditis risuros, duntaxat eos qui deflenda ipsi lamentisq; digna faciūt. Vinum per illos dies non praebetur, sed aqua limpidissima, caeteris frigida, calida uerò his qui inter seniores tractantur delicatius. mensa pura est à cruentis dapibus, pro cibo panis apponitur, sal pro obsonio, & pro condimēto hyssopus in delicatorum gratiam. Operantur enim ut sacerdotes sacris abstemijs, tota uictus ratione castigata ad eandem frugalitatem. nam uinū habent pro ueneno afferente dementiam: opiparis autem obsonijs aiunt irritari concupiscentiam, beluam insaturabilem. haec sunt exordia conuiuij. Dicat aliquis: Quid tum posteaquam conuiuis ordine suo discumbentibus adstiterunt ministri decenter parati ad obsequium, nulla'ne sequitur compotatio? imò silentium maius quàm antea, ita ut ne mutire quidem cuiquam liceat aut respirare uehementius. proponit quispiam quaestionem è sacris literis, aut soluit ab alio propositam, nihil de solutione solicitus. nec enim captat laudem argutiarum aut eloquentiae. hoc tātum agit ut rem diligentius perspiciat, tum perspectam nō inuideat minus perspicacibus, sed non minus discendi cupidis. atq; ita immoratur doctrinae, subinde inculcans imprimensq; animis praeclaras sententias. nam expeditam elocutionem, & una serie continuam, auditorum mens non ualens assequi, à tergo relinquitur, nec satis audita percipit. totum uerò auditorium attentum auscultat in uno eodemq; habitu, intelligere se nutu uultuq; indicans, probare uerò, hilaritate ac exporrectis frontibus: interdum & dubitare haerere'que, moto leniter capite summoq; dextrae digito. Nec minore attentione iuniores qui adstant, audiunt: enarrationes autem sacrarum literarum constant ex allegorijs. nam hi uiri totam legem existimant habere animalis similitudinem, quòd praecepta corpus referant, animam uerò sententiae retrusiores sub uelamine uerborum abditae, in quibus rationalis anima egregie seipsam contemplatur tanquam in speculo, sub his ipsis uerbis miram sententiarum pulchritudinem conspiciens, & explicans è figurarum inuolucris, atq; ita penitiorem intellectum in lucem producens, duntaxat apud eos qui per occasionē admoniti sciunt obscura ex apertis colligere. ubi uerò pręses uisus est rem bene tractādo satisfecisse auditorū desiderio, plausus propalā editur ab omnibus. tū ille assurgens hymnum in laudē dei primus canit, aut recens à se compositum, aut desumptum ab aliquo uatū ueterum. extant enim huius generis carmina prisca uersu trimetro, & hymni cū suis accentibus inter sacra canendi ante altaria, uel à stātibus uel à choreas ducentib. moderatas uarijs flexibus atq; reflexibus. praesulē mox imitantur caeteri decenti ordine, omnibus intente quieteq; auscultantib. praeterquàm in fine hymni extremaq; clausula. tunc enim uniuersi uocē extollūt sine sexus discrimine. absolutis hymnis singulorum, iuniores paulo ante dictam

te dictam mensam efferunt, in qua rite cibus ille sacratissimus, panis fermẽtatus cum sale apponitur & hyssopo, ob reuerentiam mensæ dedicatæ in templi uestibulo. nam & in ea solent proponi panes cum sale absq; condimento alio: sed panes non fermentati, sal sine ulla mixtura. conuenit enim sacris pura simplicitas, egregium diuini cultus præmium. eam uulgus imitari debet, abstinere tamen ab his panibus, ut potiores priuilegium habeant. cœnam uerò sequitur sacrum peruigilium his ritibus. Vbi omnes con surrexere, duo chori fiunt in medio cœnaculo, alter uirorum, alter fœminarum. cuiq; suus incentor præficitur, honore præstans & canendi peritia. deinde cantant hymnos in laudem dei compositos uarijs metrorum carminumq; generibus, nunc ore uno, nunc alternis, non sine decoris & religiosis gestibus atq; accentibus, modo stantes, modo prorsum retrorsum ue gradum mouentes, utcunq; res postulat. Deinde postq; uterq; chorus seorsum expleuit se his delicijs, uelut amore diuino ebrij unum chorum faciunt promiscuum, ad imitationem illius olim instituti in rubri sinus littore post mirandum prodigium, quando mare deo iubente alteris salutem, alteris perniciem attulit. diductis enim uiolenter aquis & utrinq; consolidatis in parietum speciem, medium interstitium latam uiam & siccam populo præbuit, per quam ad continentis aduersæ loca editiora trajceret. aquis deinde in suam regionem pristinam hinc illinc refluentibus, & medium solum paulo ante nudatum inundantibus, ausus eos persequi hostis mersus internecione perijt. accepto autem hoc tam insigni & insperato beneficio, correpti numine uiri pariter ac mulieres, & in unam choream conglomerati, hymnis gratias seruatori deo canebant, præcinente uiris Mose propheta, Mariamme uero prophetide fœminis. ad horum maxime imitationem hic therapeutarum therapeutridumq; chorus compositus, & mixtis ad graues uirorum acutis fœmineis uocibus concinne temperatus, cõcentum reddit suauissimum uereq; musicum. pulcherrimis enim uerbis includuntur sententiæ pulcherrimæ, religiosis choreis accedentibus. horum porrò uniuersorum finis unus & idem est pietas. itaq; producta usq; matutinum hac comessatione honestissima, neq; grauati crapula, neq; nictãtes, sed excitatiores, q̃ cum uenirent ad conuiuium, uerso ad auroram uultu toto q; corpore, quamprimum solem orientem aspiciunt, felicem diem & ueritatem perspicacemq; mentem sibi comprecantur. atq; ita precationibus absolutis ad suum quisq; semneum secedit, & ad negotiationem culturãq; consuetæ philosophiæ. Hactenus de therapeutis naturæ contemplatoribus, & huic tantum studio curandæq; animæ per totam uitam deditis, cæli & mundi ciuibus, patri conditoriq; rerum propter suam uirtutem commendatissimis: qua conciliante adepti cælestis numinis amicitiam, præmium conuenientissimum, fortuna uirtuti posthabita, euaserunt ad supremum felicitatis fastigium.

PHILONIS IVDAEI DE NOBILITATE.



Qvi laudibus extollunt nobilitatem, ut bonum maximum & causam magnorum bonorum, ipsi reprehendendi sunt uel ob hoc quòd nobiles censent natos è familijs iamdudum claris & diuitibus, cum ne maiores quidem illi quos iactant, propter opulentiam felices fuerint: quandoquidem uerum bonum in nulla externa re, nec in corpore, imò nec in quauis parte animæ, sed in principali tantum, situm esse natura uoluit. postq; enim deus pro sua bonitate charitateq; etiã inter nos hoc collocare decreuit, nullum templum inuenit ei dignius quàm mẽtem hominis. mens enim circumfert illius boni effigiem, quamuis id persuaderi non possit his qui ne summis quidem labris degustarunt sapientiam, caligantibus in luce clarissima. nam aurum, argentum, honores, dignitates, ualetudo, forma, sunt in uirtutis tanq; reginæ ministerijs. quoniam igitur nobilitas expiatæ purgatæq; mentis sors est præcipua, nobiles dicendi sunt soli prudẽtes & iusti, etiamsi è uernis aut empticijs nati sint. malis uero prognatis ex honestis maioribus nullus locus esto inter nobiles. nam nequã ne inter ciues quidem censendus est; cum uirtutis exul sit, ueræ bonorum uirorum patriæ. talis fieri non potest quin sit ignobilis, etiamsi auos proauosq; laudatos memoret, ipse tota uita non minus alienus à nobilitate, q̃ ab illorum studijs. nec satis est malis quod sint suapte natura ignobiles, nisi omnes, ut uideo, perpetuum bellum gerant cum uere nobilibus, uel contra maiorum suorum dignitatem, obscurantes extinguentesq; si quid superest splendoris gentilicij. Et hoc est, ut opinor, cur parentes liberorum amantissimi interdum exhæredant filios, & à familia genteq; ablegant, quoties natiuã parentum caritatem degeneres nimia nequitia superant. id ita esse, etiam alijs argumentis facile colligitur. quid enim prodest oculis orbato suorum maiorum perspicacitas, nequaquàm hæreditaria? quid prodest ad dicendum elingui paterna uel auita eloquentia? quid conferunt ad uires tabe diuturna exucci aridiq; & uix ossibus hærentis, principes generis propter athleticum robur adscripti fastis olympiacis? imò quid etiamsi fuere uictores in omnibus sacris Græciæ certaminibus? certe nihil ea de causa decedit uitijs corporis, nullam opem ex præterita familiæ felicitate sentientibus. ad eundem sanè modum iniustis liberis iusti parentes, luxu perditis sobrij, & in uniuersum malis boni utilitatem nullam adferunt: sicut nec iura iuris uiolatoribus, ad quorum contumaciam pœnis coercendam inuenta sunt. & sunt etiam leges non scriptæ, nimirum uitæ exempla que sectantium uirtutem hominum. ideo puto ipsam Nobilitatem, si deus ei formam uocemq; daret humanam, sic allocuturam istos contumaces posteros. Gentilitas non sanguine solo æstimatur apud ueritatẽ iudicem, sed factis studijsq; similibus. At uos in contrarium tenditis, quę odi amatis, quę

probo improbatis & auersamini.apud me honor est pudori,ueritati, moderationi,modestiæ,innocentiæ, apud uos in nullo pretio habitis.impudentiam odi,mendacium,impotentiam,superbiam,maliciam, uobis familiarissimas.cur igitur factis alienissimi,uerbis fucatis fictisq; uultis obrepere,& insinuare uos in amicitiam? nec moror,nec fero uestras fraudes ac offucias.facile est cuiuis comminisci sermones bonos in speciem: sed pro malis moribus bonos adsciscere,difficile. hæc considerans & nunc inimicos existimo,& posthac existimabo,quicunq; instaurant causas odij: quos equidē suspectiores habebo, q̄ eos quibus probro datur generis obscuritas.nam hi possunt excusari, quia nullum cum uirtute fuit eis commerciū: uos estis inexcusabiles, qui præclaris prognati familijs iactatis maiorum splendorem ac gloriam: & cum abundetis exemplis domesticis nulla uobis inhærent maiorum decora per uestram negligentiam.atqui satis liquet uos quoq; nobilitatem uirtuti potius tribuere quàm illustri generi.iamprimum illos è terrigenis natos quis neget generosos, cum ab hac stirpe descēdat omnis patricia nobilitas,uidelicet eximijs posteritatis autoribus ortis è coniugio quod primum liberorum causa generisq; propagandi conuenit: & tamen eorum alter maior minorem dolo malo interimere sustinuit, admissoq; maximo scelere fratricidij primus terram polluit humano sanguine.quid huic profuit nobilitas generis,ignobilem præ se ferenti animum? quem ipse rerum humanarum inspector deus ut uidit auersatus dānauit, non præsenti quidem supplicio quod confestim ei calamitatis sensum adimeret,sed mille mortes intentando,ut sentiret alios super alios pauores & aceruatas molestias,atq; ita dignam pro maleficio pœnam reciperet. Aliquanto pòst fuit quidam uir ualde sanctus probatusq;, cuius pietas digna uisa est legislatori quæ mandaretur sacris literis. hic tempore diluuij quod omnes ciuitates deleuit funditus, inundatis nimia ui aquarum montibus etiam celsissimis,solus unà cum familia seruatus est, ferens uirtutis prēmium longe maximum.attamen è tribus eius filijs, collati in patrem diuinitus beneficij consortibus, unus ausus est parentem cui salutem debebat,irridere,à decoro nonnihil per imprudentiam prolapsum in dedecus, atq; etiam nescientibus fratribus nudata ostendit quæ non est fas in genitore aspici.eam ob rem nobilitate clara excidit execrationem meritus, autor infelicitatis etiam suis posteris,ut dignus erat ob neglectum debitæ patri reuerentiæ. Sed quid opus est hos in medium adducere potius quàm ipsum primum terrigenam? qui nulli non mortali præferendus est quantū ad nobilitatem attinet, artificio summo formatus dei manibus in statuam corpoream:animam uero adeptus non ullius creaturæ beneficio, sed inspirante ipso numine quantum natura humana capere poterat. an non igitur nobilissimus,cui ne conferre quidem licet hac parte quenquam alium? nā cæterorum decus descendit à maioribus: maiores autem eorum fuere homines,animalia mortalia,temporis momento felicitatem si qua fuerat amittentia:illi uero nemo parens autor'ue uitæ, nisi deus fuit, cuius imaginem quodammodo referens mente animi parte præcipua, cum debuisset eam seruare immaculatam,pro uiribus imitando creatoris sui uirtutes ceu exē-
plar

plar propositas, fueretq; his contraria uitia, dedecus & mendacium ueritati honestatiq; praetulit: atq; ita suo merito pro immortalitate mortalem uitam accepit, excussus è felicitate, prolapsusq; in erumnas ac miserias. uerū haec lex cōmunis esto mortalium omnium, qua praescribitur ne quis uirtutis expers claro genere natalibusq; splendidis magnopere sibi placeat. caeterum Iudaei habent & alia exempla peculiaria. oriundi sunt enim ab illis, quos maiorum suorum uirtutes nihil iuuerunt, obnoxios grauibus criminibus, etiamsi nemo argueret praeter conscientiam, cuius solius tribunal nullis uerborum technis circumscribitur. primus gentis conditor multos liberos suscepit è tribus mulieribus, nō indulgēs libidini, sed spe amplianda familiae. unus tamen è multis solus successit in patrimoniū: reliqui omnes sicut à pietate degenerarunt, ita separati sunt ab eius gentilitate, cuius nullas uirtutes expresserant, exciderunt q; ab illa nobilitate celebratissima. Rursum ex hoc ipso probato haerede nati sunt gemelli, nihil praeter manus, id'que certa quadam prouidentia, habentes simile, diuersi corporibus atq; animis. nam minor utriusq; parentis beneuolentiam demerebat obsequijs, laudatus ob id dei testimonio: maior uero uētri libidiniq; addictior quàm parentibus, minori cessit ius primogeniti, moxq; cessisse poenitens, fratri molitus est perniciem, nihil aliud agitans animo, quàm quod ad patris matrisq; moesticiam faceret. atq; ita euenit ut illi uota pro minore facerent amplissima, quę deus absq; ulla exceptione rata esse uoluit: alterum uero miserati hoc afficerent beneficio, ut fratri eum subijcerent, existimantes id ei fore utile, si homo nequā in sua potestate non relinqueretur. qui si hāc seruitutem libenter tulisset, poterat mereri secunda uirtutis praemia. Nunc quoniam iugum excussit contumax, sibi posterisq; lucratus est magnam ignominiam, ut uita eius nulli optanda literarum monumentis sit prodita, quo magis liqueret nobilitatem nihil prodesse indignis hac praerogatiua generis: quia mali è bonis prognati, nihil adiuti sunt paternis uirtutib. q; ipsorum anima sit multimodis oblaesa uitijs. Ediuerso possum quosdā memorare uiros melioris ordinis, qui orti ex illaudatis maioribus uitam uixerunt laudatissimā, adeo ut probitatis exemplar de se praebuerint posteris. primus parens Iudaeorum Chaldaeus erat natione, patre prognatus dedito siderali scientiae, uno ex eorum numero qui sidera, cęlum, mundum pro dijs habentes his accepta ferunt fata hominū, ac proinde nullū rerum autorem esse credētes praeter eos qui percipiuntur sensibus. & quid indignius aut magis alienū à generoso animo, q̄ studio nóscendae creaturae prolabi in unius antiquissimi rerum cōditoris ignorantiā, uel hoc solo nomine uenerandi etiamsi abessent caetera beneficia plurima, quorum iniri nō potest ratio? horū reputatione uir ille tactus nō sine numine, patriā, cognatos, familiam deserit: sciens, ni faciat, instare sibi à multorū deorum superstitione periculum, impeditura unius dei quaerendi studiū, à quo ut sempiterno parente originē habet quicquid uel mente uel sensu percipitur: quod si demigret, migraturā & mentē è fallacijs, transituramq; ad ueritatē à mendacio. id cognoscēdi ueri dei desideriū magis accesum est oraculo, à quo in impigerrimū quaerendi studiū inductus est, nec prius uestigare destitit, q̄ manifestius

nifestius conciperet animo quandam imaginem, non essentiæ (id enim nō est possibile) sed prouidentiæ, quatenus homini fas est concipere. ideo primus credidisse deo dicitur, qui primus inconcussam fidem tenuit, esse unū supremum rerum autorem, cuius prouidentia mundus regatur & quæ mundo continentur omnia. adeptus autem hanc scientiam uirtutem præstantissimam, simul acquisiuit cunctas alias, ut apud hospites suos autoritatem haberet regiam: nō propter apparatum (priuatus enim erat) sed propter regiam magnitudinem animi. itaq; honorabant eum quasi suum principem, suspicientes ingenium augustius humano fastigio. nec enim sermonibus utebatur uulgaribus: sed diuinitatem quandam præ se ferentibus. quoties enim arripiebatur numine, modis omnibus mutabatur in melius, uultu, colore, statura, motu, habitu, uoce deniq;, spiritu diuino superne inspirante animam, & addente decorem eximium corpori, sermoni efficaciā, intellectum uero auditoribus. quis nunc negabit hunc profugum, destitutum amicis & familiaribus, esse nobilissimum, postq; desiderio ueræ nobilitatis, quæ ad deum parentem refertur, toto conatu quæsiuit eius amicitiam? quo factum est ut ascisceretur in præcipuum ordinem propheticum, quia posthabitis creaturis maluit ingenito patri omnipotenti credere. regiam uero autoritatem adeptus fuit (ut dixi) apud eos quorum utebatur hospitio, non armis fretus neq; copijs, sicut quidam solent imperium sibi quærere, sed suffragio dei optimi maximi, pijs hominibus honoris causa dantis tantam potentiam ad utilitatem eorum quibus cum uersantur. hic uir est nobilitatis regula omnibus fugientibus ignobilitatem externorum profanorum'que rituum, marmori ligno'que, & in uniuersum surdis materijs numen tribuentium, migrantibus uero ad uiuam rempublicā, cui præest prospicit'que ipsa ueritas. hanc nobilitatem non solum uiri deo chari, sed etiam mulieres æmulatæ sunt, oblitæ ruditatis pristinæ ac simulacrorum quæ coluerant, institutæ uero ad unius monarchæ noticiam, cuius solius imperio mundus regitur. Thamar nata fuit in Palæstina Syriæ, muliercula educata in patria cultrice multorum numinum, ubi omnia plena erant statuis, delubris & id genus cęteris superstitionibus. sed postq; ei contigit uelut è profundissima caligine paruum quendam splendorem ueritatis aspicere, capitis periculo ad pietatem transfugit, nihili pendens uitam si non daretur bene uiuere. rectam autem uitam in eo sitam censebat, si daretur colere adorareq; unum autorem rerum omnium. quamuis duobus deinceps fratribus ambob. scelestis nupserat, priori puella, posteriori ex decreto iudicum, quia prior liberis nullis susceptis decesserat: & tamen seruata uitæ integritate, tum ipsa in bona existimatione fuit, tum posteris suis omnibus nobilitatis exordium præbuit. Verùm hæc licet extera, ingenua tamen & fortasse non obscuris natalibus. aliæ trans Euphratem natæ in Babylonis finibus, dotales ancillæ suas alumnas secutæ, receptæq; in uiri sapientis thalamum, & ipsæ peruenerunt à pellicatu in dignitatem uxoriam, heras suas æquando propemodum illis (incredibile dictu) fauentibus: sapientum enim animos non subit inuidia, quę si absit, bona fiunt cōmunia: & earum filij habiti sunt pro legitimis, non solum à patre, quem nō
mirum

mirum erat agnoscere omnes ex se genitos, sed à nouercis etiam. nam hæ deposito priuignorum odio curam eorum gesserunt: priuigni uicissim ut beneuolentiæ referrent gratiam, illis exhibuerunt reuerentiam quæ debetur matribus. Fratres quoque tametsi dimidia tantum parte coniuncti fraternum affectum seruarunt integrum, imò conduplicatum etiam, uidelicet amando redamandoque, & diligentia supplendo quod deerat natalibus, dum nothi legitimis nolunt uirtute cedere. non sunt igitur audiendi qui bonum alienum nobilitatem sibi usurpant, cum exceptis paucis quos memorauimus, hostes sint non Iudæorum tantum, uerumetiam totius humani generis, quà late patet orbis habitabilis: illorum, quia non sinunt eam gentem secure imitari uirtutes maiorum suorum: huius, quia etiamsi aliqui euaserint ad probitatis fastigium, negāt eis profore, eo quod non sint prognati è probatis auis atque parentibus. qua opinione nulla potest excogitari nocētior, si neque bonorum degenerem sobolem sua pœna sequetur, neque bonis malo genere prognatis reddetur debitū prēmiū, cū lex unumquemque nō pro maiorū meritis, sed suis proprijs, uel honoret uel puniat.

PHILONIS IVDAEI
DE PRAEMIIS ET POENIS.



RACVLA per Mosem prophetam mandata sacris literis in tres diuiduntur species: quarū prima ad mūdi opificium, altera ad historiā, tertia ad leges latas pertinet. Totum mundi opificium ex dignitate opificis descriptum est à creato cælo usque ad formatum hominem: quorum alterū inter incorruptibiles res perfectissimū est, sicut alter inter corruptioni mortisque obnoxias. siquidem mortalia contexēs immortalibus conditor unum mundum fecit, & in hoc alterum principum, alterum subditorum ordinē. pars autem historica uitas malorum bonorum'que continet, præterea utriusque generis tum pœnas tum præmia. cæterum quod ad leges attinet, partim præceptis constāt uniuersalibus, partim institutis particularibus. fertur ipsa legis decem capita, non per hominem interpretem, sed ex æthere pronunciata diuinæ uocis oraculo, articulatæ & ad captum rationis compositæ: cæteras leges speciatim ab eodem deo, sed per prophetam proditas. quæ omnia quoniam tractaui libris superioribus, atque etiam uirtutes bello pacique necessarias, nunc series rerum postulat ut transeā ad proposita bonis præmia, pœnasque maleficis debitas. nam legislator postquam tum præceptis monitis'que blandioribus, tum minis castigationibusque seuerioribus suos instituit, aduocata concione leges eis consideraturis promulgauit. populus uero quasi ad sacrum certamen inuitatus, suam uoluntatem non dissimulāter aperuit. Deinde alij, ceu probi uirtutis athletæ, spe sua non sunt frustrati, legibus certamen huius stadij moderantibus. alij molles effœminatique ac degeneres animo prius quàm

ualidius resisterent, conciderunt, risus & ludibrium facti spectatoribus. Quapropter illi uictores præmia tulerunt præconia cum cæteris honoribus: hi uero non solum sine corona discesserunt, uerumetiam cum ignominia molestiore quàm sit ullum certamen gymnicum. in illo enim genere succumbunt athletarum corpora, quæ rursum assurgunt facile: in hoc uero tota uita collabitur, quam semel subuersam ægre possis restituere. cæterum priuilegia honoresq;, & ediuerso pœnæ, decernuntur ordine conuenientissimo, pro ratione uirorum, familiarū, ciuitatum, regionum, gentium, magnorumq; terræ tractuum. sed prius honores considerandi ueniunt, uel quòd utiliores, uel quòd auditu iucundiores, addetur tamen suum cuiq; parti exordium. Fertur apud Græcos antiquum illum Triptolemum sublimem uectum alatis draconibus, fruges in uniuersam terram seminasse, ut pro esu glandium alimenta mitiora genus humanum caperet. id ut alia pleraq; figmenta relinquatur penes autores fabularū talium, nugis sophisticis præstigijsq; magis quàm ueritate gaudētium. nam mox à rebus conditis deus è terra uictum produxit animantibus omnibus præcipue hominibus, quibus in omnia quæ terra fert, dedit imperium. nam in operibus dei nullum est serotinum, sed quicquid arte curáq; postea uidetur absolutum, utiq; semiperfectum iam antea fuerat per naturæ prouidentiam, ut non temere artes inuentas existimare debeamus. uerùm hæc aliò differenda sunt. nunc consideremus sementem cum primis necessariam, quam fecit conditor ille in agro bono, scilicet rationali anima. in hac præcipuum semē est spes, à quo fonte uictus ratio promanat. nam spe lucri negotiator uarios quæstus aggreditur, nauclerus secundum cursum sperans maria traijcit, ambitiosus spe honorum ad tractandā remp. spe coronarum athleta subit certamina: spe felicitatis ad philosophiam animū applicant quicunq; sunt dediti uirtutum studio: quòd eius ope se putent peruenturos tum ad naturę noticiam, tum ad uitæ actiuę contēplatiuęq; perfectionem, quibus in rebus felicitatem sitam existimant. ea spei semina nonnulli hostiliter exurunt incensis natiuis animæ uirijs, aut uelut negligentes agricolæ corrumpunt per secordiam: nec desunt qui cum diligentes coloni uideantur, sui magis q̄ pietatis studiosi, benefactorū causas sibiipsis tribuunt: omnes hi culpandi merito. solus laudē meretur qui suam spem in deo collocat, cui hoc ipsum quod est debet, conseruaturo munus suū gratuito. Quod igitur præmium est propositum uictori in hoc certamine? mixtum quoddā ex mortali ac immortali natura animal, homo uidelicet, nō is ipse qui præmium accipit, nec alius tamen. Hunc Chaldæi nominant Enos, quod interpretatur homo. eam communem generis appellationem uictor accipit eximiū præmium, quasi nemo prorsus hoc nomine dignus sit, nisi qui in deo sperat. post hanc spei uictoriam superest alterū certamen in stadio pœnitentiæ: quę ubi è bene constitutæ naturę statu excidit, accensa repēte amore melioris propositi, à familiari cupiditate iniquitatéq; properat transire ad temperantiam, iusticiam, uirtutesq; cæteras. Nam duobus præmijs pensantur duo merita, discessus à turpibus, & accessus ad honesta, migratione & solitudine. Sic enim scriptura loquitur de eo qui relictis

ctis corporis affectibus rerum nouarum auidis, transfugit ad animã: Non est inuentus quia deus eum transtulerat, per hanc enim translationem manifeste significatur migratio: per id uero quod non inuentus dicitur, solitudinem intelligimus, & quidem ualde proprie. Nam si ex animo decreuit homo affectibus & perturbationibus omnibus superior euadere, contemptis concupiscentijs ac uoluptatibus, expediat se fugiatq; continuato cursu familiam, patriam, cognatos & amicos pariter. Nam consuetudo uim attrahendi habet, ut timendum sit, ne hac captus hæreat, inclusus tanta illecebrarum multitudine, quarum imaginationibus excitantur sopita iam rerum turpium studia, refricata memoria rerum quas præstabat obliuioni tradere. Sic enim multis accidit, ut peregrinando ad sanam mentem redirent, excussis præferuidis amoribus, postquam aspectus repræsentare imagines uoluptatis desijt. Nam sublatis iritamentis per inane incedit cogitatio. Quin & post migrationẽ satius est uitare sodalitia & amare solitudinem. nã & apud exteros præsto sunt laquei similes domesticis, in quos necesse est incidere, si quis sit improuidus & delectetur multorũ consuetudine. uulgus enim est enorme, inconditũ, immodicũ, culpabile, cum quo uersari tendenti ad uirtutẽ nõ expedit. sicut enim à longo morbo se recolligentium corpora leui momento relabuntur in deterius: ita quorũ anima nunc primum sanitatem recipit, nutat mente inualida, ut timendũ sit ne in morbum recidat, irritamentis ex incauto conuictu accedẽtibus. Cæterum post pœnitentiæ certamina, tria proponuntur præmia iustitiæ, cuius sectator geminos honores accipit: alterum salutem in pernicie publica, alterum custodiam ac tutelam omnis generis animalium, ad propagandam eorum posteritatẽ copulatorum per coniugia. Voluit enim conditor rerum omnium, ut idem homo & damnati generis esset finis, & initium innoxij, eos qui negant prouidentiã docens rebus magis quàm uerbis, quòd iuxta legem naturæ se autore proditã, unus uir iustus potior sit innumeris iniustis mortalibus, eius conuictu indignissimis. Hunc Græci Deucalionem, Chaldæi Noam nominant, cuius ætate ingens illud diluuium acciderit. Post eius tres filios alter sequutus est ternio sanctior & Deo charior in una familia. Nam pater, filius, nepos'que, ad eundem finem uitæ contenderunt, ut conditori parentiq; rerum placerent, contemptis quas uulgus miratur opibus atque uoluptatibus unà cum honoribus, calcata etiam uanitate, quæ se ornari gaudet mendacijs, spectatoribus fucum solita facere. Hæc est illa præstigiatrix, res inanimas in numerum deorum referens, arx magna expugnatu perdifficilis, cuius uersutijs quælibet urbs capitur, adeo subrepit in iuuentutis animos. Occupatos enim iam inde à pueritia, usque senectutem insidet, nisi si quibus deus splendorem ueritatis affulgere uoluit. Veritatis autem aduersaria uanitas est, quæ licet ægre, cedit tamen uicta uiribus efficacioribus. Verùm hoc genus exiguum quidem numero, pollet tamẽ potestq; plurimum: & quoniam eius amplitudinem totus orbis nõ capit, ad cælũ usq; pertinet: & cupiditate cõtemplandi post exquisitam cognitionẽ naturæ rerũ uisibiliũ, mox transit ad incorporeas & intelligibiles, semotis sensibus ut ministris brutæ partis animæ, mente uero &

ratione in consiliũ ad hibita. cęterũ princeps ille assertor pię sententiæ, qui primus à uanitate se totũ ad ueritatẽ magno conatu contulit, ad sui perfe-ctionem usus doctrina eximia, præmiũ accepit certã in deum fiduciam. ei uero qui ingenio tam felici pręditus fuerat, ut seipso magistro uirtutẽ per-didicerit, præmium obtigit gaudium. At illi meditatori, conatu magno ac pertinaci uirtutẽ assecuto, uidere deũ fuit operæ præmiũ palmarium. ea fi-ducia, lætitiaq́; perpetua, cum uisione dei coniuncta, quid cogitari potest in uita utilius aut honestius? Inspiciamus singula diligẽtius, & res ipsas pe nitius contemplemur non contenti uocabulis, Quisquis deo credit ex ani mo, in nulla re creata corruptibiliq́; collocat fiduciam, ne in his quidẽ qui-bus sibi placet maxime, ui rationali sensitiuaq́;. nam utraq; habet suũ con-sistoriũ, sed rationalis intelligibilia solũ cõsiderat, cuius finis est opinatio. cæterũ opinionũ instabilitas & uacillatio uel hinc liquet, ꝙ probabilibus tantũ argumẽtis nituntur & ueri similibus. omnis aũt similitudo fallax est, cum sit imago tantum rei quam simulat. itaq; fit ut ratio dux sensuũ, dum putat eodem modo tractanda intelligibilia, subinde offenset decipiaturq́;. dum eñ aggreditur tot indiuidua, inualidior fit destituta uiribus, & defi-cit sicut athleta oppressus à robustiore aduersario. at cui cõtigit omnia cor pora de sublimi despicere, & soli deo constanter inniti certissima fiducia, is uere felix & ter beatus censendus est. secundum præmium natiuam uir-tutem sectanti, & sine pulueris iactu palmam auferenti, contigit gaudium. Hunc enim Isaacum Chaldæi, Latini risum nominant. risus autem est si-gnum quo sese profert occultum mentis gaudium: qui affectus est inter omnes alios honestissimus, replens tranquillitate ac securitate totam ani-mam, lætam & deo patre conditoreq́; rerum omnium, & innocentibus a-ctionibus ac cum uirtute coniũctis, etiamsi nulla uoluptas accedat, modo salus in tuto sit. nam quemadmodũ in periculosis morbis medicus inter-dum corporis partem resecat, ut ad sanitatẽ id perducat, gubernator quo-que tẽpestate occupatus iacturã facit, dum saluti nauigantiũ prospicit, ne-mo tamẽ uel hunc uel illũ incusat quasi noxiũ, imo uterq; re bene gesta lau datur ꝙ utile dulci prætulerit: eodẽ modo rerũ natura semper suspicienda est contentis statu rerũ præsentium, modo absit malicia uoluntaria, nec in quirendum quàm iucunda sint quæ obueniunt, sed an more bene cõstitu tæ reipublicæ mundus regatur ac gubernetur salutari ordine. itaq; hic e-tiam non minus ꝙ̃ ille prior mactus uirtute uiuit lætus, quippe immunis ab omni mœsticia, ne in somnis quidem expertus uitã duram et tetricam, eo quòd anima tota occupata sit gaudio. post hũc per naturæ benignitatẽ præditum genuinis dotibus tertius sequitur ille absolutus meditator, cui præmiũ eximium, uidere deũ contigit. expertus enim omnia quę humana uita fert, & in his omnibus uersatus non obiter, laborib. nullis uitatis nec periculis, si quo pacto posset optatã ueritatẽ assequi, apud mortale genus multam inuenit caliginem, terra & mari, per aerẽ ac æthera. nam in æthere, atq; adeo toto cælo, noctis uidit quandã imaginem: quandoquidem tota sensibilis natura infinita est. quicquid autẽ infinitum est, cognationẽ pro-pinquã habet cum tenebris. itaq; prima ætate conniuẽtibus oculis animę,
præ

præ continuis laboribus uix eos potuit diducere, ut per offusam caliginē cerneret. sed repente affulxit ei purior splendor incorporeus ex æthere, & aperuit gubernari mundū intelligibilē. uerùm is gubernator circūfusus luce purißima, nec uideri nec palpari facile poterat radijs uisum hebetātib. restitit tamen uir egregius contra tantā uim igneā immenso amore uidendi percitus. quā generosam cupiditatē animaduertens pater miseratusq;, addidit robur uisui, nec inuidit sui cernendi copiam, quantū natura humana capax fuit eius spectaculi, uidelicet ut sciret esse deū, non quis sit etiam. nam is & bonitate ipsa melior, & unitate antiquior ac sincerior, nō potest spectari à quoquam alio. ideo ipsi soli fas est à seipso percipi. cæterum esse eum percipitur, si non ab omnibus, certe ab his qui per potiorē uiam incedunt. sunt enim quidā qui esse ullum numen pernegant: alij sit ne an nō sit ambigunt. alij secuti maiorum ritus potius q̄ certam rationem aliquam, talem deum cogitāt qualem didicerunt à suis educatoribus: atq; ita se egregie pios existimant, si superstitionē pro pietate amplectantur, quod si qui adiuti scientia ualuerunt imaginari rectorē atq; conditorem huius rerum uniuersitatis, ab inferis (ut aiunt) promouerunt ad supera. introgreßi enim hunc mundū, uelut bene constitutam rempublicam, & cōspicati campos montesq; plenos segetib. atq; arboribus frugiferis, uarijsq; generibus animātiū: & hos rigari stagnis, amnibus, ac torrētibus, afflari uentis aurisq; miro temperamento quatuor annuarū uicißitudinum: prætereà hæc omnia solem, lunā, erratica fixa'ue sidera, uniuersamq; cæli militiam obeuntē ordine mirifico hunc mundū dictum uero nomine, tracti admiratione cœperunt cogitare, tam bene ornatas ordinatasq; res non moueri temere: unde necessario colligebāt eas ab aliquo mūdi opifice regi magna prouidentia. Nam lex naturæ iubet opificē operis sui curam gerere. Verum hi diuiniores cæteris (ut dixi) ab inferis progreßi sunt ad supera, quasi per quasdam cælestes scalas rationibus probabilib. tendentes ad ipsum opificem. Quod si qui absq; ullo externo auxilio potuerūt ad hoc spectaculum euadere, inter sanctos uereq; pios dei cultores referendi sunt. in ijs est Chaldaice nominatus Israel, quæ uox intrepretatur, uidens deū, deum inquam, non qualis deus sit. id enim iam dixi esse impoßibile. Sed cum esse, à nullo alio didicit terrestriū uel cælestium, mortalium uel immortalium quæcunque elementa incolentium: sed ab ipso solo attactus, nec tamen dignato aperire suam essentiam. id quemadmodū contigerit, operæpretium fuerit contemplari per quandā similitudinem. Solem hunc uisibilem, num alia re, quàm sole ipso, adiuti cernimus? quid stellas, an nō sola stellarū ope aspicimus? lucis aspectū nonne luci debemus? ad eundem sane modū etiā deus per seipsum illustrat sui noticiam, cooperante nemine, quod ea res excedat uires omnium. cæterū coniectores isti qui dant operam ut per creaturas perueniant ad creatoris cognitionē, perinde faciunt ac si cognito binario scrutētur unitatis naturā, cum debuissent ab hac initium facere: ab hac enim binarius incipit. ueritatis aūt studiosi deum adiuti deo quærunt, & lumē ope luminis. hoc igitur quod diximus, maximum fuit pręmiū. sed & aliud accepit meditator, ominosum dictu, si tamē recte intelligatur, optimum. id

mũ. id figurate torpor nominatur. nã arrogãtia superbiaq́ per latitudinẽ significatur, dũ se anima diffundit quò nõ debet: per torporẽ uero, fastus tumẽtis & magnifice de se sentientis cõtractio. Nihil aũt utilius, q̃ effusos impetus & animosas contentiones torpore quodam retundere: ut immodicum affectuum robur debilitatum, latum spatium præbeat potiori parti animæ. Hic considerandũ insuper, quàm conueniens cuiq; redditum sit præmium. ei, qui discendo absolutus uir euasit, fides: quoniam discentem oportet doctori credere de his quæ docetur. alioqui difficile imò impossibile est non credentẽ erudiri. ei uero qui felici ingenio uirtutẽ adeptus est, gaudium. læta em̃ res est generositas dotibus naturæ ornata, gaudens acumine mentis & coniectationibus certissimis, quibus quæsita sine labore assequitur, usa monitore domestico. est em̃ gratissima inuentio rerũ dubiarum cõpendiaria. ceterum illi qui meditando sibi parauit prudentiam, datur uisio. Post exactam enim iuuentã actiuam in senectute uita contemplatiua succedit, optima & sanctissima, cælitus demissa, ut quasi gubernator in puppi ad clauum sedeat, & cursum rerũ terrenarũ moderetur. Nam absq; contemplatione iuncta cum scientia nihil præclarũ geritur. Vnius adhuc uiri mentionem apponam, coronati in sacris certaminibus, ne sim æquo prolixior, ac mox reuertar ad cœptam seriem. Voco autem sacra certamina, haudquaquàm ea quæ uulgus nominat. Profana enim sunt ista, ubi uiolentijs, iniurijs, iniustitijs, non meritæ pœnę, sed honores & præmia sunt proposita. ego loquor de animæ certaminibus, dũ à prudẽtia stat contra uafriciẽ & stulticiam, à frugalitate contra luxum & sordiciem, à fortitudine contra temeritatẽ ac timiditatem, & ab alijs uirtutibus contra aduersaria uitia, & cum his & inter se pugnantia. Sunt quidẽ uirtutes omnes uirgines, sed harũ choros ductat pulcherrima coniuncta cum iusticia pietas, quæ præcipua sorte theologo Mosi obuenit. Ideo pręter alia plurima prę mia, quæ in eius uita indicauimus, quatuor adsequutus est eximia, factus idem rex, legislator, propheta & pontifex. Regnauit enim nõ more aliorum fretus copijs pedestribus, equestribus et naualibus, sed Deo, cuius autoritate regnũ acceperat, subditis uolentibus ac libentibus, qui numinis cælestis instinctu eum sibi principem optauerant. Hunc solum memoriæ proditum est sine auro argentoq́; ac reliquis opibus regnum administrasse, confisum perspicaci, non cæca opulentia, & ut nil dissimulem, pro suo censu habentem quicquid Deus possidet. idem & legislator factus est. Regis enim est iubere uetareq́;. Lex porro nihil est aliud, quàm iubens agenda, & uitanda prohibens. Et quoniam utrobiq; incertum est quid conducat: accidit enim plerunq; per ignorantiam, ut uitanda iubeamus, agenda uetemus: ideò conueniebat tertiã adhiberi prophetiam, ne quid erretur. Nam propheta interpres est Dei, dictãtis intus oracula. Quicquid autem fit diuinitus, non est reprehensibile. Postremo quartus accessit pontificatus, ut pro sua facultate prophetica sciret eum Qui est colere, & quando subditis res prospere cedunt, gratias illi ageret: quod si ulla incideret offensio, supplex impetraret ueniam. Hæc cùm ad idem genus pertineant, debent contineri coaptariq́; mutuis uinculis, & in eodem requiruntur

tur homine, ut si cui quoduis desit horum quatuor, claudicantis reipublicæ imperfectus princeps censendus sit. Hactenus de præmijs uiritim propositis: eodem modo proponuntur & familijs integris, & numerosis gentibus. Iam inde ex quo populus noster in duodecim tribus distributus est, totidem constituti sunt tribuum principes, non solum ex eadem gente ac familia, sed & germanitate iunctissimi. Vnus enim communis pater fuit omnibus, conditores uero totius gentis, auus horum & proauus. Is primus omnium postquam à uanitate transiuit ad ueritatem, ualere iussis disciplinis Chaldaicis & prestigijs, ut perfectiore contemplatione frueretur qua facile captus est, non aliter quàm ferrum magnete trahitur, ex sophista sapiens factus est. Hic multorum filiorum pater, unum probauit ex omnibus, ancoram sui generis, cui fidere tutò poterat. Ex eo prognatus filius generosæ & suapte natura eruditæ indolis duos suscepit liberos: alterum ferum & indomitum, totum iræ cupiditatiq; obnoxium, & in uniuersum pro bruta parte animæ pugnātem contra ratione præditam: alterum uero mitem, humanum, uirtuti deditū & æquitati ueritatiq;, potiores partes secutum, rationis propugnatorem, aduersarium imprudētię. hic est inter primos gentis cōditores tertius ordine, solus prole numerosa felix, quam ei totam incolumem seruare contigit: haud secus ac fortunatus agricola tota segete salua, & ad frugem matura spectando fruitur. Verùm quę de horum trium singulis narrantur, latentem sensum in se continēt, qui nobis nūc introspiciendus uenit. quisquis incipit discere, statim à ruditate migrat ad scientiam. ruditas aūt est multiplex. ideo primus ille quamuis multorum pater, unicum ex his fertur agnouisse pro filio. nā & qui discit, sobolem è ruditate susceptam abdicat, & ut inimicam recusat. quandoquidē sic nati sumus homines, ut priusq; absoluatur in nobis ratio in collimitio siti uirtutis & uitij, neutrodū uergamus. Vbi uero mēti succreuerūt pinnulę, & anima cōcepit illius summi boni quandā imaginem, iam uolucris facta ultro id appetit, à tergo relicta cognata malitia: quā perpetuo cursu fugiēs, uertit se ad uiam contrariā. & hoc est quod sacra scriptura subinnuit, dum ait illū bona natura præditum genuisse geminos filios. omnis enim hominis ab ipsa natiuitate anima gemellis est grauida, quippe quæ malū (ut dixi) & bonum concepit ex utriusq; imaginatione. Vbi uero in beatam felicemq; partem incidit, ad bonū proclinat perpetuo, non amplius ambigua pendens in æquilibrio. At cui præter bonū ingeniū institutio quoq; bona contigit, & insuper tertia in uirtute cōtemplanda exercitatio, ita ut hæc omnia non in superficie hæreant, sed impressa sint altius, & sibi inuicem uelut neruis quibusdā adstricta: is cum uiribus sanitatē adipiscitur, pudore tinctam, & bonum habitū præseferentē pulchritudine. Sic anima per naturam, disciplinam, meditationem, res optimas, cōpleta uirtutibus, et nihil sibi ad incrementum faciens reliquū, gignit perfectū numerū, bis senos filios, ad similitudinem signiferi circuli, ut hic degat felicius. Hęc est illa integra familia, perfecta & cohærens tum in apertis scripturis, tum in significatis sub eis latētibus, cui præmiū cōtigit ut gētis trib. cōderet: quę processu tēporis aucta in multitudinem maximā, constitutis legitimis ciuitatibus

& disciplina prudentiæ, iustitiæ, sanctitatis cæterarumque uirtutū, propagata est amplissime. Hæc sunt præmia priscis illis uiris laudatis publice priuatimque reddita, sicut non sine figuris dictū est, ex quibus etiam reliqua facile possint intelligi: superest ut deinceps pœnas malis propositas dicamus in genere, quādoquidē ut singulatim scribātur, tēpus nō patitur. Extitit quidam fratricida mox ab initio, nondū multiplicato humano genere. hic est ille primus scelestus, qui primus purā terrā cruore hominis imbuit, qui primus effusam eius fœcunditatē ubertatēque florentissimā inhibuit, qui primus corruptionē generationi, mortē uitę, luctū gaudio, mala bonis opposuit. quas igitur dignas pœnas luere potuit, qui in uno facinore nihil prætermisit impietatis ac uiolentię? respondeat forsan aliquis: si capitali plecteretur supplicio. Verùm ista hominū est cogitatio, magnū illud tribunal nō respiciens. Homines eñ ultimū suppliciū mortē existimant: at hæc in diuino iudicio uix est pœnarū initiū. Quoniam igitur nouū erat facinus, oportebat nouā pœnā in id statui. & quā tandē? ut semper moribūdus uiueret, damnatus morte infinita quodāmodo. Sunt eñ duæ mortis species: altera, mortuū esse, quę quidē bona est aut indifferens: altera, ipsum emori, mala omnino, & quo diuturnior eo grauior. Considera igitur quomodo sit is in morte perpetua. cū sint quatuor affectus animæ, duo circa bonū præsens aut futurū, gaudiū & concupiscentia, duo circa malū instans aut uenturū, dolor & timor, altera illa bona copula radicitus excisa est, ne unquam uel gauderet, uel aliquid boni cuperet. altera uero mala insita est ei penitus, mœsticia trāquillitatis expers, & timor nulla securitate dilutus. ait enim sacra scriptura, eam execrationē inflictā fratricidæ, ut semper gemeret ac tremeret. & signo eum notatū ne interficeretur à quoquam, ne'ue semel morte defungeretur, sed ut ætatē totā moriendo exigeret, ut diximus in doloribus, molestijs, calamitatibusque indesinētibus, idque sine intermissione: & quod est omniū grauissimū, mala sua sentiret, cruciatusque præsentibus, atque prospiciens imminētia, præcauere nō posset, omni spe sibi abscisa, quā deus generi humano indidit, ut habentes intus consolatricē domesticā, leuius ferrent molestias quicunque nō patrarunt inexpiabilia. & queadmodū torrente correptus timet aquas quib. trahitur, atque magis etiā quæ superne inundant, eodē modo mala præsentia maiorū metū afferunt. metus eñ tanquam è fonte molestias exhibet. ita in fratricidā animaduersum est. extāt & exempla in totas familias edita, cōiuratas in societatē sceleris. hi fastu insano turgidi, aduersus sacerdotes coorti sunt, nō contenti ędituorū, in quo tū censebantur, ordine, quod ad primum aspirarent & amplissimū. itaque autore coniurationis uiro inter ipsos natu maximo, qui se cæteris ab officio decedētibus ducē præbuerat, deserto fano & sacri tabernaculi uestibulo, ruebant in ipsa penetralia, iubēdo sacerdotes loco sibi cedere. quo facto, tumultus, ut par erat, excitus est in uniuerso populo, cum temerarentur quæ turbari nefas est, & ualde cōfunderentur ceremoniæ, adeò ut præfectus genti rem ferret ægerrime. ac primum quidem pro solita grauitate iram compescuit, erat enim ingenio mitissimo, conatus eos uerbis ad meliorē mentem traducere, ne transgrederētur præfixos terminos, neue nouitates inducerent

in reli-

in religionẽ sanctissimã, à qua penderet salus reipublicæ. sed quoniam nihil proficiebat apud surdos ad omnia, quod putarent eum domestico affectu uictum, fratri pontificatum, fratris uero filijs sacerdotium dedisse, non grauatim hoc quamuis graue ferebat: illud uero grauissime, quod uideretur oraculis, ex quorum sententia sacerdotes optabantur, illudere. Quod autem faustæ imprecationes quas propheta benedictiones uocare solet, priores sint, liquet è sacrarum literarũ testimonio. Si, inquit, diuinis mandatis obedientes fueritis, nec tantum in aures hæc admiseritis, sed per omnem uitam factis expresseritis, dabo uobis de inimicis uestris uictoriam. Non sunt enim nimia præcepta, nec grauiora quàm ut perferri possint uiribus accipientiũ: nec longe bonum illud abest: aut trans mare, aut in extremis orbis finibus, ut opus sit diuturna laboriosaq; peregrinatione: nec iubemur hinc repente sublimes in cælum migrare, quod non nisi pennatis alatisq; potest contingere: sed in proximo est situm in tribus cuiusq; nostrum partibus, ore, corde ac manibus, uerbis, cogitationibus atq; operibus. nam si non discrepent sermones à consilijs, si dictis facta consonent, omniaq; hæc inter se respondeant coniuncta coaptataq; insolubili uinculo, præsto erit felicitas, hoc est uerac issima sapientia prudentia'que, quarum altera deum colimus, altera dispensamus humana negotia. ergo donec legum præcepta intra uerba consistunt, parui & penè nullius momenti sunt. quod si accesserint facta his consentanea in omnibus uitæ studijs, tum uero tanquam è profunda caligine in lucem subducta, illustrabuntur egregia fama simul atque gloria. Quis enim nisi natura malignus & inuidus non fateatur, hoc solum genus pollere scientia sapientiaq;, cui datum est diuina mandata non in cassum accepta suis actionibus exequi, & cum laudandis dictis paria facta coniungere? hoc genus prope Deum habitans, imaginatus semper æthereas pulchritudines, & cœlesti amore ducitur: ut roganti quæ'nam sit gens magna, non inepte responderi possit: cuius preces sanctissimas Deus exaudit, & exoratur ab inuocãtibus se pura conscientia. Quoniam autem inimicorum duæ sunt species, uel hominum per cupiditatem immodicam de lucris contendentium, uel ferorum animalium suapte natura nobis infestorũ, de utroq; separatim dicam, incipiens à bestijs naturalibus hostibus. Nam hæ non erga unã quampiam ciuitatem gentem'ue affectæ sunt hostiliter, neq; ad certum temporis spatium, sed per infinita secula. Harum pars hominẽ ut herum metuens, odio timori mixto prosequitur: pars uero audacior per occasionẽ eum aggreditur, quæ infirmiores sunt, ex insidijs, fortiores uero aperta ui & propalã. perpetuũ enim hoc bellũ nullas admittit inducias, quale lupis cum agnis, omnib. hominibus & omnibus bestijs uel terrestrib. uel aquaticis mutuo se infestãtibus: quod dissidium mortalis nemo, sed solus deus potest tollere: quoties aliquem salute dignũ æstimat, mitibus sedatisq; præditũ moribus, societatis amatorẽ & concordię, qui aut prorsus nesciat inuidiam, aut eam mature reliquerit, bona sua libenter cõmunicantem in utilitatem publicam. nam si tale bonũ exoriretur in uita, possemus etiã sperare tempus illud quo feræ mansuescerẽt, & ante omnia ferini affectus qui stabulantur in ani-

in anima, quo quid esse posit felicius? alioquin nónne stulticia sit, credere fore ut effugiamus bestias noxias, cũ in nobis ipsis feritatẽ augeamus indies? non desperandũ igitur mãsuefactis nostris moribus posse cicurari & animalia: tum demũ opinor leones, ursos, pardos, & Indicos elephãtos atq; tigrides, cæteraq; inuicti roboris, à solitario uictu transitura ad sociabilẽ paulatim deposita ferocia, & more gregaliũ latura consuetudinem hominum, cum quadã uelut erga dominos magistrosq; suos reuerentia: nõnulla etiam eó processura, ut heris gestu caudaq; adblandiantur in morem catellarũ Melitensium. tunc & scorpiorũ serpentumq; uenena cessatura, cæterorũq; reptilium. habet Ægyptiũ quoq; flumen animalia carnes accolarum hominum appetentia, quæ crocodilos uocãt et hippopotamos, habent & maria multas huiusmodi species: quæ omnia bonum uirum tanquam sacrum uererentur uiolare, uirtutis ergó à deo susceptum in tutelam suam & gratiam. hac ratione sedari posset antiquum illud bellum à natura insitum & auctũ longa odiorum assuetudine, bestijs etiam cicuratis et mutatis in mitius ingenium. aliud uero illud posterius natum ex auaricia cupiditateq; immodica, tolleretur opinor facile, si homines naturæ ac dignitatis suæ memores puderet hac parte haud ita multũ differre à brutis animalibus, à quorũ ui tutiores sunt quàm à suo genere. Viderẽt enim q; sit turpe ac dedecorosum, illa quidem uenenis armata & carnium humanarũ auida, insociabilia solitariaq;, nõ aspernari pacem, nec abhorrere ab inducijs: hominem uero suapte natura mite animal, natum ad societatẽ ac concordiam, peruicaciter sæuire in uitam sui similium. ac fortasse bellum nunq; penetrabit regiones piorum, sed in ipso conatu corruet, hostibus sentientib. aduersus quales uiros certãdũ sit, firmatos inuictis auxilijs iusticiæ. uirtus enim augustã & reuerendã præ se fert speciẽ, & sola potest sedẽdo magnas calamitates imminentes repellere. aut si præ insania rabidi ruant in bellum pertinaciter, tãtisper dum cõgrediantur, durabit audax superbia: ubi uero ad conflictum uenerint, discent inanẽ fuisse suam iactantiam, & frustra cõceptam spem uictoriæ. reiecti enim maioribus uiribus effusißime fugient quinos centeni, centenos decies milleni, dispalati per multas uias qui per unã uenerant. Nonnulli etiã nemine persequente suopte metu per æqua iniqua ruent, ut facile internecione deleri queãt. Egredietur homo, inquit, oraculum, qui bellando imperitãdóq; multas ac magnas gentes subiugabit, deo factis suis submittente debitũ auxilium. Hoc autem est inperterritum robur animi, & uires corporis firmißimæ, quorum uel alterum hostibus incutiat formidinẽ: ambobus uero coniunctis haudquaquam resisti potest. Eadem oracula pollicentur, quosdam hostes indignos qui perirent manibus hominum, opprimendos à crabronũ examinibus, ut ad internecionem eorũ accedat ignominia fœdißima, pro sanctis contra impios bestiolis pugnantibus. Nec solum incruẽta potituros uictoria, uerum etiam longe lateq; fines imperij prolaturos in utilitatem subiectarum gentium, deuinctarum uel metu, uel pudore, uel gratia. Hæc enim tria plurimum faciunt ad constabiliendũ imperium, maiestas, grauitas, & beneficentia, quibus artibus facile perficiuntur ea quę modo diximus. Nam maiestas

maieſtas parit reuerētiam, grauitas metum, beneficia beneuolentiam, quæ res quoties in unum pectus conueniunt, egregie continent ſubditos in officio. Hæc ſunt quæ in primis promittuntur deū ſequentibus, & eius mandata ſemper obſeruantibus, accommodantibusq; ad hæc partes uitæ ſingulas, ne qua peſtis aberrantibus obrepat. Secundum pollicitum eſt opulentia, quę neceſſario pacem & principatum ſequitur. ſunt autem frugales opes, quas natura poſtulat, alimento contenta & tegmine. alimenta præbet panis & aqua fontana, quę nuſquam terrarum deficiunt. tegminū duo ſunt genera, tectum & ueſtimentum, quibus arcentur tempeſtatum iniuriæ: utrumq; paratu facile, modo abſit ſuperuacanei luxus curioſitas. ergo qui naturæ dona boni conſulunt abdicatis uanitatibus, parſimoniam ſectantes & continentiam, in ampla rerum neceſſariarum copia non deſiderabunt delicias diuitum. nam ueræ opes faſtidita familiaritate illorum improborum & petulantiū, migrabunt ad homines qui bonis ſuis uti ſciunt, non ut illi abutūtur in damna ciuium neglecta utilitate publica. oraculum ſic loquitur: Quicunq; ſacra mandata cuſtodient, his cælum demittet tempeſtiuas pluuias, terra uero fundet prouentus frugum omnis generis, colles quoq; horum ueſtientur arbuſtis fertiliſsimis, nec ullum tempus præteribit uacuum beneficijs, ſed alia ſuper aliam gratia diuina cumulabitur, redeunte poſt meſſem uindemia, poſt uindemiam ſemente, ut ſine intermiſſione uel comportentur fructus uel ſperentur, alios alijs excipientibus, & priorum fine attingente poſteriorum initia, in modum circularis cuiuſdam choreæ boni nullius indigæ. nam copioſi prouentus & ad præſentes uſus & ad reponendum in futurum ſufficient, nouis fructibus ſuperuenientibus & ueterū detrimenta ſartientibus. interdum tanta erit fertilitas, ut ueteres pro derelictis habeantur, nemine uſum eorū inuidente cuilibet. nam quibus uerę diuitiæ ſunt in cælo reconditę per meditationē ſanctitatis ac ſapientiæ, his res familiaris in terra ſupereſt, penum replente dei prouidentia, ne mentis cogitationes & manuū conatus impediantur, quo minus gnauiter ſe gerant in ſerijs ſtudijs. cęterum qui exortes ſunt rerum cæleſtiū propter impietatē aut iniuſticiam, his ne in terra quidem feliciter ſuccedūt opes domeſticæ: quod ſi aliquo caſu obueniāt, celeriter ſe proripiunt, quippe quæ non ut prodeſſent, uenerant, ſed ut amiſſæ grauiorem (ſicut fieri ſolet) afferrent moleſtiam. at tunc, inquit, præ nimia fertilitate facies contrarium. nunc enim abſq; omni legum cōſuetudinumq; patriarum reuerentia propter inopiam teris fœneratorū & menſariorū limina, preſſus ære alieno uſurisq; grauibus. Tunc aūt (ut dixi) facies contrarium. Nam præ nimia rerum affluentia dabis alijs mutuū, idq; nec paucis nec exiguū, deo fortunante congerenteq; tibi domi honores, magiſtratus & bonam exiſtimationem recte pieq; ſentienti & promouenti rempublicam: foris uero agros tuos cumulāte annuis prouentibus frumēti, uini, olei, cæterorūq; ad uitam delicatiorem conferentium: quales ſunt uarij fructus arborū, & fœturæ gregum armentorūq;. Verùm quid iſta iuuant, dixerit aliquis, ſi deſit cui relinquatur hæreditas? addit igitur uelut obſignās ſua beneficia: nullus prole carebit: nulla erit ſterilis: ſed omnes rite deum

colentes satisfacient naturæ legibus quærendo sibi liberos. nam uiri fient patres & quidem fortunatę sobolis, mulieres quoque mactæ liberorum numero, res plurimum conducēs ad familiarū frequentiam, cessante nulla parte cognationis appellationéque, dum maiores salutantur parentes, patrui, aui, auunculi, paritérque minores germani, fratrum sororum'ue filij, nepotes, cōsobriníque, omnes sibi inuicem cōsanguinei. nec potest quisquam imperfectus aut breuis æui esse qui iuxta naturæ leges nascitur, nec carebit ætate illa ex his quas deus tribuit humano generi: sed ab infantia certis deinceps ascendens gradibus emensus præfinita ætatum curricula: maturus ad mortem extremam perueniet immortalitati uicinam, felicē domum relinquens liberis successoribus. & hoc est quod alicubi uates diuinus canit, dicens: Numerum dierum tuorum explebis, perpulchre usus proprijs simul & aptissimis uocabulis. Nam eorum qui nec disciplinis instituti sunt, nec legibus, nec numerus initur, nec habetur ratio, iuxta uetus prouerbium. Quisquis autem disciplinam & sacras leges nō negligit, hac prima dignus habetur gratia, quòd in numerū & ordinem recipitur, ita ut uir bonus singulis diebus nullum sinat peccatis patere aditum, sed ab omni parte uirtutibus interstitia cōpleat. Nam uirtus & honestas in qualitate consistit non in quantitate. Vnde uel unus dies sine culpa transactus integræ uitæ sapientis æquiparatur, quod etiam aliubi scriptura subindicat, dicens faustum felicémque uiri talis tam introitum quàm exitum: quia bonorū uirorum motus omnes & habitus sunt laudabiles, domi foris'que in reb. tum priuatis tū publicis, domi se gerentiū ex arte œconomica, foris uero ex utilitate publica. Ergo si unus uir talis in ciuitate extiterit, facile princeps euadet. itē ciuitas talis, facile circūuicinæ regionis potietur imperio. quod si tota natio talis fuerit, superior fiet omnibus alijs, uelut caput eminens in corpore, nō tam suæ gloriæ priuatim, quàm bono publico consulens. nā continua præclarorū exemplorum cogitatio simulacra quædam in animis non admodum duris exprimit: quod dictum uolo honesta laudandáque imitari cupientibus, ne desperent mutationem in melius, & uelut postliminio reditum à uitijs ad uirtutem & sapientiam. Nam deo fauente ac propitio facilia redduntur omnia. fauet autem ille uerentibus se, & ab intemperantia proficientibus ad continentiam, damnātibus errata uitæ præteritæ, & quicquid imaginum turpium fuerat in animam impressum expiantibus: affectuum uero tranquillitatem sectantibus, & ad pacatam quietamque uitam recurrentib. quemadmodum igitur homines in extremis terrarum finibus habitantes facile deus in unum quemcunque uellet locum uel nutu cōtraheret: eodem modo et mentē diuturnis erroribus passim circumuagatā sectatamque uoluptates ac concupiscentias molestas dominas, miseratus seruator ex auijs in uiam facile posset reducere, ita ut continuato cursu fugā capesseret, non illam ignominiosam, sed salutarem, & quam ab exilio reditū appellare liceat. Hæc sunt externa bona, uictoria contra inimicos, uires bellicæ, pacis diuturnitas, et copia rerum quam secum pax afferre solet, diuitię, honores, magistratus, & laudes quę fortunatos sequuntur ex ore amicorum inimicorúmque, has metu eliciente, illas beneuolentia. nunc dicendum de magis

proprijs

propriis ad corpus spectantibus. hæc quoque promittuntur uirtutem exercentibus, & ductu sacrarum legum per totam uitam dicta facta'que dirigentibus, fore tum familias tum ciuitates immunes à morbis & pestibus. quod si qua infirmitas inciderit, uenturam non lædendi sed admonendi causa, ut mortales se mortales meminerint, ne'ue nimium superbiant. emendatos autem mores secuturam sanitatem & integritatem sensuum ab omni parte corporis, ita ut cunctæ suo perfungi possint officio. æquum enim censet deus, probis rependi præmium, domicilium bene constructum compactum'que à fundamentis usque summa culmina (nam corpus domus est animæ congenita) id'que multis de causis utilibus ac necessarijs: maxime quia mens expiata & diuinis initiata mysterijs, digna uidetur requie, ut expers sit omnium malorum corporis, quæ solent prouenire ex immoderatis affectionibus uires eius infestantibus & corrumpentibus. aut enim perfrigeratur, aut squalidum exuccum'que, aut diuerso uitio fluidum redditur: quę omnia menti officiūt, ne possit in offensum uitę iter peragere. quod si in corpore sano domicilium habeat, minimo negocio uacabit sapientiæ, sortita uitam beatam & felicissimam. huiusmodi est mens inebriata mero beneficæ dei potentiæ, & satiata sacrorum dogmatum epulis. in hac propheta deum ait inambulare tanquàm in aula quadam regia. mens enim uiri sapientis est reuera dei regia. huius proprie deus dicitur qui est deus rerum omnium: sicut populus eius eximius, non qui huic aut illi paret principi, sed qui sanctificatus unicum agnoscit uerum principem sanctissimum. hæc antea multis oppressa fuerat concupiscentijs, plurimis necessitatibus adigebatur ad uitia. huius miseræ deus contriuit seruiles cō pedes, ipsam'que in libertatem restituit. hæc libertate dicendi agendi'que potita per sui benefactoris fauorem inclytum, non in caudam collapsa est, sed assurrexit ad uerticem capitis, quod figurate dictum sit. sicut enim in animantibus caput præcipua pars est & optima, cauda uero ultima uilissima'que, non tam necessaria ad explendum membrorum numerum, quàm muscarium quoddam abigendis uolucribus bestiolis corpus infestantibus: sic caput & fastigium humani generis tribuitur bono uiro aut bono populo: cæteri omnes tanquàm membra corporis, uires animales superne desumunt à suo capite. Hæc sunt uota bonorum hominum, leges opere perficientium, quas uates noster pollicetur perficiendas per diuinam gratiam, deo res honestas augente honorante'que ut ipsi similes. Superest, ut consideremus execrationes his qui nec ius nec fas colunt propositas in sacris literis.

ctissimorumq́ꝫ,nedum exterorum alienorumq́ꝫ. nam & pater gustabit de filio,& mater uescetur filiæ uisceribus,& fratres fratrum,& parentum filij: semperq́ꝫ fortiorem pascet infirmior cibo execrabili: quales feruntur epulæ mactatis Thyestæ filijs, redeuntibus calamitatũ priscarũ temporibus. quemadmodũ enim felicia secula desiderium uiuendi afferunt, quo præsentibus bonis frui liceat:sic illos miseros dira cupido uitæ capiet, quo diutius torqueantur malis indesinentibus. alioqui leuius esset præ tædio uitã abrumpere,quod quidam nescio quàm sana mente faciunt.hi certe manifesta laborant insania qui ætatem sibi diutius prorogari cupiunt,nec capiuntur ulla satietate infortunij.Hæc sunt incommoda immissæ diuinitus inopiæ, utcunq́ꝫ uidetur cæteris execrationibus leuior. quamuis enim molestum sit frigus,molesta sitis fames'ue,interdum tamen optari possunt,modo sine mora enecent:sed eisdem malis diu corpus ac animam tabescere, id uero tragicas omnes calamitates superat.seruitus ingenuis est uehementer intolerabilis, quia pro libertate tuenda libenter subeunt uitæ periculum quotquot sapiunt,nullum certamen recusando aduersus affectantes dominium:grauis est etiam hostis inexpugnabilis. Quoties autem idem & hostis simul & dominus imminet, quis sustinere queat? quando potestas ei præbet lædendi licentiam, nec uoluntas deest propter inueteratum odiũ. quamobrem deus populo suo minatur infensos dominos, qui tractent cõtemptores diuini iuris inclementissime,non solum subactos ipsorum uiribus,uerum etiam ultro deditos metu malorum inopinatorum, famis atq́ꝫ necessitatum similium.quidam enim minora mala eligunt, ut maiora effugiant,si tamen minus incommodum censendum est post amissam libertatem imperata immitium dominorum facere,& afflicto corpore subire dura ministeria,& quotidie uidendo ingrata spectacula, etiam animo deficere.uidebunt enim in ædificiorum & plantationum,possessionumq́ꝫ partarum suis laboribus hæreditatem succedere gentes hostiles,in aliena inuasuras prædia,&apparatu alieno fruituras:uidebunt pinguissimas quasq́ꝫ pecudes mactari instruendis eorum epulis,nec parci condimentis, ut inimici ex alieno uiuant suauius.uidebunt uxores, quas puellas duxerant quærendorum liberorum gratia,sobrias,bene curantes rem domesticam, maritorum amantes,abduci pro meretriculis.& cupient quidem uim ui repellere, sed præter inanem tumultuationem nihil efficere poterunt,nimirum eneruati destitutiq́ꝫ uiribus. erunt etiã expositi quibuslibet ad omnes iniurias direptiones,abactiones,cõtumelias,damna,cruciatus,uulnera, perniciem, ita ut nullũ hostile telum innoxium intercidat,sed omnia destinatũ feriant. execrati erunt in urbibus & oppidis,execrati in uillis & domibus.execrati campi etiam aruaq́ꝫ cum suis segetibus, & quantũ fertilis soli collib. assurgit,uestiturq́ꝫ arbustis mitiorum stirpium. execrati greges pecorũ nõ suppleni nouis fœturis. execrati fructus omnes. in ipso articulo maturitatis euanidi.euacuabũtur & ipsæ cellæ penuariæ,quãuis alimẽtis refertissimæ. nullus quæstus prosperabitur,artificia cuncta uariæq́ꝫ negotiationes & uictus quærendi rationes nihil proderunt. Frustrabũtur enim spes studiorũ omnium,& in uniuersum nihil earum rerum succedet prospere, quæ solẽt

feliciter euenire pietatis cultoribus. hæc est enim iniquitatis merces impietatis'que, & insuper uaria genera morborum corporis, singulas eius partes excedentia uel debilitantia, aut totum quantum est excrucianția, febribus, rigoribus, tabe, impetigine, morbo regio, sideratione, uomicis, serpiginibus totam cutem occupantibus, intestinorum uitijs, stomachi subuersionibus, pulmonis obturationibus, & respirationis impedimentis. Huc accedit linguæ paralysis, aurium surditas, oculorum cæcitas, hebetudo confusio'que aliorum sensuum, grauissima incommoda, dilapso è sanguine uenis contento quicquid uitale in se habuerat, & spiritu qui inest arterijs, nō amplius admittente externi aeris sibi cognati temperiem: neruis quoq; laxatis & contentionem remittentibus, unde sequitur coaptationis consensusq; membrorum dissolutio, defatigatorum prius salsuginosi amarulentiq; fluxus impetu latenter insinuati, & postq; semel inclusus est angustis meatibus, nō inuenientis facilē exitum, & per hanc conflictationem inducentis dolores intolerabiles: unde proueniunt morbi articulares & podagrici, contumaces aduersus omnia remedia, & proinde ope humana incurabiles. huiusmodi calamitates quoties accidunt, miraculo sunt plurimis, reputantibus quomodo qui paulo ante obesuli, carnosi, luculentaq; habitudine conspicui fuerant, tam repentina tabe colliquati sint, rugosi redditi, & uix neruis hærentes atque ossibus, operti'que tenui cuticula. tum quomodo mulierculę delicatæ ac tenerrimæ, ab ipso ętatis primordio assuefactæ delicijs & uoluptatibus, præ afflictione graui redactæ sint ad ferinam quandam animi simul ac corporis speciē. tum uero imminebunt hostes etiam intentando ultores gladios. At illi misere in oppida compulsi, cum se que sua'que in tuto esse credent, spe frustrati cadent internecione quotquot erunt puberes, ex insidijs oppressi ab hostibus: quod si ne sic quidem emendati fuerint, nec ab erroribus in ucram uiam redire uoluerint, tanta innascetur animis superstitum pauiditas, ut nemine persequente fugiant, solis ut ignaui solent profligati rumoribus: & uel leuissimæ frondis uento agitatæ strepitus tantum metum incutiet, quantum grauissima uictore tergis hærente pericula: ut nec filij parentibus opitulentur, nec parentes liberis, nec germani fratribus, ne forte dum alijs parant succurrere, amissa fugæ occasione in potestatem hostium ipsi ueniant. Sunt autem malorum hominum spes irritæ. nam fugientes non magis quàm manentes euadent. quod si qui abdiderint se in latebras, in hostes sibi naturaliter infensos incident, uidelicet in feras agnatis armis horrendas, quas Deus à mundo condito præparauit ad terrorem contumacium hominum, & ad exigendas pœnas ab inemendabilibus. hæc non credent qui non spectauerunt urbes euersas funditus, quæ quondam habitatæ nunc abierunt in fabulam, post ingētem felicitatem repentinis obrutæ calamitatibus, partim obliuioni traditæ, partim relatæ in literas. huc accedent tabes, & corruptis interaneis anhelitus difficiles, quæ tædium pressuram'que inducendo, uitam incertam facient ceu in sublimi pendentium. nam terrores alij post alios interdiu noctuq; succedentes sibi inuicem sursum ac deorsum exagitabunt animam, ut manc uesperam optet, uespere uero auroram, ob erumnas uigilantium,

& eas


& eas quæ dormientibus in somnis obuersantur abominandas imagines, atq; ita eueniet ut nouelli coloni deo fortunante fiant conspicui, prædicenturq; beati duobus nominibus, uel quòd ad deum transfugerint, uel quòd ab eo cæleste pręmium acceperint, non enunciandum profanis auribus. at ueteres ciues sed degeneres pessum ibunt prolapsi ad imum tartarũ tenebrasq; profundissimas: ut hisce exemplis genus humanum admonitum sapiat, non ignarum quàm libenter deus amplectatur uirtutẽ uel ignobilium, qui radices nihil moratur, sed solas stirpes suscipit, mutatas ad frugem meliorem. atque ita urbibus absumptis uelut incendio, desolatis'que agris, respirabit tandem terra uexata exercita'que non ferendis incolarum iniurijs, qui uirgines hebdomadas & è sua ditione, & ex ipsis animis eiecerant. solum enim, aut ut cautius loquar, primum festum natura parens protulit, septimi cuiusq; anni & diei, ut his homines, illis agri, interquiescerent. cæterum qui hanc legem uiolarunt, simulq; fœdera, salem, aram misericordiæ, communemq; larem, omnia hæc ad hebdomadam pertinentia contempserunt, tum homines ipsis infirmiores grauauerunt continuis laborum exactionibus, tum agros ipsos lucris ex his indesinenter quæsitis per auaritiam, nullum modum imponendo iniquæ cupiditati nunquam satiabili. cum enim debuissent hominibus, iuxta ueram æstimationem germanis fratribus communi parente natura prognatis, inducias ad septimũ quemque diem præscriptas concedere, agris itidem quoties annus septimus recurreret, nec sationibus eos uexando nec insitionibus, ne exhaurirentur laboribus continuis: neglexerunt hæc præcepta humanissima, & animos corpora'que quorumcunque poterant, non ferendis ærumnis oppresserunt, terræ quoque uires & ubertatem extenuauerunt iniquis exactionibus, tributa non modo quotannis, sed & quotidiana extorquendo, quemadmodum inhumani creditores exprimunt à suis debitoribus. quapropter illos quidem uindicta manet (ut diximus) & execratio: hæc uero debilitata, & mille modis uexata, exonerabitur tandem colonis impijs, tanquam sarcinis iniquis & superuacuis. Vbi uero circumspectis rebus omnibus per circuitum, nihil se indignum superesse animaduerterit, sed sublatis è foro strepitibus, iniurijs, litibus, florere pacem, quietem atq; iusticiam: tum demum uigorem pristinum recipiet, reuocatisq; in usum sacris sabbatis festisq; solennibus, per quietem reficietur, tanquam athleta uires colligens à lassitudine. deinde ut mater amantissima miserabitur amissos filios ac filias, qui magis uiui quàm defuncti suos parentes contristassent: mox tamen renouata fœcunditate, pariet progeniem inculpabilem, quæ prioris iacturam sartiat. nam desolata, ut ait propheta, felix erit numerosa sobole: quod oraculum etiam de anima figurate intelligitur. Sunt enim quæ refertæ uitijs & affectibus, tanquam circumfusæ sua progenie, uoluptatibus, concupiscentijs, imprudentia, intemperantia, iniustitia, male ualent & ægrotant moribundæ: ubi uero desierunt tales fœtus parere, aut iam natis orbatæ sunt, continuo restituũtur in castitatem uirginitatemq; pristinam, & conceptum diuinum semen formant ac uiuificant, ut inde nascantur res mirandæ pulchritudinis, prudentia, fortitudo, temperantia, iusticia, sanctitas,

tas, pietas, cæteræ'que uirtutes ac felicitates: quarum non modo natiuitas mactam prole facit parentem, uerumetiam spes natiuitatis gaudio magno afficit. spes autem est lætitia futuræ lætitiæ prænuncia, licet imperfecta, tamen hactenus potior: quòd & præsentibus curis laxatis remissisq; hilarat, & futuræ felicitatis complementum prænunciat. Hæ sunt execrationes & pœnæ quibus obnoxij sunt sacrarum legum & pietatis contemptores, cultoresq; multorum numinum, quorum finis est impietas & obliuio disciplinæ patriæ, ab ætate prima insitæ, unum illud supremum ens deum credentis: ad cuius sortem pertinēt ueritatis cultores & derisores fabularum, quemadmodum nihil reticens docui. attamen si qui has castigationes non ut peremptorias, sed ut ad emendationem incitantes acceperint, mutaticq; suum errorem damnauerint, & perpurgata mente culpas agnouerint ex animo, primum sincera conscientia, deinde lingua quoq; ad profectum audientium, ueniam consequentur apud seruatorem & deum propitium: qui generi humano hanc eximiam largitur gratiam, quòd id suo uerbo cognatum esse uult, ad cuius similitudinē factus est hominis animus. nam etiamsi qui extremas oras terras incolant, seruientes eis à quibus captiui abducti sunt uictoribus, uelut uno edicto una die liberabuntur omnes, dominis mirantibus eorum consensum in deserendis uitijs & sectandis uirtutibus. pudebit enim eos dominari melioribus. tum uero potiti hac inexpectata libertate qui antea dispersi fuerant per Græciæ Barbariæ'que continentes & insulas: eodem momento temporis exciti è diuersis sedibus contendent ad locum destinatum, deducente quodam spectro augustiore diuiniorecq; quàm quæ obuersari solent humanis oculis, cęterorum quidem nemini, sed solis seruandis conspicuo: tribus freti apud patrem intercessoribus aduocatis'que. uno æquitate siue bonitate ipsius patris, qui semper ad pœnam tardior est quàm ad ueniam. altero, priscis gentis conditoribus, qui etiam exempti corpore nudis animi sincerum suo principi cultum exhibent, pro filijs filiabus'que indesinenter efficacibus precibus supplices, hoc honore digni ab eo habiti, ut exaudiantur facile. tertio uero eo, propter quem maxime à prioribus captatur beneuolentia. is est profectus eorum qui reconciliantur, alioquin nunquàm ab errore in uiam rediturorum, cuius uiæ haud alius finis est, quàm ita deo placere, ut patri probantur filij. ubi uero quò uolebant, peruenerint, resurgent ædificia quæ modo in ruinis & ruderibus iacuerant, & coletur deserta regio, & terra prius ad sterilitatem redacta fiet denuo fertilis: tum priscæ illæ maiorum felicitates nihili reputabuntur collatæ ad præsentem copiam, uelut è perenni gratiarum dei fonte manantem, ita ut omnibus priuatim publice'que contingant diuitiæ sine inuidia. erit enim repentina rerum cunctarum mutatio. auertet enim deus diras in hostes resipiscentium, qui calamitatibus eius gentis lætati fuerant, cauillantes illudentes'que conuicijs, quasi futuri perpetuo felices, & eam felicitatem per manus tradituri posteris, aduersarios uero semper uisuri in miseria continua duratura usq; ad ipsorum progeniem: præ uesania non intelligentes quòd præteritum fortunæ splendorem non sibi suæ'ue industriæ ferre acceptum deberent, qui tantum in hoc

eis con-

eis concessus sit, ut esset remedium patriarũ legum desertoribus, dũ eos urit hostium felicitas. postquam igitur suum lapsum ploratu gemituq́ue damnauerint, postliminio restituerentur ad maiorum felicitatem pristinam, nisi qui omnino exorbitarunt in perniciem: cæterum qui prius eorum dolorem riserant, nefastos luctuososq́ue dies epulis celebrare soliti, & in uniuersum lætari calamitatibus, cum primum incipient mercedem crudelitatis accipere, sentient se peccasse non in cõtemptos ac humiles, sed claris oriundos maioribus, quorum æmulatione excitari queant ad decus capessendum quod extinctum putabatur. sicut enim excisis stirpibus si radices maneant, nouæ plantæ pullulantes leuant ueterum desiderium: sic in anima relicto exili uirtutis semine, quamuis desint bona cætera, nihilominus inde nascentur res omnium humanarum pretiosissimæ atq́ue pulcherrimæ, quarum ope ciuitates instaurantur & frequentantur ciuibus, gentes quoq́ue ad miram populorum proficiunt multitudinem.

PHILONIS IVDAEI
QVOD MVNDVS SIT INCORRVPTIBILIS.



CVM in omni serio negocio deus inuocandus est, ut genitor optimus, cuius exactissimã scientiam nihil omnino fugiat: tũ uero de incorruptibilitate mundi tracturo id fuerit prorsus necessarium. nam nec inter ea quæ sensu comprehẽduntur, quicquam est mundo absolutius, nec inter ea quę intellectu percipiuntur, quicquã deo perfectius. semper autem intellectus dux est sensui, sicut intelligibile sensibili, et decet ut de rebus subditis scitentur ex magistro earum ac præside, quicunque præ cæteris tenentur natiuo cognoscendæ ueritatis desiderio. Ergo si exerciti in placitis temperantiæ, prudentiæ uirtutumq́ue aliarum, abstersimus perturbationum & ægritudinum maculas, non dedignabitur deus puris serenisq́ue precibus coram compellatus impartiri nobis scientiam rerum cælestiũ per insomnia, uel oracula, uel signa & prodigia. sed quoniã nondũ abolita sunt imprudentiæ, iniustitiæ, cæterorũq́ue uitiorũ stigmata uix eluibilia, cõtenti sumus si uel umbrã quandã & imaginẽ ueritatis inuenire dabitur. in hac aũt quæstione, an incorruptibilis sit mundus, ante omnia dispiciendum est de significato huius uocabuli, in scriptura sæpe occurrentis, ut quid sibi uelit certò sciamus. ostẽdemus aũt tãtum ea significata, quæ ad præsentem tractatũ faciunt. Primo dicitur mundus, ambitus cæli stellati, cõplexus terram cum stirpibus suis & animantibus. secundo, cælũ tantũmodo. quod intueri solitus Anaxagoras, cuidã scitãti cur ita libenter ferret subdialia peruigilia, respondit, ut cæli aspectu fruar: cursus & recursus siderũ in orbem redeuntes subindicans. Tertio, sicut placet Stoicis, essentia quędã digesta indigestaue, usq́ue ad exustionem duratura, cuius mo-

tus ſpatia tēpus eſſe definiunt. Nunc aūt conſideratur mundus iuxta primum ſignificatum, hic qui è cælo terráq; conſtat, & cæteris quæ intra hæc continentur. Corruptio quoq; dicitur, nūc in deterius mutatio, nunc interitus ita ut nihil fiat reliquū, quæ nulla ratione poteſt ſubſiſtere. Nam ſicut è nihilo nihil fit, ſic nihil corruptione redigitur in nihilū. nam ex non exiſtente impoſsibile eſt quicq; fieri, & ens prorſus interire impoſsibile creditur, & ut tragicus ait: Genitum nihil emoritur: Sed tranſpoſitum ultro citróq;, Formam priorem alterat: adeo ſtultum eſt ſolicitū eſſe de mundi interitu, ſed in quæſtionem uenit tantū hoc, poſsit'ne mundus præſenti ornatu amiſſo, & uarijs formis elementorū temperaturiſq;, diſſolui in unam & eandem ſpeciem, an uelut confractus omnimodam fragmentorū confuſionem capiat. hic tres opiniones diſſentiūt. alij mundū ſempiternū aiunt, nec ortum unq; nec interiturū. ediuerſo alij & ortum & corruptioni obnoxium. nonnulli utramq; ſententiam diuidunt, ortū ſentiunt cum poſterioribus, corruptibilem negant cum prioribus: atq; ita mixtū dogma reliquerunt, creatum eſſe, ſed incorruptibilē. Democritus, Epicurus, & Stoicorum turba philoſophorū, aiunt mūdos naſcibiles ac corruptibiles, uerū non ſimiliter. illi multos mundos imaginantur, quorum generationem conflictationibus & connexionibus atomorum tribuunt, corruptionem repercuſsionibus & diſſultibus. Stoici unum mundum aſſerunt, & deum autorem eius generationis: corruptionis uero non item deum, ſed indefeſſam uim ignis rebus inſitam, poſt longas temporum ambages abſumpturam, & in ſemet mutaturam omnia: ex qua denuo mundum inſtauraturam opificis prouidentiam. iuxta horum opinionem poteſt dici alter mundus ſempiternus, alter corruptibilis. corruptibilis, ut nunc eſt ornatus & diſpoſitus: ſempiternus, poſt exuſtionem reparabilis, ut nunquam deſinat. Ariſtoteles neſcio quàm pie ſanctéq; doctus, ingenitum & incorruptibilem mundum pronunciat, & impietatis damnat quotquot contrarium aſſerunt, qui manufactis præſtantiorem non exiſtimēt ſolem tam magnum deum uiſibilem, & lunam cæteraq; uel fixa uel uaga ſidera, omnia uerò plena numine. Fertur etiā cauillatus, olim ſe timuiſſe, ne ſua domus ui procellarum ac tempeſtatum, aut uetuſtate, aut architecti incuria, contracto uitio corrueret, iam maiorem metum impendere ab iſtis qui conentur uerbis mundum deſtruere. alij negant Ariſtotelem autorem huius dogmatis, & Pythagoreis quibuſdam id tribuunt. ipſe forte fortuna in commentarium Ocelli hominis Lucani incidi, cui De uniuerſi natura titulus, in quo mundum incorruptibilem non tantū aſſerit, uerūetiam argumentis conatur oſtendere. genitum aūt ſed incorruptibilem aiunt à Platone in Timæo dici pro concione deorū, ubi iuniores deos natu maximus & princeps ſic alloquitur: Dij deorum, quorū opifex ego & pater ſum, attendite: quæ à me facta ſunt, me ita uolēte indiſſolubilia ſunt. Omne ſiquidē quod uinctum eſt, ſolui poteſt. ſed mali eſt, quod pulchre compoſitum eſt, ſéq; habet bene, uelle diſſoluere. quapropter quia generati eſtis, immortales quidem & indiſſolubiles nō eſtis. nec tamē unquā diſſoluemini, nec mortis fatum ſubibitis. nā uoluntas mea maius præſtantiuſq; uobis eſt uinculum

lum ad uitæ custodiam, quàm nexus illi, quibus estis tunc cum gignebamini colligati. Quidam autem sophistice interpretantur, apud Platonem genitum dici mundum, nõ quo habuerit generationis principium, sed quo, si factus est, non aliter quàm dictum est confieri potuerit: quandoquidem partes eius generari & mutari uidemus. melior tamẽ & uerior est prior sententia, non solum quia toto hoc libro patrem & conditorem & opificem illum deorum fictorem ait, mundum uerò hunc opus eius & progeniem, archetypi exemplaris intelligibilis imaginẽ sensibilem, quicquid in illo intelligitur in se continentem, perfecte expressam ut sensu percipiatur, sicut illud perfectum intelligitur: uerum etiam quia hoc de Platone testatur Aristoteles, quem puderet mẽtiri ut philosophum, & quia fide dignum creditur testimonium amici de amico, præsertim eius qui non fastidiuit doctrinam, sed superare conatus ueteres necessarijs commentis quædam nouauit per singulas partes philosophiæ. huius autem Platonici dogmatis parentem quidam Hesiodum autumant, docere illum rati mundum esse genitum & incorruptibilem: genitum quidem dum sic canit:

Principio chaos est genitum, mox deinde patentis
Telluris spatia, & molis fundamina tantæ.

incorruptibilẽ uerò, quia dissolutionis eius & corruptionis nusquam meminit. chaos aũt Aristoteles locũ putat, quia prius parari oportet id quod capiat corpora. Stoici uerò aliquot aquã intelligũt hoc nomine παρὰ τὴν χύσιν, id est, à fusione dictam. utcunq; est, genitũ esse mundũ Hesiodus manifestissime prodidit. sed longe antiquior Moses legifer docuit Iudæos, mundũ esse genitũ & incorruptibilẽ, quod scripũ reliquit in sacris uoluminibus. sunt aũt quinq;, quorum primum inscripsit Genesim, sic exorsus eam: In principio fecit deus cęlum & terram. terra autẽ erat rudis & inuisibilis. deinde progressus aliquantũ docet, quòd dies & noctes, horæ anniq;, sol & luna mensores tẽporum, unà cum toto cælo pro immortali sua natura permanebunt in sempiternũ. Nationes eorum qui ingenitũ incorruptibilemq; asserunt attoniti contẽplatione tanti operis, ponemus prius, sumendo hinc initium. omnia quæcunq; sunt corruptioni obnoxia, duas habent causas interitus, internã & externã. ferrum & æs aliasq; huiusmodi materias uidemus absumi ex ipsis enato malo, quãdo rubigine exedũtur, occupata quadã impetigine. externa uerò clade perit urbs aut domus, quãdo conflagrat incendio. Ad eundẽ modum animalibus mors obuenit, aut interno morbo exorto, aut externa ui, dũ iugulantur, lapidantur, exuruntur, aut fœdo suspendio pereũt. Si & mũdus interibit, necessũ est ut aut externe ab aliquo, aut ab aliqua intestina causa perimatur. sed neutrũ est possibile. nam extra mundũ nihil est, quãdoquidẽ is constat è congerie rerum omnium, eaproter unus & integer, & expers senij. unus, quia si quid exclusum esset, posset inde fieri alius huic similis. integer, quia in eũ insumpta est uniuersa essentia. morbi expers atq; senij, quoniã corpora quę morbis lędi possunt aut senio, caloribus & frigoribus alijsq; contrarietatibus externe infestantib. subuertũtur: è quib. rebus nullũ mũdo est periculũ, quãdoquidẽ inclusis omnibus, foris nulla relinquitur. quod si utiq; aliquid est extre-

rius

rius, omnino inane erit, aut ociosa quædã natura, quæ nec pati possit nec agere. Atqui nè ab interna quidem causa dissoluetur. primũ, quia sic pars esset toto maior ac potentior, quod est absurdissimũ. nam mundus insuperabili robore præditus partes suas mouet, ipse à nulla earũ mobilis. deinde cum duæ sint causæ corruptionis, interior & exterior, quæcunq; unam admittunt, eadem & alterã. id in equo, boue, homine, similibusq; animalibus deprehenditur, quæ quoniam ferro possunt interimi, morbo quoq; intereunt. difficile enim est, imò impossibile, inuenire quod intelligibili externæ causæ obnoxiũ, corruptionem non capiat, per se subsistens antequã mundus esset. nam quod nõ est, ne mouetur quidẽ. demonstratũ aũt est, tempus esse motus interstitiũ. unde sequitur ut sempiternũ utrunq; sit, careatq; initio, ac proinde sit incorruptibile. Dicat fortasse aliquis Stoicus disputator uerbosior, fateri se tẽpus esse mundani motus interstitiũ, sed nõ huius tantũmodo præsentis, uerum & eius qui post exustionẽ fore intelligitur. cui sic respondendũ censeo: ô bone, peruertis nomina, mundũ uocas qui inornatus sit. nã si hic quẽ uidemus, uere apteq; mundus uocatur, ornatus ordinatusq; summo & diuino artificio, eius in ignẽ mutatio merito nominari potest perturbatio. at Critolaus musarũ amator & peripateticæ sectator philosophiæ, dogma de sempiternitate mũdi approbans, talibus argumentis utitur. si mundus est genitus, ergo & terra. si terra, ergo & humanũ genus. at homo ingenitus ab ęterno subsistit sicut declarabitur, si tamen demonstratione in re tam euidenti opus est. sed opus uidetur propter fabularũ autores, qui mẽdacijs uitam replent, ueritate profligata è domibus & urbibus, atq; etiam è singulorũ pectoribus, excogitatisq; speciosis uersibus ac metris ad illiciẽdos fatuos, quorũ aures incantãt fallũtq;, sicut oculos deformes meretriculæ, adsciticio adulterinoq; decore eos pręstringentes, cũ natiuo careant. aiunt enim hominũ ex hominibus generationẽ esse naturæ opus recẽtius: antiquius aũt ex terra, quãdo quidẽ hæc creditur mater cõmunis omniũ. & illos Græcis decantatos satiuos homines, ex terra prognatos sicut nũc nasci solẽt arbores, perfectos armatosq; terræ filios. id uerò figmentũ esse fabulosum liquet multis modis. iam primũ ex quo humani generis princeps natus est, oportuit eũ statis tẽporib. crescere. gradus enim quosdã ætatũ natura cõdidit, per quos ille ascẽderet ac descẽderet: crescẽdo ascẽderet, decrescendo uerò descenderet. terminus summus ascẽdẽti est uigor, quò ubi quis peruenit, nõ progreditur amplius, sed queadmodũ cursores in diaulo quẽ uocãt, cursu retrorsum flexo decurrit iterũ per eadẽ uestigia, donec in senectute deficiat. quosdã aũt perfectos natos opinatur nemo, nisi forte ignarus legũ naturę inuiolabiliũ. mẽtes eñ nostrę uiciatę cõtagione adiũcti sibi mortalis corporis, non mirũ si sunt mutabiles: sed uniuersi natura omnipotẽs, quæcũq; semel decreuit ab initio cõstanter seruat intra pscriptos terminos. ergo si unq; placuisset ei nasci perfectos homines, nũc quoq; sic nascerẽtur, nusq; infans, nusq; puer, nusq; esset adolescẽs, sed uir cõfestim, & fortasse nec senio nec morti obnoxius. nã cui nullũ incremẽtũ, ei ne detrimẽtũ quidẽ accidit. proinde mutationes q̃ uirilẽ ætatẽ antecedũt, proficiũt in melius: quæ uerò deinceps

sequuntur

sequuntur usq; senectã & obitũ, deteriores fiunt in dies. ceterũ cui non insunt priora, nec posteriora quidẽ inesse, probabiliter creditur. quid eñ obstaret quo minus nunc quoq; sic ut olim gignerentur homines? terra certe nondũ senuit, ut uideri possit effœta præ senio. uiget illa semper sui similis, cũ sit uniuersitatis quarta pars, & ad totius salutẽ pertineat manere hãc incolumẽ, quando & germana eius elemẽta nunq; senescũt. id uerũ esse apparet ex indefessa continuaq; huius fœcunditate. irrigata enim uel fluminum restagnationibus, sicut Ægyptus, uel annuis imbribus, exhaustas feracitate uires reficit, & quiete modica se refouet, moxq; ut ante alimenta largiter animantibus suppeditat. quapropter opinor poetis non temere Pandorã uocari, quasi πάντα δωρουμένην, id est, omnia largientẽ uel iucunda uel necessaria, nõ his aut illis, sed omnibus quæcũq; sortita sunt animã. certe si cui daretur adulto uere pinnas alasq; sumere, & è sublimi campos collesq; inspicere: quomodo illi herbas ferant & pabulum, hordeũ & triticum, aliasq; species uarias, uel satas agricolarum industria, uel sua sponte prouenientes: hi uerò folia frondesq; quibus densent arbores, simulq; fructuum copiam, quibus non solũ arcetur inedia, sed & lassitudini succurritur (nam oleæ fructus medetur defatigatis corporibus, uinũ modice potũ remittit uehemẽtes dolores animi) preterea suaues auras exhalantes è floribus eorumq; colores ineffabiles arte diuina picturatorũ: moxq; deflexis oculis ad arbores infrugiferas, contemplari seorsum siluestres, populos, cedros, piceas, abietes, quercuũ robora procerissima, ceterasq; id genus materies, quę tũ montes maximos tum plerosq; pingues agros radicibus eorum subiectos opacant: agnosceret indefessum terræ semper iuuenescentis uigorẽ, q̃ nihil diminutũ sit è pristinis eius uiribus. ergo nunc quoq;, si unq; antea pareret homines, duab. de causis necessarijs. primùm, ne ab officio suo decederet, maxime in generatiõe hominis, animalis omniũ præstantissimi. deinde ut subleuaret mulieres, quæ grauidæ ualde onerantur per menses ferme decẽ continuos, interdum etiam parturientes in ipso nixu emoriuntur. profecto magna est stulticia, credere uuluã aliquã latere in terræ finibus, quę hominẽ concipiat. nam uulua est is locus in quo animal uitale gignitur, quã naturæ officinã licet dicere, aptam formandis animantibus. ea non terræ pars est, sed fœminæ, facta ad generationẽ, alioquin illa etiam uberibus opus haberet ad alendos recens editos fœtus alimento cõuenientissimo. atqui nec amnis nec fons ullus in toto orbe memoratur, qui pro aqua exundet fluẽtis lacteis. adhęc sicut lactis egẽt infantes modo geniti, sic amictus & tegminis, ad arcendos ęstus atq; frigora nequid noceant tenellis etiã tum & facile sentientibus iniuriã. quamobrẽ obstetrices matresq;, ad quas ea cura pertinet, inuoluunt eos fascijs. at terrigenæ qui fieri potuit ut nudi relicti nõ statim perirẽt, uel prę solis ardore, uel præ frigore. nam utrumq; solet morbos & mortes accersere. sed quoniam semel contẽpserũt ueritatẽ isti fabulatores, ausi sunt armatos è terra producere. Quis eñ erat sub terra faber, quis nouus Vulcanus, ut mox armaturas excuderet? aut quid cũ armatura illis primigenis, cũ homo animal mãsuetissimum, rationẽ à natura munus eximiũ acceperit, à qua etiam ferini affectus

incantati

incantati mansuefiunt. satius erat pro armis eis dare caduceū, cùm rationa li naturę conueniret insigne pacis, denunciandæ omnibus, quos armis territari non oportebat. itaq; satis conuictæ sunt nugæ hominū, ueritatē mendacijs oppugnantium. cæterū nosse debemus, perpetua successione prognatos ex hominibus homines, uiro in uuluā tanq; in aruū semen mittente, muliere uerò id excipiente salubriter, & natura modo inuisibili formante partes tum corporis tū animę, donanteq; generi humano immortalitatē quā nō donauit singulis. illud eñ semper durat (mirum dictu) indiuiduis pereuntibus. quod si homo est æternus, pars uniuersitatis minima, utiq; mundus quoq; ingenitus est, ac proinde incorruptibilis. Pergit Critolaus ratiocinari: quicquid sibijpsi sanitatis causa est, morbis caret, sicut quicquid sibijpsi uigiliæ causa est, peruigilat. inde colligitur sempiternū esse id, quod suamet causa est essentiæ. mundus porrò sibijpsi causa est essentiæ, sicut & cæteris rebus omnibus. ergo mundus ęternus est. illud quoq; considerare debemus, quicquid nascitur utiq; imperfectū esse à principio, processu uero tēporis augeri donec omnino absoluatur. itaq; si mūdus est genitus, fuit aliquando (liceat mihi uti ætatum nominibus) puer admodū, & post multos annos euolutos, multaq; secula, uix tandē absolutus est. nam quod est longæuissimū, necessariò tarde ad uigorē suū peruenit, tales aūt mutationes siquis credit in mundum cadere, habendus uidetur pro insanissimo, atq; adeo pro insanabili. sic eñ probaretur eum nō tantū corpore sed & animo proficere, quandoquidē etiam, qui aiunt interiturū, credunt tamē ratione præditū. ergo more hominū brutus erit in generationis suæ principio, adulta ætate cōpos rationis, quod uel cogitare nefas fuerit, nedum proloqui. qui eñ possumus hunc perfectissimū uisibilē ambitū, contētasq; in eo partes singulas, nō credere perfectū semper corpore simul & animo, expertē malorū quibus genita corruptibiliaq; sunt obnoxia? Addit, tres causas absq; externis afferre perniciē animalibus, morbū, senium, inopiā, quarū nulli mūdus sit expugnabilis. nā id quod ex elemētis cōstat ad unū omnibus, robustius esse, q̃ ut ui ulla infirmū reddi queat. ubi porrò nulla sit infirmitas, ibi sanitatē uigorēq; permanere tutum à senio. sufficere etiam sibijpsi mundū, cum nulla re careat, inanitionis repletionisq; nescius, quę sunt uicia particularia, & crassis animalibus mortē afferunt propter appetitū eorum insatiabilē: aut ut uerius loquar, uitam quauis morte miseriorem. proinde si nullam naturā æternā uideremus, minus peccarent qui aiunt mundum incorruptibilem, quandoquidē nullum æternitatis exemplum existeret. sed quoniam fatorum series iuxta præcipuam physiologorū sectam caret fine simul & principio, causas sine intermissione contexens: cur nō etiam mundi naturam dicamus longæuā, quæ rerum indigestarum ordo est, incompositarū congruentia, inconcinnarum concinnitas, distantium unitas, lignorū saxorumq; habitus, fatorum & stirpium indoles, anima omnium animaliū, hominum mens & ratio, bonorum uirorum uirtus perfectissima. Quod si mūdi natura ingenita est & incorruptibilis, liquet mundū quoq; cōtineri sempiterno uinculo, quod fateri etiam diuersi dogmatis assertores quidā ui ueritatis coacti sunt, ut est diuina pulchritudo

chritudo

chritudo ueritatis, ficut mendacij fœda deformitas. Sic Boethus, Posidonius, Panætius, uiri Stoica doctrina ualentissimi, tanquam correpti numine, omissis exustionibus & instaurationibus, transfugerunt ad diuinius de incorruptibilitate mundi placitum. Quin & Diogenes etiamtum iuuenis fertur subscripsisse huic sententiæ. Ergo cum constet nihil extra mundũ relictum unde immineat ei periculum, ne intra ipsum quidem tale quicquã inuenietur, ut supradictis rationibus demonstratum est, quòd alteri ex his causis non sit, ne alteri quidem esse obnoxium. testantur & quæ in Timæo legimus, mundum nec corrumpi, nec morbis tentari. Ex his quatuor singula integra mundus recipit in suam substantiam. ex omni quippe igni, aere, aqua, terra, ipsius faber ita eum composuit, ut nullam cuiusquam istorũ partem aut uim extra relinqueret. idq; hac ratione fecit, primum ut totum hoc animal quã maxime perfectum ex perfectis partibus esset. dein ut esset unum, cum nihil extra relictum fuerit, ex quo generetur alterum. denique ne quis id morbus, nequod senium, attingeret. uidebat enim eam naturam esse corporis, ut importuna caloris aut frigoris, aliarum'ue rerum nimis uehementium accessione lædatur, & in morbos senium'que impulsum deficiat. quam ob causam rationem'que unum totum ex omnibus totis & perfectis absolutum, expertem morbi senijq; deus mundum constituit. Hactenus Platonis de incorruptibilitate mundi testimonium. quòd autem non sit genitus, naturalis attestatur ueritas. nam quicquid est genitum, necessario dissoluitur: quicquid autem non est corruptibile, ne genitum quidem fuit. nam & autor huius trimetri, Neci debetur quicquid usquã nascitur: uidetur non male colligere. & aliàs sic argumentari licet: quæcunq; composita corrumpuntur, dissoluũtur in id unde fuere composita. dissolutio porrò nihil est aliud quàm rerum singularum in pristinam naturam reditus. ergò à contrario compositio præter naturam res in unum cogit, id quod uidetur uerissimũ. homines enim ex quatuor elementis, quæ tota in uniuerso sunt, cælo, terra, igne, aere, particulas quasdam mutuati, ex ea temperatura mixti confectiq; sunt. quæ autem permiscentur, naturali situ priuantur, caliditas sublimi, frigiditas humili, dum posita grauitate subleuatur & in summũ locum demigrat, quẽ caput maxime terrea nostri pars occupat. uiolento autem uinculo nullum inutilius aut minus durabile. celeriter enim à uinctis rumpitur, reluctantibus & naturalem motum desiderantibus ad quem properant. nam ut ait tragicus:

E terris orta, terra rursus accipit.
In cælum quicquid est suum reuertitur.
Genitum nihil emoritur:
Sed transpositum ultro citroq;
Formam priorem alterat.

omnibus certe quæ corrũpuntur, lex præfinita est hæc, ut quãdo contẽperantur, discedant à naturali ordine, demigrentq; in loca cõtraria, & peregrinẽtur quodãmodo: quãdo uero dissoluũtur, in natiuas suas sedes ceu postliminio reuertãtur. at mundus expers est perturbationis de qua loquimur: nã si esset corruptibilis, uideremus nũc partes eius nõ suo loco naturali cõ

sistere, id quod cogitare nefas est. optimum enim & aptissimum situm cunctæ mundi partes sortitæ sunt, ita ut singulæ sede sua tanquam patria contentæ non requirant mutationem in melius. propterea terræ attributus est locus medius, quò feruntur omnia terrestria, etiamsi in altum iacias: quod est natiui situs indicium. Vbi enim quidque sponte non coactum sistit quiescitque, ibi habet locum proprium. dein aqua super terram diffunditur, aer uerò ignisque sursum secesserunt à meditullio: aer quidem fortitus ignis & aquæ confiniũ, ignis autẽ quæ sunt editissima. proinde quãuis accẽsam facẽ ad terras deferas, flamma nihilominus tẽdet in cõtrarium, & naturali motu ignis subleuata recurret retro unde uenerat. Ergo si præternaturalis motus in alijs animalibus corruptionẽ efficit, in mũdo autẽ singulæ partes ordinẽ suũ & naturalẽ sitũ retinent, iure possumus eũ incorruptibilẽ dicere. illud quoque liquet cuiuis, naturam singula quorum natura est, cupere cõseruare, atque adeo si liceat, immortalia reddere: ut stirpes natura stirpiũ, animãtiũ uerò natura animantes singulas: sed cũ sit particularis necessario deficit, nec potest ad æternitatẽ perducere. nam aut defectus, aut æstus, aut frigus, aut aliæ noxæ plurimæ lædere solitæ inuadunt, concutiunt, & tandẽ abrũpunt uinculũ. quæ nisi externe infestarent, quantum in ipsa natura est paruas æque ac magnas res seruaret incolumes. ergo necesse est mundi quoque naturã salutis eius esse cupidã. nec enim particulari est deterior, ut non fungatur officio, & morbũ pro sanitate, interitũ pro salute afferat, quando humeris supereminet ingens, Agnosci facilis forma, pulchræ licet omnes. id si uerũ est, mũdus corruptionẽ non recipit. Cur ita? quia natura eum cõtinẽs inuicti est roboris, & omnib. rebus noxijs potẽtior. ideo rectè Plato: Nulla, inquit, decessio fieri poterat, nulla accessio. quo enim aut unde? cum ipse seipsum alat de suo, ipse in seipsum agat, & à seipso patiatur. nam tali arte autoris sui conditus est, ut sufficiat sibi potius quàm indigeat. Egregie tamen eandem sententiã astruit illa quoque ratio, qua multos sibi placere uideo, ut exacta & inconuincibili. quærunt enim, cur deus mundum perderet? ut nullũ posthac conderet, an ut repararet alium? primum illud deo non conuenit, cuius est è perturbatione ordinem, non ex ordine perturbationem facere. præterea uidebitur capax pœnitentiæ, quod est animi uitium. debuerat enim aut non condere mundum, aut postquam semel condere placuit, gaudere condito. posterius uerò non exigua scrutatione dignum est. si enim pro hoc præsente reparabit alium, is fiet aut deterior, aut similis, aut melior, quæ singula sunt reprehensibilia. nam siquidem mundus deterior, opifex quoque deterior. atqui nec uituperium, nec reprehensio, nec correctio cadit in absolutissima diuinæ artis opera. nam ut est in prouerbio:

Nec mulier tam mentis inops, ut recta relinquens,
Deteriora malit, illaque posthabeat.

magis decet deum formare informia, & turpibus addere mirã pulchritudinem. sin autem similis, incassum laborat artifex, nihil à paruulis pueris differens, qui sæpe in littore per lusum tumulos arenæ excitãt, moxque manibus eisdem diruunt. prestat enim nihil demendo addẽdo'ue, nec in melius deterius'ue

rius ue mutando, sic eum ut ab initio factus fuerat immotū sinere. quod si meliorē fabricabit, melior fiet etiam opifex, ideoq; cum priorē pararet imperfectus arte ac proposito: quod ne cogitare quidem fas est. deus em̄ semper est sibi par & sui similis, nec in deterius nec in melius proficiens. hominum est hæc inæqualitas, tum incremēta tum detrimenta in utramuis partem recipientium, sicut & alias mutationes in contrarium. Adhæc cū mortalium opera conueniat esse corruptibilia, probabiliter creditur illius immortalis opus incorruptibile: quandoquidem rationi consentaneum est opera similitudinē referre sui opificis. Quin & illud cuilibet est perspicuū, terra pereunte, necessario perire totum genus terrestrium animalium, aquatilia uero aqua pereunte, sicut post aeris ignisq; interitum sequi internecionem ex igne genitorum & uolucrium. eadem ratione si cælum interit, peribit sol & luna, peribunt reliqua sidera tum fixa tum erratica, totaq; illa sensibilium deorum, ut olim creditum est, militia beatissima. id uero nihil esset aliud, quàm opinari mortalia numina: quod æque absurdum fuerit, atq; hominum immortalitatem credere. atqui in hac dignitatum collatione posterius hoc fit uerisimilius, ut quod cōtingat per dei gratiam. nam fieri potest ut mortalis immortalitate potiatur, sed deos hanc amittere non est possibile, quicquid delirent homines. Certe qui mūdi exustiones instaurationesque inducunt, deos fatentur sidera, quæ tamen imprudenter suis uerbis enecant. satius fuisset ea lapides ignitos dicere, sicut quidam de cælo nugantur quasi de carcere, quàm diuinis cælestibusq; naturis adimere immortalitatem debitam. nunc intantum aberrarunt à uera sententia, ut non sentiāt se prouidentiam quoq; (ea est mundi anima) tollere atq; pessum dare tam friuolis rationibus. Certe Chrysippus inter suæ sectæ homines laudatissimus, in tractatu De crescente, talia quædam portenta comminiscitur: præfatusq; impossibile esse duo specifica consistere in eadē substantia: subdit: Fingamus uerbi gratia quempiam integrum, alterum uerò uno pede mutilum. hunc Theonem, illum Dionē uocari. postea Dioni pedem abscisum. si quæratur uter corruptus sit, de Theone dicetur id magis propriè. Atqui hæc mira magis q̄ uera sunt. qui fit enim ut Theon illæsus perierit, Dion absciso pede nō perierit? Recte, inquit. Dion enim præciso pede recurrit ad imperfectā Theonis substantiam, & duo specifica in uno subiecto esse nō possunt. unde necessario cōsequitur, Dionē permanere, Theonē uerò perisse. hic tragicus diceret: nō ab alijs, sed nostrismet pennis capimur. hanc enim ratiocinationis formā aliquis ad mundū transferens, posset colligere corruptioni obnoxiā prouidentiā. aduerte quomodo. ponamus mūdum quasi Dionē: integer enim. mūdi uero animā quasi Theonē: quoniā pars io to minor est. adimatur nunc sicut Dioni pes, ita mundo quicquid inest ei corporeū. ergo necesse habebimus dicere, mundū quidē nō perisse adempto corpore, sicut nec Dionē resecto pede: sed mūdi animā, sicut Theonē illæsum. mūdus enim ad minorē substātiā recurrit, adepta sibi parte corporea: anima uero eius perijt, quia nō possunt eidē subiecto inesse duo specifica. nefas est aūt dicere mortalē prouidentiā. q̄ si hæc immortalis est, mundus quoq; incorruptibilis erit necessario. maximū tamē æternitatis eius ar-

gumentũ est tempus. nam si tempus ingenitum, necessario mundus quoq; ingenitus. cur ita? quia ut ait magnus ille Plato, dies & noctes, menses & annorum circuli tempus indicant. id autem non potest consistere sine solis motu & totius cæli ambitu. itaq; definitores rerũ recte statuunt, tempus esse mundi motus interstitium. sed ne hoc quidem sanum est. fit enim mũdus genitor & autor temporis. inconuenientissimum autẽ fuerit cogitare, fuisse aliquando tempus quando mundus non erat. caret enim huius natura tam fine q̃ principio. nam ex his ipsis, Erat, Olim, Quando, tempus contexitur. iuxta hoc autẽ dogma consequitur, ne exustionis quidẽ tẽpus tandẽ fore. non iuuentuti enim sed senectuti maiestas contingit, præsertim in rebus, quas non brutus & fallax sensus iudicat, sed mens purissima & uigentissima. id declarabit Boethus argumẽtis mox dicẽdis. Si est, inquit, mũdus genitus & corruptibilis, de nihilo fiet aliquid, quod & Stoicis uidetur absurdissimum. quare? quia non potest inueniri ulla causa corruptionis, interna externa'ue, quæ mundum destruat. extra enim nihil est, nisi forte inane, elementis totis intra eum comprehensis. intus quoq; nullus talis morbus est ut possit tantam molem dissoluere. quod si sine causa corrũpitur, liquet de nihilo corruptionem fieri, quod omnino ratio respuit. atqui aiunt trib. modis corruptionem fieri, per diuisionem, per ablationem præsentis qualitatis, & per confusionem. quę ex discretis constant, greges, armenta, chori, exercitus, tum quæ e cohærentibus corpora compacta sunt, disiunctione & diuisione soluuntur. per ablationem autem præsentis qualitatis, cera transformata, uel complanata priusquam refingatur in aliam speciem. postremo per confusionem, sicut medicamentum quod uocatur tetrapharmacum. uires enim simplicium pharmacorum in unum congestorum abolitę sunt, ut ex his una uis efficeretur eximia. quonam ex his modo mundũ corrumpi dicemus? per diuisionem? at non cõstat ex discretis, ut partes dispergantur: nec ex cohærentibus, ut dissoluantur, sicut nostra corpora, multis pestibus obnoxia se potentioribus, ille uero inuicto pollet robore, & omnia longe superat. quid si per ablationem qualitatis? id quidem est impossibile. manet enim, ut aiunt aduersarij, qualitas & ornatus huius mundi usq; ad exustionem. quid si per confusionẽ? apage. tum enim fatendũ esset corruptionem in nihilũ redigi. quam ob rem? quia si unumquodq; elementũ separatim corrumperetur, posset mutationẽ in aliud capere. quod uero simul omnia cõfusa pereãt, cogitatio est rerum impossibiliũ. Præterea, si exurentur, inquit, omnia, quid interim deus faciet, nihil'ne omnino? quod merito miretur aliquis. nunc enim inspicit singula, paternã curam gerens rerũ omniũ: & ut uera fateamur, aurigę more gubernatorisq; regit & gubernat uniuersa, soli, lunæ cæterisq; siderib. aeri quoq; ac reliquis mundi partibus assistens, cooperãdo quicquid ad uniuersitatis perpetuitatem rectamq; & inculpabilem dispensationem pertinet. quod si cuncta perierint, segnis & ociosus uitã iniucũdam uiuet: quo quid dici potest absurdius? piget me ulterius nefarijs uerbis procedere: mortẽ etiam in deum cadere, si cadit ociũ. nam si sempiternũ motũ adimas animæ, ipsam quoq; rebus eximes. est aũt aduersariorum opinione deus mundi anima. Quid illud nõ'ne quęsitu dignum,

gnum, quomodo reparatio ſequatur omnibus rebus abſumptis incẽdio? exuſta enim ſubſtantia, neceſſe eſt & ignem extingui deſtitutum fomento. qui ſi maneret, ſeruari poterat ſcintilla ſeminalis ad ornandã inſtruendãq; aliam materiam: ſublato autẽ illo, hæc quoq; unà tollitur. id uerò aſſerere, iam duplex fuerit impietas, non modo mundũ infamare ut corruptibilem, ſed & inſtaurationem eius negare, quaſi deus perturbatione, ceſſatione ac erratis gaudeat. Inſpiciamus hanc rationem diligentiùs. Ignis dicitur tripliciter, uel pruna, uel flamma, uel ſplendor: pruna eſt ignis in materia terrea, ſpirituali quadam habitudine peruadens totam uſq; extremitates. flamma eſt id quod è fomite fertur in ſublimia. ſplendor uerò qui à flamma emittitur, oculos adiuuans ad percipienda uiſibilia. ſplendorem inter & prunam flamma eſt media. in prunas enim ſubſidit, excitata habet ſplendorem, qui fulget ſine ui urendi. ergo ſi exuſtione diſſolui mundum placet, prunæ inde non fient, alioqui multum terreni relinquetur poſt incendium. placuit autem prius ſententia quę negat ullum corpus poſſe tum ſubſiſtere, ſed terræ, aquæ, aeris elementa in merum ignem abitura. at nec flamma, alimento deſtituta, quod ni relinquatur, ipſa extinguetur continuo. Vnde colligitur ne ſplendorem quidem inde poſſe fieri: quãdoquidem is per ſe non ſubſiſtit, quippe qui à prioribus procedit, pruna flammaq;, ab hac maior, ab illa minor. à flamma enim longe lateq; diffunditur. ergo cum illa priora demõſtratum ſit in exuſtione nuſquam exiſtere, nec ſplendor ibi aderit. nam diurnus ille ſplendor egregius, ſole ſubterraneum curriculum emetiente noctu mox euaneſcit, præſertim ſi luna ſileat. ergo mundus non exuritur, ſed eſt incorruptibilis. quod ſi exuretur, non reparabitur alius. ideo quidam è Stoicis acutius proſpicientes fore ut conuincantur, conati ſunt tanquam moribundæ huic propoſitioni medicinam facere. ſed fruſtra. cũ enim motus cauſa ſit ignis, ex motu uerò ſumatur generationis principium, & ſine motu gigni quicquam ſit impoſſibile, negarunt poſt exuſtionem autem mũdi principium extinctum iri uniuerſum ignem. nam aliquantum ſuperfore. uehementer enim metuebant ne toto extincto ceſſarent omnia ſine ſpe inſtaurationis, rerum autore motu ſublato. Verum iſta figmenta ſunt hominum, technas & uaniloquia cõtra ueritatem quærentium. quare? quia mundum exuſtione fieri prunæ ſimilem docuimus impoſſibile, niſi ſuperſit multa terrena ſubſtantia quæ ignem capiat. ſed ita non uinceret exuſtio, ſi quid reſiduum maneret è terra elemento grauiſſimo, neceſſe eſt igitur ut in flammam aut in ſplendorem abeat. in flammam, ut Cleanthes opinatur: in ſplendorem, ut Chryſippus. ſed ſi flamma fiet, ubi deficere inceperit, ſimul & ſemel non paulatim extinguetur. nam cum alimẽto uiget, quo fota diffunditur, eodem deſtituta minuitur. id ex quotidiano uſu licet colligere. lucerna quamdiu rigatur oleo, flammã emittit lucidam, quo abſumpto ſtatim extinguitur, ac ne tantillum quidẽ ex ea fit reliquum. quòd ſi dicas mundum in ſplendorem non in flammam abire, rurſum ſimul & ſemel mutabitur. quare? quia per ſe non ſubſiſtit, ſed è flamma naſcitur, qua prorſus extincta ſplẽdor eodẽ momẽto interit. ſicut enim flamma ſe habet ad fomitem, ſic ſplendor ad flammam. ergo ſicut flamma deficit cum fomite, ſic

te,sic splendor cum flāma.itaq; impossibilis est mundi reparatio, nulla scintilla seminali reliqua,omnibus igne absumptis, ipso uerò igne alimentorū inopia. Vnde liquet eum esse ingenitum & incorruptibilem.ergo secundum Chrysippum mundus reparabitur ipso igne præbente uicem seminis,si uera est eius philosophi sentētia.primum quia è semine generatio fit, & in semen resolutio. deinde quia physici aiunt mundum esse rationalem naturam,non solum animatum sed intelligentem atque prudentem etiam. hinc contrarium quàm ipse proponit,colligitur,quòd mundus nunquam corrumpatur. argumenta in promptu sunt, si rem examinare non pigeat. Aut arbori similis est mundus, aut animali. sed siue arbor est siue animal, per exustionem corruptus nunquàm sibijpse erit pro semine. attestantur istæ species quæ semper nobis in usu sunt,ex quibus nulla semel corrupta, seu parua seu magna sit,habet uim proseminandi corporis. Non'ne uides quàm multæ per singulos dies exoriantur mites arbores, quàm multæ siluestres,in quibuslibet terræ partibus?harum singulæ quamdiu stirps sana est,cum fructu pariunt & eius sustentaculum.tandem uetustate aut quauis iniuria perditæ radicitus,nunquam in semen dissolutæ sunt.eodem modo & animalium species, quas nemo facile numerauerit, quàm diu uiuunt & uigent,emittunt genitalia semina:post obitum nusquam ullum semen fit reliquum.stulta enim est opinio,hominem uiuum octaua parte animæ,quæ pars genitalis dicitur,uti ad proseminadū quiddā sui simile: defunctū uerò toto seipso.nam mors nō est uita efficacior. & alioqui nulla res è solo semine absq; proprijs alimentis perficitur.semen enī est simile principio.principium autem per se solum nullos perfectos fœtus edit. Caue putes spicas è solo frumento in aruum iacto prouenire: plurimum iuuantur à terra duplex nutrimentum subministrante,humidum & aridum.in uuluis quoque fœtus formati non è solo uiuificantur semine, sed & externis alimentis rigantur,quæ à prægnante suggeruntur. quorsum ista memoro? quoniā in exustione semen solū absq; alimēto supererit,igne absumptis cæteris.itaq; in regeneratione mundi claudicabit ista imperfecta generatio,sublato quo seminale principium sustentetur adminiculo: quod quidem absurdū & inconsistens esse ipse rerū effectus indicat. Item quæcunq; generationē sumūt è semine,in maiorem eo molem excrescunt,& maiorē locum occupant.uidemus sæpe arbores procerissimas ortas è minimo granulo, & uastas beluas è liquore natas exiguo.& hæc ut ante diximus,statim à natiuitate parua sunt,crescunt aūt donec ad perfectionē ueniant.at in mūdo eueniet contrariū.semen & maius erit,& maiorē locum occupabit: quod aūt inde prouenit,minus & loco minore circumscriptū.præterea mūdus ex semine cōstans non paulatim lentis incremētis augebitur,sed è maiore mole in minorē cōtrahetur.id ita esse quiuis facile perspexerit. omne corpus quod igne dissoluitur,late diffunditur,post extinctā uerò flammam contrahitur: nec est in re tam manifesta opus ullis testibus aut probationibus.proinde mūdus ignitus fiet maior,utpote uniuersa eius substantia resoluta in ætherē tenuissimum.quod ut opinor,prospicientes Stoici,extra mundum aiunt esse inane infinitum,ne cum diffusionem infinitam admittat,locum eius diffusionis

ſionis capacem non habeat. ergo quando intantum augetur, ut iufinitam inanis naturam extēſione ſua propemodum exæquet, ita ſe habet ut ſemē, iuxta rationes ipſorum. quando uerò partes eius rite perficiūtur, extinctus ignis in aerem craſſum uertitur, aer contractus in aquam ſubſidit, aqua itē magis craſſata mutatur in terram elementum omnium denſiſſimum. hæc & ſenſu communi percipiuntur, & colliguntur ex ipſa rerum ſerie. Quin & alio poſſumus uti argumento ſatis efficaci ad perſuadendum hominibus uel difficilibus, modo ne nimis contentioſi ſint. In his quæ iugatim inter ſe ſunt contraria: alterum eſſe, alterum non eſſe, apparet impoſſibile. nā ſi eſt album, eſt & nigrum: ſi magnum, & paruum: ſi par, & impar: ſi dulce, & amarum: ſi dies, & nox: & cætera ſimiliter. quod ſi fiat exuſtio, fiet aliquid impoſſibile. nam ex coniugatis alterum erit, alterum non. Age conſideremus rem ad hunc modum. omnibus in ignem reſolutis erit aliquid leue, rarum, calidum: graue nihil, aut denſum, aut frigidum, prædictis contraria. & quomodo poteſt ualidius improbari iſta exuſtionis perplexitas, quàm ſi perſuaſum ſit natura coniugationes has cohærere. at iſta noua opinio parti alteri æternitatem aſtruens, omnino tollit alteram. Illud quoque non alienum à ſcopo uidetur ueritatis inueſtigatoribus. Mundus ſi corrumpetur, aut ab aliqua externa cauſa corrumpetur, aut à deo. ab externa cauſa non: nihil enim eſt quod non contineat. contentum autem continente utique infirmius eſt, à quo comprehenditur. cæterū à deo corrumpi eū, nefas eſt dicere. nam deus non perturbationis, fœditatis, corruptionis, ſed ordinis, ornatus, uitæ, omniſq; boni autor creditur apud ueris opinionibus deditos. merito igitur mireris aſſertores exuſtionum regenerationum que, non tantum quia pro falſis reijciuntur conuictæ argumentis quibus diximus, ſed & hanc ob cauſam. Cum ſint quatuor elementa ex quibus mundus conſtat, terra, aqua, aer, ignis: cur ignem à cæteris ſeparando aiunt in eum reſolui omnia? cur non (dicat aliquis) in aerem, aut aquam, aut terram? inſunt enim & his uires potentiſſimæ. nemo tamen dixit mundum abire in aquam, aut in terram, aut in aerem. itaq; ne igniri quidem totus ueri ſimiliter dicitur. nec minus oportet conſiderantes æquum ius mundi partium, religione reuerentia'que deterreri, quo minus tam diuinam rem dicamus morti obnoxiam. nam egregia quædam eſt harum quaternarum uirium compenſatio, æqualibus iuſtis'que regulis ac terminis uices ſuas diſpenſantium. ſicut enim anni circulus quaternis uicibus diſtinguitur, alijs partibus poſt alias ſuccedentibus, & per ambitus eoſdem uſque recurrente tempore: pari modo & elementa mundi uiciſſim ſibi ſuccedentia mutantur, & (quod diceres incredibile) dum mori uidentur, redduntur immortalia, iterum atque iterum metiendo idem ſtadium, & ſurſum atque deorſum per eandem uiam curſitando continue. à terra enim accliuis uia incipit, quæ liqueſcens in aquā mutatur. aqua porrò euaporat in aerem, aer in ignem extenuatur. at decliuis altera deorſum tendit à capite, igne per extinctionem ſubſidente in aerem, aere uerò in aquam ſe denſante, aqueo quoq; liquore in terram craſſeſcēte. unde laudatur Heraclitus dum ait: Animarū mors, aquam fieri: aquę mors, terram fieri. cum enim animā opinaretur eſſe

ſpiritum, aeris exitium generationem aquæ, & ex aqua pereũte gigni terrã ſubindicat, non prorſus interire dicens elementa, ſed mutari ex alijs in alia, æquo iure ſemper incolumi, nõ ſolum ut par eſt, uerum etiam ut neceſſitas poſtulat. quoniam imparitas iniuſta eſt, quod autem iniuſtum, idem & origo uicij. uicium porrò exulat ex immortalitatis ſedibus. mundus autẽ diuinum quiddam eſt, & dei domicilium ſenſibile: quod corrumpi affirmare non eſt hominis intelligentis rerum naturæ ſeriem. Quidam autem ſubtilius aſſerentes mundi æternitatem, hac quoq; ratiocinatione utuntur. corruptionis quatuor modi ſunt in genere, additio, ſubtractio, tranſpoſitio, alteratio. binarius addita unitate in ternarium corrumpitur, nec manet binarius: ſic in ternionem unitate dempta quaternio. tranſpoſitione uero Z & H Græcæ literæ, quarum alteram æquidiſtantes lineæ rectæ, alteram obliquæ efficiunt, tranſuerſa quoq; linea hic recta, illic obliqua. alteratione porrò uinum in acetum corrumpitur. ex his modis nullus in mundum competit. dicemus'ne illum additione corrũpi? ſed quid addas cum nihil extra ſit, quod non ſit huius uniuerſi pars, incluſa comprehenſaq; in eo. auferemus forte aliquid? primum ſi quid auferatur, fiet inde nouus mundus alius priore minor: deinde impoſſibile eſt corpus aliquod ab uniuerſo pendens diuelli ſeparariq;. quid ſi partes tranſponantur? manent immotæ, nec mutãt locum. nec enim terra ſuper aquam attolletur, nec aqua ſuper aerem, nec ſuper ignem aer. ſed quæ natura ſunt grauia terram, aqua medium locum occupabit, terra pro fundamento ſubdita, aqua uerò ſuperfluente. porrò aer ignisq; ambo natura leuiſſimi, locum ſuperiorem, ſed non pariter. nam aer igni eſt pro uehiculo, quo ille ſublimis uehitur. atqui ne per alteratione quidem corrumpi eum ſit uериſimile. æquipollens eſt enim elementorum mutatio. ea uerò æquipollentia cauſa inconcuſſæ firmitatis eſt, utpote cum nihil uel ſuperetur, uel exuperet. itaq; dum tantum uirium recipitur quantũ redditur, exæquatum ad proportionis regulam, ſanitas infinitæ ſalutis opifex inde prouenit: quod æternitatis mundi argumentũ eſt. Theophraſtus eos qui generationẽ corruptionemq; mũdi aſſerunt, ait quatuor rebus falli præcipue, inæqualitate ſoli, maris deceſſiõibus, corruptione ſingularum uniuerſi partium, & ſpeciatim interitu terreſtriũ animaliũ. primũ demonſtrat hoc modo. niſi aliquando terra habuiſſet generationis initium, nulla pars emineret in ea: ſolo æquati fuiſſent montes omnes, nec in campis extarent tumuli. ſi enim ab æterno delata fuiſſet quotannis tanta uis imbrium, probabiliter editiora ſubſediſſent abrepta torrentibus, & ediuerſo aſſurgẽtibus campeſtribus complanata fuiſſent omnia. nunc uerò tot aſperitates locorum, & multorũ montium ætheriæ celſitudines, terrã non eſſe æternã indicant. alioqui (ut dixi) per tempus infinitum ſuperficies eius fuiſſet æquata in modum uiæ regiæ, nam aquæ præſertim ſuperne labentis ea natura eſt, ut quædam obſtacula ui protrudat, alia guttatim excauet, nec minus quàm foſſores durum ſaxoſum'que ſolum ſubruat. mare certe (aiunt) iam decreuit, ut teſtantur Rhodus ac Delus inſularum clariſſimæ. nam hæ quondam ſub marinis undis latuerant, procedente uerò tempore his paulatim decedentibus exortæ ſunt, ſicut proditur earum annalibus. Delum

uero

uero etiam Anaphen aliquando nominatam, ut ex utroque nomine fides facti fieret, quoniam ἀναφανεῖσα δῆλη, id est exorta clara est reddita, quæ antea latuerat. præterea magnorũ marium magnos profundosq́ sinus exiccatos continenti additos, cum incremento non contemnendo oræ proximæ, satis arbustisq́ consitæ. supereſſeq́ in his signa inundationis priſtinæ, conchas marinosq́ calculos, & id genus alia quæ fluctus ſolent eijcere in littora: ideo Delum ſic canit Pindarus: Salue dijs chara, pulchricomæ Latonæ ſtirpis gemellæ patria, Ponti filia, miraculum terrarum immobile: quã mortales Delon nominant, cælites uerò beati, ſidus telluris nigræ lucidiſſimum. Ponti filiã eã uocat, ſubindicãs quod diximus. quod ſi minuitur mare, minuetur etiã terra, & tãdẽ poſt multos annos euolutos omnino abſumetur in elementũ aliud. ſic aer quoq́ per continua detrimẽta paulatim euaneſcet. poſtremo in unum ignem abibunt omnia. Tertij capitis ratiocinatio talis eſt. Cuiuſcunq́ rei partes ſunt corruptibiles, ipſa quoq́ corrumpitur. mundi partes omnes ſunt corruptibiles, ergo mundus eſt corruptibilis. id iam conſiderandum eſt, quod in hunc locum diſtulimus: quænam pars terræ (ut inde incipiamus) minuatur, & tandem abſumatur uetuſtate nimia. ſaxa duriſſima nónne putreſcunt per imbecillitatem ſui habitus? qui eſt intenſi ſpiritus tenor quidam, uinculum haud ſane rumpi facile, quod tamen tandem rumpitur. fiunt primum friabilia, reſoluuntur'que in tenuem puluerem: dein abſumuntur & omnino intereunt. aqua quoque torpeſcit ocio ni uentis iactetur, & fœtorem non aliter quàm cadauer contrahit. aeris porrò corruptionem ignorat nemo, quandoquidem & ipſe tum morbum tum mortem poteſt recipere. quoniam ſi uera magis placent quàm ſpecioſa nomina, quid aliud peſtem licet dicere, quàm mortem aeris, malum ſuum diffundentis in animantium perniciem? de igne quid opus eſt multa dicere? deſtitutus alimento confeſtim extinguitur, claudus ſi poetis credimus, & ex ſeipſo genitus. ideo ſubnititur incenſa materia, qua durante durat, deficiente diſperit. idem aiunt accidere draconibus Indiæ. ſubrepere illos elephantis uaſtis beluis, ac terga uentrem'que totum nexu obuoluere, mox'que aliqua uena aperta bibere ſanguinem exugendo & exorbendo auide. illos uero aliquantiſper reſiſtere ſubſultare'que anxios, & latera pulſare promuſcide ſi quo modo queant draconum uim depellere, ſed deficiente uitali ſpiritu non poſſe ſalire diu, ſtare tantum & cutem concutere. paulo poſt deficientibus etiam cruribus exhalare animam. quibus collapſis etiam interemptores eorum unà perire ad hunc modum. Dracones abſumpto alimento conantur nexus illos ſuos diſſoluere, & expedire ſe cupiunt: ſed elephantorum pondere premuntur grauiter, præſertim quoties inciderunt in terram ſaxoſam & ſolidam. Torquentes enim ſe & nihil non tentantes ut diſſoluantur, nihil proficiunt tanta mole tardante: donec poſt multos conatus irritos deſtituuntur uiribus, & uelut rupis parietis'ue ruina occupati, ne caput quidem ualent attollere, atque ita ſuffocati pereunt. Quod ſi partes mundi corrumpuntur ſingulæ, liquet ipſum quoque compoſitum ex his non eſſe incorruptibilem. Reſtat quarta ratio diligenter excutienda. Si mundus (aiunt)

dus(aiunt)esset sempiternus,æterna essent & animalia,præsertim humanũ genus,ut cæteris præstantius.at hunc uideri sero genitum,siquis rerum naturam examinet.est enim probabile, imò necessariũ, unà cum hominibus artes fuisse æquæuas ipsis:non solum quia his est familiare compendiũ earum,uerum etiam quia sine his non licet uiuere. Videamus igitur singularum tempora,omissis tragicorum fabulis,num æternus sit homo aut aliud quoduis animal, quando ne loca quidem in quibus degunt, æterna sunt, terra,aqua,aer:unde apparet mundum esse corruptibilem. Sed occurrendum est his argutationibus,ne quis imperitior cedat temere,& inde incipiendum contradicere,unde sophistæ cœperunt decipere. Terra(aiunt)non fuisset inæqualis & aspera,si mundus æternus esset. Cur ô boni? potest enim responderi, prominentias istas montium nihil differre ab arboribus: & quomodo illæ certis temporibus nunc frondent nunc amittunt folia, rursumq; repubescunt:unde illud poeticum:

Quorum hæc uentus humi fundit,rursum illa uirescens
Profert sylua,simul ueris iam afflauerit aurà.

sic de montibus quasdam partes defringi, & rursum adnasci alias. sed hæc incrementa uix tandem deprehendi,quòd arborum natura sit uelocior, & augescat celerius:montes uerò tardius,& ideo non nisi tarde augmenta eorum sentiantur. Videntur isti nescire quomodo ipsi sunt geniti,alioqui fortasse tacerent.Sed quid uetat eos admoneri? præsertim nõ è nostra, uerùm è priscorum sapientum sententia, qui nihil scitu dignum inscrutatum reliquerunt. Quando ignis ille terræ inclusus suapte ui sursum fertur, ascendit ad locum sibi proprium:& quoties ei datur interspirare,secum rapit plurimum terrenæ substantiæ,conuerrens externe quantum potest: quæ deinde aut propius consistit,aut procedit ulterius, donec in summũ apicata fastigium,acutum ad formam ignis attollit uerticem. fit enim tunc quædam uiolenta rerum grauissimarum & leuissimarum contentio naturaliter dissidentium,dum utræq; suum locum petunt, & concitantur ipso certamine. siquidem ignis terram secum trahens degrauatur eius pondere: terra uerò deorsum uergens ab igne cælum petente subleuatur,atq; in sublime attollitur,& ui maiore propulsâ uersus ignis domicilium tãdem subsistit. Quid igitur mirum si montes tanta ui sustentati non sunt absumpti impetu imbrium,cum illam inclusam & tam solide infultam haberent. Solutis enim uinculis quibus continentur,uerisimiliter putarentur posse dissolui aquarum uiolentia:sed quoniam ignis ui adstringuntur, solidiores sunt quàm ut nequeant pluuias aquas sustinere. Hactenus contra hoc argumentum de terræ superficie,quo quidam uolunt euincere,mundum ut genitum,ita etiam esse corruptibilem. Ad illud autem quod de maris incremento adferunt,respondere possumus,Non esse considerandos solos exortus insularum,aut si quæ terræ portiones olim inundatæ, processu temporum continenti sunt redditæ:id enim nihil ad naturæ cognitionem facere,nisi ueritatis studio disquiramus etiam effectus contrarios, quantum terrarum nõ modo in ora,uerum etiam procul à mari absorptum sit, obrutumq; pelago enaui-

go enauigetur onerarijs. ignoratis celebrem de Siculo freto historiã, quomodo Italiæ continenti Sicilia quondam adnexa fuerit? sed cum uastum utrincp mare uiolentis incitatum concurreret, medium spacium ruptum et inundatum est, unde Græci urbem in proximo sitam nominauerunt Rhegium, mutatis rerum uicibus. nam maria prius disiuncta confluxerunt in unum: terra uerò quæ in medio continuabatur, interuentu freti scissa est, et Siciliam continenti abruptam fecit insulam. aliæ quocp multę ciuitates mari oppressæ deletæcp feruntur, & in his tres Peloponnesiacæ, Aegira, Bura, Helice, quondam fortunatæ, undis absumptæ unà cum ipsis mœnibus. Iam uerò Atlantis insula, maior quàm Asia simul & Africa, ut Plato in Timæo prodit, intra unius diei noctiscp spacium ingenti terræ motu inundationecp mersa in mare mutata fuit, non quidem nauigabile, sed cœnosum uoraginosumcp. Ergo nihil ad mundi corruptionem facit istud fabulosum maris detrimentum: quod ut apparet, aliubi crescit, decrescit aliubi. oportet autem non alterum tantum horum accidentium considerare, sed utrumque, atcp ita demum pronunciare sententiam: sicut legitimi iudices in causis ciuilibus utrascp partes prius examinant. Tertium argumētum seipsum coarguit, quandoquidem non rectè proponitur. non em̃ cuiuscũcp partes omnes corrumpuntur, id corruptibile est, sed cuius omnes partes simul & semel corrumpuntur eodem tempore: quoniam etiam hominem præciso digito nihil uetat uiuere: quod si totus membratim frustatimcp concidatur, confestim interit. eodem modo si uniuersa simul elementa delerentur eodem tempore, fatenda esset mundi corruptibilitas. at dum singula seorsum in naturam uicinam alterantur, immortalitatem magis quàm corruptionem adipiscuntur, iuxta illud philosophice dictum à tragico:

Genitum nihil emoritur:
Sed transpositum ultro citroq;
Formam priorem alterat.

Stultissimum autem est de genere humano coniecturã ex artibus sumere. nam si quis hanc tam absurdam rationem sequatur, ualde nouum mũdum asseuerabit, uix ante mille annos conditum. quãdo inuentores scientiarum duntaxat quorum nomina sint prodita, non excedunt hunc annorũ numerum. quod si libet dicere artes æquæuas hominum generi, nõ temere id asserendum est, sed ex naturali historia. ea uerò quid narrat? corrumpi res terrenas, non uniuersas simul sed plerascp, duabus de causis præcipue, aquæ igniscp nimia uiolentia. nam utriuscp uehemētes impetus fieri alternis uicibus post reuoluta multa secula. & quando ingruat exustio, ex æthere deorsum ferri flumina ignea, quę deriuata discurrant per diuersos tractus orbis habitabilis. è diuerso per diluuium naturam humidam uniuersam ruere in terras, stagnare torrentes perennescp fluuios, atcp etiã lacus ac maria tumescere, perruptiscp aut superatis riparum aggeribus, in magnam altitudinē excrescere: occupatiscp cãpestribus locis omnibus, primũ in uastos sinus diffundi, uergente aqua in cauitates uallium: dein disruptis terrarum angustijs hos ipsos dirimentibus, omnia confundi in unam immēsam colluuiē. atcp ita diuersa ui perire habitatores nunc horum nũc illorũ terræ tractuũ:

igne

igne quidem monticolas inaquosa tenentes, carentesq; naturali contra incendia remedio: rursum aqua, fluuiorum, lacuum, marisq; accolas. uicinos enim aut solos aut potissimum infestari calamitatibus. ita duobus his modis absq; infinitis alijs casibus leuioribus, cum maximæ partis hominum interitu artes quoq; necessario deficere. nam nisi tractetur, non licet inueniri ullam scientiam. quando autem publicæ illæ pestes se remiserint, ita ut hominum genus uires paulatim recipiat, & è reliquijs cladi superstitibus ceu repullulet, tunc artes quoque instaurari, non tum primum prouenire, quæ præ paucitate se tractantium ad raritatem miram peruenerant. Hactenus quę de incorruptibilitate mundi accepi, ut potui, prodidi. quid autem singulatim contradici queat, aliàs demonstrabitur.

PHILONIS IVDAEI
IN FLACCVM.



SECVNDVS post Seianũ Flaccus Auillius Iudæos ex insidijs adortus est, cum infestare totam gẽtem, ut ille, non ualuisset, uidelicet minus quàm alter ad hoc instructus. quotquot autem potuit, uniuersos cladibus affecit grauissimis. imò cũ uideretur partem eorum exagitare ac persequi, omnibus ubiuis terrarum degentibus molitus est perniciem arte magis quàm uiribus. hominibus enim sæuo tyrannicoq; ingenio natis uaframenta pro uiribus ad nocendum sufficiunt. Flaccus iste receptus à Tiberio Cæsare in amicorum cohortem, post Seueri obitum Aegypti præsidis, ei regioni & Alexandriæ fuit præpositus, uir, ut iudicabatur ex edito initio magistratus specimine, honestissimus. erat ẽm in sua functione assiduus, prudens cõsilijs, & in his exequẽdis industrius: in summa, uel nemine indicante quiduis sentiebat sagaciter. itaq; breui negociorum Aegypti euasit peritissimus, uaria sint licet multiplicia'q;, ita ut uix pernoscantur ab his qui totam ætatẽ eis impenderunt. superuacua iam erat turba scribarum, cum parua æque ac magna exacte ipse teneret, tanto melius, ut ad ostentationem diligentiæ ultro doceret eos à quibus modo didicerat. uerùm ista quæ ad accipiendas reddendasq; rationes pertinent, uel ad dispensationem redituum, tametsi necessaria, nullum specimen ostẽdunt animi digni qui præsit alijs: sed quæ magnificam regiamq; declarant indolem, elucebant manifestius. gerebat se pro dignitate, fastu non indecoro nec inutili magistratui. grauiores causas iudicabat cum optimatibus, superbos deprimebat, uetabat cœtus promiscuæ multitudinis, sublatis etiam sodalicijs quæ prætextu sacrorum uacabant mero & crapulæ, contumacibus seuerus ac rigidus. deinde inductis in urbem totamq; regionem bonis legibus, seorsum recensebat copias, deligens, ordinans, exercensq;

pedi-

pedites, equites ac uelites cum suis ducibus, curansq; ne quis miles fraudatus stipendio conferret se ad rapinas ac latrocinia, utq; singuli occupati munijs militaribus de cætero non satagerent, memor pacis rationem habendam præcipuam ex mandato principis. Dicat aliquis: Heus tu, accusatorem professus, omissis criminibus longam producis laudum seriem. satin sanus es? Non insanio bone uir, non sum tam fatuus, ut non uideã quid deceat. Laudo Flaccum, nõ quòd inimicus laudandus sit, sed quo apertius noscatur eius malicia. nam qui per ignorãtiam peccat, meretur ueniam: qui uerò prudens sciensq; facit iniuriam, excusationem non habet, prædamnatus iudicio cõscientiæ. Cum enim in sex annos accepisset prouinciam, per quinq; priores uiuo Tiberio Cęsare pacem seruauit tanta constantia, ut superiores præsides omnes uinceret. ultimo aũt anno post obitum Tiberij Caio admoto ad habenas imperij, iam remissior sinebat pessum ire omnia siue ob luctũ defuncti Cæsaris amicissimi, quem perpetuo mœrore lacrymisq; continenter manãtibus prosequebatur: siue q successori male uellet, quippe propensior in germanum filium q̃ in adoptiuũ: siue quòd esset unus ex his quorũ insidijs Caij mater delata perierat, propter metum dissimulatus. aliquantisper tamẽ resistebat dolori, nõ omnino cessans ab administratione reipublicæ. ut uerò audiuit Tiberij nepotẽ, Caij consortẽ ipso iubẽte interemptũ, perculsus casu grauissimo, humi prostratus diu mutus iacuit passus animi deliquium. uiuo eñ adolescentulo spes salutis non omnino extincta fuerat, defuncto autẽ etiam de sua incolumitate actũ existimabat, nisi quòd modicũ quiddam eius spei supererat in Macronis amicitia, qui nihil non apud Caium recens imperiũ adeptũ poterat, quippe qui præcipuus (ut fertur) autor principatus atq; adeo salutis fuit: quia sępenumero Tiberius decreuerat è medio tollere Caiũ ut maliciosum & indignũ principatu, simul'que ab eo nepoti suo metuebat, ne forte se defuncto ille quoq; mactaretur insuper, & fieret suæ mortis accessio. sed Macro nunq̃ non eximere conabatur ei suspiciones huiusmodi, laudans Caiũ ut simplicem & minime fucatis moribus iuuenẽ, adhæc sui patruelis amantissimũ, cui libenter uel totum principatũ cederet, uel partem eius potiorem. qua spe ille deceptus, inimicũ infensissimũ reliquit & sibi & nepoti & familiæ, et deprecatori Macroni, deniq; omnibus mortalibus. nã cum eum Macro à recta uia deflectentẽ & impotenter seruientem suis cupiditatibus reuocaret admoneretq;, ratus esse pristinũ illum Caium, dum Tiberius uiueret mitem obsequentẽq;: miser dedit extremas pœnas amicitiæ nimiæ, funditus excisus unà cum uxore atq; liberis, tanquã onus & impedimentum superuacaneum. quoties enim eum procul aduentantẽ uideret, sic præsentes alloquebatur: ne rideamus, sumamus uultus serios, magister adest morosus, imperatoris adulti nouus pędagogus, quando tẽpus ipsum ablegauit illos ueteres. Postq̃ igitur Flaccus hunc quoq; in quo reliqua spes fuerat, interfectũ audijt, omnino collapsus nõ amplius res moderari ualebat, destitutus uiribus animi. cum enim magistratus impos regendi sit, necessum est cõtumaces reddi subditos, præsertim qui sunt natura irritabiles: quo in genere primas ferunt Ægyptij, è minima scintilla sueti magnas seditiones

accendere.cumq́ hæreret inops cõsilij, trepidabat & mutabat priora insti tuta omnia, ipse mutatus in deterius, cœpitq́ à familiarissimis. ut eni quisque fuit ei coniunctissimus, suspectus repellebatur: eos uerò quos prius pro confessis inimicis habuerat, cõciliatos adhibebat omnib. consultatio nibus. at illi pertinaciter irati, & uerbis tantũ simulantes fœdera, alebant re ipsa odium: ac uelut in theatro fingendo amicitiã, totum in potestatẽ suam redegerũt. atq; ita ipse factus est, è præside subditus, illi contrà è subditis re ctores, auctores decretorũ inutiliũ, quæ ipsi mox obsignabant, executores enim erant omnium consiliorum, illum tanq̃ mutam in scena personã assu mendo prætextus gratia, quod magistratũ gereret, Dionysij quidam po pularis auræ captatores, Lamponis scribæ sedentarij, Isidori seditionũ in centores, inuentores curiosi rerũ malarũ, ciuitatis perturbatores, & ut uul go uocantur, Taraxipolides. hi omnes cõiurati decreuerũt contra Iudæos decretũ durissimũ, tum priuatim Flaccũ aggressi eum sic compellant: Pe rijt tua spes Tib. Nero iunior perijt, etiam cui post hunc maxime fidebas, Macro amicus, imperator uerò tibi parũ æquus est: oportet nos aduoca tum potentẽ quærere, qui tibi Caium reconciliet. is aduocatus erit Alexan drina ciuitas, semper apud Augusti familiam in honore habita, præcipue uerò apud præsentem nostrum dominũ. suscipiet aũt aduocationem, con secuta à te aliquod beneficiũ. sed nihil potes illis gratius facere, q̃ si eos si nas in Iudæos sæuire. Tum præses cũ debuisset eos ut turbatores pacis & publicos hostes reijcere, subscripsit eorũ sententiæ. Ac primũ quidem oc culte insidiabatur, nec pariter cognoscens lites partium, sed in alterã pro pensior, nec ius æquum habere sinens in cæteris: imò quoties Iudæus ali quis accederet, auersabatur hos solos data opera: deinde propalã se inimi cum declarauit. hãc eius nõ tam natiuã q̃ adsciticiã insolentiã auxit etiam casus quidam huiusmodi. Caius Cæsar Agrippæ Herodis regis nepoti re gnũ dedit auitę ditionis partẽ tertiã, q̃ Philippus noui regis patruus pos sederat. Discedenti aũt in suum regnũ suasit, ne à Brundisio solueret petitu rus Syriam, q; ea nauigatio longa esset ac difficilis: uteretur potius cõpen diaria per Alexandriam, expectatis etesijs. aiebat eni Ægyptias onerarias celerrimas, & gubernatores harum egregios, qui more aurigarum certan tium rectum cursum teneãt. Paruit ille ut domino consulenti utilia. cumq́ descendisset Puteolos, & naues Alexandrinas in portu paratas ad soluen dum inuenisset, prospera nauigatione usus post paucos dies inexpectatus & improuisus appulit: iussis gubernatoribus, cum sub uesperã Pharus se proferret, uela contrahere, & ibi circa ipsum in salo manere usq; crepuscu lum, ac noctu demũ portum subire, ut exscendens omnibus iam dormien tibus, nemini conspectus perueniret ad suũ hospitem. tanta ille uenit cum modestia, uolens si fieri posset, omnibus inscijs urbe excedere. nõ enim ui sendæ huius causa uenerat, quam ante adierat Romã nauigaturus ad Tibe rium, sed quærebat cõpendiosum ad suos reditũ. At Aegyptij rumpeban tur inuidia, quod ipsis est natiuũ uicium, & alienam felicitatẽ suum inter pretabantur infortunium: tum etiam ob inueteratam cum Iudæis simulta tem ægre ferebãt extitisse Iudæorum regem quempiam, haud aliter quàm si ipsi

si ipsi auito regno exturbarentur singuli. rursum'que miserum Flaccum familiares irritabant, incitando ad eandem inuidiam his uocibus: Tua pernicies erit hic aduena. maiore quàm tu splēdore ac fastu septus est. omnes in se conuertit spectantes satellitium argenteis clypeis & inauratis armis nitidum. & quid opus erat uenire in alienam prouinciam, cum posset in suam ditionem tutò deduci clasibus? nam etiamsi Caius permitteret, atq; adeo cogeret, debuerat deprecari hanc profectionem, ne sua felicitate officeret præsidi, suo splendore obscurando eius gloriam. His ille auditis magis etiam turgebat quàm antea, palam quidē socium & amicum simulans, quòd timeret imperatorem à quo missus erat: priuatim autem odium & æmulationem aperiens, & ex obliquo eum contumelijs appetens, quando id non audebat in faciem. nam urbanam multitudinem ociosam segnem'que, nec alia re occupatam quàm garrulitate, conuicijs atq; calumnijs, passus est regi maledicere: siue ab ipso præside fuit exortū obloquendi principium, siue alios etiam huc impulit per eos qui non grauatim offerunt ad talia suum ministerium. qui occasionem nacti totos dies traducebant regem in gymnasio sermonibus scurrilibus, iactantes in eum dicteria. nonnunquam etiam mimographorum & id genus poetarum ludicris carminibus abutebantur ad prodendam obscœnitatem ingenij, ad talia magis quàm ad honestas artes prompti ac dociles. alioqui præses indignatus obiurgasset mulctasset'q; arrogantem maledicentiam. imò etiam si rex nō fuisset, familiaris tamē Cæsaris, non debuerat habere aliquod honoris priuilegiū? quæ certe argumenta sunt manifestißima, Flaccum eius maledicentiæ fuisse conscium. nam qui castigare, aut saltē cohibere ualens non cohibuit, satis apparet quòd permiserit. Vbi uerò uulgus incompositum occasionē peccandi accepit, non facile desistit, nouis erratis priora cumulans. Erat quidam insanus nomine Carabas, nō ex illo conspicuo furiosorum genere, sed leuiore correptus insania. is interdiu noctu'q; nudus oberrabat per compita, nec æstum nec frigus deuitans, puerorū & adolescentum ludibrium, hunc miserum propulsum ad gymnasium in superiore loco statuunt, ut spectari posset ab omnibus. mox'q; capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori storeā induunt, pro sceptro frustum harundinis humi sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regijs insignijs, & in regem transformatum more histrionico, adolescentes perticas in humeris gestantes stipabāt pro satellitio: tum alij salutatum accedebant, alij sibi reddi iura petebant, alij consulebant eum de re publica. post hæc acclamatum est à circumstantibus, magna uoce Marim appellantibus, quod nomen Syris significat dominum. norant enī Agrippam Syrū genere, & regnare in bona portione Syriæ. His auditis, imò uisis Flaccus, cum debuisset illum insanum conijcere in carcerem, ne illusoribus præberet materiam petulantiæ: atq; etiam ipsos subornatores, quòd regem Cæsaris amicum, à senatu Romano honoratum ornamentis prætorijs, ausi sint apertis obliquis'q; contumelijs lacessere: nō solum eos non castigauit, sed ne cohibere quidem dignatus est, licentiam dans maliciosis & inuidis, & quicquid uidebat audiebat'q; dißimulans. Quod ubi sensit populus,

pulus, nō dico illum ciuilem & bene moratum, sed uulgus curiosum, ocio segniciæq; per totam uitam deditum, tumultibus omnia miscere solitum, aggressi rem insidiosam, confluxerunt summo mane in theatrum, redempto iam Flacci fauore, quē ille miser ambitione corruptus uenditabat nullo respectu securitatis uel suæ uel publicę: & unanimiter conclamauerunt, dedicandas esse in proseuchis statuas, petentes licentiam nunquā prius auditi facinoris. Quod intelligētes (sunt enim ad nequiciam ingeniosissimi) commenti sunt ad prætextū nomen Cæsaris, quòd hunc non liceat in ius uocari. Quid igitur tum egit præses prouinciæ? cum sciret ciuitatem habere incolarum duo genera, nostros homines, & illos alteros, totamq; Aegyptum similiter: & quòd non minus quàm decies centena milia Iudæorum habitent Alexandriam totamq; regionem quā tà patet à Catabathmo Libyæ usq; ad terminos Æthiopiæ: & hunc conatum aduersari his omnibus, nec esse è repub. moueri patrias cōsuetudines, neglectis his omnibus permisit dedicationē fieri, cū liceret ei pro potestate afferre plurima remedia, uel saltē expedire amica consilia. at ille ut iniuriarū conscius ac socius, quo plus poterat, eo magis seditionem accendebat, & quantum in se fuit, orbem repleuit bellis ciuilibus. nec enim obscurum erat, quòd fama occupatarum proseucharum apud Alexandriam exorta spargenda esset per omnes Aegypti præfecturas, inde propaganda ad gentes orientales: pariterq; ab ora maritima & Mareotide, quod est initium Libyę, usq; occidentem & nationes tractus illius. Iudæos enim una regio non capit propter hominum multitudinem: quamobrem plurimas ac fortunatissimas urbes in Europæ Asiæq; prouincijs ac insulis incolunt, pro metropoli habentes sanctam ciuitatem in qua templum altissimo deo sacratum est: auitas aūt proauitasq; sedes colentes tanquā patriam, ubi nati educatiq; sint. in quibusdā etiam mox ut cōditæ sunt, immigrarunt, in conditoris cuiusq; gratiam. & metuendū erat ne per hanc occasionē Iudęi ubiq; molestarentur à suis ciuibus, siquid nouaretur circa proseuchas & ritus patrios. Et quia res adeo nō contemnenda cōmouere poterat eos, quāuis ingenij pacati homines, non solū quoniam ubi de religione, ibi de uita quoq; agitur: uerū etiā quòd sub cælo cū proseuchis adimebatur pietatis erga benemeritos facultas per iniuriam quauis morte grauiorē, non habentibus sacra loca ubi declararent suam gratitudinē: dicere poterant aduersarijs, Non animaduertitis hoc pacto uos honorē auferre dominis magis q̄ tribuere. ubiq; Iudæi habent proseuchas sue pietatis erga familiā augustā publica domicilia, quibus sublatis quē nobis aliū modū eos honorandi relinquitis? si enim eos qui nos sinunt nostro iure uiuere, neglexerimus, extrema pœna digni erimus nō referēdo eis parē gratiam. quod si nobis licet frui patrijs legib. ab Augusto quoq; approbatis, nescio quod nostrū paruū magnū'ue delictū sit, nisi quis uitio uertat q nō ultro legē uiolamus, et ad externos ritus desciscimus, quod scelus sæpius expiatur au torū capite, sed Flaccus tum dicēda silendo, tum silenda dicendo, nobis erat iniquus. quid illi quibus gratificabatur, quomodo affecti erant? num honorare uolebant Cæsarem? scilicet deerant fana in urbe, cuius pleræq; partes opportunissimæ sacratæ sunt,

ſunt,ubi ſtatuas quaſcũq; liberet,poneret. imò techna fuit hæc hoſtiliter inſidiantium, ut lædendo non uiderentur iniuriam facere, læſi uerò non poſſent tutò reſiſtere ſe moleſtantibus, niſi forte ad imperatoris honorem pertinet,leges abrogari, patrios ritus antiquari, uicinis nocere,concordię perturbandæ exemplum prębere alijs quoq; ciuitatibus. Ergo poſtquam is contra legem conatus uiſus eſt pręſidi ſuccedere,proſeuchas tollenti,ut ne nomen quidem reliquum ſineret, rurſum aggreſſus eſt omnia noſtra inſtituta peſſum dare: ut his abſciſis quibus ſolis noſtra uita ſuſtinetur tanq; ſacra anchora, ademptoq; iure ciuitatis, in calamitates incideremus maximas, deſtituti omni præſidio. poſt paucos enim dies edictũ propoſuit, in quo nos appellabat inquilinos & exteros, ne cauſæ quidẽ dicendæ poteſtatem faciens,ſed iniudicatos condemnans: quo quid poſſet eſſe magis tyrãnicum? ipſe ſibi uſurpabat partes, delatoris, inimici,teſtis, iudicis, pœnarũ exactoris. Tertium quoq; ſcelus addidit nõ contentus duobus prioribus paſſus quoslibet in Iudæos tanq; bello captos ſæuire. qui nacti licentiam qui fecerunt? quinq; ſunt urbis regiones, denominatę à primoribus literis: harũ duæ dicuntur Iudaicæ,quòd in his plurimi Iudæi habitẽt, quamuis & in alijs non pauci ſparſim habeant domicilia. Quid igitur fecerunt? è quatuor literis expulſos Iudæos contruſerũt in unius partem anguſtiſsimam. at illi quòd plures eſſent q; ut is locus eos caperet, egrediebantur in littora, & monumẽta, & ſterquilinia, exuti rebus ſuis omnib. inimici uerò facto in deſertas domos impetu, prædas tanq; iure belli partas diuidebant: effractisq; Iudæorũ officinis, quæ tũ propter luctũ mortis Druſillæ clauſę fuerant,hinc quoq; plurima egeſſerũt,quę per medium forum translata uerterunt in uſus proprios. ſed minus nocebãt rapinæ quàm abrupta negociatio,cum creditores amiſiſſent pignora,nec ſineretur ullus agricola,nauta, negociator,opifex,exercere artes cõſuetas. ita non ſimplex eis parabatur pauperies, uel q; una die ſpoliabantur ſuis facultatibus, uel quòd non dabatur quæſtũ facere more ſolito. Hæc quamuis permoleſta, uidebantur tamen tolerabilia collata cum cęteris. nã paupertas grauis quidem eſt,præſertim oblata ab inimico, leuior tamen q; corporis læſio uel minima. at noſtri homines tantis afflicti fuerunt calamitatibus,ut ſi quis dicat eos tormenta cruciatusq; perpeſſos, minus q; pro re uideatur dicere, & deſtitui proprijs uocabulis propter inauditã ſæuiciam: ut ad hanc collata quæ uictores in uictos hoſtes iure belli ſolent perpetrare,exiſtimari poſſint plena clementiæ. Illi pecunias auferũt & captiuorũ multitudinem, ſed periclitati de ſua libertate ſuisq; opibus. plurimos etiam ſinunt à cognatis amicisq; redimi,ſi nõ miſeratione,moti ſaltẽ auaricia. quid tũ poſtea? ſeruati non putant ſua referre quonã modo ſibi ſalus contigerit. tum ſi quis in bello cadat,ſepelitur ab hoſtibus, uel ipſorũ ſumptu,ſi ſint humanitatis æquitatisq; memores. quod ſi odium etiam in mortuos retineat, licet per inducias repetere corpora, ne ultimi honores eis deſint & iuſta funebria. hęc ſunt in bello cõmercia hoſtiũ,nũc age inſpiciamus quomodo in pace tractati ſimus ab his qui paulo ante eſſe amici deſierãt. Poſt domos direptas,exactis habitatoribus,atq; ita deſolatas partes urbis pleraſq;, tanquã

obſeſsi undiq; ab inimicis, & oppreſsi graui rerũ uictui neceſſariarũ inopia, inſpectãteſq; paruos liberos et uxores ante ora ſua fame deficere inducta per aduerſarios (nã de cętero felix annona erat ubiq;, et flumẽ ſtagnationib. iuſtis arua innudarat largiter, & campi frugiferi magnã frumẽti copiam protulerant) iam egeſtatis impatientes quidã ad cognatorũ & quondam amicorũ ædes ibant præter ſolitum, petituri ſtipem neceſſariam. alij generoſiores aſpernati mendicorũ fortunam ut illiberalem, in forum prodibant, tantũ ut ſibi ſuiſq; cibos emerent miſeri. mox enim à uulgo ſeditioſo correpti ſunt occiſiq;, corpora quoq; horum per totã urbem raptata, ut ne ad ſepulturam quidem ullum membrũ fieret reliquum. eadem rabie perierunt & alij plurimi, nouis crudelitatis formis excogitatis per efferatã in mores beluinos plebeculam. nam ubicunq; Iudæi conſpicerẽtur, aut ſaxis coniectis enecabãtur, aut inflictis fuſtibus: nec ſtatim plagis letalib. appetebãtur, ne accelerata morte cito eriperentur cruciatibus. alij ferociores abuſi præſenti licentia, cõtemptis hebetioribus arma ſumpſerũt efficaciſsima, ignem ferrumq;, & multos gladijs confecerunt, nec pauciores concremauerunt. interdũ familias integras, maritos cũ uxoribus, paruulos cum parentibus in medio foro exurebant immaniter, nec ſenium, nec tenerã ætatem miſerati, nec eius innocentiã. & quoties ligna deerant, ſarmentis collectis non tam igne q̃ fumo enecabant eos, quo diutius morerẽtur, & miſerius quorum cadauera ſemiuſtulata confertim iacebant & promiſcue, triſte horrendumq; ſpectaculum. quod ſi lignatores ſarmenta conferrent tardius, impoſitos ligneæ ſupellectili urebãt eius dominos, ſubtracta precioſiore uiliori utendo pro lignis uulgarib. ad rogos extruendos. multos etiã uiuos in alterũ pedem fune iniecto trahebant interim inſultando calcibus, excogitato genere mortis crudeliſsimo: nec in extinctos remittebãt iram, grauius ſęuiendo in cadauera, propemodum per omnes urbis angiportus raptata, donec lacerata cute cũ neruis & carnibus, & fruſtis ſparſim in aſpero ſolo hærentibus, minutim concerperentur. Interea quidã eorum tanq; in theatro ſe indoleſcere ſimulabant ad talia ſpectacula. cæterũ qui uere dolebant ſuorũ uicem cognati amiciq;, confeſtim pœnas dabant, intẽpeſtiuę, ut inimicis uidebatur, miſericordię, arreptiq; flagris cędebãtur, & poſt omnia tormenta quæ poterant excipere corporibus, tandẽ in crucem agebantur. Poſtquã autem Flaccus perfodit omnes Iudæorum parietes, & nihil intentatum reliquit in eorum perniciem, immane quiddã commentus eſt inuentor nouarum ſemper iniuriarũ. nam è ſenatu noſtro quem Auguſtus ſeruator optime de nobis meritus inſtituit ceu publicũ Iudæorũ conſilium, miſsis ſuper ea re literis ad Manium Maximũ deſignatum Aegypti præſidem, triginta octo cõprehenſos in ſuis priuatis ędibus cõfeſtim uinciri iuſsit: traductoſq; egregia pompa per medium forũ ſenes reductis in tergũ manibus, ligatos partim loris partim catenis ferreis, induxit in theatrum, ſpectaculũ miſerabile, nec illi tempori aut loco debitum, ſtatutoſq; coram inimicis eorum ſedentibus, ad maiorẽ ignominiam iuſsit nudatos flagellari tanquã ſceleſtos & nocentiſsimos, ut conciſi uerberibus aliquot mox ut inde ſunt elati exhalarint animã, reliqui deſperata ſalute cum diu-

turno morbo conflictati sint.quod facinus etsi aliàs deprehensum est,nihi lominus hic quoq; declarabitur.Ex dicto senatu tres,Euodius,Tryphon, Andron,bonis spoliati fuerãt,direptis eorũ ædibus uno impetu, nec id la tuit præsidem.didicerat em̃ accitis nostris magistratibus,quasi acturus de concordia.et tamen quãuis sciret spoliatos fuisse,uerberabat in conspectu eorum qui spoliarant: ut alteris calamitatẽ geminaret addito ad pauperta tem cruciatu corporis: alteri duplicem uoluptatem caperẽt ex concessis si bi alienis opibus,& inimicorũ ignominia.dicam paruum quiddam,quod an inter tanta mala dicendum sit,dubito.sed quamuis paruũ, non paruam tamen indicat maliciã. Est in illa urbe flagrorũ differentia pro eorũ condi tione qui cæduntur.aliter Aegyptij flagellantur ab alijs, Alexãdrini uerò uirgis cædũtur ab Alexandrinis lictoribus,quos uocãt spathephoros.hũc morem & in nostris hominib. seruarũt superiores præsides,& ipse quoq; Flaccus primis magistratus sui temporib. est certe et in pœna paruũ quod dam solatiũ,& in cruciatu remissionis nõnihil,quãdo res ita,ut sunt, sinun tur, nec augetur maliciose molestia:sed cum accedit odium, nihil ęquitatis relinquitur.annon igitur fuit iniquissimũ, cum de plebe Alexandrina Iu dæi liberalibus & ciuilibus flagris punirentur,siquando uiderentur com meriti,magistratus senatoresq;, honoratos uel ipsis appellationibus, hac parte inferiores haberi suis subditis, & exæquari Aegyptiorũ obscurissi mis,maximorũ flagitiorũ pœnas luentibus corpore? omitto dicere,q̃ etiã si peccassent grauissime, debuerat habere tẽporis rationẽ atq; reuerentiã, & differre mulctationẽ in aliud.nam bonis præsidibus, & recte non inso lenter administrantibus rempublicã, mos est in neminem damnatum ani maduertere, donec solennes celebritates nataliciaq; augustorũ festa præ tereant. at ille per eos ipsos dies iniustis pœnis affligebat homines inno xios.an nõ poterat postea, si uoluisset, easdẽ ab illis exigere?sed propera bat urgebatq; negociũ, ut turbis aduersariorũ gratificaretur,ratus eo mo do se impetraturũ eorũ fauorẽ ad exequenda consilia quę agitabat animo. atqui noui quosdã iam crucifixos, instante tali festo de cruce depositos,& ad sepulturã ex more cognatis redditos:quãdoquidẽ decebat uel ad mor tuos redire aliquem fructũ ex imperatoris natalibus,simulq; celebritati su um sacrum honorẽ seruari.at iste non mortuos deponi de crucibus, sed ui uos crucifigi iubebat,quibus ipsum tempus non quidẽ absolutionem,bre uem tamen dabat ueniam,& pœnę procrastinationẽ.nihilominus ante fla gellabantur in medio theatro,& igne ferroq; torquebantur,spectaculis di stributis ad hũc modũ. Mane usq; horam tertiam quartã'ue Iudæi flagella bantur,suspendebantur,rotis alligabantur, damnabantur, per mediam or chestram ducebãtur ad suppliciũ. deinde post hæc tam præclara exempla edita inducebantur saltatores,mimi,tibicines,aliaq; ludicra scenicorũ cer taminum.quid multis?excogitata est secunda uastatio, ut militaris quoq; multitudo in nos armaretur per occasionẽ nouæ calumniæ,quasi Iudæi ha berent arma in ædibus.Accitus igitur à præside Castus centurionũ fidissi mus,iubetur assumpto è sua cohorte audacissimo quoq; in domos eorũ ir rumpere,scrutariq; nunquid armorũ ibi lateat.properauit ille mandata ex

equi.at Iudęi non pręmoniti primũ obstupuerunt,uxoribus & liberis eos complectentibus & effusis in lacrymas metu captiuitatis.hoc enim malum expectabant reliquum.Vt uerò audierũt à quodã è scrutatoribus,quòd reposuistis arma: paulũ respirarunt,& intima quęq; aperientes ostendebãt, partim lęti, partim gementes:lęti,quia coarguebatur calumnia:soliciti primum,quia tantæ calumniæ tam facile contra eos uel fingerentur uel crederentur:deinde quia mulierculæ inclusę,nunquam è conclaui egredi solitę, & uirgines præ pudore declinantes aspectum etiam familiariũ,tunc nõ solum ignotis,uerum etiam militari ferociæ spectabãtur pauidæ. nihilominus accurate facta scrutatione,non inueniebantur ista quæ solent esse in armamentarijs,galeæ,loricæ,clipei, conti,gladij,neq; balistę,arcus,fundę,sagittæ, iacula, imò ne cultri quidẽ apti quotidianis culinę usibus. Vnde statim apparuit uictus simplicitas, nihil delicatũ aut magno emptũ in cibos admittentiũ,ex qualibus ferè nascitur saturitas,& ex hac porrò petulantia, malorũ initium.Quin & Ægyptijs paulo ante arma dempta fuerant per Bassum quendã à Flacco iussum id curare.sed tum uidere licebat magnum nauium numerũ appulisse ad portus fluminis, plenarum omni armorum genere:iumenta quoq; sarcinaria onusta fascibus hastarũ ab utroq; latere pendentium ad æquilibrium, tum plaustra castrẽsia plena armaturis pene omnia,transuecta militariter una serie præter spectantium multitudinẽ,ita ut explerent totum illud fere decem stadiorũ spacium, quod interest inter portus & regium armamentariũ quò uehebãtur. in horum domos merito scrutatores missi sunt, quòd essent suspecti quasi nõ contẽti pręsenti statu res nouas molirentur, & ad defectionem ac bellũ pararent se consensu seditiosorum hominũ & infamium antea quoq; sæpius tentatis defectionibus:ut opus esset,quemadmodũ sacra certamina instaurãtur singulis triennijs,ita in Aegypto euoluto eodẽ temporis spatio,nouas armorũ comportationes exigi per præsides eius prouincię:ut populi aut ea parare desinant,aut non multa præparent,paraturi plura si daretur longius temporis spacium.Nos uerò quid opus erat uexari ad eum modum: quando enim defectionis cõsilio suspecti fuimus: quãdo à pace alieni uisi sumus: studia nostra quotidiana quæstusq; quos exercemus,nõnne reprehẽsione carẽt, & ad concordiam ciuitatis tranquillitatẽq; faciunt: scilicet si arma domi habuissent Iudæi,plus quàm quadringẽtas domos amisissent, unde bonis direptis exturbati fuerant.Cur igitur apud eorũ spoliatores nulla est facta inquisitio,an arma si nõ propria,certe rapta habeant: Verùm ut iam dixi, totũ id negocium dolus erat Flacci, pertinaciter nobis infensi, & uulgum exasperantis in nos, non parcendo uel mulierib. nam non solum in foro, sed in medio theatro tanquã captiuæ corripiebantur, & ob quamuis calumniam in scenam trahebantur nõ sine grauissimis cõtumelijs:deinde cognito esse eas alterius generis,dimittebantur.multas eñ quasi Iudęas comprehendebant priusquã rem diligentius dispicerent.quoties autẽ nostræ comperiebantur,ex spectatorib.facti tyranni & domini,iubebant eis suillas carnes offerri: quas quotcunq; metu tormentorũ gustabant, sine alia maiore uexatione dimittebãtur.quæ uerò sibi tẽperabant, tortoribus tradebantur

debantur ad cruciatus maximos: quod fuit eximium argumentũ earum in nocentiæ.ille tamen nõ contentus propria poteſtate,quærebat quomodo imperatore quoq; ad nos infeſtandos abuteretur. poſtquam enim omnes honores,qu os per leges noſtras decernere licuit, Caio exhibuimus,decre tum obtu limus præſidi, orantes ut quoniam non fuit permiſſum legatio-nem mi ttere,ipſe id per ſuos nuncios tranſmitteret. Legit ille,annuens ad pleraq; capita: ſubridensq; & lætus, aut certe ſimulans læticiam: Placet, inquit, mihi per omnia pietas ueſtra. mittam hæc ut petitis, & legati fun-gar munere,ut ſentiat Caius ueſtram gratitudinem: eroq; teſtis probe no tæ mihi ueſtræ popularis modeſtiæ atq; obedientiæ, nihil addendo præ-terea.nam ueræ laudes ſufficiunt. His promiſsis læti gratias egimus, ſpe præcipientes decretum Caio perlectum.nec immerito.nam quęcunq; per præſides ſerio mittuntur,abſq; longa mora perueniunt ad imperatoris no ticiam. at ille noſtram uoluntatem parui faciens, decretum illud apud ſe re tinuit, ut ſoli omnium qui ſub ſole ſunt hominũ pro inimicis haberemur. an non hæc fuerunt multũ diuq; cogitatis deſtruendis nobis inſidijs, non tranſuerſum temere abrepti affectu aliquo extẽporaneo?ſed deus cui nõ negligũtur res mortaliũ,proculdubio fucatas eius adulationes,et illud ini quiſsimarũ cogitationũ conſiſtorium,quo malicioſis artibus petebamur, non multo poſt miſertus noſtri præuenit, & bene ſperandi occaſionẽ prębuit.nam Agrippa ubi ſuperuenit Alexandriam, nobis enarrantibus edo ctus de inſidijs per Flaccum paratis in noſtram perniciẽ,opem rebus attu-lit periclitantibus: pollicitusq; uelle ſeipſum id decretũ in urbem tranſmit tere, ut audio tranſmiſit cũ excuſatione temporis, ne uiderentur Iudæi ſe-rius æquo ſuã pietatẽ erga optime de ſe meritorũ principũ familiã expro-mere,uoluiſſe illos eã declarare ab initio, ſed impeditos fuiſſe maleuolen-tia præſidis,quo minus tẽpeſtiue id facerẽt.poſt hęc cœpit aduerſus illum ſuas uires expedire adiutrix iniuſte oppreſſorũ & ultrix facinoroſorum iu ſticia.primũ affectus eſt noua calamitate atq; ignominia,quali nemo ad e-um diem,ex quo in Auguſti familia ſtabilitũ eſt terræ marisq; imperium. Nam ſub Tiberio patreq; huius Cæſare aliquot præfecti qui prouincias ſortiti poteſtatẽ legitimã in tyrannicam potentiam uerterant, cum ſubdi-tas ciuitates diuexaſſent malis non ferẽdis, corruptelis, rapinis, innocen-tum exilijs, indemnatorum ſupplicijs, Romã reuerſi exacto magiſtratus tempore,poſtulati ſunt repetundarũ, præſertim quando legati à prouin-cialibus ad imperatorem eos accuſaturi mittebãtur. Tunc enim æquos ſe præbendo iudices, & auditis examinatisq; partibus, de nemine iniudica-to ferebant ſententiã, nec in gratiam nec odium pronunciando, ſed quod iuſtum uideretur.At Flaccum in ipſo magiſtratu inuaſit infenſa malis ui-ris iuſticia, irritata nimijs eius iniurijs & iniquitatibus. Oppreſſus eſt au-tem hoc modo. Putabat iam Caium depoſitis ſuſpicionibus placa-tum, uel per epiſtolas plenas adulationibus, uel propter prolixas con-ciones ſæpe in laudem eius apud populum Alexandrinum habitas, uel quia maiori eius populi parti probabatur. Sed fefellit eum ſua opinio.in-firmæ ſunt enim ſpes hominum malorum, contrà quàm ſibi pollicen-

tur infor-

tur infortunium se dignũ incurrentium. Misit enim Caius Bassum centurionem cum cohorte sua ex Italia. Is conscenso nauigio celerrimo post paucos dies nõ longe ab Alexandrina Pharo substitit uergente iam die, iussis nautis in salo solis occasum expectare, ut improuisus adforet, ne Flaccus presentiẽs motu excitato re infecta se abire cogeret. crepusculo uero nauis appulit, & Bassus postq̃ cũ suis exscẽdit, pergebat ulterius ignotus & neminẽ noscitans, donec inuẽto quodã milite qui obibat uigilias, iussit indicari sibi ædes perfecti militum. cum hoc enim uolebat secretum communicare, ut si opus esset maiore manu, haberet socium, cognito uero eum cum Flacco uocatum esse à Stephanione liberto Tib. Cæsaris ad conuiuium, propere ad eas ædes contendit. cumq; substitisset in propinquo, misit è suis quendam speculatum, subornatum seruili habitu ne quis fraudẽ sentiret. is obrepsit conuiuio mixtus cæteris seruitijs, & diligenter considerata perspectaq; Basso renunciauit omnia. qui ubi cognouit incustoditũ uestibulum, & Flaccum decem aut ad summum quindecim comitatũ mancipijs è ministris domesticis, dato signo suis cursim irrupit. pars militum discumbentem ex improuiso circumstitit, propinantem cuidam, & cum conuiuis agentem comiter. Sed postquam Bassus in medium prodijt, ad primum eius conspectum attonitus obmutuit, cumq; uellet surgere, ubi se circumuentum animaduertit, intellexit priusquam audiret Caij uoluntatem, quid mandatum sit militibus, quid ipsi mox euenturum. Sagax enim est mens ad momento percipienda etiam quæ non conficiuntur sine longiore temporis spatio. cæteri consurrexerunt. quorum nemo non metu diriguit, timens ne pœnas daret eius conuiuij. nam fugere tutum non erat, ac ne poterant quidem occupatis exitibus. illum Bassi milites ut iussum est abduxerunt, ex hoc ultimo conuiuio. Oportebat enim eum à foco rapi ad suppliciũ, qui tot innocentiũ domos focis uacuas fecerat. Id quod inauditũ antea Flacco accidit, ut in sua prouincia uiuus caperetur hostiliter, propter Iudæos opinor, quos funditus sublatos cupiebat homo uanus & auidus gloriæ. Quod eo uerisimilius fit, quia tũ captus est quando Iudæi populariter dies festos agunt per autumni æquinoctiũ in sub dio structis attegijs. quod festũ erat tunc intermissum, magistratibus nostris etiamtum inclusis carcere post intolerabiles cruciatus ac cõtumelias, plebe uero uniuersa uicẽ illorum dolente haud secus ac suam, quãuis ne domesticæ quidem calamitates suæ cuiq; deerant. Tunc enim grauius feruntur molestię, quando per eas non datur festos dies celebrare, fruiq; tranquillitate ac remissione animi, qualem id tempus requirit: sicut ipsi tunc mœrore opprimebantur, cuius nullũ inuenire ualebant exitum. Sic dolentibus sub onere grauissimo, & domi conglobatis nocturno tempore, quidã nunciarũt comprehensum hominẽ. illi rati se tentari falso nuncio, tanto indignius ferebant ludibrium quo sibi struerentur insidiæ. Sed postq̃ tumultus in urbe ortus est, uigilibus ultro citroq; discursitantibus, & quibusdam equitibus in castra properantibus, alijs è castris in urbem pari festinatione recurrentibus, quidam rei nouitate moti ædibus egressi cognouerunt accidisse noui aliquid. Vt uero intellexerunt Flaccũ captum abductũq;, tendentes

manus

manus in cælum, laudabant Deum, gratias agentes Deo rerum humanarum inspectori, dicentes: Nō gaudemus Domine pœna inimici, docti tuis sacris legibus condolere calamitati hominum: sed tibi meritas gratias agimus qui nostri misertus subleuasti afflictiones continuas. atq; ita nocte tota exacta in hymnis & canticis, summo mane portis effuderunt se in proxima littora. nā proseuchas suas amiserant. Ibi in loco purissimo stantes conclamarunt unanimiter: ô Domine supreme rex mortaliū & immortalium, allegamus terram, mare, aerem, cælum mundumq́; uniuersum nostris gratiarum actionibus, quæ sola nobis sunt reliqua: cæterarum creaturarū usum ademerūt homines, pulsis urbe & urbanis ædificijs tum priuatis tum publicis, ut in terris soli ne priuatum quidem haberemus domicilium iniquitate præsidis. At tu omnipotens spem tandem salutis facis his reliquijs, & incipis inuocatus annuere tuorū precibus: quādoquidē hostem totius nostri generis autoremq́; calamitatum cunctarū, superbum captantemq́; his factis nouam gloriam, sustulisti de medio hic in proximo: ne nos afflicti minus uoluptatis perciperemus auribus, sed tantū non oculos pasceremus manifesto melioris euentus præsagio. Huc accessit aliud quiddā non sine diuina, ut uidetur, prouidentia. Cum em̄ oram soluisset hyemis initio (nam oportebat marinis quoq; iactari eum tempestatibus, qui clemēta omnia facinoribus impijs polluerat) post plurimos labores ægre delatus in Italiam, confestim exceptus est à duobus infensissimis accusatoribus. Lampone Isidoroq;, paulo ante sæpius ab eis ut subditis salutatus dominus & seruator benemerentissimus. tunc uero sensit eos aduersarios, & quidem non ex æquo, sed longe præualentes, nō modo iure quo fidebant, uerumetiam fauore summi principis ac moderatoris rerum humanarum, quem uidebant Flacco inimicissimum, sed tunc sumpturum personam iudicis, ne uideretur eum prædamnare ante iudicium, si non expectata accusatione defensioneq́; ob priuatam simultatem ferret in eum capitalem sententiam. Nihil autem est molestius quàm maiores ab inferioribus & magistratus accusari à subditis, haud secus quàm si herus reus postuletur à uernis suis aut emptis mancipijs. Fuit tamen hoc leue malum collatum ad aliud grauius. Nec enim è subditorum uulgo accusatores conspirarunt in eum subito, sed totius præfecturæ tempore his potissimū inuisus fuerat, Lampone etiam accusato impietatis commissæ in Tiberiū Cæsarē, & hac causa fatigato per bienniū. Nam iudex maliciose differebat sententiā, ut etiāsi reus absolueretur à crimine, saltem metu incerti euentus impendentis cruciaretur quàm diutissime, & uitam morte grauiorem uiueret. imò & postquam euasisse uisus est, aiebat se mulctatum facultatibus, quippe qui inuitus præfecturam gymnasij susceperat: siue homo sordidus & illiberalis negabat sibi tantas opes quæ huiusmodi sumptibus sufficerent: siue minus possidebat, quàm antea præ se tulerat, tandem uero res ipsa declarauit minus pecuniosum fuisse quàm pro existimatione, ut qui præter malis artib. parta nihil haberet. Ab actis enim erat apud præsides, causas promouens ex ordine. In harū commentarijs quædam delebat, quædam prætermittebat data opera, nonnunquam inserebat quæ in iudicio dicta non fuerant:

rursum

rursum alia mutabat transponebatq; pro libito, è singulis syllabis atq; etiam apicibus quæstum faciens scriba sedentarius: qui sæpe conclamante populo appellatus est calamosphactes aptissime, quòd scribendo calamo iugularet multos, hoc est miseriores mortuis redderet: qui alioqui potuissent causam uincere fruiq; suis opibus, tunc uero paupertatem ferebant iniustissime, illo inimicis eorum uenditante alienas substantias. Non enim erat possibile prouinciæ amplissimæ præsides meminisse negotiorũ omnium affluentibus alijs super alias causis priuatis atq; publicis: præsertim cum non iudicijs tantum præessent, sed etiam rationibus tributorũ & uectigalium, quibus maior anni pars impendebatur. At iste cum ex officio suscepisset necessariam iuris custodiam, & decretorum eius sanctissimorũ, uenalem habebat obliuionem iudicum, parti quæ uicisse debuerat, adscribens litem perditam, accepta largitione magis q̃ mercede: & superiores faciebat qui iure succubuerãt. talis accusator tunc Lampon extitit: nec minus scelestus Isidorus, homo turbulentus, factiosus, exercitatus in seditionibus, inimicus pacis trãquillitatisq;, idoneus uel excitandis uel augendis tumultibus, solicitus circa se habere turbam promiscuam, distributam quodammodo. sunt enim per eam urbem sodalicia plurima, quæ nihil sanum consociãt, sed compotationes, ebrietates, debacchationesq; harum comites: ea Synodos & clinas uocant indigenæ. in his sodalicijs plerisq; Isidorus Taraxipolis principatum tenet, Symposiarchi clinarchæq; titulo: & quoties collibuit aggredi aliquid inutile, ex composito præsto sunt omnes, & iussa huius faciunt. is quoniam sibi uisus est multum apud Flaccum posse ab initio, deinde non in eodem haberi pretio, conducta opera hominum aliena quadra uiuentium, & ex acclamationibus forensibus uictum parantium, iussit eos conuenire in gymnasium. Quo mox completo, sine causa Flaccum accusabant, falsis criminationibus impetẽtes eum & obijcientes quæ nunquam fecerat, tam longis querelis, ut non Flaccus modo, sed alij quoq; ad rem sic inopinatã stupescerent, & id quod erat, conijcerent, profecto in alicuius hæc fieri gratiam: quando nec ipsi clamatores passi essent quicquam indignum, & reliquos ciues nossent nullis affectos iniurijs. Itaq; post deliberationem placuit corripi aliquot, & ex his scitari causam quæ homines insanos in tantã egit rabiem. Comprehensi nõ expectatis tormentis ueritatem fassi sunt: & quo res fieret compertior, indicarunt mercedem uel acceptam uel promissam in posterũ, tum per quos distributa sit eius seditionis principes, locum etiam & tempus eius largitionis. Cumq; uniuersa ciuitas indignaretur quòd ob male feriatorum quorundam imprudentiam inureretur ipsi publica ignominia, uisum est sincerissimæ parti populi, ut distributores mercedis postridie producerentur, & Isidorum conuincerent, facta ipsi potestate pro se dicendi, si bene administrata republica iniquas pateretur calumnias. quod mandatũ postquam est cognitum, non tantum honoratiores, sed & uniuersi ciues absq; culpę huius conscijs, ad concionem uenerunt. ibi egregij ministri, ut facilius noscerentur in locum celsiorem subducti conspicuiq; omnibus, coram arguebant Isidorum autorem tumultus & conuiciorũ quæ in Flaccũ iactata

fuerunt

fuerunt à conductis non mediocri summa tum uini tum pecuniæ. alioquin unde nobis, inquiunt, tanta copia? pauperes sumus, & uix quotidianum uictum necessarium quærimus. Nec nos præses affecit ulla iniuria, cuius nos exasperet memoria: sed ille nos concitauit, semper fortunatis inuidens, & osor legitime constitutæ reipublicæ. Hęc agnoscentes quotquot aderant, ut indicia pessimæ uoluntatis hominis qui culpabatur, acclamabant, notandum ignominia, pars mittendum in exilium, pars afficiendum supplicio. Hi uincebant numero, & multi transibant in eorum sententiam. Denique cuncti conclamant, necandum pestiferum hominem, qui ex quo admotus sit ad tractandam rempublicam, nullam ciuitatis partem illæsam reliquerit. Verùm ille sibi cõscius fuga se subduxit, ueritus ne prehenderetur. Nec Flaccus amplius quæsiuit, ratus post eius spontaneum discessum ciuitatem quieturam à contentionibus. Hæc memoraui prolixius, non ut refricarem ueteres iniurias, sed quòd mirarer inspectricem rerum humanarum iustitiam, qua factum est, ut omnium infensissimis obtingeret accusatio præsidis, quo maioribus ille angeretur doloribus. Nec enim accusatio per se tã molesta est, quàm quoties ex professo inimicis committitur. Quam iste nõ solum pertulit ab infestis hominibus in quos paulo ante uitæ necisq; potestatem habuerat: uerum etiam manifeste conuictus fuit, duplici sane incommodo, quòd damnatus insuper inimicis esset ludibrio, quæ conditio uiro prudenti uidetur ipsa morte grauior. Quod enim solatium eius infortunij supererat? uno momento exutus est omni patrimonio, atq; etiam his quibus ipse rem familiarem auxerat, ornamentorum cum primis cupidus. Nõ enim patiebatur, ut quidam pecuniosi, diuitias iacere inutiles, sed exquisita uolebat omnia, pocula, uestimenta, stragula, supellectilem, & quicquid attinet ad eximium ornatum ædium: ad hæc famulitium domesticum lectissimum, uel forma & corporis habitudine, uel dexteritate in quotidianis ministerijs. Nam in suo quisq; officio si non primus erat, certe cedebat nemini. Id uerum esse hinc manifeste colligitur, quòd cum plurimorum damnatorum bona sub hasta sint uendita, solius Flacci omnia seruata sint imperatori, exceptis paucis quibusdam, ne lex de damnatis lata uiolaretur. Ademptis bonis actus est in exilium procul ab omnibus continentis prouincijs, hoc est à maiore potioreq; parte orbis habitabilis, imò & ab omnibus fortunatis insulis. Nam in omnium sterilissimam Gyarum in Aegæo sitam deportatus fuisset, ni deprecante Lepido pro Gyaro Andrum propinquam ei permissum esset incolere. Tum ab urbe usq; Brundisium eandem uiam remensus est, per quam ante paucos annos Aegypti contermínæq; Libyæ præses designatus iter fecerat: ut ciuitates quæ tunc fortuna tumidum ostentantemq; se spectarant, rursum spectarent affectum ignominia. At ille commonstratus digitis prętereuntium propter mutationem repentinam, grauiore dolore premebatur, exacerbante se usque calamitate nouis casuum accessionibus, quemadmodum in morbis recidiuis usu uenit, qui paulo ante se remiserant. Traiecto autem Ionio sinu legebat oram usque Corinthum, procurrentibus ciuitatibus maritimis ad uix credibile spectaculum. Quoties enim exscenderet concursus fiebant, malorum ut

insultarent, reliquorum ut condolendo ex aliena fortuna exemplum ad modestiam sibi sumerent. ibi transmisso isthmo à Lechæo Cenchreas nauale Corinthiorum, importunitate custodum coactus est sine mora proficisci, ascensaq; parua oneraria soluere, quando uento contrario multum fatigatus ægre Piræum tenuit. Vbi uero tempestas desijt, prætereuectus Atticam usque Sunium promontorium, moxq; ex ordine sitas insulas, Helenam, Ceam, Cythnum, & deinceps alias, postremo ad Andrum quam petebat, peruenit. eam procul conspicatus miser, lachrymis tanquam è fonte per genas manantibus cum planctu amaro'que gemitu hæc uerba protulit: Viri custodes & deductores, pulchrum sanè locum & fortunatam insulam Andrum accipio pro beata Italia Flaccus natus educatus eruditus'que Romæ, nepotum Augusti sodalis & condiscipulus, Tiberij quoq; Cæsaris inter præcipuos amicos habitus, & eius primariæ possessioni Aegypto procurator datus per sexennium. Quæ'nam est hæc tanta mutatio? nox in terdiu, quasi per solis deliquium, meam uitam occupat. Quomodo uocabo hanc insulam? exilium'ne, an nouam patriam, an portum & refugium miserum? sepulchri nomen ei maxime conuenit. Siquidem infelix ego meipse quodammodo in monumentum infero. Aut enim præ dolore uitam miseram finiam, aut si potero diutius superesse, longam mortem perpetiar. inter hæc lamenta nauis ad portum appulit, ille uero exscendit demisso capite, calamitate pressus tanquam onere grauissimo, ut ne oculos quidem attollere uel posset uel auderet, propter obuios, & ad uidendum cõfluentes, qui utrumque uiæ latus occupauerant. Tum custodes productum ad Andriorum populum ostenderunt omnibus, contestati eos, exulem se perduxisse in insulã. Atque ita functi suo ministerio discesserunt. Tum uero Flacco neminem notum iam uidenti dolor recruduit, exacerbatus nouis imaginationibus, dum circa se animaduertit solitudinem, ut optabilius duceret ferro perire in patria. Adeo trepidabat, ut non aliter quàm insanus prosiliret, ac ultro citro'que discurreret, manus complodens, femora percutiens, humi se affligens, & clamitans, En Flaccus ille paulo ante præses magnæ Alexandriæ principis urbium, Aegypto præfectus prouinciæ felicissimæ, cuius nutum obseruabant tam multa hominum eius regionis milia, qui quotidie deducebatur à turbis innumeris. An somnium erat illud non ueritas? dormiens uidebam illam felicitatem, uanas imagines anima fingente sibi quod nusquam erat. Deceptus sum profecto, umbræ non res erant, & fallaces species illudentes oculis. Nunc uelut experrectus nihil inuenio, abierunt simul omnes illæ fortunæ splendidę cum quibus olim cõsuetudinem habui, extinctæ sunt momento temporis. Cum talibus semper colluctabatur cogitationibus, præ pudore deuitans conuentus hominum, nec in portum nec in forum prodire sustinens, sed inclusus domi tanquam in fouea, ne limen quidem audens transcendere: interdum autem progressus mane summo, cubantibus etiamtum alijs, clam subducebat se ex oppido, & exigebat totum diem in solitudine, deuitans occursus fortuitos, & uexans seipsum recenti calamitatis memoria, arrodensq; suum cor misere: ac noctu demum reuertebatur, uespere optans auroram, quod horreret

reret tenebras & obuersantes dormienti species, mane rursum cupiens ad uentum uesperi. Nam ipse secum circumferens caliginem abhorrebat ab omni hilaritate. Post aliquot autem menses rusculo empto in eo plerunque degebat solitarius, deplorans suum infortunium. Fertur aliquando media nocte uelut furore correptus prosiliisse è sua uillula, sublatáque ad cælum & stellas & illum uerum mundi ornatum facie exclamasse: Rex deorum & hominum, ergo cordi tibi sunt res Iudæorum, nec mentiuntur tuam prouidentiam: sed illi potius errant, qui negant eos foueri tuo præsidio, cuius ego sum argumentum certissimum. Quantum enim in Iudæos debacchatus sum, tantum ipse pertuli. Passus sum eorum bona diripi, datâ prædatoribus licentia, ideo paterna materna'que hæreditate priuatus sum, & his quæ uel donata uel quocunque modo acquisiui. Probrose quondam inquilinos uocaui cum ciues essent, ut gratificarer inconditæ multitudini, quæ his inimica me miserum decipiebat suis adulationibus: ideo patior ignominiam, exul eiectus toto orbe habitabili, hic includor. in theatrum producti quidam iubente me, in conspectu inimicorum iniuste flagris cæsi sunt. Ergo ego iure optimo traductus sum, non per unius ciuitatis theatrum, contumeliose cruciatus misero animo priusquam corpore: sed per totam Italiam usque Brundisium, per totam Peloponnesum usque Corinthum, per totam Atticam medias'que insulas usque Andrum meum carcerem, certus non esse hunc finem mearum calamitatum, sed alias latere in insidijs, ut paria referantur paribus. Interemi quosdam, interiment me alij. Me conniuente quidam lapidibus sunt obruti, quidam uiui combusti, quidam raptati per forum medium, donec frustatim lacerarentur. Horum facinorum pœnæ me manent sat scio, & diræ iam stant tanquam in carceribus, ut obice rupto properent in meam perniciem: imo iam in horas præmorior, multas mortes sustinens ante illam ultimam. Atque ita sæpe terrebatur, horrore quatiente membra omnia, animo quoque contremiscente anhelo'que pectore, quandoquidem spes eum destituebat, unica uitæ mortali addita consolatio. Nullum unquam solicito felix oblatum est auspicium, rumores aduersi afferebantur: molestis uigilijs somni succedebant turbidi. Efferabatur solitudine, quid conuersatio? nihil ei uidebatur insuauius oppidanorum consuetudine. Ruri ab opprobrijs tutum faciebat solitudo, non item à periculis. Si quem lento passu incedentem uideret, suspicabatur cogitare sibi perniciem: sin properantem, mox mentem subibat: atat hic me persequitur, non temere festinat. Blandus insidiatur, libere loquens contemnit. Cibus potus'que mihi præbetur sicut mactandis pecudibus. Quousque tandem ferreus durabo in tot casibus? scio me molliorem quàm ut mortem mihi consciscam: nimirum hoc quoque uetat meus genius, ne cito abrumpam uitam miseram, ut malum dilatum cumulet ineat'que apud iniuste per me necatos uberiorem gratiam. Talia reuoluens animo, trepidus expectabat finem fatalem. At Caius natura sæuus & pœnis insatiabilis: non ut alij semel punitos omittebat, sed iram continuans semper eis nouos casus moliebatur: Flaccum uero præ cæteris oderat, ut etiam in alijs suspectum exosum'que haberet idem uocabulum:

ſæpe'que pœniteret eum quod exilium prætuliſſet capitali ſententiæ: & quamuis deprecatorem Lepidum magnifaceret, tamen culpabat, ita ut ille ſibiipſi timere inciperet, ne grauius plecteretur, quod pœnæ leuioris autor fuiſſet. Ergo cum nemo iam auderet preces interponere, gliſcente ira quam tempus hebetaſſe debuerat, creſcebat malum haud ſecus, quàm quoties morbus intermiſſus repetit corpora. Tunc enim incumbit ſæuior.

Ferunt aliquando noctu interrupto ſomno Caium cogitaſſe de honoratis exulibus, qui ſub nomine infortunatorum uitam otioſam, quietam, uere'que liberam agerent, quam ipſe peregrinationem malebat appellare, quàm exilium. Nulla enim eis deeſſe commoda, & ſupereſſe quietem atque tranquillitatem: nec deſiderari ab illis aut requiri delicias, cum fruantur uita ſecura ac philoſophica, contenta modico. Mox'que iubet illuſtriſſimũ quemque ac nobiliſſimum necari, notatis ſingulorum nominibus, & Flacci ante alios. Vbi uero ad Andrum appulerunt percuſſores, Flaccus forte fortuna rure in oppidum reuertebatur: illi è portu occurrebant, & è longinquo ſe conſpexerunt inuicem. Statim ſenſit quò tenderent (eſt enim præſaga mens præſertim in aduerſis rebus) ac mox deflexit à uia, fugiens quantum poterat, immemor ſe non in continente deprehenſum ſed inſula, ubi mari clauſo quid proderat celeritas? alterutrum enim neceſſe fuit, aut pertinaciore fuga in altum ferri præcipitem, aut comprehendi in littore. Satius autem erat in terra quàm in mari perire: quandoquidem hominibus & cæteris terreſtribus locum peculiarem natura terram aſſignauit, ubi non ſolum uiuant, ſed & moriantur, ut quæ naſcentes excepit, eadem fato functos recipiat. Illi ſumma contentione fugientem aſſequuntur: ac mox pars foueam fodiunt, pars clamantem reluctantem'que trahunt: quapropter toto conſauciatus eſt corpore, more ferino ruens in uulnera. Nam ſubinde complexus alios atque alios, cum tranſadigere ferrum non liceret, petebatur obliquis ictibus, & ipſe in cauſa fuit, ut conficeretur crudelius, conciſus manus, pedes, caput, pectus, latera, ſicut uictimæ ad uiſcerationem, iuſtitia pro tot iniuſtis Iudæorum mortibus pares pœnas exigente ab uno corpore. Itaque totus is locus perfuſus erat ſanguineis riuulis, diſſectis uenis compluribus: & dum cadauer traheretur in foueam, fruſtatim lacerabatur, præciſis neruorum compagibus, quibus ante cohæſerat. Hæc ſunt quę Flaccus pertulit, argumento certiſſimo, non negligi res Iudæorum à deo, nec deſtitui eius auxilio.

PHILO-

PHILONIS IVDAEI DE VIRTVTIBVS ET LEGATIONE AD CAIVM.



VOVSQVE tandem nos ſenes erimus pueri, corpore quidem per ętatem cani, animo uero propter imperitiam infantes admodum, ut qui fortunam rem inconſtantiſſimam putamus ſtabilem, inſtabilem uero naturam, cum ſit firmiſſima. permutamus enim rerum æſtimationem ſicut in luſu calculorum, dum fortuitis plus diuturnitatis tribuimus quàm naturalibus, & his plus infirmitatis quàm alteris. Cauſa eſt quia uincunt præſentia hominum imperitorum futuri iudicio, qui malunt ſenſui fallaci q; ſecretæ cogitationi credere. oculis enim quæ in promptu & conſpicua ſunt, percipiuntur, ratione penetratur ad futura & inuiſibilia. Cuius uiſum acutiorem quàm oculorũ corporis, hebetamus, alij mero ſaturitateq; ſuffuſum, alij ruditate uitio maximo. ueruntamen noſtra hæc tempora, & quæ inciderunt in ea res multæ magnæq;, ſatis nobis perſuadent ut credamus eſſe diuinam prouidentiam, & præcipue curare ſupplices religioſos'que homines, ut omnipotentis patris regis'que ſortem hæreditariam. id genus hominum Chaldaice Iſrael uocatur, quod interpretatur uidens deum: res ut mihi uidetur pluris æſtimanda quàm ullæ opes uel priuatæ uel publicæ. nam ſi ſeniorum aut præceptorum, aut magiſtratuum, uel parentum aſpectus mouet ad reuerẽtiam & modeſtiam, & ſua præſentia uitam mores'que corrigit: quantum putamus ad honeſtatem uirtutemq; præſidium contingere animæ, ſi emergens ſupra omnes creaturas, deum increatum ſpectare didicerit, ſummum illud bonũ pulchrum, felix beatumq;, & quod uere dicere licet bono melius, pulchro pulchrius, beato beatius, felicitate ipſa felicius, & ſi quid dici poteſt perfectius. non poteſt enim ſermo aſſequi & attingere deum ſuperiorem ſe modis omnibus, ſed retro relabitur, cum non poſſit proprijs nominibus ceu gradibus aſcendere ad manifeſtationem non dico eius Qui eſt, quem ne totum quidem cælum in uocem articulatam uerſum poteſt eloqui, ſed uel poteſtatum eum ſtipantium, creatricis, regiæ, prouiſoriæ, cæterarumq; bonis præmia malis pœnas diſpenſantium. ſi quidẽ etiã ultrices collocandæ ſunt in beneficarum ordine: non ſolũ quia iuris ſunt pars, quod naturaliter conſtat & abſoluitur ex honore bonorum uindictaq; malorum: uerum etiam quia non raro animaduerſio caſtigatos peccatores reducit ad mores ſobrios, aut certe obſiſtit quo minus pergant in ſuis ſceleribus. nam aliorum pœnæ emendant alios, ueritos ne in ſimiles incidant. quis enim uidens Caium poſt Tiberij Cæſaris obitum potitum terræ mariſq; imperio, in tanta tranquillitate inſtitutiſq; optimis, & prouinciarum pace ac concordia, cõſentiente ſeptentrione, meridie, oriente, occidenteq;, Barbaris Græcis'que

consociatis, & exercitibus cum oppidanis, his'que uicissim cum illis pacate conuersantibus ut fruerentur officijs & commercijs mutuis: non admiratus fuisset felicitatem tam insignem & uix enarrabilem, una hæreditate cumulatam bonis ingentibus, thesauris argento auro'que refertis, partim rudi infecto'que, partim moneta signato, partim fabrefacto ad exornãdos poculis & id genus uasis mensarijs abacos: ad hæc pedestres, equestres naualesque copias, reditus affluentes tanquam è fonte perpetuo, potestatem in partes præcipuas orbis eius qui proprie habitabilis dicitur, duobus finitus fluminibus, Euphrate Rheno'que, hoc disiungente Germaniam & feroces nationes alias, illo Parthiam Sarmaticas'que gentes ac Scythicas nihilo mitiores Germanicis. Erant inquam ab ortu ad occasum quemcunque oceanus ambit, & quædam trans oceanum plena lætitia publica, gaudente festa pace Romano populo cum uniuersa Italia prouincijs que omnibus tum Europeis tum Asiaticis. nam si unquam ante sub imperatore aliquo, tunc maxime sibi uidebantur non iam sperare, sed certò tenere usumfructum commodorum publicorum priuatorum'que, & felicitatem plenariam fortunante cuncta numine. Erat igitur uidere nihil aliud per singulas urbes quàm altaria, uictimas, sacrificia, candidatos, coronatos, hilares blandos'que uultus omnium, festa, celebritates, musica certamina, circenses, comessationes, peruigilia cum citharis ac tibijs, uoluptates, remissiones, inducias, oblectationes uarias cunctorum sensuum. tunc nullum discrimen erat inter diuites & pauperes, claros & humiles, creditores & debitores, heros & seruos, exæquante iura tempore, ut iam fidem inueniret descriptum in poetarum fabulosis figmentis Saturnium seculum: tanta erat ubertas & annonæ felicitas, tanta hilaritas, & securitas, totas familias totas'que plebes occupans noctu pariter ac interdiu per septem primos menses perpetuos. Octauo autẽ grauis morbus Caium inuasit, quia frugaliorem uictus rationem & salubriorem, qua usus sub Tiberio fuerat, mutauit in luxum regium. multum enim absumebatur meri cupediarum que, & pleno uentre non satiabatur concupiscentia. accedebant eò balnea parum tempestiua, tum uomitus rursum'que compotationes, & uoluptates uentris ac eorum quæ sub uentre sunt, uolutationes'que cum fœminis ac pueris, & quicquid uel animo uel corpori noxium, coniunctionem eorum co natur dirimere. quandoquidem temperantiæ merces est robur & sanitas, intemperantię uero morbus & imbecillitas uicina mortis proxima. is morbus postquam fama uulgatus est, mari etiam tum nauigationibus idoneo, per initium autumni quæ fere postrema solet esse nauigatio reuertentium ad proprios portus ab omnibus emporijs, præsertim eorum qui nolunt hiemare apud gentes exteras: mutata illa prius delicata uita in mœsticiam, continuò domus omnes & ciuitates omnes tristi habitu repletæ sunt, æquante paulo ante præteritam lætitiam mœrore proclinato in diuersam partem alteram. omnes enim unà ægrotabant prouinciæ, & quidem ipso imperatore grauius. ille enim languebat solo corpore, hæ uero animo, sollicitæ desperabundæ'que de pace commodorum'que suorum usu libero. subibat enim mentem memoria calamitatum exoriri solitarum in orbato suo

prin-

principe imperio, ut sunt bella, rapinæ, uastationes agrorum, expulsiones colonorum, direptiones bonorum, captiuitates, mortes, terrores & pericula, quorum omnium remedium situm putabant in salute sui principis: itaque remittente se morbo, breui secuta est gratulatio uel extremorum finium. fama enim nihil uelocius. arrectæ'que erant omnes ciuitates rumorum gratiorum auidæ, donec lætum nuncium acceperunt, reualuisse omnino Cæsarem: atque ita quasi salutem ipsi recepissent, reuersi sunt iterum ad hilaritates cuncti continentis & insularum incolæ. nemo enim meminit unquàm tantam fuisse unius alicuius gentis aut regionis læticiam publicam, ob saluti restitutum suum principem, quanta tum fuit uniuersi orbis ob Caij salutem, mox ut se cœpit recolligere. nam acsi tum primum feram & pastoralem uitam, in socialem ciuilem'que inciperent uertere, & è desertis speluncis in ciuitates munitas migrare, & post uitam sine magistro actam, parere pastori mitioris gregis ductori'que legitimo, gaudebant ignari ueritatis. Cæcutit enim humana mens, nec intelligit quid sit uere utile, sequendo magis coniecturas quàm scientiam. itaque non multo post ille speratus seruator beneficentissimus, qui uidebatur nouis felicitatum fontibus inundaturus Europam & Asiam, profuturis priuatim ac publice, iuxta prouerbium ab ipso lare orsus, erupit in sæuiciam, uel potius aperuit quam dissimularat hactenus. Suum enim patruelem & imperij cohæredem, & propiorem successorem Tiberij, quòd hic natura, ipse adoptione nepos esset, occidit causatus ab eo se petitum insidijs, quod crimen ne in ætatem quidem illius competebat. uix enim tum primam adolescentiam misellus attigerat: & ut quidam aiunt, si paulo diutius uixisset Tiberius, Caius iam tum suspectus, sublatus fuisset è medio, germanus uero nepos solus declaratus fuisset auiti successor imperij. Verùm ille fato concessit prius quàm exequeretur sua consilia. Cæterum Caius ad fraudandum communi iure socium arte usus est, ratus se hoc pacto euasurum calumniam. Fuit autem id commentum huiusmodi: Conuocatis optimatibus, Vellem, inquit, hunc cognatione patruelem, beneuolentia fratrem, iuxta extremam Tiberij uoluntatem, in imperij societatem assumere. sed ipsi uidetis eum admodum puerum opus habere curatoribus, pædagogis, præceptoribus. alioquin quid mihi contingere potest optatius, quàm tanto imperij pondere non onerari unum corpus unam'que animam: & habere me à quo pro parte sua subinde adiutante subleuer. Equidem, inquit, plus quàm pædagogum uel curatorem uel præceptorem ei me fore iam nunc profiteor, & me patrem appellari, illum filium, iubeo. Post deceptos his uerbis qui adfuerant optimates unà cum adolescentulo, quòd ei hęc adoptio non tam daret speratum imperium, quàm iam ante datum adimeret, cohæredi collegæ'que insidias securus ipse cœpit struere. Nam Romano iure filius in potestate patris est, & alioquin imperator pro potestate gerit omnia, nemine audente aut ualente rationem ab eo repetere. Hunc igitur sibi ratus aduersarium uelut in certamine prostrauit, nil miseratus puerum secum educatum familiarem'que præmaturo fato cadentem, principatus patrimonij'que socium,

qui multorum ſpe Tiberio ſucceſſor deſtinatus fuerat propter cognationem proximam. Nepotes enim poſt parentum obitum aui cenſent pro filijs. Fertur iuſſum ſua manu ſe interimere adſtantibus tribunis ac centurionibus & uetitis adiuuare ſceleſtum facinus, quaſi nefas eſſet imperatorum poſteros necari alienis manibus. Nolebat enim uideri iuris oblitus in patranda ſumma iniuria, & ſanctitatis in ſcelere meminerat, illudens ueritati ſimulationibus. Tum puer imperitus, qui nunquam cædem fieri uiderat, nunquam in armis ſe exercuerat, ut ſolent adoleſcentes regij pacis tempore ſimulacra pugnarum ciere, primum ceruicem præbebat uenientibus: cumq; illi detrectarent, ſumpta ſica ſciſcitabatur cui loco letale uulnus deberet infligere, ut infelicem uitam abrumperet: impetratoq; hoc miſerabili officio, primum id atque ultimum ab his magiſtris didicit, coactus homicida ſui fieri. Vbi uero primum maximumq; certamen Caius confecit ex ſententia, nemine ſuperſtite quem maleuoli principem ei poſſent opponere, ad ſecundum ſe mox parabat aduerſus Macronem, quo adiutore uſus fuerat, non ſolum poſtquam adeptus eſt imperium: id enim adulatorum eſt, felices colere: ſed & in principatu parando. Nam Tiberius ſenex callidus & in noſcitandis occultis hominũ uoluntatibus perſpicaciſſimus, nec minus prudens quàm potens, crebris de Caio tangebatur ſuſpicionibus, eſſe illũ infenſum uniuerſæ Claudiæ familiæ, fauereq; ſoli materno generi: proinde metuebat nepoti, ne relictus puer nõ diu ſuperſtes foret: & alioquin iudicabat iudignũ tanto imperio hominẽ, inepto ad ciuilem cõſuetudinẽ ingenio moribusq; inconſtantibus præditum. Videbantur enim alieni à decoro præ ſe ferre quandam inſaniæ ſpeciem, adeo tum dicta eius tum facta parum ſibi conſtabant: quibus tamen rebus conatu omni Macro medebatur quoad fieri poterat, ſuſpiciones eximens Tiberio, ne metu de nepote ulceraretur eius animus. aiebat enim Caium obſequentem illi & beneuolum, & ualde patrueli amicum ac deditum, in tantum, ut libenter ſoli cederet imperium, ſed obſtare uerecundiam, quod id non uideatur è re publica: & hanc eſſe cauſam cur quamuis ſimplex, haberetur à quibuſdam inconſtans & uarius. Quod ſi quando parum promoueret rationibus uériſimilibus, depaciſci non dubitabat, fideiuſſorem ſe offerens: quando quidem iam ſatis approbaſſet ſuam erga Cæſares beneuolentiam, & priuatim erga ipſum Tiberium, tum cum detecta oppreſſa'que ſe executore fuit Seiani coniuratio. & ut compendio dicam, erat laudator Caij maximus, ſi laus uocanda eſt defenſio contra ſuſpicionum cauſas & incertas obſcuras'que criminationes. Nam in ſumma quicquid pro germanis fratribus ac filijs afferri poterat, hoc totum & amplius etiam Macro afferebat pro Caio apud Tiberium. in cauſa fuerunt, ut multorum fertur ſermonibus, non ſolum eius officia mutua quibus colebat Macronem qui tum erat penè columen imperij, ſed & uxor Macronis propter quiddam tectum ſilentio: quæ quotidie maritum incitabat, ne ullam occaſionem fauoris & iuuandi iuuenis prętermitteret. eſt autem ad impellendum uirum efficax impudica mulier, ut quæ blandior ſit propter conſcientiam. At ille ignarus probri domeſtici, & ratus ab amore coniugali proficiſci eas blãditias,

ditias, imprudens suis artibus gratificabatur inimicis quos putabat amicissimos. Itaque sæpe seruatum à se conscius, libere monere solebat nihil suspicans. Quærebat enim ut bonus opifex gloriam ex diuturnitate sui operis, ueritus ne aut suapte incuria rueret, aut destrueretur ab alijs. Ergo si qnando uideret dormientem in conuiuio, excitabat, nec decorum id nec satis tutum existimans. dormiēs enim exponit se insidijs. itidem insane spectantem saltatores ita ut unà gesticularetur, aut ad mimorum scurilia dicteria non subridentem sed cachinnantem pueriliter, aut non temperantem sibi quin citharœdis choris'ue succineret, fodicabat cubito assidens aut accumbens proximus, & cohibere conabatur. interdum in aurem insusurrabat ne quis audiret alius, blande admonens: non decet te alijs in audiendo spectando'que & usu cæterorum sensuum esse similem, sed tantum debes in ratione uiuendi excellere, quanto eminentiorem te fortuna constituit: absurdum enim fuerit terræ maris'que principem cantibus, saltationibus, cauillis & huiusmodi nugis succumbere. oportere illum semper & ubique meminisse maiestatis imperatoriæ, tanquàm pastorem gregi præpositum, & undecunque dictis factis'que in melius proficere. addebat'que, quoties contigerit te interesse gymnicis aut scenicis aut circensibus spectaculis, nō studia sed industriam considera, sic cogitans: Si ista quæ uitę non prosunt, quòd solam uoluptatem spectatoribus pariant, tamen quibusdam elaborantur tanta diligentia, laudem à turba mirabunda captantibus, & coronari ac præconis uoce uictorem declarari amplum præmium existimātibus, quid oportet eum agere qui profitetur artem longe præstantissimam? ea est imperandi ars, cuius ope colitur quantum est bonorum agrorum siue montanorum siue campestrium, nauigatur totum mare sine periculo, ob commercia quibus diuersissimæ terræ sua bona communicant indigentibus, & uicissim illarum copia suam subleuant inopiam. nam inuidia totum orbem nunquam occupauit, imò ne partes quidem eius maiores, Europam uniuersam aut Asiam: sed uenenosarum more bestiolarum cauernas habitat, quoties unum aliquod pectus subrepsit aut unam familiam, aut ad summum unam ciuitatem atque alteram: amplas regiones & nationes non accedit, præsertim ex quo uestra gens augusta potita est rerum dominio. nam quæcunque noxæ prius uersabantur in medijs urbibus, pulsæ sunt ad extremas tartari latebras, & pro his inducta commoda ab ultimis terræ maris'que finibus in has nostras regiones, atque hæc omnia tibi soli gubernanda commissa sunt. à natura igitur in puppi celsa collocatus ad gubernacula, rege nauem qua generis humani salus uehitur, non aliunde magis uoluptatem capiendo, quàm è subditis per te adiutis aliquo beneficio. Ab alijs enim alia exiguntur uel priuatim uel publice, à principe proprie expectantur bona consilia, quorum executio prosit subiectis populis: ut'que larga manu ac mente sua bona impartiatur, his tantum exceptis quæ ob incertos casus futuros seruari prouidentia postulat. talibus uerbis eum incantabat ille infelix monitor cupiens meliorem, reddere. at is homo contentiosus uergebat in contraria, quasi ad illa impelleretur, & castigatorem, impudenter reijciebat: interdum etiam procul

etiam procul uenientem cõspicatus, sic alloquebatur proximos. Adest prę ceptor iam superuacuus, pædagogus non amplius pueri, prudentioris se ipso monitor, qui subdito imperatorem obedire postulat non rudem regiarum artium, quarum magister uideri uult, sed à quo ipse doctus nescio. Mihi certe ab incunabulis contigerunt educatores plurimi, patres, fratres, patrui, patrueles, aui, proaui, iam inde à primis Romanis principibus per paterni materniq; generis seriem cognatione proximi: nequid dicam de uirtutum seminibus quæ innasci solet in principe. Quemadmodum enim corporis animiq; forma, habitu, gestu, consilijs, actionibus, prognati maiores suos referunt, eodem modo probabile est in ipso semine deliniari quandam habilitatem dignam principe. & audebit aliquis indoctus me, qui in materno utero & naturæ officina imperator formatus fui nondum in lucem editus, docere artes imperatorias quas dudum probe calleo? an credere fas est, in mentem uenire posse ciui paulo ante priuato & humili regia consilia? attamen impudenter audent præire nobis imperatoria mysteria, quibus ipsi uixdum initiati sunt. Sic ille paulatim à Macrone alienabatur, quærens contra eum falsa, sed utcunq; probabilia crimina. Sunt enim quidam ingeniosi ad comminiscenda uerisimilia. Tunc autem ex huiusmodi Macronis uocib. arrepta fuit occasio. Meũ Caius opus est. à me magis, aut certe non minus, quàm à suis parentibus est genitus. ter non semel eum Tiberio sæuienti & ad necem poscenti eripui meis deprecationibus. post obitum quoq; illius cum mihi parerent prætoriani milites, id satellitium in manus ei tradidi, admonitum prius, uno tantum uiro esse opus, de cætero integrum & incolume manere imperium. His ut ueris quidam assentiebantur, quia nondum pernouerant mores Caij fucatos & mutabiles, ipso simulando dissimulandoq; tegente suam uafriciem & inconstantiam. Veruntamen post non multos dies ille infelix sublatus est è medio unà cũ uxore, extrema pœna repensa sibi pro immodico studio. nec aliam ingrati pro meritis referre solent gratiam, pro quibus libenter damnum dant suis benefactoribus. Certe Macro, qui sedulo ambitione magna pari'que conatu dedit operam, primum ut seruaret Caium, deinde ut imperium soli adstrueret, talem mercedem retulit. Fertur enim miser coactus seipsum interficere, uxor quoque habuisse eundem exitum, quamuis putaretur cõstuprata à Cæsare. sed negant in amore firmum præsidium, propter crebra eius affectus inconstantissimi fastidia. cæterum postquàm & Macro cum omnibus domesticis mactatus est, tertium certamen Caius maiore dolo aggreditur. fuerat ei socer M. Silanus, uir magnanimus & cum primis illustri natus familia. hic post immaturo fato absumptã filiam, tamen nõ desijt generum colere paternis officijs, sperans (ut par erat) mutuam beneuolentiam tãq; à filio, ignarus quàm inanes fallacesq; spes foueret. afferebat eñ semper sermones pertinentes ad corrigendos mores uitamq; principis, nihil dissimulans & libere monens quid eius maiestatem deceat, fretus tũ eximia nobilitate, tum familiaritate domestica. nec enim ita dudũ filia defuncta fuerat, ut affinitatis iura uanescere debuerint, sed hærebat etiam tum recens memoria exhalantis animam. At ille officium interpretatus contumeliam,

liam, quòd sibi uideretur prudentissimus, temperantissimus, fortissimus, iustissimus, oderat hominem hostiliter sicut monitores cæteros. ratus igitur hunc quoque esse obstaculum suis cupiditatibus, ualere iussit manes extinctæ coniugis, & patrem illius, suum uero socerum dolo peremit: atque ita magnatum alia super aliam cædes uulgabatur rumoribus, sceleratis facinoribus nemine non obloquente, nec tamen aperte præ metu, sed susurris clãcularijs. Verùm non multo post mutati (ut est uulgus inconstans dictis, factis atque consilijs) uix credentes tam repente alium redditum qui prius bonus & perhumanus sit habitus, atque etiam ciuilis liberalisque, excusationes comminiscebantur: de patruele cohæredeque, quòd naturæ leges societatem non ferant imperij. Præuentum esse illum nece, qui occisurus erat alterum si fuisset ipse fortior. non tam patratum esse homicidium, quàm diuina fortasse prouidentia sublatum adolescentem ad utilitatem humani generis, ne in partes diuisum, alijs huic, alijs illi fauentibus, per factiones affligaretur bellis externis simul ac ciuilibus. Quid autem optari posse pace melius? pacẽ uero prouenire ex bene administrato imperio. id uero nõ posse bene administrari, nisi absque contentionib. principũ, quib. cessantib. omnia manere in officio. de Macrone item audiebantur huiusmodi sententiæ: Turgebat fastu immodico Delphici oblitus oraculi, quod iubet quenque nosse seipsum. Addebant'que, noticiam sui felicitatem parere, sicut e diuerso ex ignoratione sui nasci calamitatem & infortunium. quid enim necessum erat subditum occupare partes principis, imperatorem uero Caium in ordinem redigi? cũ principis sit imperare, quod Macro sibi usurpabat, priuati uero imperata facere, quod ille à Caio postulabat. nam sic homines imperiti uocabant monita, & consultorem magistrum, siue tam insensati ut rerum discrimen non intelligerent, siue hoc est adulatorum ingenium, res adulterare simul & harum uocabula. De Silano uero cauillabantur, ridiculum quòd putaret soceri tantam autoritatem in generum, quantam patris in germanum filium. atqui patres ciues priuati filijs ad magistratus pro uectis ultro primatu cedunt. hic uero nimis simplex, iam ne socer quidem plus satis curiosus fuerat in rebus nil ad se pertinentibus. non intelligens affinitatem extinctam cum filia. nam connubia familijs externis sunt pro uinculo, quo soluto soluitur & affinitas: præsertim quoties casus incidit cui mederi nequeas, interitus elocatæ in alienam familiam. Talia tum passim audiebantur in omnibus circulis, dum operam dant omnes ne imperatorem crudelitatis insimulent. semel enim concepta opinione humanitatis & probitatis eius, si cuius antea principis, incredibilem putabant tantam tam'que repentinam mutationem in contrarium. confectis igitur modo dictis certaminibus aduersus præcipuas tres partes reipublicæ, duas palmas adeptus de ciuibus ordinis equestris & senatorij, tertiam de suis gentilibus, ratusque post prostratos ualentissimos se factum iam alijs omnibus formidabilem, senatoribus quidem cæso Silano nemini secundo eius ordinis, sublato uero Macrone equitibus, inter quos ille primam dignitatem primosque honores meruerat, patruelis quoque ac cohæredis nece omnib. sibi cõiunctis sanguine, non amplius se continuit intra humanæ naturæ ter-

ræ terminos,sed ad diuinos honores aspirauit, hinc ut aiunt nactus occasionem eius dementiæ. Persuasum ei fuit, sicut aliorum gregum magistri, opiliones,caprarij,bubulci,nec boues sunt ipsi,nec capri,nec arietes,sed homines his longe præstantiores modis omnibus: sic præfectum gregi humani generis optimi,censendum maiorem homine,referendumq; in deorum numerum.Hanc opinionem ubi concepit,amplexus est fatuus pro ueritate fabulam.Tandem ausus in uulgus efferre impiam sui consecrationẽ, pergebat ulterius,& quasi per gradus quosdam paulatim ascendebat.nam primò æmulabatur semideos quos uocant, Liberum, Herculem, Castores,Trophonium,Amphiaraum, Amphilocum, & similes, irridens eorũ oracula orgia'que,ad suam collata potentiam.Deinde quemadmodum in theatris solent scenici,aliàs alium cultum sumebat, nunc clauam & leonis exuuium,sed hæc aurata utraq;,scilicet tranformatus in Herculem:nũc pileum imponebat capiti,quoties Castores ageret:interdum hedera thyrso'que ac hinnuleorum exuuijs repræsentabat patrem Liberum. Veruntamen hanc sibi prærogatiuam usurpabat interim,quòd cum illorum quisq; contentus proprijs ceremonijs ac honoribus alienos non requireret, ipse uniuersos iubebat sibi congeri,ut eos quibus inuidebat, uinceret,non more Geryonis tricorporis tanta mole captans concursum confluentium spectandi gratia,sed quod magis mireris, unum corpus subinde transfigurãs in formas uarias,ut quondam Proteus ille Aegyptius,quem Homerus introducit omnia uertentem sese in miracula rerum, ignemq;, horribilemq; feram,fluuiumq; liquentem.Atqui quid opus erat tibi Cai his simulacrorum insignijs? Virtutes illorum imitari debueras. Hercules purgabat terras & maria, subibat necessaria certamina hominibus utilissima, ut noxia monstra ex elemento utroque tolleret.Liber exculta uite,expressoq; in de potu suauissimo & animis corporibusq; perutili,illos serenat malorum obliuionem inducens & spem bonorum: hæc saniora reddit & agiliora fortioraq;,conferens plurimum & singulis ciuibus, & frequentibus familijs ac ciuitatibus,dum è dura laboriosa'que uita traducit ad mitiorem,& cunctis Græcis pariter atq; Barbaris nationibus festa, epulas, hilaritates, alias post alias exhibet.Mero enim debentur hæc omnia. De gemellis quoque Iouis filijs fertur immortalitatem impartiuisse alterum alteri. Cum enim alter mortalis natus esset,alter uero immortalis,hic cuius erat potior conditio,maluit de suo iure decedere,quàm pietatem erga germanum non declarare. Cogitans enim infinitum æuum suæ uitæ fraterniq; interitus, & sibi relinqui unà cum immortalitate luctum amissi fratris perpetuum, mirificam permutationem commentus est,admixta sibi mortalitate, fratri uero immortalitate,atq; ita exæquatis naturis disparibus,quæ quidẽ ratio fons est totius iustitiæ.Hi omnes Cai, ut bene de humano genere meriti fuerũt in admiratione,& sunt hodieq;,diuinis honoribus digni habiti. Tu quid tale nobis præstitisti,quo extollaris atq; superbias? es'ne imitatus Ioue natorum fratrum charitatem,ut inde incipiam? Fratrem cohæredemq; in primo ætatis flore crudeliter iugulasti, ferreus & immisericordissimus, sorores pòst in exilium egisti,ut regnares securius nihil ab eis metuens. At Liberum

berum ęmulatus es? excogitasti noua beneficia? impleuisti ut ille terrarum orbem lætitia? Europa & Asia uix tuam capiunt munificentiam? Inuenisti sanè nouas artes, sed ut pestis publica, quibus gaudia mutasti in dolores ac molestias, ut omnes ubique tædium uitæ caperet, dum aliena bona cuncta occupas inexplebili auaritia conuerrens ab oriente occidenteq́ & cæteris tractibus ad meridiem & septentriones uergentibus: pro quibus remittis ad eas regiones execrabilia maleficæ animę tuæ germina perniciem mortalibus afferētia. Hæc sunt cur alter Liber pater exortus sis. Sic & Herculē egregie refers indefessis tuis laboribus, & facinoribus fortibus, dum bonis legibus, incorruptis iudicijs, annonæ felicitate, cæterisq́ festæ pacis commodis reples continentem & insulas tu ignauissimus ac pauidissimus, qui tranquillitatem felicitatem'que profligasti ex omnibus ciuitatibus, introductis'que in earum locum tumultibus infortunatissimos reddidisti populos. Dic Cai, ob has'ne cædes ac pestes per te illatas deus fieri postulas? scilicet ut immortalis ipse has calamitates non in paucos dies, sed & in tempus infinitum proferas. Ego diuersum censeo, etiamsi deus crederis, omnino te transiturum in ordinem mortalium ob tam peruersa tua studia. Nam si uirtutes diuinitatem, utique mortalitatem afferunt uitia. Non est igitur quod te adscribas Iouis filijs fraterna charitate insignibus, ipse fratrum interfector: aut Herculis Liberiq́ honorum uelis esse particeps, qui suis inuentis uitam excoluerūt, cum eorum beneficia perdas tuis maleficijs. Tanta autem inerat ei rabies, tam insana uecordia, ut non contentus se æquiparari semideis, ad maiores deos uersus æmulationem cum eis susciperet, cum Apolline, Marte ac Mercurio. Huius primum caduceo, talaribus, chlamydeq́ ornatus, ordinem in perturbatione, seriem in confusione, rationem ostentabat in dementia. Deinde ubi collibuit, his depositis refingebatur in Apollinem, corona radiata caput redimitus, arcum & sagittas sinistra tenens, dextra porrigens gratias, quod ita deceret in promptu esse id quod melius, pœnas uero supprimi, & ad sinistram retrudi in locum posteriorem. mox'que instituti sunt chori ut pæanas canerent in eum quem paulo ante Bacchum, Euium, Lyæum hymnis suis appellauerant, quando Liberi habitum sumpserat. Sæpe etiam thoracatus, galeatus, clypeatusq́ prodibat stricto gladio pro Marte se ostentans, utrunque latus stipatus nouis salijs, homicidis quibusdam paratis ad sæua ministeria, explendamq́ crudelitatem sitientis humanum sanguinem. Hac inusitata speciei terror incutiebatur populo, miranti quod honores sibi usurparet eorum, quorum uirtutes aspernaretur, contentus solis insignijs. Atqui hæc gestamina simulacris adduntur, ut significent utilitates ab his dijs exhibitas humano generi, suisq́ cultoribus. Mercurij pedibus alata subligantur talaria. Quam ob rem? nimirū quia decet deorū internunciū atq; interpretem, unde illi Græcū nomen est, læta nunciantē (mala enim uix uir sapiēs, nedum Deus, nunciare sustineat) esse quā celerrimū, & pręptibus pennis ferri uelocissime: quādoquidē in huiusmodi rebus properatio requiritur, sicut in diuersis quiescere satius fuerit. Sic & caduceum sumit, insigne pacificatoris & autoris fœderū. Nam bella caduceatores fæcialesq́ dirimūt,

afferendo pacẽ aut inducias. Qui nisi admittãtur, nec modus nec finis erit calamitatib. & ultro citroq; illatis iniurijs. At Caius in quem usum sibi sumebat talaria? an ut infausta inauspicataq; ipsius facta, perpetuo tegenda silentio, cursim diuulgarẽtur per omnes imperij prouincias? & quid erat opus motu præceleri, cum uel uno loco hærens alia super alia mala innumera profunderet uelut è perennibus fontibus, inundatura omnes regiones orbis huius habitabilis? quid autẽ opus erat caduceo, cũ nihil unquã pacatũ uel diceret uel faceret? omnes uero domos & ciuitates tũ Grçcas tũ Barbaras impleret intestinis seditionib. bellisq; ciuilibus? deponat istã appellationem inepte usurpatam adulterinus Mercurius & suppositicius. Apollinis uero quid est in eo simile? coronam radiatam gestat, effictis belle ab artifice radijs solaribus: quasi aut sol aut in uniuersum lux magis placere possit quàm nox & tenebræ densissimæ ad perpetrandas res nefarias. Siquidem honestæ opus habent luce meridiana ut conspicuç fiant quibuslibet: turpes uero sunt relegandæ in extremum Tartarum, dignum omniũ quæ cçlari debent receptaculum. Quin & utriusq; manus gestamina, ut par est, transferat, arcum sagittasq; dextra intentet, ferire certis ictibus, uiros, mulieres, totas familias, ciuitates populosas, ad internecionem solitus: Gratias uero sinistra tegat, nisi mauult prorsus abijcere. Propalam enim eas uiolauit, dum facultatibus amplis inhiat, & post rapinas dominos earum iugulat insuper, propter felicitatem inuolutos calamitatibus. Medicinam quoque pulchre inuertit Apollinis. Ille remediorum inuentor est salutarium, pro sua genuina bonitate paratus morbos etiam ab alijs immissos depellere. iste contrà sanis morbos inferebat, mutilationes integris, uiuis mortem manu ascitam ante fatalia tempora, conquisitis diligenter ueneficijs, quib. ni diuina iusticia præuentus fuisset, perdidisset quicquid erat in singulis urbibus prçstantium & probatorum hominum. Aduersus honoratos enim & diuites hunc apparatum fecerat, urbanos præsertim atque Italos: apud quos tantum auri argentiq; congestum est, ut si ex reliquo orbe habitabili uniuerso colligeretur, multo minor inueniretur numerus. Quapropter à suam et ipsius patria, tanquã à sacra linea, exorsus est talem sementem iactare, pestis ciuitatis, populi deuorator, lues, & pernicies. Celebratur & alia laus Apollinis, quòd non solum medicus sed & uates sit optimus, oraculis futura prædicens ad utilitatem hominum, ne quis caligante mente ob incertitudinem, offenset tanquam cæcus in tenebris, & bona quærens in aduersa impingat per improuidentiam: sed potius futuri præscius, & in id tãquam præsens mente defixa, nõ aliter sibi caueat quàm corpori præcauet oculorum ministerio, uitans quæcunq; incõmoda. Quid si his quoq; opponamus inclyta Caij oracula, per quæ ignominiæ, confiscationes, exilia, mortes prædicebantur optimatib. & dynastis ubiq; gentiũ? quid igitur cõmune habet cum Apolline, qui nihil unquam fecit simile? desinant igitur illi falsi pæanes, ad ueri pæanis imitationem compositi: nam nec nomisma licet adulterare, nec diuinã effigiem. sed nihil tam inopinatum, q̃ tale corpus talemq; animum utrumq; molle fractumq;, æmulari Martis robur ac fortitudinem. ille tamen tanq̃ in scena subinde mutatis personis uaria specie fal-

cie fallebat spectantium oculos. omittamus examen animi & corporis, per omnia dissimilium dicto dæmoni, tam habitu quàm gestibus. Certe Martis, non fabulosi dico, sed eius per quem fortitudinem naturalem intelligimus, uim scimus beneficam, auxiliatricem oppressorum iniuria, ut ipsum nomen eius Græcum indicat. nam ἄρης παρὰ τὸ ἀρήγειν, hoc est à succurrendo uidetur mihi denominatus, profligator bellorum, pacis opifex, quã ille gradiuus æque ac hic bella, odio prosequitur, tranquillitatem & quietem turbans tumultibus. Satis opinor iam declaratum, in nulla re Caio cum dijs, ac ne cum semideis quidem conuenire, diuerso natura & essentia, sed præcipue studijs. nimirum cæca est concupiscentia, præsertim accedente ambitione contentioneq́ue peruicaciaq́ue licentia maxima, quæ nos quondam fortunatos deuastauit. Solos enim Iudæos suspectos habebat ut obstaturos suo proposito, quippe qui penè in cunis ex parentibus, pædagogis, magistris'que, præcipue uero ex ipsis sacris legibus, atque etiam non scriptis moribus didicissent unum deum patrem & conditorem mundi credere. nam cæteri omnes, uiri, fœminæ, ciuitates, gentes, regiones tractus'que terrarum, & totus penè dixerim orbis, gementes licet indigne'que ferentes, nihilominus assentabantur, extollentes ipsum plus æquo, augentes'que fastum eius immodicum. nonnulli uero barbaricum quoque morem introducebant in Italiam, adorationem uidelicet, & ingenuitatem Romanam adulterabant. Sola inquam Iudæorum natio suspecta erat ut aduersatura, solitorum ad spontaneam mortem tanquam ad immortalitatem properare, potius quàm patiantur uel minimum aliquid conuelli è patrijs ritibus: quia sicut in ædificijs, exempto uno cæmento reliqua licet firma uideantur, laxata sidunt paulatim in uacuum. nec erat paruum quod mouebatur, sed omnium longe maximum, hominem natum mortalem, in speciem ingeniti immortalis'que dei refingere, qua impietate nihil cogitari potest magis impiũ. citius enim deus mutaretur in hominem, quàm homo in deum. taceo quod hoc pacto aditus aperiebatur alijs uitijs ingentibus, ut infidelitati & ingratitudini erga benefactorem creaturarum omnium, qui pro sua potentia singulas uniuersi mundi partes bonis amplissimis cumulat. Proinde bellum absque inducijs contra nostram nationem exoriebatur. Quid enim seruo potest grauius obuenire quàm inimicus & infensus dominus? sunt autem imperatoris serui subditi, si nõ ullius antea propter eorum mite legitimum'que imperium, certe Caij, qui ex animo reiecerat omnem clementiam, & iura contemnebat omnia. cum enim suam libidinem pro lege haberi postularet, abrogabat quicquid usquam legum erat ut superuacaneum. nostrates autem non solum inter seruos uerum etiam inter uilissima censebantur mancipia, loco principis nacti dominum. quod ubi sensit Alexandrinorum uulgus promiscuum & confusaneum, in nos conspirauit, ratum uenisse occasionem optatam, & odium quod iam dudum tentarat erumpere, semel aperuit, tumultu perturbans omnia. nam quasi permissu imperatoris essemus eorum expositi sæuiciæ, aut belli iure in potestatem redacti, immani beluino'que furore nos conficiebant, irrumpendo in ædes, pellendo'que dominos earum u-

nâ cum uxoribus atque liberis. moxq́ ita desolatas diripiendo, asportando'que supellectilem cum rebus pretiosioribus ex abdito erutis:non clam ut nocturni fures solent metuentes ne deprehensi capite luant, sed propalam interdiu prædam ostentantes obuijs, quasi res hæreditarias aut emptitias. Quidam etiam inita societate latrocinij,rapta diuidebant in foro medio,interdum spectantibus dominis, & ipsos cauillis interim irridebant, proscindebant'que conuicijs.grauia hæc erant,etiamsi nihil accederet, nisi leue uidetur, pauperes è diuitibus & egenos ex opulentis nulla sua culpa repente factos,proprijs focis relictis exturbatos ædibus uagari, ut æstu nimio perirent aut nocturnis frigoribus. Sunt tamen ista leuiora his quæ secuta sunt.nam ex tota urbe in exiguam quandam eius partem tanquam in speluncam compulsas tot myriadas uirorum,mulierũ,puerorum'que, ceu pecora,sperabant se intra paucos dies uisuros aceruatim iacere:aut fame necatos per ciborum inopiam,qui ut in re necopinata prędari non potuerãt: aut in loco æstuoso angusto'que compressos, uitiato etiam circumuicino aere uitalibusq́ auris per crebras respirationes, imò ut uerius loquar anhelitus, dum ab æstuantibus & propemodum febricitantibus per nares & os efflantur,& ignem (iuxta prouerbium)addunt incendio.cum enim intestinorum uiscerum natura sit calidissima, quando externis auris refrigerantur mediocriter,bene afficiuntur respirationis instrumenta hac temperie. Quod si quando plus iusto calefiant,ex intemperie necessario difficultas nascitur,igne ad ignem adiuncto. Cum igitur non possent diutius ferre loci eius incommoditates,effundebantur in deserta littora & sepulcreta, cupientes saltem purum & innoxium aerem attrahere. Quod si qui aut reliqui erant in alijs urbis partibus,aut nescij calamitatum incumbentium peregre ueniebant,uarijs modis mulctabantur,aut saxis uulnerati atque lateribus fragminibus'que testaceis, aut ilignis quernis'ue fustibus ad mortem usque contusi caput alias'que partes corporis quę non læduntur absque uitæ periculo. illi quoque quos diximus contrusos in eximium quendam urbis angulum angustissimum,tantum non obsidebantur à maleferiatis hominibus obseruantibus ne quis clanculum se inde proriperet. futurum enim erat,ut haud pauci præ inopia uictus diffugerent, parum de se ipsis solicitui,modo ne fame interirent cum tot suis familijs.his ne pateret effugium cauebant aduersarij, & quotquot intercepissent excruciatos prius mox enecabant,nullam ab eis abstinendo sæuiciam. alia uerò manus circa portus fluminis insidiabantur Iudæis appellentibus, & eorum mercimonijs,quibus in conspectu dominorum direptis,ipsos protrusos exurebant, constructo rogo è gubernaculis, contis,& nauium tabulis. Alij media in urbe concremabantur miserrimo supplicij genere. Nam præ lignorum inopia sarmenta comportabant,quibus accensis inijciebant miseros. At illi semiustulati fumo magis quàm igni necabantur, quod ex tali materia surgens ignis fumosus & debilis statim extingueretur,nec ullas prunas relinqueret. Multi etiam uiui loris laqueisq́ circa talos adstrictis per medium forum raptabantur,insultante uulgo & ne mortuis quidem parcente corporibus. Dissecta enim membratim frustatimq́ conculcabant immaniores be-

res bestijs efferatissimis, tanta crudelitate, ut ne reliquias quidem ad sepulturam superesse sinerēt. Cumq; præses eius regionis, qui solus si uoluisset, poterat una hora impotentiā turbæ furentis compescere, dissimularet quę uidebat audiebatq;, atq; etiam turbata pace daret infestandi licentiam, magis etiam exasperati atrociora sunt ausi facinora: conglobatiq; in cohortes numerosissimas, proseuchas (multæ sunt in singulis urbis regionibus) aut arbustis succisis uastarunt, aut diruerunt funditus, quasdam etiam incenderunt iniectis ignibus tanta rabie atq; insania, ut nec proximis ædificijs parcerent. Ignis enim nactus materiam facilime transilijt. Taceo deletos à furētibus eodem incēdio honores Romanorum principum, clypeos, coronas statuasq; auratas cum suis titulis, quo reueriti continere impetum debuerant: sed tum ferociebant, non timentes Caium uindicem, quem norant Iudæis infensissimum, nec illi quicquam fore gratius, quàm si hanc gentem omni genere calamitatū afficerent. & ut nouis adulationibus eum sibi conciliarent, ac in nos sçuirent securius, quid faciunt? proseuchas quotquot diruere incendere'ue non potuerant, quòd accolerentur magna Iudæorum frequentia, alio modo perdiderunt unà euersis moribus & ritibus. Nam effigiē Caij statuerunt in omnibus, in maxima uero ac celeberrima sublimē quadrigis aheneis: idq; tam præpropero studio, ut cum carerēt nouis quadrigis, ueteres æruginosas, auribus, caudis pedibusq; mutilatas, è gymnasio raperent, olim dedicatas, ut fertur Cleopatræ, quæ fuerat ultimæ huius nominis reginæ proauia. Qua in re quantum crimen sit admissum, cuiuis puto perspicuum. Nunquid enim decorū erat uel nouas dedicari quæ fuissent fœminæ? nunquid uel uiriles uetustas adeo? aut qualescunq;, alienas tamen, & iam ante dicatas alteri? & cum istis talibus donarijs non uerebantur ne offenderent imperatorem, iracundum & omnes honores sibi deposcentem egregie splendidos atq; magnificos? at illi ob hoc præclare factum laudem sperabant insuper, maioremq; gratiam, quòd proseuchas in noua fana uerterent, augerentq; contractorū Caio templorū numerum, nō tam in eius honorem, quàm ut odium suū exaturarent omnifarijs nostræ nationis cladibus, id quod liquet argumentis certissimis. primo quia nullius regum, quos circiter decē in trecentis annis deinceps numerāt, ullam in proseuchis dedicarunt effigiem aut statuā, quamuis hos sui generis deos censerent appellarentq; in titulis. Quid ni? quos certe sciebant homines, cū plerasq; bestias aquatiles, terrestres uolucresq; referrent inter numina, quorū fanis, aris, templis, lucisq; tota Aegyptus plena est. respondebūt nunc fortasse quod tunc nō respondissent, ut sunt adulatores, fortunā principū magis quàm ipsos principes colere soliti: maiorem esse imperatorum maiestatem ac felicitatem quàm Ptolemæorum fuerat, ac proinde maiores his honores deberi. Ergo homines omnium, ne quid dicam asperius, stultissimi, cur ante Caium Tiberio, qui & illi principatum parauit, & per uiginti tres annos terræ maris'que potitus imperio, nullum semen belli, ac ne scintillam quidem reliquit in tota Græcia & Barbaria, sed pacem pacis'que bona usque ad suum obitum fouit constantissime, non eosdem decreuistis honores? num genere erat eo inferior? imò ex utroque parente nobilissimus.

An eruditione cedebat? & quis fuit per id temporis prudentior aut disertior? At fortassis ætate? & quis rex aut imperator felicius consenuit? imò etiamnum iuuenis, senior dicebatur propter opinionem solertiæ. & tamen hic talis ac tantus à uobis est præteritus. Quid ille qui humanam naturam excessit omni uirtutum genere, propter eximiam potentiam bonitatem'que primus cognominatus Augustus, non hæreditariam hanc appellationem sortitus, sed nouus eius conditor & transmissor ad posteros? quamuis rebus turbatissimis principatum adeptus & admotus gubernaculis reipublicæ. nam terra mari'que contendebatur de primatu certantibus maritimis & mediterraneis prouincijs, ductu honoratissimi cuiusque è Romanis optimatibus: & ingentes orbis terrarum tractus inter se committebantur conflictabantur'que æmulatione imperij, exciris utrinque gentibus ultimis, & aduersas acies terra mari'que mouentibus, ut pene uniuersum hominum genus internecione sit absumptum per cædes mutuas, ni rebus fessis subuenisset unus homo princeps Augustæ familiæ, dignus alexicaci seu auerruncatoris cognomine. Hic est Cæsar ille qui depulsis procellis undequaque ruentibus serenitatem orbi restituit, qui calamitatibus publicis tum Græcarum tum Barbararum gentium attulit remedia, quæ exortæ ab oriente ac meridie percurrerunt usque occidentem & septentriones, intermedijs terris repletis omni malorum genere. Hic est ille qui solus prouincias quotquot sunt, exemit uinculis. Hic est ille qui & aperta bella sustulit & occulta latrocinia. Hic est ille qui mare uacuatum nauibus piraticis, reddidit plenum onerarijs. Hic ciuitates uniuersas libertate donauit, res perturbatas reduxit ad certum ordinem, gentes feras & abhorrentes à cæterarum commercio, formauit ad mansuetudinem societatem'que hominum. Hic Græciæ longe promouit pomœria, tractus uero Barbarorum opportunissimos mutauit in Græciam. Hic pacis custos, iuris æquus moderator, gratiarum profusus largitor, omnium bonarum rerum quàm diu uixit communicator. Huius talis tanti'que benefactoris, per quadraginta tres annos quibus Aegyptum tenuit, honores neglexerunt, in proseuchis nulla eius posita statua uel effigie. Atqui si cui noui eximij'que honores debebantur, illi conueniebant maxime, non solum ut autori Augustæ familiæ, & ante alios optime de mortalibus merito, qui sublato multorum principatu sibi uni sumpsit clauum reipublicæ, gubernandi scientissimus: merito enim dictum est illud, Multos imperitare malum est: quia multifariorum malorum causa sunt multorum suffragia: uerum etiam quia totus orbis cælestes ei honores decreuerat, templa, fana, lucos, porticus, ut his alia nulla pulchriora uisantur in urbibus uel noua uel uetera, præsertim in nostra Alexandria. Nullum enim est conferendum cum eo quod dicitur Sebastion, templum Cæsaris nauigantium præsidis, situm è regione stationis portuosissimæ, sublime, ingens ac conspicuum, quale nusquàm alibi, plenum donarijs, pictis tabulis & statuis, circumquaque ornatum auro argento'que, spatiosum, excultum porticibus, bibliothecis, aulis, lucis, uestibulis, atrijs, ambulacris, omnibus his sumptuosissimis, spes salutaris soluentium & appellentium. In tanta occasione

sione, in tanto consensu gentium, incolumi proseucharum iure decessit ne quicquam officijs Cæsari debitis: id nemo sanus dixerit. cur igitur præter misterunt? dicam sedulo. Norant eius curam ac diligentiam, qui non minus solicitus esset de confirmandis singularũ prouinciarum ritibus quàm de Romanis ceremonijs: acciperetq; huiusmodi honores à cæcis assentatoribus, non quòd probaret, sed quia uidebatur hoc postulare amplitudo imperij, cui ueneratio quædam parabatur his artibus. Ipsum uero nunquam inflatum talibus obsequijs, hinc certò colligitur, quòd nunquam sustinuit se appellari deum uel dominum, auersatus hãc adulationem, nec dissimulans probari sibi Iudæos qui abominarentur talia. Alioqui non passus fuisset trans Tiberim bonam urbis partem teneri à Iudæis, quorum plerique erant libertini: quippe qui belli iure in potestatem redacti ab heris suis manumissi fuerant, permissi ritu maiorum uiuere. Hos sciebat habere suas proseuchas in quibus cœtus facerent, præsertim sabbatis, iuxta religionem patriam. Sciebat eos collectas primitiarum nomine mittere Hierosolyma, & certos homines, qui pro ipsis offerrent uictimas. Eos tamen nec urbe iussit excedere, nec mulctauit iure ciuium, quandoquidem ne in Palæstina quidem extinctam uolebat eorum religionem & rempublicam: nec circa proseuchas quicquam nouauit, nec cœtus in quibus leges discerentur, fieri uetuit, nec solennem morem primitiarum offerendarum ullo edicto sustulit: sed tam sancte nostra sacra habuit, ut penè omnium eius domesticorum dona extent in templo nostro, in quo mandauit quotidianas mactari uictimas suis sumptibus, deo uotas altissimo: quę sacra in hodiernum peraguntur, durabuntq; perpetuo, monumentum uirtutum imperatoriarum. Domini quoque quoties menstruas pecuniæ frumenti'ue distributiones populus acciperet, Iudæorum rationem haberi uoluit: quæ liberalitas si in sabbatum incideret, quando nostris nec dare licet nec accipere, nec operis quicquam facere, præsertim quæstus gratia, iubebantur diribitores Iudæis in posterum diem reponere publicum beneficium. quapropter omnes ubique gentes, quamuis suopte ingenio Iudęis parum propitiæ, uerebantur tamen uiolare iura Iudaica. itidem sub Tiberio conseruata sunt, licet Seiano res nouas moliente in Italia. Cognouit enim ille mox post necem insidiatoris, meras calumnias fuisse delata de Iudæis Vrbem incolentibus crimina, conficta à Seiano, ut gentem è medio tolleret, quam norat uel solam uel præcipue repugnaturam conatibus impijs, & conspirationi caput imperatoris petenti. Proinde mandauit omnibus prouinciarum præsidibus, ut oppidatim huic genti parcerent, exceptis consciis paucis admodum: cæterum de ritibus eorum nihil nouarent, sed commendatos haberent, tum uiros ipsos ut pacis amantissimos, tum mores eorum legesq;, ut conferentes ad tranquillitatem publicam. At Caius sic fastu inflatus est, ut se deum non iactaret tantum, sed & crederet. nec ullos inuenit Grecos aut Barbaros magis idoneos quàm Alexandrinos quib. abuteretur ad satisfaciendũ tam immani cõcupiscentiæ. sunt enim magni præstigiarũ, assentationũ, simulationũq; artifices, & semper in promptu uerba habent adulatoria, effreni ore ad omnia turbanda miscendaq;

scendaq; faciles. dei nomē tanti faciunt religiosi homines, ut & ibes & aspi des suas multasq; alias bestias eo dignētur. itaq; cum sint huius appellatio nis prodigi, decipiunt pusillanimos & imperitos impietatis Aegyptiacæ: sed deprehēduntur ab his qui norūt eorū stulticiā uel potius audaciā nefa riā: id quod Caius nesciens putabat ab Alexādrinis deū se credi serio, quā doquidē non dissimulāter sed diserte utebātur omnib. acclamationib. qui bus alia solent uenerari numina. præterea nouā illā proseuchis illatā iniu riam, existimabat à pura conscientia profectā & uehementi studio: quæ partim ex quotidianis actis cognoscebat, transmissis sibi ab Alexandria: hæc enim libentius lectitabat q̃ ullum poema uel historiam: partim ex nō nullis seruis domesticis, eadem cum ipso laudare aut irridere solitis. Horum plerique erant Aegyptij, male frugi mancipia, aspidum & crocodilorum patriorum uenenis tincti, tum corpora tum animos. Quorum chori & totius Ægyptiaci sodalicij ceu ductor quidā erat Helicon, seruus nequam & scelestus, qui malis auibus in palatium subrepserat. Nam artes liberales gustarat cura prioris heri, qui eum donarat Tiberio Cęsari. et tunc quidē in nullo fuit pretio, quòd Tiberius auersaretur pueriles blanditias, quippe qui iam tum adolescens ad grauitatē seueritatemq; fuerat pronior. Sed postquā illi defuncto Caius in principatum successit, iste animaduertens nouum herū in omnes relaxationes & delicias effundi omnibus sensibus, sic cogitauit: Nunc tuum tempus est Helicon, excita teipsum: habes auscultatorem & spectatorē egregium, cui te ostentando approbes. Agili es ingenio, salibus & cauillis uales plurimum. Probe calles nugas, risus, iocos, et ludicra. Tenes artes illiberales nō minus quàm liberales. Habes & non iniucundā facundiā, qua inter adulandū possis maliciose pungere, ut non risum solum, sed & bilem è suspicione moueas, quando in potestate habes dominum ad audiendas delationes facilem. Patent enim (ut scis) aures eius, semper arrectæ ad commenticias obtrectationes atq; calumnias. Earum materiam noli amplius quærere, habes criminationes Iudaicorum rituum, quas didicisti à pueritia, non ab uno aliquo, sed à linguacissima parte Alexādrini populi. Ostende quid didiceris. His ineptis et scelestis cogitationibus percitus affectabatur Caium, nec noctu absistens nec interdiu, sed abutens ad incusandos Iudæos secessu eius ac otio, cauillis eum oblectans uersutissimus, quo magis illos pungeret. Nec enī aperte delatorem se profitebatur, nec profiteri poterat: sed oblique & astu infestabat grauius quàm si professas cum ea gente exerceret inimicitias. Id cum scirent Alexandrinorum legati, dicūtur eum conduxisse magnis mercedibus, non tantum pecunia, sed & spe honorum, quos ei pollicebātur se collaturos quàm primum Caius ueniret Alexandriā. at ille tempus illud somnians, fore ut honoraretur præsente domino, & cum eo pene toto orbe habitabili (nec enī dubiū erat prosecuturos eum optimates ciuitatū omniū, relictis remotissimis urbib. ob uisendam maximā & celeberrimā) benigne cūcta pollicebatur. itaq; aliquādiu latētis hostis ignari, apertos tantum obseruabamus. postq; aūt sensimus, dispiciebamus si quo modo possemus mollire ac cicurare hominē, undecunq; nos ferientē missibilibus. erat

enim

enim Caio socius pilæ, palestræ, balinearum, conuiuiorũ comessationũq́;, præfectus ipsius cubiculo, quæ dignitas est primaria, quòd ei semper aures imperatoris paterent, & posthabitis rebus alijs auide uacarent eius fabulis. eę constabant scurrilitate scommatũ, admixtis interim delationibus, ut eadem opera & illum oblectarent, ꝙ nobis nocerent maxime. Nam id quod uidebatur quęri præcipue, uidelicet uoluptas principis, agebatur tãtum obiter. Accusationes uero quæ obiter aspergi uidebantur, erant scopus primarius, & unicum propositum nequissimi mancipij. tandem excussis omnibus rudentibus, auras nactus secundas à puppi aspirantes, plenis uelis ferebatur, & in nos inuehebatur, alia super alia componens crimina: quæ adeo hæserunt infixa menti auscultantis, ut nunq̃ obliuisci posset. cumq́; inopes consilij moueremus omnem lapidem ut Heliconẽ placaremus, nullũ inueniebamus ad eum aditũ, nemine audente alloqui uel accedere hominem, præ arrogantia nulli tolerabilem. simul quia nesciebamus an aliquod priuatũ in Iudæos aleret odium, propter quod dominũ contra eos exacerbare nõ desineret, omisso illo satagente circa hoc negocium, ad aliam rem sumus uersi magis necessariam. Placuit offerri Caio libellũ continentem summã calamitatum, & earũ deprecationem. id erat ferme compendium supplicationis prolixioris, quam per Agrippã regem paulo ante miseramus. nam is forte fortuna uenerat Alexandriã, nauigaturus in Syriã in suum regnũ quod ab imperatore acceperat. sed ignorabamus etiã tũ q̃ falleremur. ex quo enim primũ oram soluimus, putabamus nos inuenturos reddentẽ iura iudicẽ. at ille erat hostis implacabilis, alliciens ut tum uidebatur uultu hilari ꝙ appellationibus comibus. exceptos enim nos primũ in campo Martio, cum è maternis hortis exiret, resalutauit, & dextra innuit se propitiũ: missoq́; ad nos Homulo qui legationibus admittendis præerat, pollicitus est se cogniturũ nostrã causam per otium, ita ut tota corona circumstantiũ gratularetur nobis tanq̃ uoti compotibus, atq; etiam nostrates quotquot ex aspectu de rebus iudicãt. Ego uero qui plus ætatẽ & eruditionẽ sapere uideor, suspecta habebã illa quæ exhilarabãt alios. sic eñ cogitabã: quid sibi uult ꝙ cum tot adsint legationes propemodũ ex omnibus orbis regionibus, ait se nos solos auditurũ. nec eñ nescit nos esse Iudæos, contentos si æquaremur cæteris. Cæterũ prærogatiuã sperare apud alienigenã iuuenem & liberę potestatis dominũ, non procul abfuerit ab insania. Profecto in Alexandrinos est propensior, & in eorũ gratiã maturat iudicium. atq; utinã iudicem præstet partibus, non patronum illis, nobis aduersarium. hęc reputãs trepidabam, inquietus noctu et interdiu. ita mœrẽtem me gementemq́; (nec enim tutũ erat interpellari principem) alius casus necopinatus repente perterruit, non parti Iudæorũ, sed uniuersis periculum afferens. Veneramus ex urbe Puteolos Caium secuti. descenderat enim ad mare, morabaturq́; circa eum sinum nunc hanc uillam uisendo nunc aliam, quæ multæ ibi sunt & splendidæ. Nos uero de agenda nostra causa solicitos, quippe qui accersiri expectabamus continue, accedit quidã suffusis trepidisq́; oculis obtuens & anhelus: cumq́; paululum seduxisset (adstabãt enim quidam in proximo) Audistis'ne, inquit, noui quippiam?

piam? simulque conatus rem eloqui, fletu oborto impeditus est. deinde rursum exorsus narrare, iterũ atque tertio fuit ad eundem modũ inhibitus. nos uerò cõspectu eius territi obsecrabamus indicaret quam ob rem uenisset. non enim uenisse propalam flendi gratia. quod si quid esset dignũ lacrymis, faceret nos earũ participes, assuetos iam calamitatibus. tandem ille crebra singultiens, Perijt nobis templũ. iubet Caius poni sibi colossum in adytis intimis, ascito in titulo Iouis cognomine. Nobis uerò attonitis miraculo, & in uestigio præ stupore hęrentibus, muti em̃ stabamus & enerues defectis uiribus corporis, superuenerũt alij doloris eiusdẽ nuncij. deinde omnes simul conclaue ingressi & inclusi deplorabamus fortunã priuatam atque publicã, suggerẽte dolore querimonias. nihil enim calamitosis loquacius. tædebat enim ac pœnitebat quod ad deprecandum iniurias, quas quotidie pateremur, medio hyemis traiecissemus uasta maria, ignari nobis immi nere tempestatẽ in terris multo sæuiorem iactatione maritima. hanc enim hyemẽ natura postulat, discernens anni tempora. opera uerò naturę sunt salutaria, alteram autẽ excitabat homo nihil humanum sapiens, iuuenis rerum nouarum cupidus, solutus in omnẽ tyrannicam licentiam. eius iuuentus concitata uiribus imperij, malũ erat inexpugnabile. quis enim auderet deprecaturus accedere, uel saltem hiscere apud uastatorẽ templi omnium sanctissimi? satis enim apparebat nihil non contempturum, qui à fano inclyto, quod oriens occidensque tanquã solem religiose ueneratur, non abstinet iniuriam. quod si etiam daretur aditus, quid aliud expectãdum erat quàm mors certissima? Sed moriamur, inquam. est enim uita gloriose mori pro patrijs legibus. Verùm cum hæc mors nulli profutura sit, annõ insania fuerit, hanc quoque cladẽ cæteris auctarium adijcere, præsertim cum legatione fungamur, ut ad eos qui nos miserunt, magis pertineat hoc infortuniũ, nec deerũt inter tribules nostros maliciosi homines, impietatis nos accusaturi, quòd fluctuantẽ in extremo periculo rempublicam destituerimus, ut cõsuleremus priuatis cõmodis. debent enim paruæ res magnis cedere, priuatę publicis, quib. perditis leges quoque & instituta patria pereũt. nefas est nos de iure Alexandrinæ ciuitatis decedere, cũ agatur de uniuersa Iudæorum republica. & timendũ sit ne huius gentis nomẽ penitus aboleri iubeat homo nouator & uasto animo terribilis. Cum igitur utrãque causam frustra suscepisse agendã uideamur, dicat aliquis: Non poterãt saltem expedire tutum reditum? Responderem, aut nõ habes liberale ingenium, aut non didicisti sacras literas. bene sperant generosi animi, & sacrę literæ bene sperãdi autores sunt suis discipulis, quicũque nõ obiter eas nec primoribus labris degustarunt. fortassis tentatio est hæc nostri seculi hominum, quomodo erga uirtutẽ affecti sint, & an didicerint aduersos casus ferre fortiter. Valeãt igitur humana præsidia quæ nos deserũt, modo in anima spes firma maneat, deum nobis seruatorẽ non defore, qui sæpe gentem hanc eripuit exitio. Hunc in modum solab amur mala præter expectationem instantia, seruantes nos ad tranquilliora tẽpora. deinde interposito breui silẽtio, sic allocuti sumus eius calamitatis nũcios: Quid ita sedetis scintilla tãtum in aures nostras iniecta qua uramur, cum debeatis exponere causam

etiam huius consilij, quid Caium moueat. Tum illi: Primariã causam scitis, quam sciunt omnes. Vult haberi deus. persuasus est obstare solos Iudæos, nec aliam se posse illis grauiorẽ pœnam infligere, quàm si maiestatem eorum templi diminuat. audiuit enim id esse in orbe toto pulcherrimum, per multas ætates continuis & largis sumptibus usque magis ac magis exornatũ. est aũt contentiosus & peruicax, uultque id sibi usurpare. nunc uerò exasperatus est etiam Capitonis quæstoris literis. is in Iudæa præest exigẽdis tributis, infensus prouincialibus. pauper eñ eò profectus, nunc illis fraudatis ditatus, & accusationem metuens, decreuit eos præuenire, & calumnijs ueras criminationes auertere, casu quodam nactus occasionẽ. Iamniam, urbem Iudææ cum primis frequentẽ populo, colunt promiscue, Iudæi quidẽ pars maxima, nonnulli tamen etiã alienigenæ, qui malo fato subrepserunt è finitimis regionibus: & cũ sint inquilini, facessunt indigenis negocia, semper aliquid moliendo aduersus ritus Iudaicos. hi cũ audirent ab aduenis, quantopere Caius pro deo coli cupiat, & quàm infensus uniuersæ Iudæorum genti sit, rati se nactos occasionẽ struendis insidijs, ex tempore aram excitant è materia uilissima, luto formato in lateres, tantũ ut molesti essent ciuibus. sciebant enim non laturos uiolari leges patrias. quod & sequutũ est. Conspicati eñ & indignati regionis sacratæ ritus sacros sic aboleri, coorti eam sustulerunt è medio. aduersarij uerò mox Capitonẽ adiuerũt, qui fuit autor totius huius tragœdiæ. Is lucrum sibi à fortuna oblatũ existimans, cuius iamdudũ erat cupidus, scribit Caio, exaggerando rem & amplificando. His cognitis ille ut opulentus ac magnificus, iubet pro altari latericio, subuerso in lamnia, poni colossum inauratum in ipso templo urbis primariæ, consultorib. usus optimis & sapientissimis, Helicone ueteratore scurra nobili, & Apelle quodã tragœdo, qui prius ætatis florem, ut fertur, uenditauerat: tum uerò fastiditus se in scenam contulerat. scenici autem quorum est negocium & studium ut theatris placeãt, profligato pudore probris & turpitudini sunt deditissimi: quib. artibus Apelles peruenit in consiliariorum ordinem, ut posset consulere Caius, alterum quomodo canendum, alterum quomodo ludendũ salibus, omissa cura iusticiæ tuendæ pacisque publicæ. ita Helicon mancipiũ scorpioni simile Iudæos petebat ueneno Aegyptiaco, Apelles uerò Ascalonio, nam inde oriundus erat. Est autem Ascalonitas perpetua simultas cum finitimis Iudæis sacræ terræ incolis. Dũ hæc audiremus, ad singulã uerba nominaque sauciabamur animas. Verum illi bonorum consiliorũ boni autores paulo post impietatis suæ mercedem inuenerunt: alter à Caio uinctus ferreis cõpedibus propter alia crimina, tortusque in rota ex interuallo sæpius, sicut quidam morbi solent diebus statis recurrere. Helicon uerò interfectus à Claudio Germanico Cæsare propter alias itidem culpas insani capitis. Sed ista pòst acciderunt. literæ porrò de statua dedicanda scriptæ sunt nõ temere, sed quantũ fieri potuit accuratissime. In eis imperatum est Petronio Syriæ prouinciæ præsidi, ut ri pensis exercitus, cõtra irruptiones orientalium regum nationumque oppositi, dimidiũ ab Euphrate aduersus Iudæos duceret, ut prosequerentur statuã, non quo augustior dedicatio fieret, sed ut confestim periret si quis obsisteret.

sisteret. Quid ais domine? quia prævides non laturos, sed usq; mortem pro legibus patrijs certaturos, bella moues? non em̃ uideris ignarus futuri motus, si quis templum profanare conetur. ideo iam nunc præsagus iubes induci exercitũ, ut sanctis uictimis dedicetur tua statua, cædibus miserorum, uirorum simul atq; mulierum. Cæterum Petronius perlectis literis hęrebat anceps consilij, quippe qui nec detrectare poterat præ metu, non ignarus illum ne moram quidem laturum ęquo animo, nedum tergiuersatione: nec rem aggredi putabat tutũ ac facile. sciebat enim Iudæos non unam, sed mille, si fieri posset, mortes subituros citius, quàm sustinerent uetitum aliquid facere. Omnes enim gentes libenter seruant ritus patrios, sed Iudæi præ cæteris. cum eni leges suas credant oraculis proditas, easq; discant à pueritia, in animis circumferũt harum expressas imagines, & semper intuendo admirantur ut honestißimas, alienigenas quoq; harum obseruatores amplectuntur pro suis ciuibus. osores autẽ earum ac uituperatores habent pro hostibus, & in tantũ abhorrent à quauis re suis legibus uetita, ut omnib. fortunis felicitatibusq; humanis ad præuaricationem adduci nequeāt sed nihil religiosius quàm templũ colunt, uel hoc argumento, quòd certißima mors proponitur ultra septũ interius penetrantibus. nam intra exterius recipiunt undecunq; uenientes suæ gentis homines. Hæc secum reputans Petronius, rem cunctanter aggrediebatur, ratus (ut erat) facinus audax: aduocatisq; tanquā in animæ consistorium rationibus omnibus, scrutabatur singularũ sententias, quas consentientes inueniebat, nihil in sacris nouandũ, primum quia sic ius naturę pietatisq; postulet, deinde propter imminens periculum, non solum à deo, uerum etiam à læsis irritatisq; hominib. illud quoq; cogitabat, quàm populosa esset hæc natio, non ut aliæ comprehensa unius regionis spacio, sed totum pene orbem paßim incolẽs. diffusa est enim per continentis prouincias omnes atque insulas, adeo ut non multo pauciores sint indigenis. tam multas hostium myriadas in se prouocare an nõ periculosa uideri poterat alea? ne forte illis per omnes terras conspirantibus, & ad uim arcendā certatim in unum confluentibus, bellum exoriretur insuperabile: absq; eo quòd ipsam Iudæā innumera multitudo incoleret, uiri tum corpore ualentißimi, tum animo fortißimi, parati prius generosam mortem oppetere, quàm deserere mores ac ritus patrios, quantumuis calumniatorum opinione barbaros, cum reuera sint liberales & nobiles. Terrori etiam erant Transeuphratenses copiæ. nam Babylonem & multas alias satrapias à Iudęis teneri, non auribus solum sed & oculis compertũ habebat: quòd singulis annis sacra pecunia mißitaretur inde in templum primitiarum nomine, quanquam per uias difficiles & asperas, quæ tamẽ illis regiæ uidentur ad pietatẽ rectā properantibus. Merito igitur timens ne cognita hac noua dedicatione, subito expeditionẽ susciperent, & hinc atq; inde coorti iunctis copijs inclusos in medio clade ingenti afficerent, retardabatur talibus cogitationibus. sed in diuersum trahebatur contrarijs: dominũ hæc iubere iuuenẽ, utile iudicantem quicquid ipsi collibuerit, & semel decreta exequi contendentẽ quamlibet noxia, ut qui præ superbia peruicaciaq; trāsiliẽs hominis terminos in

deos

deos seipse referat, impēdere sibi capitale periculum, siue imperata faceret, siue nō. sed si pareat, cum bello cuius anceps euentus sit: sin iussa detrectet, certissimā à Gaio perniciem. ad bellum proniores erant multi Romani ad iutores in administratione rerum Syriacarū, quod scirent in se primos sæuiturum principem, ut autores inobedientiæ. & dabatur spatium deliberādi, dum pararetur statua. nam neq; transmissa fuit ex Italia, deo uolente opinor, & suos occulto fauore protegente ab iniuria: neq; iussus est è tota Syria lectissimā sumere: alioqui præpropere uiolatis legib. exortus fuisset repentinus tumultus, prius q̄ expediri posset utile consiliū. nā subitanei casus ingruētes uim rationis hebetāt. itaq; Petronius in propinquo iubet parari statuā, & accitis è Phœnicia peritissimis artificibus præbet materiam, officina Sidone instituta. dein honoratiores Iudæorū sacerdotes & magistratus euocat, indicaturus eis Caij mādata, simulq; suasurus ut patiēter ferrent iussa domini, & cauerent mala imminentia. paratum enim esse robur exercitus Syriaci ad edendas per totam eorum regionē strages maximas. putabat enim si horum præmolliret animos, posse per eos moueri ad obsequium cæteram multitudinē. sed ualde sua opinione deceptus est. perculsi enim ad primam eius rei mentionē, tanq; in præsenti calamitate obmutuere, quasi è fonte profundendo lacrymas, & capillos barbasq; uellendo, cū lamentis huiusmodi: En quò nimis beati senescēdo peruenimus, ut quod nemo maiorum unquā uidit, nos spectaremus. quibus tandē oculis? hos enim prius abijciemus cum ærumnosa uita & miserabili, quàm tantū nefas inspiciamus, quod nec auditus nec mēs sustinet. Interea qui in sancta urbe cæteraq; regione famam huius conatus audierant, uelut de cōmuni sententia coorti, tesserā dante dolore publico, profecti sunt uno agmine, desertis oppidis, castellis & ædibus, cōtinuatoq; itinere contenderūt in Phœniciā, ubi tunc agebat Petronius. id Petroniani quidā conspicati cursim ei renunciarunt, caueret sibi à turbis, infestum agmē existimātes. moxq; nullis stipato satellitijs multitudo Iudæorū ceu nubes repente superuenit, totā Phœnicen occupās, ut miraculo esset nescientib. gentis frequentiā. ac primū tantus clamor cū fletu planctuq; sublatus est, ut hebetaret aures præsentium. nam & postquā desijt, durabat eius sonitus. secutę sunt compellationes, & preces quales dictare solent calamitosa tempora. erant autē distributi in sex ordines, seniorum, iuniorum, puerorū: rursum alia parte anuum, mulierum, uirginū. Vbi uerò Petronius in loco superiore conspectus est, uniuersi ordines uelut ad unum edictū humi procumbunt supplices cum ululatu quodam flebili. iussiq; surgere & accedere propius, uix tandem surrexerunt, & conspersi multo puluere, diffluentesq; lacrymis, accedebant reductis in tergum more damnatorū ambabus manibus. tum senatus stans sic loquutus est: Inermes, ut uides, adsumus, ne quis nos dicat uenire hostiliter. manus aūt pro armis à natura datas retroflleximus ociosas, prębemus & corpora ad certos ictus ferire uolentibus. Vxores & liberos familiasq; adduximus, supplices tibi & per te Caio aduoluimur domi relicto nemine, orantes ut aut omnes seruetis, aut omnes internecione deleatis. Sumus Petroni & natura pacis cupidi & studio, ad quā nos trahit cura liberorum

alendorũ ex noſtris laboribus. Caio imperiũ adepto primi ex tota Syria gratulati ſumus, Vitellio cuius ſucceſſor es, tunc in noſtra urbe degente, qui ſuper hac re literas acceperat, & à nobis ad cæteras ciuitates famã lętũ nunciũ pertulit. primũ noſtrũ templũ excepit pro imperio Caij uictimas, ut primũ aut etiam ſolum priuaretur religione patria. decedimus urbibus, cedimus priuatis ædibus & poſſeſsionibus, ſupellectilẽ uel precioſiſsimã ultro uobis in prædã offerimus, eo animo ut nos putemus non dare ſed accipere. unũ pro his omnibus petimus, nequid in tẽplo nouetur, utq; ſeruetur tale, quale è maioribus nobis eſt traditũ. id ſi nõ impetramus, necandos nos prębemus, ne uideamus uiui quod eſt morte grauius. audimus pedeſtres equeſtresq; aduerſus nos parari copias, ſi dedicationem impediamus. nemo ita inſanit, ut ſeruus ſe opponat domino, libẽter iugulabimur. cedãt, mactẽt, fruſtatim cõcidant ſine certamine ac ſuo ſanguine, agãt quicquid libet uictorib. quid opus eſt exercitu? noſipſi egregij ſacerdotes immolabimus uictimas, adducemus ad tẽplum mulieres uxoricidæ, fratres ſororesq; fratricidæ, pueros puellasq; innocentẽ ætatẽ puericidæ. tragicis uocabulis utendũ eſt in tragicis calamitatibus. deinde in medio eorũ ſtantes abluti cognato ſanguine (nã talia lauacra ad inferos properantibus conueniunt) admiſcebimus & propriũ, noſmetipſi iugulãdo inſuper. morientium hoc mandatũ erit ultimũ: ne deus quidem nos accuſet, qui utriuſq; rationem habuerimus, & imperatori debitæ reuerentiæ, & ſacrarũ legum cuſtodiæ. id fiet ſi uitã haud uiuendã contempſerimus. audiuimus priſcã fabulam è Græca literatura profectã, tantam uim fuiſſe Gorgonei capitis, ut hac uiſa homines confeſtim uerterentur in ſaxa. id quanq; fabuloſum uideatur, negari tamen non poteſt, ſimile quiddã magnos nec opinatos caſus efficere. ira domini mortẽ adfert, aut quiddã morti proximum, putas Petroni, ſi (quod abſit) aliqui noſtrates uiderent in templũ deduci ſtatuã, non in ſaxa mutatũ iri, oculis ſtupentibus, & per ſingula mẽbra ſopito naturali motu corporis. extremũ Petroni hoc erit noſtrum uotũ ęquiſsimũ. non contẽdimus ne imperata facias, dilationẽ tantum petimus, & oramus ſupplices, ut nobis liceat legatos ad dominũ mittere. fortaſsis impetrabimus ne religio cæleſtis numinis, ne leges ſanctiſsimę aboleantur, ne'ue ulti mis etiã poſthabeamur gentibus, quib. ſui ritus manent incolumes, ne decreta eius aui proauiq; temerẽtur noſtros mores approbãtia diligenterq; confirmantia. forſan his auditis fit mollior. non ſemper eædẽ ſunt uoluntates principũ, iratorũ uerò uaneſcũt celerrime. petiti ſumus calumnijs, permitte adhibeamus remediũ. durũ eſt iniudicatos damnari. ſi nihil impetramus, quid uetat ne quæ nũc uult, tunc faciat. ante miſſam legationem noli præcidere ſpem tot milium, non de lucro ſed de pietate contendentium, imò et de lucro. quod enim lucrũ homini eſt ſanctitate utilius? hęc tum magna contentione magnoq; deſiderio dicta ſunt ab honoratiſsimis ſingultientibus & anhelis, lacrymis ſimul ac ſudore diffluentibus, ut iam Petronio cæteriſq; miſerationem mouerent. eſt enim mitis ingenio, & uerbis factiſq; flexibilis. & uidebantur ęquũ poſtulare, aſpectu quoq; nihil erat miſerabilius. habita igitur cõſultatione cum aſſeſſoribus, animaduertens par

tim

tim nutare & ambigere, qui modo rigide aduersati fuerãt, partim præiudicare, & miserationem non dissimulare, gaudebat eorum uoluntatibus. & quamuis nosset imperatoris iram implacabilem, & natiuã sęuiciam, tamen uidebatur afflatus aura quadã philosophiæ pietatisq; Iudaicę, siue iam ante uir doctus ex literis aliquid hauserat, siue ex quo præfecturam adeptus est prouinciarum Asiæ Syriæq;, in quibus oppidatim degunt Iudæi plurimi: siue suapte natura erat ad res cognitu dignas docilis. solet aũt deus bonis uiris bona suggerere consilia, tum ipsis tum reipublicæ cõmoda, quod tunc quoq; contigit. Quid igitur decretum est? ne properarẽt opifices, sed darent operam ut statua summo expoliretur artificio, & quantũ fieri posset, exprimeret exẽplaria laudatissima, quo sit durabilior. Nam opera extemporanea non temere diuturna fieri, accurata ætatem ferre melius. Cęterum legationem mittere non est cõcessum Iudęis. nec enim ipsis tutum esse, rem cõmittere domino qui possit omnia. interim postulatis nec annui nec renui placuit, quod utrũq; periculosum esset. sed literas ad Caium mitti, sine accusatione Iudæorum, dissimulatis eorũ supplicationibus, causam aũt dilatæ dedicationis referri in opifices, quibus necesse sit dari certum spacium temporis. eas moras afferre posse amplioris dilationis occasionẽ, & fortasse tandem ipsum Caium exorari se passurum. erant em̃ tum maturæ segetes. & timẽdum erat ne deplorata religione homines uitam quoq; contemnerẽt, & uastatis agris suasmet fruges late per campos collesq; incenderent. solicitabat etiam cura colligendorum fructuum tum arboreorum tum arualium. ferebatur enim cõstituisse imperatorẽ nauigare in Ægyptum Alexandriam: nec uidebatur uerisimile tantum principem per altum mare se obiectaturum periculis, uel propter comitantis classis magnitudinem, uel propter curã corporis: facilius iter circumeunti per Asiam & Syriam. sic em̃ quotidie fore illi copiam uel cõscendendi naues uel exscendendi, præsertim ducenti longas nõ onerarias, quibus ora legitur utilius, sicut onerarijs per altum fit uelificatio. erat igitur opus pabulũ & annonã parari per omnes urbes Syrię, pręcipue maritimas. expectabatur em̃ ingẽs multitudo terra mariq; uentura, non solum ab urbe atq; Italia, sed et ab intermedijs prouincijs, partim honoratorum, partim militarium, equitum, peditum, naualium, nec minor seruorum numerus quàm militũ. & requirebatur nõ tantum modus necessarius, uerum etiam Caio digna rerum copia. Eas literas postquã perlegerit imperator, daturus putabatur ueniam, atque etiam prudentiam laudaturus eorũ, qui moras necterent, non in Iudæorum gratiam, sed propter conuectionem fructuum. Ea sententia comprobata ascriptę sunt literæ, & expeditis nuncijs traditę, assuetis itinerũ cõpendio. his acceptis ille inter legendum excandescebat, uultu præ se ferens iracundiã. ubi uerò desiit, complosis manibus, Euge Petroni, inquit, nõ didicisti audire imperatorẽ, tumes cõtinuatis hactenus magistratibus, uideris ne ex fama quidẽ Caium nosse, quẽ experieris nõ multo post. cordi tibi sunt leges Iudæorũ, gentis mihi inimicissimę, principis mandata negligis. timuisti multitudinẽ, quasi nõ haberes militũ copias formidatas orientalibus, atq; adeo ipsis Parthorũ regib. sed miseratus es. ergo minus apud te

ualuit Caius ꝙ miseratio. causaris messem. tibi breui sine excusatiōe caput ferro demetetur. causaris conuectionē fructuū in aduentū nostrū parando rū, scilicet si Iudæa fieret sterilis. decrant finitimæ prouinciæ quæ uictum præberent, unius inopiam suppleturæ suis prouentibus. sed cur tempero à manibus, cur meā uoluntatē enuncio. ille mercedē accepturus cladē suā primus sentiat. desino minari, irasci non desino. tum breui mora interiecta cuidā ab epistolis dictat responsum ad Petroniū, laudans in speciem eius prouidentiā, & in prospiciēdis futuris solertiā. uehementer enim timebat præsides, ꝙ illis promptū esset res nouas moliri, præsertim in magnis prouincijs apud magnos exercitus, qualis est ad Euphratē tractus Syriæ. delinito igitur per literas homine, ad tēpus irā tegebat implacabilē. dein mandatū addidit, ne ullam curam præuerteret dedicationis negocio. iam enim messes conuectæ esse poterāt, & cessabat illa seu uera seu affectata excusatio. nec multo post aduenit Agrippa rex, more suo Caium salutaturus, plane ignarus epistolæ Petronij, quid'ue Caius rescripsisset. conijciebat tamē statim è uultus nubilo eum latētem iram coquere, retractabatq́ intra se ne quid magnū aut paruū dicto facto'ue cōmiserit quod illū offenderet. cūq́ nihil inueniret, colligebat, id quod erat, irasci eū alijs. ac rursus cū animaduerteret illū torue in se solum intueri, metuebat: & sæpius uolens rogare, cohibuit se, ne forte minas aliò tendētes temeraria curiositate in se conuerteret. Tum Caius, ut erat callidus ex aspectu deprehēdere cogitationes hominum, postquam uidit timentē hæsitantemq́: Dubitas, inquit, Agrippa, ego tibi hāc dubitationē eximam. tamdiu mecū uersatus ignoras me oculis non minus ꝙ uoce loqui solere? boni honestiq́ ciues tui, qui soli ex omni hominū genere dedignātur Caiū habere pro deo, uidentur iam mortē sibi per contumaciā quærere, dum me iubente in ipsorū templo consecrari Iouis simulacrū, populariter ex urbe agrisq́ occurrerūt specie supplicum, sed reuera mandatū meum proculcaturi. Plura intonaturus erat, cum rex anxius & præ metu per singula momenta colore mutato, rubicundus, luridus, liuidus, à uertice ad calcem horrore corripitur: & tremore mēbra quatiente solutisq́ neruis collapsus fuisset, ni eū sustētassent proximi: qui iussi domum illum retulerunt nil sentientē & subitanea ui mali sopitum ac stupidum. At Caius magis etiam exasperabatur in gētis odium. Si Agrippa, inquit, familiaris & amicissimus plurimisq́ deuinctus beneficijs, tantū tribuit patrijs ritibus, ut ne uerbo quidē eos uiolari ferat, sed deliquio pene exanimatus sit, quid expectandū est ab alijs, qui nihil habent quod se in diuersum retrahat? Agrippa uerò tota die parteq́ insequentis maxima graui sopore pressus sui compos non erat. tandē sub uesperam paululum erecto capite, ægreq́ diductis palpebris, caligantes etiamtum circumferebat oculos, circumstantiū facies uixdum noscitans: rursumq́ somno redditus iam sanior quiescebat, ut apparebat è respiratione & corporis habitu. aliquāto post experrectus scitabatur, Vbi nūc sum? num apud Caium? adest'ne ipse dominus? respōsum est, Bono sis animo, domi es. Caius nō adest. satis dormisti, erige te in cubitū, agnosce præsentes. omnes sunt domestici, amici, liberti, famuli, dilecti & tui amantissimi. tū uerò cœpit resipiscere, singulos

condolere

condolere aſpiciens.cumq́ medici iuſsiſſent turbã ſecedere,ut unctionib. et cibo tempeſtiuo corpuſculũ eius reficerẽt:Scilicet,inquit,curandum eſt uobis de parando mihi uictu delicatiore. an non ſufficit miſero famẽ pelle re uſu rerũ uiliſsimarũ ſimpliciſsimarumq́? quas ipſas non admitterem, niſi leuis quædã ſpes me teneret extremi auxilij ferendi gẽti infeliciſsimæ. Hęc cum lacrymis locutus,neceſſario cibo contentus fuit ſine obſonijs: ac ne uinum quidẽ ſibi miſceri paſſus,aquam tantum guſtauit. habet,inquit, miſer uenter quod repoſcebat debitum.mihi quid faciendũ,niſi Caius ſup pliciter interpellandus de reb.præſentibus?ſumptisq́ tabellis ſcribit has li teras. Ne coram te appellem domine,metus obſtat ac reuerentia, quod & minis terrear,& tãta maieſtate ſim attonitus. hæ literæ melius preces meas indicabũt,quas ſupplex pro uerbenis offero. Omnibus mortalibus,Impe rator,à natura inditus eſt amor patriæ,& legum patriarũ religio : id quod non eſt opus ut te doceam,pium erga patriam, & leges eius colentẽ ex ani mo.cuiq; ſua,etiam ſi non ſint,uidentur honeſtiſsima, nimirũ quæ affectu magis quã ratione iudicantur à ſingulis.equidẽ(ut noſti)Iudęus natus ſum, natale ſolum mihi ſunt Hieroſolyma, ubi altiſsimi dei tẽplum ſanctiſsimũ ſitum eſt.auos proauosq́ reges habui,& ex his aliquot etiã ſummos pon tifices,quam illi dignitatẽ pluris faciebant quã regiam, rati quanto deus an teſtat homini,tanto pontificatũ regno excellentiorẽ. ad illius enim curam diuinas res,humanas ad huius pertinere.huic genti,patriæ, tẽplo,cum ſim tot modis coniunctiſsimus, pro cunctis deprecor:pro gẽte, ne à uera per ſuaſione tranſire cogatur ad contrariã. cum iam inde ab initio ueſtram fa miliam perſancte coluerit.quatenus enĩ licet ſaluis patriæ pietatis legibus, hac parte nulli gẽti cedit in tota Europa & Aſia,uota pro incolumitate im perij tui faciendo,dona offerendo, mactando uictimas non ſolũ in celebri tatibus publicis,uerũ & quotidianas : atq; ita non tam ore linguaq́ iactat ſuam pietatẽ erga Cæſares, quã re ipſa declarat propenſiſsimũ erga illos ani mũ.pro ſancta uerò ciuitate,patria mea,hęc afferre licet,eam eſſe metropo lim non unius regionis Iudæę,ſed & multarũ,propter colonias inde olim deductas,uel propius in finitimã Aegyptum, Phœnicen,Syriam,tum cæ teram,tum eam quę Cœle cognominatur:uel longius in Pamphyliã,Cili ciã, pleraſq; Aſię partes uſq; Bithyniã & Ponti ſinus intimos. pari modo in Europæ Theſſaliã, Bœotiam, Macedoniã,Aetoliam, Atticam,Argos, Corinthumq́ Peloponneſi partes præcipuas. nec tantũ continentis pro uinciæ plenæ ſunt colonijs Iudaicis, ſed & inſularũ celeberrimæ, Eubœa, Cyprus, Creta,ne quid dicam de trãſeuphratenſibus. excepta enim parua parte Babylonis & aliarũ præfecturarum,omnes urbes quæ bonũ agrum habent,à Iudæis incoluntur. Itaq; ſi exorat mea patria tuã clementiã, præ ter ipſam alias ciuitates demereberis plurimas, ſitas in diuerſis orbis tracti bus,Aſia,Europa,Africa,inſulares,maritimas, mediterraneas.Cõuenit au tem tuæ fortunæ ampliſsimæ , collati in unã beneficio plurimas deuinciri alias,ut per omnes orbis partes decantetur tua gloria, & gratiarũ actioni bus laudibusq́ ubiq; omnia perſtrepãt. amicorũ aliquot patrias integras ciuitate Romana donaſti,& qui modo ſerui fuerãt,feciſti aliorũ dominos:

nec magis gaudent hoc beneficio, qui fruuntur, q̃ eius autores. ego quoq; scio me habere herum & dominũ, sed inter amicos censeri, dignitate paucis secundum, beneuolẽtia nemini, imò primũ potius, uel quia mihi est hæreditaria, uel quia maximis cumulata beneficijs: nõ audeo tamẽ patriæ meæ petere, nõ dico Romanã ciuitatẽ, sed ne libertatem quidem aut immunitatem, peto gratiam ipsis utilissimã, tibi uerò innoxiã. quæ enim est subditorum maior felicitas q̃ habere propitium principem? Hierosolymis primũ audita est, Imperator, exoptata tua successio, è sancta ciuitate diffusa est eius fama ad finitimas prouincias. digna est quæ impetret tuã gratiã. quẽadmodũ enim maximi natu filij honoratiores sunt, q̃ primi faustũ patris matrisq; nomen parentibus dederint: eodẽ modo quoniam prima orientaliũ hæc ciuitas Imperatorẽ te consalutauit, æquum est ut à te tractetur liberalius: aut certe ne sit deteriore cõditione q̃ cæteræ. Hactenus pro patria deprecatus, postremas pro templo preces adhibeo. hoc templũ, Cai domine, iam inde ab initio nullam unquã admisit manufactã effigiem, cum sit deo domicilium. pictorũ enim atq; statuariorũ opera sunt sensibilium deorum imagines: illum aũt inuisibilẽ pingere aut fingere nefas duxerũt nostri maiores. Agrippa tuus auus inuisit id templũ & honorauit, Augustus quoq; per literas iussit undecũq; illuc mitti primitias, instituto ibi etiam quotidiano sacrificio, honorauit id & tua proauia, non Græcus, nõ Barbarus, non rex satrapáue ullus uel infensissimus, nõ seditio, nõ bellũ, nõ captiuitas, nõ uastatio, non alia res ulla unquã tantam cladẽ intulit, ut contra ueterẽ morem effigies manufacta in id importaretur. quãuis enim infensos haberet accolas, semper tamen sua religione tutum fuit, ut sacratũ cõditori patriq; rerum omnium. sciebant enĩ uiolationẽ eius expiatam sæpe grauissimis calamitatibus. quamobrẽ ueriti sunt iacere impietatis semina, ne sibi perniciẽ inde meterent. nec est opus externis testibus, cũ possim citare tibi domesticos. M. Agrippa tuus auus maternus Iudæã Herode auo meo regnante adijt, nec grauatus est à mari ad metropolim mediterraneã ascendere. cũq; spectasset templũ, & decoros ritus sacerdotũ, puritatẽq; ciuiũ, delectatus est spectaculo ut mirifico ac ineffabili, adeò ut inter familiaria colloquia nihil tunc in ore haberet aliud, q̃ laudes tẽpli eiusq; ornamentorũ. Ergo q̃ diu hæsit ibi in Herodis gratiã, accedebat id quotidie, oblectãs animũ contemplatione sacri apparatus, & sacrificiorũ ordine, uerẽdæq; maiestatis in summo sacerdote sacrato cultu ornato præsidenteq; cęteris. dein ubi templũ donis honorauit, & ciuibus indulsit quãtũ potuit saluis uectigalibus, laudato Herode ipse uicissim laudatus plurimũ, ad mare deductus est prosequentib. non unius ciuitatis populis, & flore frondeq; illũ ob pietatis admirationẽ aspergentibus. Quid alter tuus auus Tib. Cæsar, nónne manifeste uoluntatẽ eandem habuit? certe per uigintitres annos in quibus imperauit, antiquissimã religionẽ templi seruauit incolumem immotamq; modis omnibus. & possum quiddã in laudẽ eius proferre, quamuis mille sub ipso iactatus casibus. Sed amica est & tibi quoq; grata ueritas. Pilatus erat procurator Iudææ. hic non tam in gratiã Tiberij, q̃ in odium populi, auratos clypeos dedicauit intra sanctã urbem in Herodis regia, nulla insignes

imagine,

imagine,nec habentes quicq̃ uetitum: tantũ titulus continebat nomen de dicantis,& eius cui dedicabãtur.id ubi diuulgatũ eſt in populũ,aduocatis uſi quatuor regĳs filĳs,fortuna dignitateq́ regia prȩditis,reliquisq́ huius familiæ,atq́ optimatibus cæteris, orabant ut tolleretur illa clypeorũ nouitas,nec uiolarentur ritus patrĳ, conſeruati à ſuperiorib.regibus & imperatorib.cumq́ ille aduerſaretur rigide,ut erat peruicaci duroq́ ingenio, conclamatũ eſt:deſine ſeditiones bellaq́ ciere, deſine pacem profligare.nõ honoratur imperator per legũ contumeliã,noli hunc iniuriæ prætextũ quærere. Tiberius nihil uult temerari in noſtris ritib.aut oſtende illius edictũ, uel epiſtolã,aliud'ue ſimile,ut te omiſſo per legatos oremus dominũ.id uerò eum magis exaſperauit,ueritũ ne ſi mitteretur legatio,cætera quoq́ detegeret eius crimina, uenditatas ſentẽtias,rapinas,iniurias,clades,tormẽta, crebras cædes indemnatorũ,crudelitatẽ ſæuiſsimã. iratus igitur homo iracundus anceps erat animi,q̃ neq́ demere ſemel dedicatas res auderet,nec ſubditis gratificari uellet, non ignorans Tiberĳ talib. in rebus conſtantiã. quod ubi uiderũt optimates,& animaduerterũt eum pœnitere cœpti quãtũuis diſsimularet,ſcripſerunt Tiberio literas humili deprecatione pleniſſimas.qui cognito quid dixerit Pilatus,quid minatus ſit, nõ eſt opus ut dicam quantũ excãduit,quãuis nõ cõmoueretur temere:ipſa res iram eius indicat.confeſtim nihil procraſtinãs ſcribit literas,ualde obiurgãdo eius audaciã,iubendoq́ ut ſine mora clypeos illos tolleret,& tranſlati ſunt in Cæſareã maritimã,ab Auguſto proauo tuo denominatã,quò in ei ſacrato templo dedicarentur,ſic ut factũ eſt,ita conſultũ fuit & imperatoris honori,& ciuitatis antiquis moribus.tunc dicabãtur clypei nulla picti effigie, nũc coloſſea ſtatua:tunc in priuatis procuratoris ædibus,nũc(ut fertur) ponetur in intimo ſanctuario, quod ſemel quotãnis pontifex introgreditur ieiunĳ tẽpore tantũ odores incẽſurus,& ex more uota facturus, ut felix annus & pax contingat omnib.hominibus. de cætero ſiquis non dico plebeius Iudæus,ſed ſacerdos uel à ſummo proximus,imò is ipſe pontifex ſi duob.anni diebus,aut eadẽ die ter quater'ue introiuerit, capite luet abſq́ uenia.tantam religionẽ adytorũ uoluit eſſe legiſlator,ut hæc ſola inacceſſa intactaq́ ſeruarentur,q̃ multos ſacrificos putas ultro mortẽ obituros,ſi uideant importari ſtatuam?equidẽ puto illos iugulatis uxoribus & liberis poſtremo ſeipſos mactaturos ſuper domeſticorũ cadauera.Hȩc ſunt decreta Tiberĳ. Quid proauus tuus omniũ quotquot unq́ fuerunt imperatorũ optimus, primus ob uirtutẽ & fortunã Auguſtus cognominatus,qui pacẽ terra mariq́ diffudit uſq́ ad extremos orbis terminos: nónne poſtquã audiuit ab his quos de hoc tẽplo percontabatur, nullũ ibi ineſſe ſimulacrũ manufactum,quod uiſibili forma naturã inuiſibilem exprimeret, religioſe admiratus eſt: quippe qui nõ ſummis labris philoſophiã guſtauerat,ſed plerunq́ in cõuiuĳs quæ ferè quotidiana erant,memoria retractabat quæ à philoſophis didicerat, aut ex doctorũ uirorũ quos domi alebat cõſuetudine.nam cœnæ tẽpus utplurimũ tribuebatur eruditis fabulis, ut non ſolũ corpus, uerũ & anima ſuis reficeretur delicĳs. huius Auguſti proaui tui cum poſſim exempla proferre aliquot,contẽtus ero duobus.Primũ cognito q̃ ne-

gligerentur sacræ primitiæ,per literas mādauit prouinciarū Asiæ procura toribus,ut finerent Iudæos solos in synagogis cœtus facere. nō enim hæc esse Bacchanalia,uel seditiosorū cōuenticula turbādæ pacis causa:sed scho las iusticiæ tēperantiæq́;,in quibus studium uirtutis floreat: primitias ue rò quotānis conferri unde fiant sacrificia,missa in hoc sacra legatione ad tē plum Hierosolyma.dein edicit nequis sit impedimēto Iudæis cœtus colle ctas'ue facientibus,aut Hierosolyma eas mittentib.more patrio,hæc enim & si non his uerbis,in eam tamen sententiā mādata sunt per literas.subijciā exemplū unius epistolæ,quo facilius credas dn̄e, quā C. Norbanus Flac cus scribit,indicans quid ipsi Cęsar significauerit.epistolæ uerba sunt hęc: C.Norbanus Flaccus proconsul,Ephesiorū magistratibus salutem. Cęsar mihi scripsit,Iudęos ubicunq; sint,antiquo more suo cœtus facere,confer req́; pecunias quas mittant Hierosolyma.hos nō uult uetari.ideo uos cer tiores facio,me iubere ita fieri. An non hæc manifesta fides, Imperator, uoluntatis Cæsaris,q́; piè fuerit affectus erga templum nostrum,dum per mittit Iudæos in publico celebrare suos cōuentus,propter primitiarū col lationem,cæteraq́; pietatis officia? Est & aliud argumentū priore non mi nus,ex quo liquet Augusti sententia.iussit è suis ipsius reditib. offerri quo tidie uictimas rite in holocaustū altissimo deo,quæ hodieq; offeruntur:ui delicet taurus & agni duo: quas Cæsar altari destinauit, quāuis sciret ibi nullum simulacrū esse uel in occulto uel in propatulo.nihilominus tantus princeps cognitione philosophiæ nulli secundus, animaduertit necessum esse,ut in terris eximium fanum dicaretur inuisibili deo,sine ulla effigie,ubi homines cum bona spe uota faciant.hoc magistro pietatis usa proauia tua Iulia Augusta ornauit templū hoc aureis phialis & calicibus, alijsq; donis plurimis ac preciosissimis.cur tandem cum nullū ibi esset simulacrum? im becillores enim sunt mentes mulierum,& nihil nisi sensibile possunt perci pere.at illa sicut cæteris rebus totum sexum,sic hac quoq; superabat,erudi tione meditationeq; assecuta quod natura negauerat: & uirilem rationem adepta, intantum euasit perspicax, ut intelligibilia magis q́; sensibilia cer neret,& hæc umbras illorum esse censeret.Cum igitur habeas domine tot exempla domestica optimæ erga nos uoluntatis maiorum tuorum,à qui bus prognatus & ad hoc rerū fastigium euectus es,serua quæ illi ad unum omnes conseruarunt. deprecantur pro nostris legibus imperatores apud imperatorē, augusti apud augustum, aui proauiq; apud nepotem, plures apud unū,tantū non dicentes: noli decreta nostra quæ in hanc usq; diem permanserunt,facere irrita. etenim ut nihil infaustum antiquationē earum sequatur,tamen incertitudo futuri temporis nō finit securos esse uel auda cissimos,modò ne sint plane cōtemptores numinis. Si uellem enumerare quæ in me contulisti beneficia,dies me deficeret, nec opus est me id obiter facere:sed ut ego taceā,res ipsę loquūtur. exemisti me ferreis uinculis.quis nescit? obsecro Imperator ne me astringas grauiorib.illa partē premebant corporis,at hæc uereor ne totam onerent animā.impendentē mihi mortis metum depulisti,& metu præmortuū ceu rediuiuum excitasti è funere:ue lis Imperator hoc beneficium esse perpetuū,ne tuus Agrippa uitā abrum

pat.alio

pat.alioqui uidebor feruatus non ut uiuerem, sed ut nouis calamitatibus insignis morerer. donasti mihi regnum, qua forte nulla inter mortales felicior:id cum prius unam regionem nõ excederet, adiunxisti mihi mox maiorem alteram, Trachonitim & Galilæam. ergo cum superflua ditione me auxeris domine, noli adimere quæ sunt necessaria. noli productum in lucẽ clarissimam rursum in tenebras altissimas abijcere. libẽter cedo isto splendore, nec pristinam fortunam deprecor. unum peto pro cunctis cæteris, incolumitatem ritus patrij. quid enim de me loquentur uel tribules, uel uniuersi homines? alterutrũ enim sequetur, aut ut appeller meorũ proditor, aut inter tuos amicos posthac non habear: quo utrolibet quid potest esse infelicius? nam si adhuc in amicis numeror, proditionis insimulabor, si nec patriam indemnẽ, nec templũ inuiolatũ præstitero. nam uos præpotentes soletis amicorũ ad imperatoriam opem confugientium rebus consulere. quod si qua in re animo tuo molestus sum, noli me uincire ut Tiberius, sed ne toties uincula timeam, iube mox interimi. quid enim mihi uita opus est, cui spes unica salutis fuit in tua beneuolentia? Has literas obsignatas mittit Caio, & inclusus domi expectat anxius de euentu, solicitus ꝗ ne illum interpellaret parum cõmode. nam non mediocris periculi iecerat aleam, nimirum de libertate saluteꝗ non solum terram sanctam incolentiũ, uerum etiam omnium in orbe toto dispersorum Iudæorum. Ille inter legendum nunc offendebatur ꝙ cœpta non succederent, nunc flectebatur uel iure ipso causæ tam bonæ, uel adiunctis precibus: & Agrippã partim laudabat, partim incusabat. uitio uertebat ꝙ tribules suos nimis diligeret, solos contumaciter auersantes ipsius consecrationẽ: laudabat ꝙ non celaret suã sententiam. id quod aiebat indiciũ generosi animi. mitigatur igitur ut uidebatur, respondit clementius, & Agrippæ donauit ceu maximam gratiam ne fieret dedicatio: simulꝗ iussit scribi P. Petronio Syriæ præsidi, nequid in Iudæorũ templo nouaret. Ne tamen solida esset ea gratia, terrorem admiscuit sic scribens: Quod si extra unã metropolim in finitimis urbibus quicunꝗ uolentes altaria tẽpla'ue aut statuas imagines'ue mihi meisꝗ ponere uetiti fuerint, quisquis obstiterit, plectatur cõtinuo, aut ad me mittatur. Id uerò nihil aliud erat ꝗ̃ seditionũ initium bellorũꝗ ciuilium, & gratiæ quæ uidebatur concessa simpliciter, obliqua quædã abrogatio. nam aduersarij magis in odium Iudæorũ, ꝗ̃ in Caij honorẽ, repleturi putabantur totã regionẽ anathematibus: hi cõtrà uiolari suos ritus in cõspectu suo non passuri, etiamsi essent patientissimi: ut Caius si quis se moueret seuere puniens, rursum iuberet in templo dedicari statuã suam. sed diuina prouidentia iustissimi numinis factũ est, ut nemo finitimorũ quicquã moueret, occasionemꝗ præberet, quamuis ne accusatione quidẽ uel mediocri expectata imminebant casus grauissimi. At quid hæc quies profuit, dicat aliquis. nec enim Caius quiescebat cum cæteris, iam pœnitens concessę gratiæ, resuscitansꝗ pristinã concupiscentiã. nam iussit Romę fieri aliũ colossum æreũ inauratũ, omisso illo Sidonio, nequẽ motum excitaret in populo: utꝗ nauibus transportatũ per silentiũ, repente clam prius ꝗ̃ sentiretur in tẽplo poneret. id aũt facturus erat obiter, in Ægyptũ nauigans. tenebatur

batur enim miro uisendæ Alexandriæ desiderio, magna cura professionē instituens, ut ibi diu degeret, ratus consecrationē suam quā somniabat, in hac una ciuitate posse succedere, atq; inde huius religionis exemplū manaturum ad minores cęteras, propter situ eius urbis in regione opportunissima. solent enim minores uel homines uel ciuitates ad maiorum æmulationem se componere. & erat alioquin etiam inconstans ingenio, ut mox pœnitēs siquid boni fecisset, irritū infectūq; id cuperet, ut fieret molestior & nocentior. Verbi gratia, uinctos soluit aliquot, mox nihil commeritos uinxit denuo, omni spe adempta iam miserrimis. alios dānauit exilio mortem expectantes, non q consciscirent sibi capitalem culpam, aut quauis pœna dignā uel leuissima, sed ob nimiam iudicis inclementiam desperabundos. hi rati se euasisse lucro imputabāt exiliū, quo nō minus gaudebant q alij reditu in patriam. sed non multo post nihil noui molientes, insulas tanquam natale solum incolentes, ferentesq; fortiter infortuniū, submissis militibus occidit uniuersos, luctum inopinatū iu urbe afferens familijs nobilissimis. quod si quibus donauit pecuniā, postea repetebat nō ut mutuaticiam cum fœnorū fœnoribus, sed ut furtiuā cum maximo dāno eorū qui acceperant. non enim satis erat miseros donata reddere, sed omnia sua bona supererogabant, siue patrimonij hæreditatumq; iure quæsita, siue industria propria. qui uerò maxime probatos & caros ei se putabant, alio modo mulctabantur suauiter prætextu amicitiæ, ingentes sumptus faciendo in repentinas & inconsideratas profectiones atq; in conuiuia. aliquando enim facultates omnes in unā cœnā insumebantur, ita ut opus esset mutuū accipere à fœneratorib. tantū erat splendoris ac magnificentiæ. quo factū est ut quidā auersarentur eius gratias, ut nō modo inutiles, sed damnosas etiā, & inescatrices insidiosas, hæc fuit eius morū inæqualitas atq; inconstātia, præsertim erga Iudęos sibi exosos maxime, quorū proseuchas exorsus ab Alexādria sibi usurpauit, & repleuit statuis effigiē suā referentibus, nemine nō cedente ipsius autoritati atq; uiolentiæ. supererat unū sanctę ciuitatis tēplum cum iure asyli, id conabatur in suū propriū templum demutare cum titulo NOVI IOVIS ILLVSTRIS CAII. quid ais? tu cum sis homo ætherem & cælum quęris insuper, non contentus imperio tot prouinciarū, insularū, gentium? deo in terra nihil uis relinquere? nō agrū, non ciuitatē, ne fanū quidē tam modicū illi dedicatū ex oraculis, ut nec hic supersit ullū uestigiū monumentū'ue pietatis ac religionis uero deo debitæ? egregiam de te spem facis humano generi. ignoras te aperire fontes malorū cunctorū, dum moliris quæ nec facere nec cogitare fas est? Libet cōmemorare hic & illa quæ uidimus audiuimusq;, quādo ad reipublicæ nostræ causam agēdā acciti fuimus, in primo statim cōgressu cognouimus ex uultu gestuq;, pro iudice nos eum habituros accusatorē & aduersarium, iudicis em̄ officium erat sedere in optimatū consistorio, examinare causam per quadringentos annos dissimulatā, & tū primū reuocatā in dubium, ubi ageretur de tam multis Iudęorū Alexandrinorū milibus, citare horū aduersarios, uicissim partes audire ad clepsydrarū numerū, consultare cū assessoribus, palam proferre sententiā iustissimā. at ille cū herili supercilio se gessit

sit ut tyrannus inclementissimus. nam his omissis quæ modo dixi, accersit curatores duos hortorū Mæcenatis & Lamiæ, qui & inter se & urbi propinqui sunt, in quib. iam tribus quatuor'ue diebus habitauerat, ubi nobis præsentibus agenda erat totius gentis fabula. iubet uillas omnes sibi aperiri, uelle enim se singulas diligenter inspicere. tum nos introducti, ad primū conspectum eum reuerenter adorauimus, & imperatoris augustiq; appellatione salutauimus. ille resalutauit tam comiter, ut de uita, nedum de causa desperaremus. ringendo enim rogauit: Vos'ne estis illi dijs inuisi, qui me omniū confessione deum declaratū soli aspernamini, mauultisq; uestrum innominatum colere? simulq; sublatis ad cęlum manibus erupit in uocem, quam ne audire quidē fas est, nedum proloqui uerbis totidem. ac mox exorta est aduersæ partis ingens lætitia, q; hoc audito iam tum se uictores in hac causa fore ominarentur. itaq; gestiebant & exultabant præ gaudio deorum omnium acclamantes ei cognomina. his appellationibus humanam naturā excedentibus gaudētem conspicatus Isidorus sycophanta amarulentus: Magis, inquit, detestareris domine istos, eorūq; tribules, si scires eorum erga te impietatem atq; maleuolentiam. omnibus enim pro salute tua uotiuas cædentibus uictimas, isti soli non sustinuerunt sacra facere. cum dico isti, de cunctis Iudæis loquor. exclamauimus unanimiter, Domine Cai, calūnijs petimur. immolauimus hecatombas, libatoq; ad aram sanguine, carnes domum non retulimus ad epulas, ut quorundā est mos: sed integras uictimas exurendos sacro igni tradidimus, idq; ter. primum quando successisti in imperium: iterum, quādo grauem illum morbum euasisti, cui totus orbis cōdoluit: tertio, uotū pro uictoria Germanica. Esto, inquit. sacra fecistis, sed alteri, nec pro me. quid igitur prodest? mihi certa non sacrificastis. ibi nos horror peruasit hac noua uoce attonitos, qui se in cute quoq; exeruit. Ille interim uillas obibat, inspectās aulas & cōclauia, in imis ædibus & in cœnaculis, quorundā locorū reprehendēs uitia, & mandans quid mutari uellet in melius. nos uerò affectabamur eū sursum deorsum, protrusi et cauillis conuicijsq; petiti ab aduersarijs nō aliter q; histriones in scenis. nam hoc quoq; negociū erat quædā fabula. iudex personam accusatoris sumpserat. accusatores agebant nequā iudicē, simultatis nō ueritatis memorē. sub tāto aūt accusatore simul atq; iudice necessariū est silētium. nā hoc quoq; quoddā defensionis genus est, prẹsertim quando nihil ei gratū respōdere poteramus linguā cohibente ritu patrio, oriq; claustra imponente. Vbi uerò quædā mādata dedit de ædificijs, serio grauiterq; interrogauit, cur abstinetis à porcina? Ad hanc percōtationē rursus risus magnus aduersariorū exortus est, partim gaudentiū, partim ut festiuo salsoq; dicto arridentiū, et sic quoq; captantiū dominicā gratiā. adeò ut quidā è famulitio moleste ferrēt tam contēptim eos se corā principe gerere, quo præsente uel subridere periculosum sit alijs præterq; admodū familiarib. cūq; nos respondissemus, esse mores alibi alios, & aduersarijs itidē ut nobis interdictū usu rerum quarundā: alius uerò quidā subiecisset, multos ne agnina quidem uesci ubiq; parabilia: ridens ille, Recte, inquit, insuauis enim est. his nugis irridebamur ipsi anxij. Tandē nō sine stomachatione, Cupio scire, in-

re,inquit,quod ius illius ciuitatis prętēditis.Nobis uerò exorsis orationē, cum ex primo gustu intelligeret afferri quædā non contemnēda, & allatū iri uehementiora, abrupit sermonē, & cursu se in magnā aulam proripuit, obambulansq; iussit circumquaq; fenestras claudi uitro cādido,simili specularibus lapidibus,quibus lux admittitur,uētus & sol excluditur.postea nos lēto gradu accessit,& moderatius iam rogauit:Quid dicitis? nobis autem deinceps rem in compendiū contrahētibus,rursum procurrit in aliud cubiculū, ubi tabulas antiquę picturæ iubebat reponi.cumq; ad hunc modum causæ nostræ actio interrumperetur, imò frustatim cōcideretur, lassi desperantesq;, nec aliud q̃ mortē expectantes,& uix animi compotes prę anxietate,suppliciter ad uerū deū confugimus,ut nos è falso nominati dei minis eriperet: qui nos miseratus furorē eius mitigauit. itaq; deposita iam ferocia,tantū hoc prefatus:homines isti non tam mihi uidentur mali q̃ miseri,qui sibi persuaderi nō sinunt,me esse naturæ diuinæ participē,abijt,simulq; nos iussit abscedere.postquā hoc non tam iudicium,q̃ carcerem & theatrū effugimus (nam quasi in theatro exibilabamur, subsannabamur, & irridebamur supra modū: nec secus quàm in carcere cruciabamur ferebamusq; tormenta totius animæ,dum blasphemias in deū & cōtra nos cōminationes imperatoris tam potētis audiremus,unā ob rem infensi & implacabilis, q; insanæ cupiditati qua deus haberi ambiebat, solos Iudæos assensuros nō putabat,ac ne posse quidē ei subscribere) uix respirauimus: non quòd amore uitæ mortem horreremus,quam auide ut immortalitatē arripuissemus,si quid profuturā existimassemus nostris legibus : sed quòd sciremus nostrum exitium fore non solum inutile reipublicæ,uerùm ignominiosum etiam.nam legatorum infortunium solet imputari his à quibus missi sunt. ea de causa emersimus aliquando è miserijs:de cætero enim solliciti eramus,quid decreturus quid'ue pronunciaturus esset. quomodo enim poterat causam pernoscere, qui multas eius circumstantias ne audire quidem dignatus fuerat?an nō erat onerosum à nobis quinq; legatis pendere omnes Iudæos quotquot usquā habitant? si enim gratificaretur nostris inimicis,quęnam alia quiesceret ciuitas? quęnam suis inquilinis parceret? quænam proseucha relinqueretur incolumis? quænam iura seruarentur Iudæis patrio iure uiuentibus? imminebat subuersio, iactura, naufragiumq; priuilegiorum quæ gens ea habebat in singulis ciuitatibus. tot curis oppressi succumbebamus miseri.nam qui antea fauere nobis uidebantur,prorsus desperauerant.quapropter cum ad illum accerseremur,subduxerunt se præ metu,quòd bene scirent clementiam hominis gerētis se pro deo. Diximus in summa causam odij quo Caius Iudæorum nationem prosequebatur : superest ut dicamus eam qua usi sumus apud eum palinodiam.

PHILONIS IVDAEI COMMENTARIORVM *quotquot extant, per Sigismundum Gelenium nunc primùm uersorum, finis.*

ATHENAGORAE ATHENIENSIS, PHILOSOPHI CHRISTIANI, DE MORTVORVM RESVRrectione, *Petro Nannio Alcmariano Interprete.*

REVERENDISSIMO D. ANTONIO *à Granuella, Episcopo Atrebatensi, Petrus Nannius S. P. D.*



Erius quidem quàm uolebam, non tamen importunè, tibi libellum De resurrectione mortuorum offero. Paschales enim feriæ, quibus Christus resurrexit, primitiæ dormientium, solennem habent de resurrectione tractatum: adeò ut quod fortuitò factum est, consilio procuratum uideri poßit. Non iniquus igitur hac in parte sum meis istis perpetuis negocijs, quæ mihi hanc comperendinationem attulerunt: quanquàm aliàs ea satis molestè ferre soleo. Non hic me uendito de laboribus, id tantùm dico, ludum iocumq; esse cætera, præut est in philosophis uertendis operā sumere. Habent ipsi suam phrasim etiam in Græca lingua à cæteris scriptoribus diuersam, & à uulgo abhorrentem, tantum abest ut cum Latino sermone conueniant. Hinc est, quòd tam pauci philosophos transferunt, atq; inter eos qui transtulerunt, paucißimi probentur. Nobis præter ista incommoda id quoq; molestiæ fuit, quòd hic noster Athenagoras non in philosophicis rebus, sed in altißimis Christianitatis mysterijs philosophetur, ut qui eum aggrediatur, non minus cum peritißimo theologo, quàm prudentißimo philosopho negocium habeat, idq; in re grauißima, nimirum defunctorum corporum resurrectione, de qua cardo ac summa totius Christianæ religionis pendet. Nobis porrò non nisi unicum exemplar fuit, à doctißimo quidem uiro descriptum, sed tamen non paucis uitijs infectum: nec mirum, non enim meliora mihi poterat tradere, quàm in archetypo inuenerat, quod unum superesse aiunt in uniuersa Europa. Vtinam qui nostra legent, prius Græca inspiciant, ut ipsi suapte experientia cognoscant, quàm difficile sit huius philosophi linguam intelligere, atq; ubi intellexerint, ita in Latinum idioma refundere, ut nec Græcitatis peregrinitas, nec philosophicæ spinositatis asperitas appareat, sed obuium quiddam habeat & attemperatum uulgi ingenijs. Nihil mihi tale arrogo, sed me id conatum fuisse non dißimulo: Hermolaus certè ea omnia ad amußim præstitit. Hic enim philosophos aliquot cum pauculis scholasticis in diatriba murmurantes, in forum & in publicum protraxit, ac luci assuefecit. Cæterùm inter elucubrandum semper mihi laborem mitigauit recordatio tui, cogitanti id opus summo uiro desudari, cui non minus Ecclesiæ negocia, quàm Cæsarianarum rerum curæ incumbunt, & feliciter inniuntur. Non sensit faber, aut si sentit, sine animi ægritudine laßitudinem transmittit,

cùm corona principi suo excudenda eum in labore occupatum tenet. Nec Nannius eam fatigationem duram existimauit, quæ Mecœnati suo impenderetur in libello uerè aureo, & super omnium gemmarum precia æstimando. Hic enim refutantur omnia, quæ resurrectionem ambiguam faciunt. Afferuntur ea quæ incredulis hominibus uelint nolint resurrectionis fidem infigant. Non enim hic Athenagoras noster ueri similibus agit, quæ pronitatem credendi, non necessitatem habeant: sed omnia demonstrationibus communit, omnia inexpugnabilibus rationibus instruit, ut nihil habeat ceruicosa gentilitas quod opponere possit. Accipe igitur eruditissime & religiosissime præsul eum libellum, qui de basi ac fundamento totius Christianitatis felicissimè disceptat, ac Nannium, ut soles, tua propitia beneuolentia foue.

Louanij decimotertio Calendas Maias.

Anno 1541.

ATHENA-

ATHENAGORAE ATHENIENSIS, PHILOSOPHI CHRISTIANI, DE MORTVORVM RESVRrectione, *Petro Nannio Interprete.*



MNIBVS dogmatibus & rationibus, quæ ab harum rerum ueritate pendent & fulciuntur, aliquid falsi adnascitur, & cohærescit. Adnascitur autem, non ex origine & naturali ductu rerum, aut ex causis substantiæ, sed ex studio eorum, qui adulterinã semetem, ad corrumpẽdam ueritatem, in precio & ueneratione habent. Id ita esse deprehendas ex ueterum lucubrationibus, qui huic curæ operam impenderunt, dum pariter & cum prioris, & cum sui seculi hominibus dissident, imprimis autem ex ea quæ inter ipsos opinionũ tumultuatio est. Nullam enim istiusmodi homines ueritatem sine obtrectatione dimiserunt, non substantiam Dei, nõ cognitionem, non operationem, aut ea quæ istas res per seriem consequuntur. Imò nec pietatis depictricem orationem. Nã aliqui eorum planè desperant de istarum rerum ueritate. Alij pro libidine torquent: alij de manifestis dubitationem instituunt. Quamobrem puto eum qui de istis rebus disputaturus sit, duplici oratione opus habere: altera nimirùm quæ pro ueritate, altera quæ de ueritate disceptet: priore oratione aduersus incredulos & dubitantes, secunda aduersus beneuolos & ueritatis studiosos utendum existimo. Qua de causa oportet eos, qui hisce de rebus quæstionem instituere uolunt, subinde inspicere, quid res exigat, & eatenus uerba metiri, earumq; rerum ordinem necessitati adaptare: ut non dum prima quæque pro serie priori lòco constituas, decorum uioles, & necessitatis & congruitatis respectum deferas. Vt enim ad demonstrationem & naturale consequium, priora sunt ea, quæ de rebus, quàm pro rebus disputantur: ita quando ad utilitatem referuntur, priore loco ponenda ea, quæ pro rebus, quàm quæ de rebus disceptant. Neq; enim agricola aptè potest inspargere semen, nisi purgato agro à syluestri materia, eis'que quæ sementibus bonis noxam adferunt: neq; medicus infundere salutare pharmacum ægroto corpori, nisi uitiosa prius expurgarit, aut affluentem purulentiam cohibuerit: neq; qui ueritatem docet, de ueritate loquẽs, persuadere potest, dum adhuc in animis inhabitat falsa opinio, quæ ipsis ueri rationibus obsistit. Quamobrem & nos quoq; cura & respectu utilitatis, nonnunquam prius pro ueritate quàm de ueritate sermonem instituimus: id quod in præsentiarum non inutile factu uidetur, dum quod necessitas exigat, ante oculos habemus, præcipuè in oratione quæ de resurrectione corporum disputatura est. Nam & hic quoq; quosdam uidemus planè incredulos, quosdam dubitabundos, alios quoq; qui primas suppositiones, & statumina quæstionis admittunt, æquè tamen cum illis qui dubitabun-

di sunt animo incerto & ambiguo fluctuare: deinde patiuntur istam animi fluctuationē sine ulla quā ex rebus ipsis deriuare possunt dubitādi occasione. Nullam enim causam allegare possunt, saltem uerisimilē, cur aut dubitent, aut hæsitent. Id ita esse, hoc pacto cōsideres. Siquidē omnis credendi difficultas nō temerè ex futili nulliusq́ iudicij opinione nascitur, sed ex ualida causa & uerisimilitudine plurimū munita. Tum enim incredulitas rationem iustam habet, cum ipsa res de qua non creditur, quiddam incredibile continet. Nam rebus quę dubitandi causam non habent non credere, eorum hominum est, qui sano iudicio in discutiēda ueritate minimè utuntur. Decet igitur qui resurrectionem non credunt, aut ambigunt, nō ad id quod ipsis temerè apparet, aut quod nepotibus & luxuriosis opinari gratum est, sententiam suam dirigere, sed in excutienda contemplandaq́ huius dogmatis ueritate, aut nullā causam assignare hominū creationi, quod facillimum refutatu est, aut omnia creata Deo autori imputare, atque inde edocere resurrectionem ipsam nulla ex parte fidem mereri. Atqui illud facient, si ostendent Deo aut uoluntatē, aut facultatē restituendi mortui dissolutiq́ corporis deesse, ut illud rursus consolidet & couniat, ad hominis ueteris formam instaurandam. Quod si illud probare nequeant, desistant ab ista impia incredulitate & blasphematione nefaria. Verùm quòd falsa dicturi sunt, siue deū allegent non posse siue nō uelle, ex sequentib. apparebit. Impotentia enim alicuius inde deprehenditur, si aut ignoret quod faciendum sit, aut si norit, imbecillior sit uiribus, quàm ut probè efficiat. Qui enim ignorat quid faciendū, is neq́ conari, neq́ perficere quicquā potest, earum dūtaxat rerū, quarū notitiam nullā habet. Qui autē cognoscit quid faciendum sit, & quomodo, & unde id cōfici possit: uires autem aut omnino nō habet, aut non sufficientes habet ad rem exequendā, quam probè intelligit, is si sapiet, suasq́ facultates inspiciet, aut non tentabit, aut ubi incircumspectè tentauerit, sine operis destituetur. Atqui neque possibile est ut deus ignoret, uel ex parte, uel ex particula naturā corporū resurrectioni destinatorum. Neq́ enim latere potest, quò singula ex tabidis membris abierint, & quæ in se elementorum partes putrefacta receperint, & in cognatā naturam admiserint, tametsi omnino apud homines id quod rursum uniuersitati elementorum affusum est, indiscernibile uideatur & indeprehensibile. Cui enim ante cuiusq́ rei procreationem ignota non erat futurorum elementorum natura, ex quibus corpora suum ortum traxerunt, neq́ partes elementorum incognitæ fuerunt, ex quibus decerpturus erat quod placeret ad humani corporis constitutionem, abundè manifestum est neq́ eū ignoraturum, quò singula recedāt, quæ ad perfectionem operis assumpsit, ubi integritas illa dissipata fuerit. Quantum enim ad rerum nostrarum ordinem aliorumq́ negociorum diiudicationem maius est, ea quæ nondum sunt præcognoscere, quantum autem ad dei maiestatem eiusq́ sapientiam, ambo ista naturalia, & ex æquo facilia sunt, & nondum nata præcognoscere, & resoluta dinoscere. Atqui uires dei sufficere ad corporū restitutionē indicat uel ipsorū procreatio. Si em̄ corpora, cū nō essent, condidit, eorūq́ principia unde originē trahūt, procreauit, etiā quomodocūq́ dissoluta, cū

eadem facilitate instaurabit. Id enim illi æquè possibile est. Neq; inde hæc ratio labascet, siue ex materia originem rerũ deducant, siue ex elementis, ut principijs omnium corpora constituant, siue ex semine. Cuius enim est potestatis à sua cõditione informẽ materiã transformare, nullaq; figura in dutam multis & diuersis uultib. exornare, & partes elemẽtorum in unum cogere, & semen quod unum est & simplex, in multa diuidere, & quod inarticulatum est, articulis distinguere, & uitam dare rei inanimatæ: eiusdem quoq; potestatis est, & quod dissipatũ est counire, & quod iacet surrigere, & quod mortuum denuò uiuificare, & corruptibile mutare in incorruptibilitatẽ: eiusdem autoris fuerit, & eiusdem potestatis & sapientiæ, id quod discerptum est à multitudine omnigenarum bestiarum, quotquot istiusmodi corpora inuadere solent, aut inde satietatem colligere, ab ipsis separare, rursusq; adiungere suis membris & partibus, siue illa anteà in unã bestiam, siue in plures abcessere, siue inde in alias atque alias abiere, siue cũ illis ipsis extabefacta ad initiales origines rediere, prout naturali putrefactione resolui solent. Quod scilicet uiros eruditione admirabiles uisum est plurimum perturbare, qui uulgi hæsitationes nescio quo pacto ualidas graues'que arbitrati sunt. Isti aiunt multa corpora miserorum in naufragijs & fluminibus piscibus escam de se præbuisse, multa item in bello oppetentium corpora, aut ex alia asperiori causa alijsq; circumstantijs rerum, cùm sepulturam non adepta sint, feris ut quæq; fuit obuia in prædam cessisse. Corpora igitur ad eum modum absumpta, eorumq; membra, & partes unde constabant cum à multis beluis dilaniata sint, ac proinde ex coalescendi natura beluarum artubus cohæreant, impossibile esse aiunt, ut secerniculum, aut discriminationem patiantur. Præter hæc & illud secundum quod adhuc implicatius est in medium adferunt: in animalibus scilicet de pastu humanorũ artuum nutritis, cùm & ipsa uesca sint & idonea ad cibũ, ac proinde in humanos uentres ingerantur, ac cum deuorantium corpore coalescant, necessarium omnino esse, ut hominis membra, quæ prius istis animalibus in escam cessere, ad alia humana corpora transire, cùm animalia illa quæ hominum interea carnibus uictitauerunt, acceptas ex eo nutrimẽto pulpas, & thoros rursus in homines illos transmittant, à quibus deuorantur: deinde istis uerbis tragicè accumulant liberorum uel in fame, uel in insania mactatos artus, rursusq; per dolos & insidias inimicorum à parentibus deuoratos filios, simulq; & Medorum mensam, & tragicas Thyestæ epulas adijciunt, & quæcunq; uel apud Græcos, uel apud Barbaros nouo & admirãdo modo patratę sunt calamitates. Ex istis inducũt ut sibi persuadẽt impossibilẽ esse resurrectionem, cùm fieri nequeat, ut eadem membra cum alijs atq; alijs corporib. unà cõsurgant. Nã aut priora corpora cõstare nequire, cũ eò transierint mẽbra, ubi cõplementum præbent, aut si prioribus possessoribus reddantur, sequentium corpora imperfecta fore. Istiusmodi homines uidentur mihi primùm cõditoris & gubernatoris omnium nõ satis scire nec potentiam, nec sapientiam, qui singulis animalium naturis & generib. cognatã & congruentẽ adaptat alimoniã, neq; quãlibet naturã ad cuiuslibet corporis coagulationẽ & mixturã trãsire cõstituit, nec

rursus hæsitat in discriminandis rerum coalitarum partibus ac singulis rebus secundum ipsarum naturam, & agere & pati permittit, ac nonnunquã prohibet, ac omne quod uult & quò uult, & traijcit & aufert. Præter hæc neq; ijdem perspectum mihi habere uidentur, uires naturasq; tum alentiũ tum alitarum rerũ. Alioqui cognouissent, non omne quod aliũde alicui inculcatur, cibum eius naturæ cognatum & idoneum reddi. Sed quædã statim ut cõplexu uentriculi recepta sint, perire uel uomendo, uel excernendo, uel alio aliquo pacto disiiciendo, adeò ut ne paulisper quidem primam & naturalẽ sustineant concoctionem, aut ullam cũ altricib. rebus cõmixtionem. Vt igitur neq; omnino omne quod concoctum est primamq; mutationem suscepit, cum fomitibus corporis coniungitur, cùm quædam per uentrem à nutritia uirtute excernantur, quædam post secundam mutationem concoctionẽq; iecinoris secernantur, & ad alia segregentur, quæ uim nutriendi excessere, ipsa quoq; quæ in iecore mutatio est, ut nec ex toto in alimentũ cedit, sed quædam inconsuetas superfluitates excolat, ita quoq; id ipsum quod retinuit, ad membra nutrienda nonnunquam in aliud quippiam conuertit secundum uim eius quod prædominatur, aut superabundat, quod aut corrumpere sibi quod proximum est, aut in sui naturã transfundere solet. Cum multa igitur sit in omnibus animalibus naturalis differentia, ipsumq; alimentum unicuiq; generi animantium ex natura accommodetur, & cũ corpore quod inde alitur, commutetur, triplex item in animantium cibis purificatio & excolatio fiat, omnino opus est perire, & trãsmitti, quo solet, aut in aliud uerti, quicquid alienum est ab alimonia & fomite alicuius animalis, ut quod commisceri & contemplari nequeat, oporteтq; uim nutrimenti animalis naturaliter consentire, eam'que descendere per naturalia, ut sic loquar, cribra & secernicula, & expurgatam plane naturalibus illis emũdationibus, syncerissimam reddi, ut corpori addatur: quã solam si rerum uocabulis uere utaris alimoniam uoces, ut quod abiecerit omne quod alienum est, & noxium ad alendi animalis constitutionem, simulq; excusserit magnum illud infarctum & inculcatũ põdus, quo stomachus usus est ad sui repletionem, & appetentiæ remediũ. Sed hãc syncerissimã alimoniã nemo ambiget cũ corpore uniri, omnibusq; illius & mẽbris & articulis implicari & coalescere, eamq; quæ se ita non habet & cõtra naturam est, perire quidem statim si ualidiorib. corporis uiribus affundatur: perdere aũt paulatim eas corporis uires quas superarit, atq; in prauos succos & uenenatos conuertere: ut quæ nihil familiare aut amicũ alendo corpori afferat. Et huius rei maximum argumentum est, quod corpora inde uel dolor, uel periculum, uel mors inuadat, si acriori appetitu uenenatũ aliquid & alienũ à natura una cũ cibis ingurgitauerint, quod haud dubiè uniuerso corpori exitiosum est: siquidẽ quæ nutriuntur familiarib. & naturalibus reb. nutriantur, cõtrarijs aũt corrũpantur. Si igitur dissidio earũ rerũ quæ cũ natura animaliũ pugnãt, naturalis quoq; alimonia corrũpitur, eaq; neq; om̃ia quæ corpori admota fuerint, nec temerè quiduis inde ad coalescentiã carnis assumit, sed illud solũ ꝙ omni cõcoctione purificatũ, syncerũ peruenerit, ideoq; alendis mẽbris accõmodũ sese exhibuerit: euidens satis

est, nihil

est,nihil uniri innaturalium ijs animantibus,quibus is cibus & naturalis et idoneus non sit:sed uel per ipsum aluū crudum corruptumq; deijci, priusquàm in alium succū degeneret,aut cum diutius inhæserit membris uel uitium,uel morbum uix curabilem gignere,corrumpentem aut ipsam naturalem alimoniam,aut ipsam carnem alimoniæ indigam. Quod si expellatur pharmacis,aut meliori diæta,aut naturalibus uiribus superetur,non tamen sine noxa parua è corpore effluxerit,ut quod nihil paratum naturę adferat, ob coeundi coalescendiq; inhabilitatem. In summa si quis concedat inde summitti alimoniam,adijciat quoq; id usitatū esse, quanquam reuera præter naturam sit,ut digeratur, & transmutatur in aliquid uel humidum, uel siccum,uel calidum,uel frigidum,nec istis quidem cōcessis futurum est, ut inde aliquid momēti fiat resurgentium corporibus, ut inde membrorū pleniorem numerum consequantur, cum nec membrum sit corporis, nec speciem uicemq; membri exhibeat,imò nec semper permaneat cum membris alendis,aut si unà consurgat cum resurgentibus mēbris,nihil ad usum uitæ conferat,siue sit sanguis,siue pituita,siue bilis,siue spiritus. Non enim quo aliquando indiguerunt alescentia corpora, indigebunt & tunc, cum unà cum fame & corruptione, sublata fuerit necessitas sumendi nutrimēti. Iam si usq; ad creationem carnis pertingere quis fingat istiusmodi ex cibis transmutationem, ne ita quidem necessitas coget carnem recenter ex alimonia creatam,ubi accesserit ad alterius corpus:rursus ad absoluendā prioris corporis perfectionē,quasi mēbrum aliquod ipsius emigrare, eo quod caro quæ aduentitium illud ex alieno corpore assumpsit, neque perpetuo conseruet,neque ipsum illud aduentitium ibi stabile sit,quo peruenit,grauemq; in diuersum accipiat commutationem, cum tunc doloribus euanescat,nunc curis,mœroribus,laboribus,morbisq; extabescat, nunc æstus frigorisq; intemperijs non permutent se humores in carnem &adipem,adeo ut maneant corpora,quæ hos cibos sumpserūt id ipsum quod sunt. Cum istiusmodi contingant in carnis affectionibus, multo magis ea deprehendas in carne ex improprijs cibis nutrita,cum ea nunc quidem in molē succrescat,& pinguetudinem induat ex cibis assumptis, mox rursum id abijciat aliquo modo ac diminuatur, aut una ex superiorib. aut plurib. causis, quæ superius recensuimus,ita ut sola maneat ea caro,quæ colligandi,condensandi,fouendi uim habet:nimirum quæ electa sit à natura, ijsq; cibis affinis est & congenita,quibus secundū naturā uitā coadimplet,uitæq; labores sustinet.Sed neq; ut par est,excretis ijs,de quib. locuti sumus,neq; (ut concedamus)receptis:uerum ostendi potest,quod ab istis obijcitur, neq; affundi & misceri poterint humana corpora ijs corporibus, quæ sunt eiusdem speciei,siue in edendo fallantur alicuius fraude,ut sensum eius rei non percipiāt,siue spōte,uel ex fame,uel ex insania deuorādis sui generis corporib.sese cōtaminēt,nisi fortasse nos lateat esse feras humana forma præditas aut mixtis naturis cōpositas, ut partim ex hominib. partim ex beluis constēt,quales cōfingere solēt audacissimi poetarū.At quid dicā de corporib. nulli animaliū in cibū deputatis,& quę sola dignitate naturę honorē sepulchri obtinuerūt,cū opifex rerū nulli animaliū corpus cognatę formę in ci-

bum assignauerit, licet secundum naturam diuersæ speciei corporibus pascantur. Quod si ostendere possunt, humanas carnes hominibus in cibum ex instituto naturæ attributas esse, quid impedimenti erit, quo minus mutuæ nostri cædes fiant, ut in rebus à natura concessis fieri solet: atque adeo qui istud audent dicere, dilectissimorum corporibus in usum epularũ helluētur, ut magis familiaribus cibis, charissimosq́ sibi cõmanducēt. Quod si istud dictu impium, summumq́ & teterrimũ piaculum est, & supra omnes nefarios cibos & facinora detestandum, hominem humanos artus deuorare: deinde, si uerum est, non recipi à membris famelicis quod contra naturam est, ac rursus quod non recipitur pro cibo, cum illis corporibus coalescere non posse, quibus ex natura cibus nõ est. fieri non potest, ut unquam humana corpora sui generis corporibus confundantur, quibus præter naturam in cibum obtruduntur, etiam si in horum uentres ingerantur, ex aliqua perquàm acerba calamitate. Resilientia enim à ui nutritiua, eoq́ disiecta, unde primum ortum traxerũt, suis quidē primordijs uniuntur ad tēpus aliquod, inde tamen rursus discreta sapientia, & potentia illius, qui omnia temperat, singula singulis decentissime coaptabuntur, siue ea igni concremata sint, siue aquis contabuerint, siue à beluis deuorata, siue ex uiuentis adhuc corpore excisa, ante alios artus cõputruerint: coeuntia autē rursus inter se eundem locũ obsidebũt, ut eandem proportionem constitutioneq́ corporis reddant, mortuiq́ uel omnino dissipati resurrectionē, & uitam instaurent. Hæc in longum extēdere nõ est opportunum: cõfessam enim & minime cõtrouersam indicationem habent, saltem apud illos qui ferinos & beluarum ritus odio prosequuntur. Sed cum multa utilia suppetant ad præsentis negocij examinationem, primum excludi eos opto, qui ad humana opera defugiunt, eorumq́ operum artifices homines, quorum opera contrita, aut tempore cariosa, aut alia ratione perdita renouari nequeunt, deinde ex similitudine inde capta ostendere satagunt, Deum aut nolle, aut si uelit, non posse cadauer extinctum uel euanidum in integrum restituere: neque secum reputant, quod per hæc pessimè in Deũ cõtumeliosi sunt, dum inter se cõparant uires undequaq́ distātes, uel potius istarum uirium possessores, & artificialia cum naturalibus in contentionē mittant. Cum istiusmodi hominibus serio agere, culpa non uacat: stultum enim reuera est, leuibus uanisq́ contradicere: longè autem probabilius est, ac omnium uerissimũ, illud scilicet allegare, quod hominibus impossibile sit, deo possibile esse. Si uero per hæc ipsa ut probabilia, aut per omnia superius excussa, ratio demõstrat, id possibile Deo esse, satis liquet, pro impossibili habendũ nõ esse, imò neq́ id à diuina uolũtate abhorrere. Quod enim ille non uult, ideo nõ uult, uel quod iniustũ sit, uel quod indignũ sit. Porro ista iniustitia, uel deprehenditur circa illũ qui resurgit, uel circa aliũ extra ipsum. Cæterum, quod nemini omnium, quæ foris & extra ipsos resurgētes sunt, & in rerũ natura inueniũtur, iniuria fiat, manifesta res est: nõ enim intellectuales creaturæ ex hominum resurrectione iniuriam acceperint: nihil enim inde illorum essentia impeditur, neque hominum resurrectio illis, aut contumeliam aut damnũ adfert, ut quoq́ ne irrationalib. quidem,

dem,aut inanimatis irrogare uidetur. Non enim illa post resurrectionẽ superer unt: iam uero circa illud quod non est, nulla iniuria esse potest. Quod si tum ea existere fingas, ne sic quidem ullam iniuriam senserint ex hominum resurrectione. Si enim nunc cum cedunt hominum naturæ, & ad eorum adhuc miseriæ obnoxiorum usum sub iugum, atq; in omnem seruitutem adigantur, nullam tamen iniuriam patiuntur, multo minus hominibus incorruptibilibus effectis, & extra omnem inopiam, & miseriam cõstitutis, cum ipsa liberata fuerint ab omni seruitute, iniuriã patientur: neq; enĩ si loquendi facultate instructa essent, incusarent rerum opificem: quasi præter æquum infra hominum sortem collocati essent, eo quod in eiusdem resurrectionis participatum admitterentur. Quorum enim natura æqualis non est, istis, neq; eundem finem & honorem, qui iustus est, admetitur, maxime cum præter hanc rationem brutis illis & inanimatis nullus sit iustitię sensus, ac ideo nulla iniustitiæ indignatio. Cæterum ne illud quidem dici potest, quod circa ipsum hominem ex resurrectione aliqua iniuria deprehendatur. Hic enim ut ex anima & corpore cõponitur, ita in neutram partem uel in corpus, uel in animam iniuriam accipit: neq; sapiens animam iniuriam pati dicet, ideo quod hoc modo non eam rationem uitæ retincat, in qua iam in præsentia agit. Si enim nunc in corruptibili & in patibili corpore habitans, nulla iniuria afficitur, multo minus in incorruptibili & in impatibili habitans, iniuria afficietur, imò neq; corpus iniuriã sentit: si enim nũc ipsum corruptibile incorruptibilis animæ contubernio coniunctum nullam inde iniuriam accipit, multo minus tum accipiet, cum utrinq; ambo incorruptibilia erunt. Porrò neq; illud dici potest, corpora resoluta in integrum restitui, rem esse indignam Deo. Si enim quod deterius est, morta le scilicet & patibile corpus condere, non indignum Deo uisum est, multo minus indignum erit quod præstantius est, & immortalitate, & impatibilitate donatum, in rerum naturam producere. Quod si per ea quæ prima ex natura sunt, ea'que quæ hic consequio adhærent, singula quæ in quæstione erant, explicata & ostensa sunt, satis manifestum est, restitutionẽ corporum extinctorum talem esse, quæ digna sit Deo, & quam uclit & possit efficere. Per hæc enim demonstrata est falsitas contrariorum, & absurditas non credentium. Quid enim opus est dicere de singulorum, & ad singula reciproca similitudine mutua'q; inter ipsa cohærentia & congruitate, quasi ea aliqua diuersitate discreta essent, ac non liceat dicere, id quod possibile sit, idem esse uoluntarium, & quod Deo uoluntarium, idem omnino esse possibile. Cæterum quod alia est disputatio de ueritate, alia pro ueritate, in superiorib. utcunq; dictũ est, nec non quib. discriminibus altera ab altera differat, & quando, & apud quos utilitatem habeat. Nihil tamẽ impediet cõmunis securitatis causa, feriei'q; gratia, quo dicta cũ dicẽdis cohæreat, ab illis ipsis, ijsq; affinib. denuo exordiũ facere: decet enĩ hoc secundũ naturam principatũ habere, illud autẽ satellitis uice principi suo uiam facere, & preuio cursu oĩa impedimẽta & prærupta tollere. Nã disputatio de ueritate cũ necessaria sit omnib. hominib. & ad tutelã, & ad salutẽ princeps cõsistit, & natura, & ordine, & ueritate: natura quidẽ, ut quę rerum cognitionẽ adiuuet:

adiuuet:ordine,ut quæ in istis & simul cum istis existat, quorum iudicium & notitiam promit, utilitate uerò, quia cognoscentibus & addiscentibus ipsam, tutelam simul & salutem conciliet. Disputatio autem pro ueritate, natura & potentia inferior est, minus enim est falsitatem redarguere, quàm ueritatem stabilire: ordine quoque posterior est. Nam contra falsa opinantes uim suam exercet, falsa autem opinio, ex secunda quasi semente & corruptione agnascitur. Verum quanquam ambo se ita habeant, præponitur subinde illa & utilior existit, ut quæ tollat & præpurget obturbantem incredulitatem, uel recẽtem dubitationem, uel falsam opinionem. Ad unum tamen ambæ referuntur finem: tendunt enim ad pietatem, tum ista quæ falsum reuincit, tum illa quæ ueritatem corroborat, non tamen omnino idem sunt, nam ista necessaria est, ut dixi, omnibus credentibus, ijsq́ue qui ueritatis propriæq́ue salutis curam gerunt: illa nonnunquam quibusdam in rebus, & apud quosdam fructuosior est. Hæc quidem summatim dicta sunt, ad memoriam superiorum uerborum seruandam. Nunc autem ad propositum redeundum, ostendendum'que, uera esse quæ de resurrectione dicuntur, idq́ue ex ea causa, secundum quam, & per quam primus homo eiusq́ue posteri nati sunt, etsi non eodem modo creati sunt. Deinde ex communi hominum omnium quatenus homines sunt, natura. Deinde ex conditoris super illos iudicio, quod de illis faciet, prout uixerint, quod iudicium nemo dubitauerit, quin iustissimum futurum sit. Causæ autem ratio in hoc consistit, ut exploremus, utrum temere & frustra homo, an ob aliquam rationẽ factus sit. Si ob aliquam rationem, utrum ut uiueret perseueraretq́ue in sua ad quam ex natura genitus erat uita, an ut aliquem usum alicui de se præstaret. Quod si ob usum aliquem creatus sit, rursus an ob conditoris utilitatem, an alterius rei quæ ad conditorem pertinet, eiq́ue maiori curæ est, quàm homo. Hic quidem etiam uulgari & simplici indagatione in rebus contemplandis utentes, inuenimus, quod quicunq́ue mentis compos est, & rationali iudicio ad agendum mouetur, nihil eorum quæ ex proposito destinat, temere facit: aut enim id instituit sui ipsius gratia, aut alterius cui studet, aut ipsius rei quam fecit amore & propensitate naturali inductus: ueluti (adhibebimus enim similitudinẽ, ut propositum nostrum euidens fiat) ædificat homo domũ, idq́ue ob suum ipsius usum, construit item camelis alijsq́ue animalibus, quorũ ope indiget, congruens tectum, non ad suum usum ut uidetur, quanquam extremus finis ad ipsum referatur, sed secundũ continuam & proximam causam, ad usum illorum quorum curam gerit. Liberos autem creat, nõ ob propriũ suũ usum, nõ ob usum alicuius suorũ, sed ut sint, & superstites maneant, qui ab eo creati fuerint, quatenus liceat, & possibile sit, suæ morti nepotũ successione remediũ adhibens, & hactenus sese credens mortalitatẽ exuere. Cæterũ ista quidẽ ad istum modum ab illis fiunt. Deus uero nec hominẽ temere cõdiderit, cũ sit sapiẽs, sapiẽtis em̃ opus nullũ temerariũ, neq́ue ob suũ usum & necessitatẽ: nullius em̃ indiget: quod autẽ omnino nullius indiget, nullũ usum captat ex reb. à se creatis, neq́ue ad gratiã ullius suorũ operũ hominẽ fecerit: nihil em̃ eorum quod ratione & iudicio utitur, siue id magnum siue paruum sit, creatum est, aut creabitur ad

alterius

alterius usum. Illa enim tantummodo creantur ad suam ipsorum uitam incolumitatemq;. Neq; ratio inuenit aliquem alium usum, cur homines gignãtur, quandoquidẽ immortales extra omnem indigentiã cõstituti fint, nullamq; opẽ ex hominib. ad tutelã suæ naturæ requirãt, bruta omnia sub iecta sint, singulaq; sui usum hominib. ad quem nata sunt de se præbeant. Nõ autẽ ex natura hominib. utantur: fas eñ neq; est, neq; fuit, imperatricẽ & dominatricem creaturam deijcere ad usum inferiorum, aut quod rationabile est, irrationalibus ad imperium inidoneis subiugare. Quamobrem si neq; sine causa, neq; temere, aut frustra creatus est homo, nihil enim quãtum ad Dei intentionem inter opera eius temerarium, neq; item ob conditoris aut rerum cõditoris utilitatem, satis liquet, quod inspectu primariæ & uniuersalis rationis hominem Deus creauerit, ob seipsum suamq; & bonitatem & sapientiam, quam facile in omnibus creat's perspicias: quod si propinquiorem cohærentemq; ipsis creatis hominibus causam explores, deprehendes ideo hominem natum esse, ut uiueret. Non autem uita eiusmodi, quæ paulisper calesceret, mox deinde in perpetuum extingueretur. Reptilib. enim existimo, uolucribus item & natatilibus istiusmodi uitam attribuit Deus: illis autem qui illius imaginem in seipsis circũferunt, unaq; cum ea mentem rerum creatricẽ possidẽt, iudicijsq; rationis instructi sunt, perpetuam diuturnitatem assignauit conditor, ut suo creatore cognito, eiusq; potentiam & sapientiam legibus iustitiaq; imitãtes, unà cum illis uirtutibus feliciter in æternitate perennẽt, quibus superiorem uitam cum adhuc incorruptibilibus & terrenis corporibus agerent, corroborauerunt. Quæ enim alterius gratia condita sunt, deficientibus illis, quorum gratia condita sunt, merito & ipsa deficiunt, neq; frustra permanserint, quoniam non est in rebus à Deo creatis frustraneæ ociositatis locus. Quæ uero ideo creata sunt, ut sint & uiuant, ipsa hac causa cum natura eorum cohærẽte & implicita cum ea solummodo id exigat, & requirat ut sint, fieri non potest, ut unquam in se ullam uim admittant, qua prorsus extinguantur. Porro cũ ista causa ex perpetua essendi ratione intelligatur, in eoq; consistat, necessum est, incolume manere illud animal, quod ita natum fuerit, agereq; & pati quæ ipsius naturæ sunt, ambab. illis reb. unde cõstat, quod suũ est in medium conferẽtibus, ita ut anima existat & permaneat æquabiliter in sua, in qua genita est, natura: est enim illa genita ut moderaretur affectib. corporis, ac quicquid inciderit, decentibus iudicijs æstimet, & mensuris cõgruis demetiatur: corpus uero se moueat ad ea quę sibi naturalia sunt, easq; recipiat mutationes, quæ illi à natura attributæ sunt, & inter reliquas sui euariationes, quæ illi in ætate, forma, magnitudine obueniũt, etiã resurrectionẽ admittat. Resurrectio eñ species quædã euariationis, eaq; extrema, nec nõ & illa immutatio in melius, quę tum futura est in superstitum corporibus. De istis rebus tam certi quàm de illis sumus, quæ iam contigerunt perpensa'que nostra ipsorum natura, & uitam istam indigam corruptibilem'que non ægre ferimus, ut præsenti seculo congruam, & perpetuitatem æui synceram à corruptione firmissime speramus, quam non ex hominum commentis effingimus, mendaci spe nosmetipsos lactantes, sed minime uanæ locuple-

locupletiq́ teſti nimirum conditoris ipſius rationi & inſtituto credimus, ſecundum quod hominem ex anima immortali, & corpore fecit, quemq́ & mente & æquitate ingenita ad conſeruationem & tutelam ſuorum donorum, nec non eorum quæ prudenti uitæ & rationali animę congruunt, inſtruxit. Vnde ſatis exploratum habemus, quòd iſtiuſmodi animal non ita inſtituiſſet, neq́ omnibus ad perpetuam durabilitatem idoneis inſtruxiſſet, ſi non id quod ita creatum eſſet, perdurare uoluiſſet. Si igitur uniuerſitatis opifex hominem fecit, ut prudentia in agendo uteretur, & ut factus ſpectator magnificentiæ ſuæ, eiusq́ quam ubique exhibuit ſapientiæ, unà cum horum contemplatione permaneret, idq́ ſecundum propoſitum & uoluntatem ipſius, naturamq́ quam illi ingenerauit, certè creationis cauſa cõfirmat, credibilemq́ facit æternam perdurabilitatem: perdurabilitas uerò reſurrectionem, ſine qua homo perdurare nequiuerit. Ex prædictis uerò manifeſtarium eſt, nimirum ex cauſa naſcendi, creatorisq́ uoluntate reſurrectionem declarari. Cùm igitur talis ſit cauſa, cur in hunc mundum homo introductus ſit, conſentaneum iam fuerit, ut ea diſpiciamus, quæ naturali ordine ſuperiores rationes conſequuntur. Sequitur enim penſitato & excuſſo negocio, creãdi cauſam creatorum hominum natura, creatorumq́ hominum naturam creatoris ſuper ipſis iuſtum iudicium, & poſt iſta omnia, uiuendi finis. Explicatis autem ſuperioribus, explicanda iam deinceps hominum natura, idq́ uel per ueras opiniones, uel qualeſcunq́ tandem inquiſitiones. Demõſtratio illa minimè erroneam dictis fidem adſtruit, quæ non forinſecus alicunde exordium habet, aut ex aliquorum opinionibus aut placitis cooritur: ſed quæ ex communi intellectu ſurgit, aut ex poſteriorum ad priora conſequio elicitur. Eſt enim illa uel de primis placitis, uel de ĳs quæ ſola admonitione naturalem intellectum commonent & expergefaciunt, uel quæ naturaliter primis in comitatu adhærent, naturalisq́ cõſequentiæ ſunt: oportetq́ huius ordinis demõſtratorem declarare, quid prima aut ſuperiora reuera conſequatur, ut neq́ ueritatem, neq́ ex ueritate natam aſſertionem, negligenter tractet, neq́ ea quæ natura diſcreta ſunt, confundat, aut naturalem ſeriem diſſipet. Quamobrem conuenire arbitror illos, qui propoſito argumento ſtudent, prudenter dĳudicare uolunt, an humanorum corporum reſurrectio fiat, primum diſpicere rectè uim eorum, quæ hanc demõſtrationem collatis quaſi partibus conficiunt, & quẽ quæque locum obtineant, & quid inter iſta primum uel ſecundum uel tertium ſit, & quid deniq́ ultimo ordine conſiſtat: in iſtis digerendis proponi decet cauſam illam, cur homo creatus ſit, hoc eſt, ipſius creatoris mentem ſiue deſtinationem, ob quam hominem condendum ſuſcepit: hinc rurſus congruenter conferenda & coaptanda eſt hominum natura, ut quæ ordine ſecundam ſedem obtineat, tum quia nõ ſimul de utraq́ iudicari poteſt, tum quia ambæ coexiſtunt, & ad præſens inſtitutum idem momentum adferunt. tum quia per iſtas ut principes primariasq́ atq́ ex ipſo opificio Dei ortum trahentes, euidenter reſurrectio oſtendatur: nihilominus tamen & per prudentiæ rationem huius rei fidem colligere licet. Prudentiæ rationem in hoc conſiſtere dico, ut præmia ſuppliciaq́ ex iuſto iudicio cuique

homi-

hominum pro meritis attribuantur, finisq; ipsorum uitæ respondeat. Multi enim qui de resurrectione disputationem susceperunt, solo eo quod tertium est omne negocium conficere tentauerunt, arbitrantes causam resurgendi hominis propter iudicium fieri. Illud aūt perspicue falsum ostenditur, eo q omnes quidem resurgant, nō omnes tamen resurgentes iudicentur. Si em̄ sola iudicij iustitia causa resurrectionis esset, necessum uidelicet esset, eos qui nihil peccarunt, aut qui præclaras res in uita gesserunt, resurrectionis expertes esse: itidem & eos, qui in prima ætate uitam finierunt, quod & ipsi quoque æquum censent, ut non ob iudicium resurrectio fiat secundum primariam rationem, sed ob destinationem propositumq; conditoris, conditicq; naturam. Cæterum cum sufficiat, uel una causa gignendi hominis, si inspiciatur, ad probandam resurrectionem, quæ naturali ductu rationum corpora dissoluta consequitur, æquum tamen fortasse fuerit, nihil eorum refugere, quæ proposuimus, & cohærenti ordine per seriē uires efficaciasq; rationum, deinde consequentium explicare, in gratiam eorum hominū, qui ista suopte ingenio perspicere nequeunt: & inter reliqua hominum creatorum naturam exponere, quod ipsum ad eiusdem rei intelligentiam ducit, & tantundem fidei resurrectioni astruit. Si enim uniuersa hominum natura ex anima immortali, & corpore pro ipsius creatione attemperato consistit, neque animæ per se, neq; corpori seorsum Deus istiusmodi aut ortum, aut uitam attribuit, sed hominibus integris, qui istis ambobus componerentur, ut ijsdem illis partibus quibus ortum uitamq; acceperint, in uiuendo utentes ad eundem communemq; finem & præmium peruenirent, necessarium omnino est, cùm unum ex istis ambabus partibus animal conficiatur, quod & omnibus animi corporisq; affectionibus imbuatur, paritercq; & agat, & faciat, quæcunq; uel sensuum, uel rationis iudicium requirunt, ad unum finem referri omnem istarum rerum seriem, ut omnia, & per omnia, tum ortus hominis, tū natura hominis, tum uita hominis, tum quicquid egit, uel passus est, tum finis naturæ congruens ad unam harmoniam, eandemq; sympathiam decurrant. Si uerò unus est concetus siue harmonia cuiusq; animalis, ac sympathia siue cōmunio affectionum, tum earum quæ ex anima originem trahunt, tum earum quæ ex corpore proueniunt, unum in istis omnibus finem & præmium manere oportet: unus aūt reuera finis erit, cum idem animal ex suis partibus constiterit, quod ipsius finis gratia futurū est: idem uerò animal sinceriter extabit, cum eadem illa ei adfuerint, partesq; illæ restitutæ fuerint, quibus eius integritas absoluitur. Eadem porrò secundum propriam unitionem erūt, cum dissoluta & dissipata rursus coierint ad conflationem & compositionem eiusdem animalis. Cæterum eorundem hominum instauratio necessario cōsequi ostendit corporum defunctorum resurrectionem: siue enim illa eædem partes inter se naturaliter uniri nequeant, aut ijdem homines restitui, aut in pristinam naturā redire. Quòd si mens & ratio datæ sunt hominibus ad iudicationem non intelligibilium modo substantiarum, sed sapientiæ quoq; eius iustitiæ & bonitatis qui ista dedit, necessum est permanentibus ijs quorum gratia rationalis iudicatio data est, & ipsam quoque

permanere iudicationem, quæ iſtis diſcernendis attributa eſt. Hanc autem permanere, impoſsibile eſt, niſi ea natura permaneāt, quę illam intra ſedem ſuam recipit, & fouet: qui autem mentem & rationem intra ſe recipit, homo eſt, non anima per ſe: hominem igitur oportet utroq; conſtantem in perpetuum permanere: hunc autem impoſsibile eſt permanere, niſi reſurgat: niſi enim intercedat reſurrectio, nequaquam permanſerit hominum natura: hominum porrò natura non permanente, fruſtra anima attemperata fuit corporis indigentiæ, eiusq; accidentijs & affectionibus. Fruſtra quoq; corpus alligatum eſt, habenis animæ cedens, & frena patiens, ut quę appetit, adipiſcatur: fruſtra mens, fruſtra prudentia, fruſtra iuſtitię obſeruatio, & uirtutis cum ſuis exercitatio, legumq; inſtitutio ac diſpoſitio, & ut ſummatim dicam, quicquid in hominibus & per homines pulchrum eſt. Imò quod magis eſt, ipſa hominum procreatio et natura fruſtranea eſt. Quòd ſi undique ab omnibus operibus dei, & ab illius muneribus excluſa eſt fruſtraneitas, neceſſarium eſt omnino cum animæ immortalitate coæternam eſſe corporis perdurationem ſecundum ſuam naturam. Nemo admiretur, quòd uitam morte & corruptione interſciſſam perdurationem appellamus, qui non immemores ſumus, non ſimplicem eſſe huius uocabuli rationem, neque unum eſſe perdurandi modum: nec mirum, cum non una ſit rerum perdurantium natura, unumquodq; enim pro ſua natura perdurationem habet, non inueneris in purè incorruptibilibus & immortalibus parem iſtiuſmodi perdurationem, eò quòd ſubſtantiæ ſublimiorum non coæquentur cum inferioribus. Neque in hominibus par eſt iſtiuſmodi æqualem ſibi, & ſine ulla uarietate diſtinctam perdurationē requirere, ut in illis qui ab initio immortales creati ſint, & ſolo inſtituto creatoris ſine fine perdurēt: ſed quod ſecundū animā ex creatione habeant ſine ulla uiciſsitudine uariationis perdurationem: ſecundum corpus uerò ex ipſa immutatione immortalitatem capiant, hoc enim reſurrectionis ratio deſiderat, eoq; reſpicientes diſſolutionem corporis, ut ſequentem hanc uitam inopem & corruptibilem expectamus, & poſtmodum incorruptibilem ſperamus perdurationem: neque cum brutis noſtrum finem, neque cum immortalium perduratione æquiparantes, ne per imprudentiam hac in parte hominum naturam & uitam adæquemus, quibus minimè conuenit. Non igitur ſtomachandū eſt ſi qua inæqualitas ſpectetur circa hominum perdurationem: neq; ubi ſegregatio animę à corporis membris et partim diſſolutio continuam interſecat uitam, deſperare oportet de reſurrectione. Neque enim poſtquam ſenſualem uitam interſcindere uidentur, in quiete oborientes naturaliter ſopitiones ſenſuum, nec non & naturalium uirium, idq; ad certa temporis interualla dormientibus hominibus, & quodammodo reuiuiſcentibus illud ipſum recuſamus uitam ducere: qua de cauſa exiſtimo nonnullos ſomnium fratrem mortis appellitare, non quòd genus utriuſq; indicare uelint, quaſi ex ijſdem maioribus & parentibus ſint nati: ſed quòd ſimilia accidant ſopitis & defunctis, ratione quietis ocioq; ſenſuum, quum nihil intelligunt de rebus præſentibus, aut quæ tum fiant, imò nec ſeipſos eſſe, aut uiuere ſentiāt. Si igitur humanam

uitam

uitam tanta inęqualitate à natiuitate ipsa usq; ad dissolutionē refertam & interruptam omnibus illis, quæ superius enarrauimus, non detrectamus uitam dicere, neq; ultra dissolutionem constitutam uitam, quæ unà secum resurrectionē inducit desperare debemus, tametsi aliquandiu interscindatur ipsius animę à corpore recessu. Ipsa enim hominum natura primitus & secundum iustitutum creatoris coattributam possidens inęqualitatem, inæqualem uitam & permansionem habet, nūc somno, nunc morte interstinctam, singulisq; ætatū euariationibus, ita ut non appareant euidenter prima, cùm posteriora superuenerint. Quis enim crederet, nisi rerū experimentis doceretur, in similari & molli semine tot & tantas uires esse repositas: aut quæ isthinc surgit & compingitur, tantam molium ac magnitudinum diuersitatem latere, ossium, inquam, neruorum & cartilaginum, itidem & musculorum, & carnium, & uiscerum, reliquarumq; corporis partium: neque enim in liquidis adhuc seminibus quicquam tale uideas: neque in infantulis apparent, quæ adulescentibus accrescunt: aut in adulescentia, ea, quæ uirilis ætas possidet, eminent: aut rursus in uirili ætate, quæ senectus habet. Cæterum etsi ex supradictis quædā nullo modo, quædam obscuriter naturalem uicissitudinem hominibusq; superuenientes uarietates indicant, sciunt tamē nihilominus qui malitia aut ignauia occæcati nō sunt, quid de istis rebus iudicandum sit: primū enim requiritur ut semina spargantur, ea ubi in mēbra & articulos distincta fuerint, ac fœtus iam effecti in lucem prodierunt, accipiunt in prima ætate proceritatem: post proceritatem, totius corporis absolutam perfectitudinem: postmodum succedit naturali uirium declinatio, quæ se usq; ad extremum senium extendit: tum demum defectis corporibus dissolutio superuenit. Quemadmodum igitur in hoc negocio neq; semē ulla imagine aut similitudine hominis uel uitam uel formam ostendit, neq; uita dissolutionem illam præiudicat, qua se compago in prima elementa disparsura est, series tamen ductusq; naturalium euentuum fidem conciliat ijs, quæ pro sua apparentia, & uultu nullam fidem admittere uidentur: ita quoq; multò magis ratio indagine naturalis consequentię ueritatem inuestigans resurrectionē corroborat, quę multò certior est, quàm experientia ad comprobationem eorū dictorum, quibus paulò ante fidem resurrectioni conati sumus astruere, idq; ideò, quia omnes cōgeneres sumus, ut eodē exordio nati, exordiū enim nobis ex primorum hominum procreatione, quos deus cōdidit. Sed alij ex ipso unde nati sunt exordio ad fidem corroborātur, alij ducem naturam hominumq; uitā sequentes ex diuina aduersus nos prudētia fidem capiūt. Causa enim secundum quam & ob quam nati sunt homines coniuncta naturæ hominum ex opificio conditi hominis uim suam obtinet. Cęterum iustitię ratio, secundum quam iudicabit deus homines uel bonæ uel malæ uitæ, ex horum fine uires trahit, inde enim nascuntur: pendet tamen magis ex prouidentia. Cùm igitur ostensa & probata sint à nobis quantū licuit, quę primi ordinis erāt, ostendamus quoq; quæ deinde sequuntur: loquor aūt de præmio uel supplicio, quod pro meritis cuiq; hominum ex iusto iudicio attribuetur, et de fine qui ad humanā uitā correspondebit: uerum id ita

fiat, ut ea præcedant, quæ naturaliter prioris loci sunt: primumq; tractemus de iudicij ratione, quæ uerba idcirco loquimur, quòd nobis curæ est fundamentum ordoq; institutæ disputationis, & quòd oporteat eos, qui deum admittunt ut conditorem huius uniuersitatis, illius ipsius sapientiæ & iustitiæ attribuere omnium rerum custodiam & procurationem, si modo fundamento constituto ac principijs semel admissis inhærere uelint. Porrò cum huius opinionis sint, æquum est, ut nihil existiment neq; terrestrium, neq; cælestium rerũ cura & prouidẽtia destitutũ esse: sed in omnia æquè, tum quæ in aperto sunt, tum quæ latent, in magna item & parua penetrare creatoris solicitudinem: omnia em̃ quę sunt, creatoris sui prouidentia indigent: peculiariter autem unumquodq; pro sui natura, & ad quod conditum est. Non enim existimo ambitiose singulatim explicandum & diuisionibus distinguendum, quid cuiq; naturę conueniat: homo certè de quo sermo institutus est, ut famelicus alimento opus habet, ut mortalis prolis successione, ut rationalis iudicio. Indiget autem iudicio ut legitimè ad uictum & successionem incumbat. Necessum est aũt uictu & successione ad id quod utroq; compositum est pertinente, ad illud idem quoq; iudicium pertinere: uoco autem utroq; compositum, hominem ex anima & corpore constantem, atq; istiusmodi hominẽ omniũ quæ agit, reũ fieri, ut pro illis uel præmium, uel supplicium recipiat. Quod si contra id quod utroq; compositum est, pro factis ipsius sentẽtia iusti iudicij profertur, fieri non potest, ut anima sola talionem referat eorum, quę cum corpore gessit. Nam ipsa per se non tangitur peccatis, quæ per uoluptates corporales uel cibos uel cultus perpetrantur: neq; item corpus talionem referre oportet, ut quod legum & iudicij discrimen non sentiat, sed homo qui istis constat pro unoquoq; facto iudicium accipere debet. Id autem in hac uita contingere nulla ratione deprehendas, non enim id in præsenti uita legitimè obseruatur, cùm multos uideamus impios & omnis iniquitatis studiosos usq; ad mortem malorum expertes persistere: eos uerò qui omni uirtute spectati sunt, in ferẽdis doloribus, uexationibus, calumnijs, contumelijs, ac omni genere afflictionis uitam absumere: neq; item post mortem deprehendere id queas. non enim iam superest id quod ex utroq; constat, cùm & anima separata sit à corpore, ipsumq; corpus rursum dissipatũ sit in ea, ex quibus congestum fuit, nihilq; iam supersit, quod uel ueterem formam, uel naturam, imò ne memoriam quidem eorum quæ acta sunt, retineat: liquet igitur id quod sequitur, nimirum quòd oportet secundum Apostolũ, corruptibile istud dissipatũ induere incorruptionẽ, ut uiuificatis resurrectione mortuis, ac rursus unitis, quæ disiecta erant, aut penitus consumpta, unusquisq; referat iustè ea, quæ per corpus gessit, siue bona, siue mala. Aduersus illos igitur, qui prouidentiã admittunt, & eadẽ principia & fundamenta nobiscum recipiunt, deinde à suis institutis & receptis opinionibus, nescio quo pacto excidunt & deficiunt, istiusmodi uerbis alijsque multò uberioribus uti possis, si quidem ea dilatare uelis, quæ breuiter & in transcursu dicta sunt: aduersus illos autem, qui de ipsis principijs cõtrouersiam mouent, rectũ fuerit aliud ante ista principium & quasi fundamen-

fundamentum statuere, ut interim dubitabilia fingamus & quæstionibus exploranda, de quibus ipsi hæsitamus, hominum uidelicet hominum uita mores'que neglectui dati sint, ac crassæ terrarum umbræ obfundātur, quæ ignorantia & silentio inuoluunt tum ipsos homines, tum eorū acta. An quod multò certius est, existimandum, creatorem creatis rebus præsidere, omniumq; quæ sunt & fiunt, obseruatorem factorum simul & cogitātionum iudicem esse. Si enim nulla usquam de hominum facinoribus censura, nihil supra bruta posidebunt homines: quinimò ijs ipsis infelicius agent, qui affectus suos in seruitutem redigunt, & pietatem, iustitiam, aliasq; uirtutes curæ habent: pecuina contrà uita & feralis optima censenda est, uirtus è diuerso stolida res, iudicij minæ ingens ridiculum, uoluptatem colere summum bonum, commune item placitum habendum est omnium & præcipua lex, id quod nequam & luxuriosis plausibile est, comedamus & bibamus, cras enim morimur. Istiusmodi enim uitæ finis non uoluptas est secundum nonnullos, sed sentiendi plena uacuitas. Quod si est creatori hominum suarum creaturarum cura aliqua, & instabit ullo in tempore bonorū & malorū facinorū dijudicatio, siue dū in præsenti uita uel bene uel male agunt, siue post mortem, dum in dissolutione & separatione consistunt. Verum neutro pacto inuenias iustum iudicium seruari posse. Non enim boni in præsenti uita præmia uirtutis referunt, neque item mali pœnas scelerum, ut omittam interea quòd incolumi natura in qua nunc sumus, ne posit quidem mortalis natura parem sceleribus aut multis grauibus talionem sustinere: cùm enim innumeras hominum cædes alias super alias accumulat uel latro, uel princeps aut tyrannus aliquis, fieri non potest, ut una morte culpas suas expiet: cùm item qui nihil ueri de deo sensit, & in omni libidine & blasphemia uixit, diuina omnia despexit, leges perfregit, nec non & in fœminas & pueros stupris lasciuijt, urbes iniustè excidit, domos unà cum suis incolis combusit, prouinciam euastauit, populos & gentes, imò integras nationes internecione deleuit: quomodo in hoc corruptibili corpore ad talionis pœnam sufficerit, præcurrente morte debitos cruciatus, & ne ad unum quidem scelus luendum suppeditante mortali hac natura. Non igitur in presenti uita iudicium pro dignitate & merito cuiusque ostendi potest, neque post mortem, siquidem illa est totius uitę in solidum extinctio, perdita cum corpore anima, simulq; putrefacta. Aut manet quidem per se indissolubilis anima, indissipabilis, incorruptibilis'que, sed corpus dissoluitur, nullam ulterius memoriam factorum seruans, aut accidentium sibi sensum. Extincta enim omnino hominum uita, nullus apparet hominum respectus aut cura, neq; ullum de bene aut male factis iudicium destinatum uidetur: ingruet aūt denuo & inundabit, quicquid est exlegis uitę, reliquæq; absurditates, quas istiusmodi uita quasi comitum, examen secum trahit, & una cum ipsis impietas dei negatrix, quæ princeps & caput est eius uitæ, in qua sine lege uiuitur. Quòd si corrumpatur corpus, & ad cognata sua ut quodq; dissolutū est, elemēta recedat, maneat autem per se anima ut incorrupta, ne ita quidem locus erit iudicandæ animæ, cùm non affutura sit iustitia. Nefas autem est suspicari ex deo & à

Philo LI 3 deo

re: hominis enim es[...] uirtutes quaecunque uirtutes sunt, persentiscimus: ut itidem & [...]ia u[...]tutibus con[...]tia non animae separatae à corpore, & per se existentis d[...]t dicamus: supplicia tamen & praemia istorum ad solas animas referre [...]. Aut qui quaeso sentias solius animae fortitudinem, aut tolerantiam esse, quae nec mortem, nec uulnera, nec mutilationem, nec damnum, nec contumeliosam tractationem exhorret, neque eos, qui inde proueniunt, uel dolores, uel miserias. Aut qui rursum temperantiam uel prudentiam intelligas, ubi nulla appetentia animum ad cibum, concubitum, alias'ue uoluptates & oblectationes trahit, nihilque uel intus obturbet, uel foris irritet. Aut qui denique prudentiam imaginaueris, cùm materia rerum eligendarum & fugiendarum ad animas non spectet, quum materia delectus in rebus agendis animae non subijciatur, uel potius nullus ei insit motus, aut naturalis impetus ad res agendas. Vbi autem omnino inter animas congruens iustitia siue res cognatas, siue externas respicias, aut unde, aut quibus, aut quomodo tribuent id quod aequum est, uel secundum dignitatem cuiusque, uel secundum proportionem, nihil profecto tale est, si excipias honorem deo ab illis impartiendum, cùm neque impetum, aut motum habeant, ut uel suis utantur, uel ab alienis abstineant, cùm usus abstinentiaque in illis cernatur, quibus istiusmodi res ex natura necessariae sunt, anima contrà ita nata sit, ut nihil horum requirat: atque inde est, quòd in re ita ingeniata propriam membrorum functionē deprehēdere nequeas. Quin illud quoque absurdissimum, leges conditas ad homines referri, poenam legum ad solas animas retorqueri. Si enim qui leges recepit, iure etiam receperit uiolatarum legum mulctas: leges autem re[...]pit homo non anima sola, aequum est hominem delictorum poenas [...]uere, non animam solam. Quandoquidem non animabus praecepit De[...]s, ut ab illicitis abstinerent, utpote adulterijs, caedibus, furtis, rapinis, & [...]eglectu parentum, & ab omni noxia, & iniusta alienae rei concupiscentia. Non enim praeceptum, Honora patrem & matrem, animabus competit, cùm ad eas istiusmodi nomina non pertineant: non enim anima animā gignit, ut inde sibi uindicet nomen parentis: sed homo hominē. Neque item, Ne adulterium facias, de animis, aut dici aptè, aut intelligi potest, cùm in ipsis non sint masculini aut foeminini sexus ullum discerniculum, aut coituum aptitudo, aut coeundi appetitus: ac ubi appetitus ille non sit, mixturam illam fieri impossibile est: apud quos autem istiusmodi mixtura non est, ne legitima quidem coitio nimirum connubialis reperiri potest: ubi uerò connubialis coitio non est, neque illegitima, & alienae uxoris uel appetentia uel coitio (id enim adulterium est) locum habet. Neque item praeceptum de furto uitando, aut nimietatis concupiscentia in animas congruit: nihil enim illis opus habent: quorum qui indigi sunt, ob naturalem inopiam uel necessitatem, uel furto uel latrocinio ea sibi parare solent, quale est au[...]m, argentum, pecus, aut quippiam quod ad uictum, uel cultum ido[...]um sit. Inutile enim est immortali naturae quicqud indigis adeò appe[...]bile est, quia utile. Caeterùm exactior ratio illis relinquatur, qui

ista diligentius cupiunt rimari, aut ar[illegible]tius [illegible] [illegible]uersariis contendere. Nobis autem cùm sufficiant super[illegible] dicta, [illegible] cu[illegible]istis concorditer, & quasi uno concentu resurrectionem stabil[illegible]t, iisdem di[illegible]tius immorari intempestiuum uidetur. Non enim eum [illegible]mus scopum, ut nihil eorũ quæ huc pertinẽt, omitteremus: sed ut summatim subostenderemus omnibus huc conuenientibus, quid de resurrectione sentiendum [illegible] & ut ui eorum quæ iam in præsentia diximus, emetirentur alias rationum facultates eodẽ pertinentes. Excussis aliquo modo & examinatis quæ proposita erant, reliquum iam fuerit, rationem finis contemplari, iam ex superioribus uerbis perspicuam & euidentem: cuiq; nulla maiore cura opus est, quàm ut cæteris apponatur, ne uel per obliuionem uideatur omissa, uel susceptum argumentum & institutam ab initio diuisionem lędere: his de causis aliisq; eodem pertinentibus pulchrum fuerit, uel eatenus tantũ rem aperire, quod eorum quæ ex natura, aut artificio constant, suos quoque fines & peculiares habent, ipso modo & communi intellectu id edocente, idemq; rebus illis quæ ante oculos obuersantur, constantibus. An non uidemus alium finem esse agricolis, alium medicis constitutum: rursum'que alium è terra succrescentibus, alium inde uictitantibus animalibus, ac secundum naturalẽ seriem, successionisq; consequentiã procreatis? Quòd si illud euidens est, & necessum est omnino naturales & artificiales facultates eorumq; actus suum pro ipsorum natura finem sequi, necessum est omnino hominum finem ut peculiaris naturæ excipi ab aliorum communione. Quandoquidem fas non est eundem finem statuere corum quę carent rationali iudicio, & eorum quæ secundũ insitam legem & rationem agunt, uitæq; prudent[illegible] & iustitia utuntur. Neq; igitur indolẽtia propria istorum peculiaris finis: i[illegible] enim pariter inuenias in sensu carentibus: neq; rursus eorum quæ corpus [illegible]el oblectant, uel alunt perfruitio, aut copia uoluptatum, alioqui præstare necessum pecuinam uitam, ac uitam uirtutibus præditam rem imperfe[illegible]tam esse: bestiarum enim & pecorum istiusmodi finis est, non hominum immortali anima & rationali iudicio utentium: neq; item beatitudo animę à corpore segregatæ. Non eñ alterutrius partis, ex quibus homo cõstat, respicimus aut uitã aut finem, sed illius quę ex ambabus plenitudinẽ & integritatẽ accipit. Talis enim est qui hanc uitã sortitus est homo, eiusq; uitæ necessum est esse suũ propriũ finẽ. Quòd si eius quod utrumq; simul est, nimirũ compositi ex animo & corpore finis statuendus est, neq; illũ dum in hac uita agit, reperire queas, ob causas iam sæpius allegatas, neq; tũ cùm anima segregata à corpore est, eò quòd nihil tale censeri homo debeat, dissoluto aut penitus dissipato corpore, etiam si anima per se superstit, omnino necesse est in alia aliqua utriusq; partis eiusdemq; animalis recompositione & instauratione hominum finem apparere: eiq; cùm ex necessitate cõsequatur, omnino necesse est, mortuorum aut penitus dissolutorum corporum resurrectionem fieri: eosdemq; homines rursus constitui, quandoquidẽ finem nõ quẽuis, neq; [illegible]uorumuis hominum esse iubet naturæ illa lex, sed illorum ipsorũ qui in [illegible]uperiori uita uixerunt: eosdem autẽ homines rursus constitui impossi[illegible]le est, nisi

cadem

eadem [illegible] dat [illegible] ut autem idem corpus eandem animam recipiat, [illegible]iter. [illegible] non pote[illegible] quàm per resurrectionem. Ea enim cùm fue[illegible], etiam nat[illegible]m hominum congruens finis sequitur: finem uerò [illegible]dentis & rationalis iudicij: non erraret si dicat id esse ut perpetuò [illegible] creamus & perennemus, cum quibus maximè & principaliter na[illegible]lis ratio congruit & consentit, idque respectu & cõtemplatione eius qui est, eorumque gratia quæ illi placuit in perpetuum promittere, tametsi uulgus hominum acrius & uehementius rebus quæ isthic sunt iam antea affecti, nihilque curant, & respiciunt istiusmodi finẽ: non enim infirmat communem officij designationem multitudo eorum, qui à fine ipsis decoro deficiunt & absistunt, cùm peculiaris aduersus illud constituta sit examinatio, suppliciaque & præmia destinata sint, quæ ad benefactorum uel malefactorum mensuram respondeant.

ATHENAGORAE DE RESVRRECT. MORTVORVM, PEtro Nannio interprete, FINIS.

AENEAE GAZAEI PLATONICI, PHILOSOPHI CHRISTIANI, THEOPHRASTVS SIVE DE ANIMARVM

immortalitate, & corporum resurrectione D[illegible] è Graeco in sermonem Latinum conuersus, [redacted] *interp[illegible].*

EXEMPLAR GRAECVM SVPPEDITABAT NOBILIS bibliotheca Reip. August. Vindelicorum.

CLARISSI-

AENEAE GAZAEI THEOPHRASTVS, SIVE DE IMMORTALITATE ANIMARVM

& corporum resurrectione Dialogus.

INTERLOCVTORES, AXITHEVS SYRVS. *Theophrastus Atheniensis. Aegyptus Alexandrinus.*



EGYPTVS. Quonam tendis, & unde nobis ades Axithee? Axith. A Syris quidem huc aduenio, & ad Athenienses contendebam Aegypte: sed uentus sinister nauim uiolenter abripuit, atque interrupit nauigationem. Quò fit ut tibi nunc adsim, Nilum quidem non a[...]em Ilissum, Pharum nō Piræum intuens. Aegyptus. Magnam mehercle uento gratiam habeo, qui te ui sua actum ad amicos adduxerit. Sed obsecro te, num adhuc meministi Hieroclis, & eius, quam is docebat, philosophiæ: quem nos pueri in philosophia præceptorem habuimus: quando nobis hoc ipso, quod mutuùm amaremus, permultos amicos conciliabamus? Ego uero haud scio an unquam tantopere doluerim, quām cum ipse multa ac uaria sapiētia repletus & excultus hinc ad Syros tuos discedēs. Ac longū quidē tempus hoc est: sed tamen amorē in te meū haudquaquā interrupit, magisq; in eodē ipsum, quo te discedente fuit, uigore cōseruauit, utut multis annis te nec uiderim, nec uisurū unquā sperauerim. Igitur mihi bona quædam fortuna ad id, ut in cōspectum meū mihi redderere, nūc adiumēto fuit: teq; mihi tātopere petitā prædam, optima uenatrix ipsa, præter spem meam est assecuta. Axith. Iam uero cum ea, quā dicis, fortuna cōsentit, nec sinister est, sed gratiosus & amicitiæ nostræ amicus uētus, qui amicū amico trāsmiserit. Verū dic mihi nū adhuc sint apud uos aliqui, qui perinde ut Hierocles præceptor noster cōsueuerat, phi-

losophiæ mysteria doceãt? Et utrũ co[illegible] [illegible]olas [illegible] deãt nobiles alic[illegible]i & boni adolescẽtes, cuiusmodi erat Prota[illegible]s ille [illegible], qui [illegible] ate quidẽ par atq; æqualis fuit, sed me uenu[illegible]e & ingen[illegible] longe superabat. Aegypt. Olim quidem uigebãt hic præclara illa hu[illegible]tatis studia, uerũ i[illegible]n periere prorsus & dissoluta sunt. Nam qui in numero discipulorum sunt prorsus abhorrent à discendi studio: qui uero doctorũ personas s[illegible]scipi[illegible] atq; gerunt, ij docendi uiam ac rationem prorsus omnem ignorant. [illegible]he stra quidẽ & circus abundant hominum frequentia ac turbis: at philosophorum auditoria & Musis sacra loca sunt in uastam atq; asperam solitudinẽ redacta. Axith. Eadẽ ipse quoq; suspicatus Aegypto præterita Athenas contendebã, exploratũ uidelicet an sapiẽs aliquis apud Athenienses superesset. Id enim uelim ab eo sciscitari, quod & apud priscos & apud nostros homines sæpe & multũ in quæstionẽ uenit, at adeo dubium & incertum fuit, ut de eo aliter atq; aliter sit disceptatũ. Aegyp. Habes hic, ô amicũ caput, ipsas Athenas, ni malis arcem, aut propugnacula, aut naualia, quàm sapientẽ uirũ uidere. Appulit huc ad nos magna Athenarũ gloria, Theophrastus, & tertiũ hic iam agit diem. Sed agedũ ipsum accedamus. Ab illo disces quicquid rogaueris: sin minus hoc, disces tamẽ illud ipsum ab homine ne quæri quidẽ oportere. Neq; enĩ fieri potest ut uel Athenis uel uspiã alibi Theophrasto sapiẽtiorẽ hominẽ nancisci queas. Axith. Diuinũ quiddam ac sane quàm auspicatum narras: quãdo penes Nilũ philosophiã Atticam inuenio, ac propterea, ut hanc discã, immensa maria percurrere non necesse habeo. Sed eamus ad illũ, iam enim effecisti me Theophrasti illius amantissimũ. Aegypt. Venio Theophraste, mecum adducẽs Axitheũ illum, quasi quendã riualẽ meũ, qui philosophiæ studia perinde atq; ego amplectitur. Theophrastus. V[illegible]eris amici loco mihi sanè fuerit hic Axitheus, quãdo philosophiæ studio du[illegible]r. Hæc enim & præclara, & rara quędam res est: quippe quæ Athenis, q[illegible]n urbe quondã illustris fuit, iam prorsus est obscurata atq; in nihilũ red[illegible]cta. Axith. Igitur frustra Athenas ferebar, si nemo, quẽadmodũ ipse aperis, isthic superest, qui ad propositã quæstionem quamq; possit respondere: minimeq; frustra nauigationem interrupi meã, quãdo mihi ceu deo ad philosophiam duce, præcipuum Atheniensium uirum ad fluenta Nili reperio. Sed quæso te, quoniã dicit Aegyptus, nõ posse me ex quoquã melius quod uelim, quàm ex te cognoscere: an ne mihi licet, quacunq; de re libuerit te percontari? Theoph. Quin percõtare, siquidẽ mihi uelis gratũ facere. Neq; enim quisquã multis iam annis noui quicquam ex me quæsiuit. Axith. Perbeati nobis uidemur esse, quib. datur & discere, & hoc ipso quod discere uolumus, doctori gratũ facere. Igitur quęro, num hic uiua prius extiterit anima, & post iterũ sit uictura: an etiã peracto uitæ præsentis cursu, reb. humanis soluta ac libera sit futura. Theophr. Et uixit antea, & est omnino iterũ uictura, siquidẽ uerũ est quod sapientes prisci tradiderũt. Axith. An statuis eandẽ animã in humanã hãc uitã iterũ atq; iterũ descẽdere? Theophr. Sanè quidẽ hoc ipsum dico, nisi tu quid sapientius proferas. Axith. Sed est ne sua spõte, an necessitate qua[illegible]ã acta reditura? Teophr. Ego tibi ueterũ arcana, quasi in sacrario quo[illegible]dẽs, pandam.

dam. Heraclitus igitur, qui idē ſucceſſionē eſſe neceſſariā uoluit, animā ſurſum & deorſum ferri [illegible]. Eſſe [illegible] aiebat immodici laboris apud ſuperis eodē ſubinde loci fatigari, & cum Dijs habere cōmercium, eorūq; imperio ſubijci. qua de cauſa nō ſolū quietis & ocij deſiderio, uerū etiā libertatis ac dominationis ipſe excitatā animā dictitabat à ſuperis in terras deſcēdere. Ab hac autē opinione deterret nos Empedocles, qui dicit lege cautū [illegible] quæ peccatorum aliquorum reæ ſunt animæ, poſſint inde deſcendere: nimirum ad id ipſum ſenſim accedens quod Pythagoras etiam ſubobſcure ſignificauit. Proauus autē noſter Plato multa præclare de anima diſſeruit. ac de hac eius ſiue motu ſiue inceſſu multa cùm dicat, non ubiq; eadem dicit. Et in Phædone Socrates quicquid ſenſum habet, honore omni quaſi exſpoliat, & eam quæ eſt animæ cum corpore coniunctionem ſic reprehendit, ut animam quaſi uinculis conſtrictam, atq; in corpore quaſi in quodam tumulo ſepultā conqueratur: tum uetus illud quaſiq; myſterij loco habitum dictū probet, ὡς ἐν τινὶ φρουρᾷ ἐπειδὴ ἀφικόμεθα γεγόναμεν: Id eſt, Quaſi in quodā carcere, poſtquā huc uentū eſt, fuimus. Quod Empedocles ἄντρον, Plato uerò in li. De repub. nomine σπήλαιον appellarūt. Quod deniq; anima hinc emigrat, id aliud nihil eſſe ait ipſe, quàm uinculis ſolui, & ex antro effugere. Aliàs autem in Phædro Socrates dicit, ſe uidere animas quaſi pennis ſenſim nudatas deſcendere: ac nonnullas pennis iam diffluentibus grauatas eouſq; deſcendere, dum corpori aliquo cōiunctæ cōſiſtant. Atq; hæc ſit eius in terras deſcenſus cauſa. Poſt euolutis aliquot tēporis partibus, ferunt eam iterū eodē aſcendere, quo quidē eam tanquā in iudicium atq; ad pœnas mittunt. Quin uolunt etiam eam & ſorte & fortuna, & neceſſitate trahi. Verum ad hunc modū illo animæ in corpus deſcenſu uituperato, eum, qui Timæus inſcribitur, librum deinceps componens, ſententiam mutauit, quando animæ in corpus aduentum illum magnis laudibus uehit, & mundū hunc admiratur, eumq; beatum Deū appellat, & animam quæ in ipſo apparuit multa ſalute impertit ac peramanter appellat, ut quam ab optimo maximo opifice datam credat, idq; ab omni hominū genere credi poſtulat. Illud ipſum enim quod uniuerſum appellatur, etiam mēte præditū ſit neceſſe eſt: quippe quod citra animā nō potuerit fieri perfectum ac ſuis partibus omnibus abſolutū. At hoc ipſum ut perfectum ſit ei quod uniuerſum dicitur, anima cuiuſq; ſuppeditat, quando id quod ſenſum habet, & ſolet excitare, & cōplecti, & exornare, & loco ſuo collocare: nēpe ut hoc requirenti opifici ipſa ſua ſpōte ſubſeruiat, ac ne pulchrū hoc opus eius maneat imperfectū, faxit. Voluit enim rerū conditor quæ in illo qui mentis & rationis cōpos eſt, mundo iam ante extiterūt, in hoc noſtro, qui ſenſibus eſt expoſitus, atq; corā cernitur mundo demōſtrare. Atq; hęc quidem Plato. Ariſtoteles autem eius diſcipulus diuerſum ſenſit, & animā, excogitato nouo nomine, ἐντελέχειαν, id eſt, continuatā quandā & perennem motionem appellat: quā exiſtimat materiæ quaſi extremā manū imponere, ac forma cùm ſit, ſimul cū corpore diſſolui. Axith. Equidē felicē te eſſe Theophraſte, iudico, qui cùm hac de re ueterū placita ſint multa ac uaria, nullū eorū omniū ignores, eaq; adeò perſpicue tradas, ut abs te ipſo po

tius ꝙ à priſcis ſapientib. inuentas res oratione efferre uideare. Quin mihi uideris Hippiam ſuperare memoria, & in his rebus ſua atq; experiẽtia plurimũ ualere. Verũ ipſe quid faciam incertus ſum, nec quum cõperi, cuius partes ſequi potiſſimũ conueniat. Heraclito ne accedã, qui uidetur anima, quò defuncta ſuis apud ſuperos laboribus, quietis locum aliquem inueniat, in hanc uitam quaſi confugere: an Empedocli aſſentiar, qui putat animã, ut peccatorũ antea cõmiſſorum pœnas luat, in hanc uitã ablegari: aut Platoni potius aſtipuler, qui modo ſtatuit, animam, ad exoluenda ſupplicia, modo dicit eandem ut illud quod uniuerſum dicimus, perficiatur, idq; modo ſua ſpõte, modo coactã: iam aliunde excitatam, iam ſuo ipſius motu proprio emitti. Ariſtotelem enim, qui nimia quadam ſua atq; intemperata ſapientia falſus, animarũ immortalitatẽ è medio omnem tulit, ſilentio prætereo. Reliqui deinceps hoc omnes agunt, ut alij aliorũ ſententias deſtruant atq; conuellãt: quo fit ut & alijs & ſibi ipſis cõtrarias opiniones prodãt. Theophraſt. Equidem in hoc mirificè ſeſe torquent Academici, ut omnibus perſuadeãt, Platonem ſecum ipſum minime diſſidere, ideoq; ſolent eius & ſententias & dictiones, quocunq; placet, detorquere, haud ſecus ac qui diuina oracula ex animi ſui ſententia exponũt. At illi mihi uidẽtur Platonẽ ipſum iniuria afficere. Neq; enim quiſquã aut fuit aut futurus eſt, qui potuerit Platone plenius ac melius, quę uoluerit, uerbis efferre. Alij quos itidem pudet uideri diuerſum quiddã ab eius ſentẽtia docere, hoc ipſo quod eius defenſionem ſuſcipiunt, nouum ei crimẽ impingũt. Aut enim obſcurus pręceptor eſt philoſophus, aut inuidia quadam agitatus mẽtem & ſententiã ſuam de induſtria obſcurauit. At neutro horũ uitiorum Plato noſter laborauit, magisq; hi ipſi eius interpretes ignoratione philoſophiæ Platonicæ laborarunt. Is enim in eam curam ac cogitationem potiſſimũ incubuit, ut Chaldæorum & Aegyptiorũ philoſophiã in Græciã ſuam importaret: itemq; Pythagoræ, & Heracliti, & Empedoclis placita in mediũ afferret. Itaq; dũ ſtudet efficere, ut eos qui in Academia philoſophantur, omnium quę ſunt uſpiam ſapiẽter cogitata, nihil lateat, accidit, ut aliàs aliud dicere uideatur. Quale eſt illud, quod ab eo de materia dicitur, alibi quidem eam natam, alibi uero non natam eſſe. Verum poſteri cùm Platonis doctrinam multarũ & uariarũ rerum atq; opinionum cognitione perpolitam atq; ornatam ignorarent, idq; unice ſpectarẽt, ut nouæ alicuius opinionis excogitatione alius alium anteuerteret, turbas inter ſeſe ipſi concitarunt, ac deinceps partes in cõtrarias ſparſi, neq; Platonem neq; ſeipſi ſequuti ſunt. Qua ex re dolorem maximum cepi. Axith. Egregie tu quidem iſta profers. Ego uero multitudine & uarietate illarum opinionum perturbatus, patria amicisq; relictis, Athenas nauigandũ mihi duxi. Iam uerò ubi in te incidi, eam, quæ in te eſt, ſapientiam ſuſpicio, multoq; magis miror te, qui iſtis iam exploratè cognitis, adhuc ſtudeas Pythagoram, Platonem, Chaldæos & Aegyptios ſurſum uorſum ferri ſolitos, ſibi ipſis conciliare. Hi enim ijſdem de rebus non unum idem'que iudicium omnes ferunt, ac ne ſinguli quidem eadem ſtatuunt. At pugnantia atque inter ſe contraria dicere, non eſt hominis ſapientis, uerum imperiti. At mihi quidem non uidetur deus huius do

ctrinæ dux esse, alioquin eadem omnes docerent. Sed existimandum est esse humanam quandam ui ipsius admirationem atque arrogantiam, in qua multæ eæ'que inter se contrariæ opiniones uarient. Theophr. Agnosco, quod dicis, optime. Nam & Platoni ipsi placuit, uti suis decretis eatenus staretur, dum aliquis diuinior homo in terris appareret, qui ueritatem ipsam aperiat: cui conueniens sit omnes assentiri atque obtemperare. Axith. Rectè sanè hæc dicis. Verum dic sodes, num hoc antea aliquando cognitum atque etiam animo reputatum fuerit. Me enim priscorum philosophorum perturbatio sanè quàm perplexũ facit. Quãdo eorum alij rursus in homines, alij in feras animam quasi præcipitem agunt. Theophr. Si omnes nosses, non posses satis demirari tantam docentium contentionem. Sæpe ego quasi è sublimi specula perspiciens, solus omnia quasi cæde, sanguine, tumultu plena uidi, quæ tibi, quoniã & audire & discere multa cupis, quasi in tabula depingere minime grauabor. Aegyptijs sanè uidetur, eadem anima cùm hominem, tum uerò bouem, & canem, & auem, & piscem induere. Quæ ipsa, quemadmodum eorum fert opinio, modo ceu brutum animal, ut formica, aut camelus, humi pascitur: modo in piscem collapsa, modo in balenam seu rumbum conuersa in mari uiuit: rursus in naturam auis traducta, monedula aut luscinia apparet, & in aerem tendit: denique in aliud atque aliud animantium genus uersa, tandem peragratis omnibus eò rursus unde erat digressa recurrit. Aegypt. Heu quæ prodigia cõmemoras quàm felix essem, si camelus, aut rumbus, aut monedula euaderem. Axith. Rides tu quidem Aegypte: ego uero Theophrastum intuens obstupui, quod etiam cognitis his nenijs, Aegyptiorum consuetudine & placitis nihilominus adhuc detinetur. Theophrast. Ipse etiam Apollo, atque huius filius Plato, idem Axithee, quod Aegyptij senserunt. Vbicunque enim Apollo oracula reddit, semper ut Aegyptiorum inuentis homines acquiescant mandat. Plato uero tradit uirorum animas molles atque effœminatas in mulieres reuiuiscere. Eas item quæ uitijs sint immersæ, in feras descendere, & cũ terrestribus animantibus uictitare, cum auibus uolitare, uel cum aquatilibus coniungi & commisceri. Socratis autem cum Phædone habitum colloquium persequens, animas eorum qui ab auaritia in transuersum rapti, & ad prædam prompti semper ac parati fuissent, in miluos & in lupos trãsformat. Qui uerò fœdis libidinibus sese dedidissent, eos in asinos uertit. At ubi felicem illam ciuitatem constituit, Orpheum Calliopes filium, postquam à mulieribus discerptus, uitam cum morte commutasset, dum homo fugeret, cygnum euasisse. nempe ut qui musicus insignis extitisset, artẽ musicam deinceps etiam exerceret. Thersites aũt is, qui fuit omniũ, quotquot ad Ilium uenere, turpissimus, Achillem nõ quidem in bello fortiter pugnãdo, sed Agamemnonem reliquosque heroas cõuicijs petendo imitari cõsueuit, in simiã trãsformatus est: atque etiamnũ hominẽ uidetur magis imitari, quàm præstare posse. Ax. Quid igitur, ô amice, Platonis sacrorũ custodes & interpretes: nihil ne in his, perinde ut solẽt in alijs eius placitis, subtiliter & acute excogitãt, aut nomina trãsponũt, aut sentẽtias alias alijs cõfundũt, nẽpe, ut quod ridiculũ sit, sacratiore aliquo mysterio tegãt. Th. Prisci quidẽ

huius sacrorũ antistites, eorũ quæ sunt dicta nihil suo loco mouent. quippe quibus explorate sit cognitũ, Platonem, postquam Aegyptiorum discipulus extitisset, illorumque uerbis aures impleisset: hoc ipsum, quod anima humana in omne genus animantiũ transeat, per omnes libros suos sparsisse. Plotinus igitur & Harpocration, itemque Boethus atque Numerus, Platonis miluum, qualem acceperũt, alijs tradiderũt miluũ: & lupum, lupũ: & asinum, asinum: nec simia quicquam aliud est eis, quàm simia: nec cycnus aliud quàm cygnus. Et animam, aiunt illi, priusquam cum aliquo corpore coniungatur, posse eorum, quę ratione carent, animantium similitudinẽ assumere: ac cuicunque similis facta fuerit, secũdum eius naturam ferri: denique etiam aliam aliud animal induere. Hos secuti Porphyrius & Iamblichus, non solum maiorum suorum philosophiam paulò altius cõsiderarunt, sed etiam ueriti sunt de Platonis asino & lupo & miluo dicere: tum etiam reputarunt, aliam esse eius quod rationem habet, & aliam rursus eius quod ratione caret, animantis substantiam: quod'que nõ soleant ita solum uerte re substantiæ, uerum eædem, quæ cùm primum egrederentur erant, permanere. Neque enim ratione esse præditum, accidẽs quoddam animæ esse, quod eam modo accedere, modo deserere soleat, sed esse differentiam in ipsa substantia constanter permanẽtem: minimeque fieri posse, ut ratio in naturam brutam conuertatur: nisi concedas aiunt, animali bruto hoc datum esse, ut rationem furto auferre queat. His sero tandem consideratis & errorem ueterum minuendum, & bruta animalia silentio prætereunda arbitrati: hominem, inquiunt, non in asinum, uerum in hominem asininum, neque in leonem, sed in leoninum hominem reuiuiscere. Non enim naturam, sed corporum formam transmutari: quemadmodum in scena qui personas tragicas suscipiunt, ac modo Alcmeonis modo Orestis personam gerunt. Axith. Linum lino, Theophraste, mihi uidentur illi nectere, & malum remedium adhibere malo. Quid enim attinet corporis uinculis animam liberari, quæ rursus in aliud corpus immittitur. Inutilis etiam ad leuandam molestijs animam, frustra'que in medium introducta mors est. Erat enim perditissimorum hominum uita eo usque propaganda, quoad ipsorum pœnæ fuerant extendendæ. Ac si in lasciuiam prouoluta anima, mille libidinibus in hac uita, haud secus ac reginis quibusdam mancipata seruierit: quæ ratio suaserit, ut ob hoc ipsum supplicio afficienda in hominem asininum reuiuiscat: nimirum ut suæ libidini magis magisque inseruiat: ac supplicio illo non tollatur, sed augeatur etiam & firmetur lasciuia. Arqui pœna, uitiosorum animæ, motuum, quasi medicina quædam existimatur, quæ coerceat, truncet, secet, & penitus excindat: non autem suscitet, inflammet, ullam materiam uitioso motui suppeditet. Id enim si fiat, perinde fuerit, ac si quis iudex hominem furti reum, non supplicio aliquo affici, uerum in sacram ædem ingredi, & inde, quicquid libeat, abripere iubeat: tum quoniam furti reus est, ut habendi studium satis super'que expleat, etiam dona dijs suspẽsa auferẽda præbeat. Iam turpis aliquis puerorũ amator, qui cõsueuit florẽtem adolescentiũ ætatem corrũpere, fiat iterũ ipse puer formosus, ut eadẽ ipse patiatur, scilicet. Alius sit adulter, & in mulierẽ cõuertatur, ut adulterio

prorsus

prorsus infamis efficiatur. Aegypt. Heu quàm absurda narras: sic enim pœna sceleribus irrogata, ad scelerum omne genus homines, ceu leno quispiã prostitueret. Axith. Sanè, cùm iubeant doctissimus ille Porphyrius, & numine afflatus Iamblichus, id quod in nobis est ijs, qui sunt apud inferos, iudicibus remittere, & illas humanis delictis pœnas irrogare. Atque hosce ut sequamur, Theophrastus uolet scilicet. Theophr. Minime uerò isthuc amplius uelim Axithee: nam neque Syrianus, neque Proclus hos sequuntur, uerum proprium quiddam ac nouum excogitarunt. Axith. Quid uero id est Theophraste? Theo. Animã eã, quæ semper ad rapinã prõpta sit & parata, non in miluum conuertunt illi: quando sit absurdum eam quæ ratione sit prædita, in id quod ratione caret, traduci: tum neque in milui similem hominem transmittunt, quando sit absurdum, pœnam maioris auaritiæ causam fieri. Sed docent illi, miluum quidem habere suam ipsius animam, eamque ratione destitutam: humanam huic alligatam, adhærentem, unà uolitantem. Atque hæc est supplicij illius forma ac ratio. Axitheus. Recentius quidem inuentum hoc est, sed multo magis ridiculum. Quod si ita sit, formicam Vlysses sequetur, qui rei familiaris gubernatores prudẽtes & industrij sint ambo: uespæ Hector alligabitur, cùm ornatam galeam habeant & bellicosi sint ambo: itemque rana & Cleon unà uitam agent, quando eundẽ ambo clamorem edunt, sicque ille quasi lapidem ceruici alligatum trahet. Impudentia enim utriusque est insigne. At formicas, uespas, ranas esse duplices nos hactenus latuit. Neque enim sine corpore, uel eorum qui sequuntur ea, quisquam sequetur: siquidem sequatur. quandoquidem non puto te statuere, corpore liberum ac solutum esse eum, qui supplicio sit afficiendus. Theophr. Minime uero. Axith. Vtrum igitur intra formicam Vlysses quasi conclusus occulitur, an ex aliquo eius pede pendet, uelut ex ariete apud Cyclopem. Et quò libuerit formicæ trahitur? Sed quid tu rides Aegypte? Aegypt. Quis non rideat tam fabulosas narrationes eorum quod pṛ summa arrogantia ueritatis sensum nullum habent? Axith. Age enim si sturnorum turmam aut gruum cum clangore & strepitu uolantium uideas: fortasse dicas eos esse qui in scena personatos exercitus ducũt, aut eos, qui iniuria alios afficere, tumultus excitare, petulanter agere cõsueuere, iã mortuos huiusmodi auibus alligatos unà cum ipsis strepere & calamitare, easque quocunque sequi oportere. Iam si quis has aues captas mactet, earum ipsarum mactatio præstabit animabus certum quoddam ex his uinculis effugium. Etenim ea, cui astrictæ erant, anima cõfecta atque sublata, ipsæ quoque liberentur necesse est: quandoquidẽ haud statuunt etiam brutam ac ratione carentem animam esse immortalem. Quid autẽ si piscibus illæ cõiunctæ fuerint, diuesque sit ac plena piscatorũ sagena: an nõ illæ se supplicio suo liberatũ iri cũ risu excipient? Nã pisciũ captiuitas, animab. existit liberatio: & piscium uenatio, est humanis animab. libertas. Iam & apum ministri deficiẽtibus apib. tale quiddã machinãtur. Bouẽ arcta domuncula cõclusum fustibus tantisper cædunt dum animam exhalet. qui si ita miserabiliter iste hic prostratus iaceat, illi ita accuratè, ut nulla ex parte uel leuis aura penetret, clausis ianuis, discedũt: tum præteritis diebus quadraginta, ianuis rese-

ratis, bouem quidem putrefactum, at eius uniusloco innumera animalia circumuolantia reperiunt. Apum enim, quæ ex boue sunt enatæ, & instar uuarum passarum iacentes, alas mouent, domus tota repente facta est plena. His apum ac mellis administri sumptis atque curatis mellis opus non sine bona fruge aggrediuntur. Iam quæro, num hæc una bouis anima minutatim concisa in illas innumeras est diffusa, quas bos unus coactas comprehendit: an uerò ipsa multis illis sibi in societatem ascitis hæc apum examina collegit, atque in unum congregauit? Atq; hæc mihi uidentur admodũ ridicula: tibi uerò non item. Sed fortasse uenient, qui uel quarto nouum quiddam comminisci possint. Sed quãto plus uerba faciendo secum ipsi pugnarint, tanto magis docendo fallent & errabunt. Quo ferimini, ô Athenienses, qui tam fabulosa referẽti tam promptas aures porrigitis? Vides enim ut isthæc ipsa secum collisa ratio, instar igniferi silicis multum lucis reddiderit, & quæ in tenebris hactenus latebant, arguat, minimeq; permittat, ut animam antea uixisse, in posterum quisquam confidenter asseueret. Theophr. Eadem mihi quoq; priusquam hoc ex te audirem, animo sederunt, mentemq; inde sæpenumero retraxerunt: sed maiorũ reuerentia, & eius, quo cum disputabam rationis & consilij inopia, me adigebant ac continebant. Axith. Illud autem an non ante omnia ueniebat in mentem tibi? animam, siquidem antea uixisset, rerum præteritarum meminisse, uel recordari oportere. Veteres enim solebant omnes liberales disciplinas ἀναμνήσεις, id est, quasi quandam rerum anteactarum recordationem appellare. Deinceps & creatoris, & illius quæ mente percipitur pulchritudinis, unde longo tempore discesserat, recordatur. An ergo uitæ prioris, & earum, quas audisset, præceptionum, & eorum quæ tulisset malorum, & patriæ & parentum, unde heri discesserat, penitus oblita esse crederetur? Et quæ ratio hoc dabit, ut rerum secundarum meminisse, aduersarum autem obliuisci credamur, cùm earum ipsarum memoria magis magis' que animis imprimatur. Ego quidem hac ipsa de causa filium, aut famulum, ob id quod commiserint peccatum, puniens, antequam de ipsis supplicium sumam, præmoneo, ut meminerint, ne posthac unquam in eadem mala recurrant. Deus autem, quando ultima supplicia decernit, non edoceat eos, qui patiuntur, pœnarum causas: sed scelerum memoriam omnem tollat, dum plenum uindictæ sensum non infert? Quid igitur ea, quæ peccatum celet, pœna profuerit? Sanè contra ac instituta fuit, & irritat magis, & in contumaciam trahit. Facilè uerò fuerit atque ab iustitia minime alienum, ei, qui supplicio afficitur, quoniam nullius sibi culpæ conscius supplicium patitur, conuitijs atque contumelijs iudicem incessere. Tu uerò Theophraste, qui tot artium præcepta recolis, an tui ipsius solum es immemor? nec potes nobis, miles ne an philosophus: lepus ne an leo antea fueris: lusciniam an miluũ secutus sis, referre? Theophr. Fertur Pythagoras meminisse, sese Euphorbum ad Troiam fuisse. Axitheus. Hæc dicẽs ille superbe mentiebatur, ac quod docebat animã antea quoq; uixisse, hoc ipso conabatur cõfirmare. Eodẽ aũt astu atq; cõsilio, cũ in meatu quodã subterraneo, annos decem latuisset, atq; inde tanquã ex inferis reuersus prodijsset, ex Plutone audisse se-

disse sese, atque credere dictitabat, animam esse immortalem. Eiusdem impudentis arrogantiæ deinceps Apollonius ille Capadox factus imitator, Græcis hominibus referebat, de ijs qui apud Indos essent sapientibus, quod illi nossent, qui nam olim ipsi fuissent. Recte sanè homo uanus, ad eos qui extra orbem degũnt, testes confugiebat. Sed nihilominus falsi conuincitur: quando ne Ctesias quidem, qui multa alioquin de Indis fabulosa conscripsit, harum illius neniarum uspiam mentionem facit. Neque uerò Arrianus, qui uerè magis quàm fabulosè historiam scribit, dogmatis huius uspiam meminit, etiam cum Brachmanum cum Alexandro cõgressum refert, ac quo pacto ipsi regem ab illo habendi studio nimio dehortati sint, diligenter exponit. Et certe tempus ipsum tale quoddam commentum requirebat, nempe ut Alexandrum illum Magnum, quem earum quæ in hoc orbe uisuntur rerum nihil ab animi sui proposito absterruit, aliquibus quæ non uidentur monstris perterrerent. Ac profecto oportebat tũc potissimum egregiam illam ac præpotentem philosophiæ uim exerere, quãdo nostris hominibus seruitutis & excidij metus inesset. Illi uerò quos paulò ante memoraui, sapientes Indi, neque apud Alexandrum tale quicquam demonstrarunt: neque deinceps cùm literas, quibus & Græcam reprehenderent, & suam ipsorum philosophiam ut uenerandam laudibus ueherent, ad Græcos ipsos darent, huiusce uanitatis uel leuem speciem ullam suis literis inseruerunt. Itaque si illi neque ueterum, neq; recentiorum quisquam uel uno uerbo testimonium dicit, solus ipse relictus Apollonius, ac testibus omnibus destitutus, conuincitur falsum tradidisse. Hierocles autem, non is, quem ipsi præceptorem olim habuimus: uerum scriptor ille qui miracula quædam refert, incredibile etiam illud factum suis narrationibus adiecit. Adolescentem quendam impudicum, qui quidem Corcyreus esset, cum Myrone quodam amatore suo nauigasse: delata autem in quendam desertum atq; incultum locum naui, cùm paulum secessisset, fleuisse, quod recordatus esset, quẽdam ex amatoribus, dum olim uiueret antea, quia ibidem adolescentis amore frui non potuisset, suffocatum esse: seque propterea flere, quod illi non gratificatus esset. An ergo ridiculum nõ est, lasciuum illum atque impudicum adolescentem anteacta recolere, Socratem autem & Platonem, eorum quæ sunt olim facta nil meminisse, nihil'que sese scire, gloriari posse? Equidem qui apud Chaldæos, & Aegyptios, & Græcos sacras quasdam ac solennes cæremonias peragunt, & euocare iam olim mortuorum animas, eas'que sacris quibusdam carminibus se quocunq; uelint, & ducere & pertrahere posse pollicẽtur: si mactatis gallinaceis, & scriptis quibusdam characteribus, aut Homeri, aut Orphei, aut Phoronei, aut Cecropis animã dicãt sese uelle euocare & ostẽdere: siquidẽ alius lucini a, alius cygnus, alius homo, alius leo fuit, quõ quæso euocati ueniẽt? an nõ auẽ, bestiã, hominẽ anima destitutos relinquẽt ac uenient? Et quo modo quæso, uel cygnus uel leo scient se quondã fuisse hominẽ, cùm id homo ipse ignoret? Ergo suis illis carminib. fallũt: quippe nõ patrẽ, aut mulierculã producũt, sed dirũ quendã dæmonẽ patris aut mulieris personã repræsentantem monstrãt. Quare & sole uixdum oborto spectrũ hoc omne sta-

tim

tim euanescit. Atq; sic anilis est fabulæ simile quicquid in hanc sententiam dicitur, nec quicquam habet, quod sit probabile. Theophr. Bene mihi uideris isthæc dicere, minimeq; male ad obiecta respondere. Sed si uitam animæ priorem prorsus è medio tollamus: uidetur nescio quæ rerum perturbatio inde exurgere, si mali bene, boni malè habeant. Axith. Ad id respondebo, siquidem tibi non sit ingratum. Theo. Erit mihi sanè pergratum. Axith. Principio mihi dicas uelim, quid tu malum, seu fortunam aduersam putes. an morbum, & pauperiem, aut torqueri, aut è medio prorsus tolli, malum appellas? Theophr. Hæc ipsa malorum numero comprehendo. Axith. At ijs, qui in opes & potentiam & uoluptatem prorsus intenti sunt, potius competebat hæc oratio, quàm Theophrasto. Neq; enim ipse ignoras, pauperiem & morbum, & ipsam mortem, neq; turpia neq; mala esse, uel Socrati atq; ipsi quoq; philosophiæ uideri: quippe quæ ipsa multis sæpe saluti fuere. Ipse enim Socrates in paupertate quasi superbiebat, eamq; diuitiarum nomine dignam ducebat, & philosophiæ sociam atq; amicam appellabat. Quemadmodum etiam morbum Theagi multum momẽti ad philosophiam attulisse idem aiebat: sic de illo uerba faciens, si bene memini: Theagi uero nostro omnia, ut philosophiã deserat, ansam administrãt, solus autẽ hic morbus obstat, atq; eum quo minus id faciat, coercet. Et sanè Plato, qui quidem erat robusto admodũ ac uegeto corpore, locum minime salubrẽ, in quo ingeniũ exerceret, delegit, sicq; & id quod habebat firmæ ualetudinis nimiũ detrahebat, & cum temperantia atq; modestia corporis robur cõmutabat. Mortem autẽ malorum omniũ solutionem ac tutã ab his libertatẽ sanè quàm pie & reuerenter appellat: docens, quod deus hominis misericordia tactus, hæc eius uincula mortalia fecerit. Iam si bonorũ causæ hæc sunt, qua fronte mala appellamus? Porrò prodigalitas & auaritia, itemq; temeritas & ignauia: omnium fœdissima & sunt & nominantur mala: quorũ nullum bonis inest. Sed eis uera felicitas semper adest, neque eam fas est recedere: siquidẽ temperãtia, iustitia, fortitudo, prudentia, quarũ nulla bonos destituit, uera felicitas existũt. Sed nec improbitas horũ quicquam potest auferre. Marsupiũ quidẽ amputare, & corpus dissecare potest: felicitatẽ autẽ euellere nequaquã potest. In alias quidẽ res habet interdũ imperiũ: uirtus aũt ab omni dominatione est immunis ac libera. Et certe animæ, quæ ratiõe sit prædita, pulcherrima hæc est dignitas, ꝙ sui iuris sit, ac planè libera. Atq; hoc ipsum est eorũ quę sunt in nos collata, præcipuũ ac maximũ cõditoris munus, ꝙ ego omniũ maxime exosculor, maximasq; deo datori gratias ago. Quid ẽm libertate est augustius? hæc quẽ hominẽ accepit, ex homine deũ facit. Theo. Sed an nõ præstiterat necessario bonos nasci, q̃ sub illo libertatis nomine deligẽdi & faciẽdi mali licẽtiã habere? Axith. Ecquę cedo & qualis uirtus esset, animã sic coactã esse & seruire? Nec firma est ulla, ui quę geritur disciplina. nec laude dignũ est, ꝙ coactus feceris. Quo pacto aũt pręstaret hominẽ quasi lapideũ esse, qui quocunque libeat artifici, mitti qat? q̃ qui uocalẽ aliquẽ ex se ipse sonũ edat quẽ uniuersi illius opificij cõditor ad hãc sui operis harmoniã totã pulchre accõmodet? Th. Miror uerò, ꝙ cũ malorũ uitiosã naturã seu improbitatẽ odio

habeat:

habeat:nō etiā ob id suam bonis libertatē ac facultatē soluat ac frāgat. Ax. Quid ita? An nō præstat, propter bonos malorū contumaciā tolerare: quā propter malorū deformitatē, eorū qui meliores sunt ornatū atq; formā uel le decurtare. Age enim, si quis sit operis rusticis obeūdis destinatus, ac nomen agricolæ obtineat, relictis uitib. in urbē currat, ac statim etiam uideat scortillum auro formaq; fulgēs, unguentū redolens, blandè obuios quosque alloquens: captus eius amorē, uitibus relictis eam sequatur: is autem qui socius huius in colenda ac plantanda uinea esset, amore sui collegæ cognito, tanto magis strenuè laboraret, uitesq; excoleret, quo damnū socij negligentia datū resarciret: num tu, siquidē illius agri dominus esses, frugi seruum & laborantē agricolā, propter eum, qui in urbe crapulæ & amoribus indulget, ædibus ejceres? Theoph. Minime uerò. sic em̄ magno meo malo, mihi prædium horridum ac syluestre euaderet. Axith. An non potius colonum industrium collaudares, quod cùm æque potuisset in urbem ire, atq; unà cum socio amare & potare, honestos amores turpi uoluptati ante tulit? Theoph. Ita prorsus, siquidē mihi uelim botros abunde prouenire. Verum oportebat, bonos quidem saluos atq; incolumes conseruari: malos autem, uel prorsus nullos procreari, uel eos qui nati iam essent, statim extirpari. Axith. Atqui Solonis lex nō finit ius cuiquam peculiare, sed unum idemq; hominibus omnibus imponit. Tu uero de toto genere mortalium sic statuis, ut uelis, alios quidem procreari & nutriri, alios uero priusquam generentur (si modo possit fieri) interire. Qua ratione sol quoque non omnes calefacere, neque terra fructum omnibus proferre debebunt. Quod si hoc superflue dici ipse existimes, & hominem omnia præclare & recte facere, nec unquam à uirtute aberrare statuas: nimium tu quidem homini tribuis: minimeq; mirū est, si quando is peccet, te tātopere mirari. At homo non est illa summa ac principe, uerum infima illa rationem habentis animæ præditus facultate: quippe qui animæ immortalitate & ratione solum bruta animantia superat: quin ob corruptionem corporis, & alimenti sibi necessarium usum, ab illis superioribus & cælestibus & summa ratione præditis substantijs longe superatur. Quamobrem illū peccare, non est tantopere mirandū, & ab eius natura alienū. Si enim seorsim à corpore degens anima, ad appetitum aut ad iram rapiatur, mirandū quiddam acciderit: sin cum corpore aliquo sit cōiuncta ac consociata, sanè eorū, quæ in his terris uersantur, & alimentis cōseruantur, corporū curam gerat necesse est. Ergo uel creatoris ipsius iudicio concupiscet recte & moderate. Vnde em̄ infans recens natus lac appetit? Vnde ijs qui uexant aut molestiam faciūt, irascitur? Nēpe quia hoc datū, illud remotū, saluti sit & uideatur. Ex quo sequitur, eam uitæ uiam ac rationem, quæ secūdū naturā est, & bonam & salutarem esse: ac rursus eam, quæ est naturæ contraria, & turpem, & puniendam: illā deinde, quæ naturā superat ipsam, esse excelsam & honorib. summis afficiendā. Iam si quę sunt ultima, propterea quod prima nō sint, libeat accusare: an nō eodē ipso modo omnē omniū rerū ordinem dissoluemus? Cedo enim, si lapidē abijcias, eò quòd nō perinde ut terra, plantas alios'ue fructus edat: si plantas uituperes, quia terrā ipsæ non arent, ut boues: si bo-

uem ple-

uem plectas, quod non ijsdem quibus arator rebus afficiatur: si deniq; ipse etiam agricola abigatur, quod nō perinde atq; cœlestes illæ & superæ facultates siue potentiæ, alimenti curā omnem abijciat: an nō hac absurda sapientia ad diuinas usq; res euecti, superis quoq; facultatib. officia sua auferemus: quæ tamē in hoc, ut supremo rerum opifici seruiāt, sunt procreatæ & constitutæ? Quod si fiat: quid quæso omniū, quæ sunt, rerū suo loco relinquemus? Statuendum est aūt & benignum esse rerū opificē, & suū quæque locū obtinere. Eorū enim quæ facta sunt, humile & abiectum est nihil: sunt aūt omnia pulchra, & magna, & concinno ordine collocata. Etenim lapis, siquidem sit ac maneat lapis: tū arbor, sit arbor: & leo, si leo sit: formā ac bonitatē suam habent. Ac leo quidē, & si eius, quæ bruta sit ac ratione careat, uitæ uiam secet: tamē quia præstantissimū illud rationis munus nō habet, neglectæ rationis crimine uacabit. At homo, quoniā est dotibus egregijs refertum & elaboratū quoddam opus, tunc quoq; bonitati & pulchritudini suæ responderit, quando sit ac maneat homo. Idq; tunc fiet, quando & ad bonū ipsum, & ad boni cognitionē aspirat: sed & alimentū appetit, & tristib. rebus offenditur. Vtrum enim respicias, erit homo. Mens bona, quæ secus ac suadet ratio, corpore utitur, ubi fuerit summa rerū potita, pro sua potestate sursum uorsum uertitur, & alterum alteri præfert. Id enim ea, quæ homini inest, quodlibet eligēdi facultas potest: ea uidelicet, quę est ordinata rationis facultas, quasiq; principium. Est autē inordinata motio omnis, quæ non est rectæ rationi consentanea, mētis industria. Quanquam inutilis sit interdum, & ociosa ratio: uel ob torporē & inertiā, uel ob ruditatē & inscitiam: itemq; ob rerum futurarum negligentiam, præteritarū obliuionem. Iam cupiditas & ira, haud secus ac par equorū, elapso è uehiculo auriga perturbātur. Quæ res crimine haud uacat. Nam magister certaminū prædixit, quæ qualiaq; forent certamina, & quando potissimum oporteret pugilem sui curā habere, proclamauit: quæ cum ratio neglexerit, nō eorum quæ fecit, sed eorum quæ neglexit, pœnas luit. Ratio enim ea, quę stultitiæ incuriam atq; in rebus gerendis inscitiam coercere potest, adeò facile quid facto opus sit, dispicit, ut ipsum deinceps rectius ac melius perficiat. Quæ ergo in nostra sunt potestate, ea pueris minime sunt permittenda, nisi uelimus mirabiliter omnia nostra sursum uorsum ferri. Multarum rerum desiderio tenetur puer: sed mens optima, atq; opem ei ferens animus prohibent, & reprimunt innumeras cupiditates. Sin quæ deterior est in homine, uisférociat, & quæ melior est, sanè quàm turbatur: quæ tamē aliquo remedio curari potest. Et sunt remedia multa & uaria: ut bona educatio, & disciplina recta, & lex: itemq; ratio, rerum honestarum studium, honestus conuictus, scientia, & omnino omniū uitæ partium rectus ac cōcinnus ordo. Et sanè eorum, quæ mortalibus affluunt, bonorum cōmutatio, quasiq; huc illucq; ferri solita possessio, ad temperantiam siue continentiā momenti satis afferens est documentū ijs, qui ipsam uident atq; obseruant. Quemadmodū eos, qui cōquirēdis opibus dediti sunt, homines, ipsæ etiā pecuniarum permutationes, quàm instabilē & fluxā rem magno sudore cōparārint, quamq; infidū & parū tutum bonū abs se dimiserint, satis superq; docent.

cent. At qui nihil horũ cogitat, animo tranquillo esse non potest, multoq; magis turbatus temere fertur: ac ueluti in tenebris obambulans sed offendens conuiciatur, quando nihil eorum quæ in uia posita fuerant, sciuerit: suam ipsius nesciens ignorantiã, duplici morbo laborat: uno quod non se, qui nõ aduerterit, sed res in uia positas accuset: altero, quod idipsum quod accidit, nolit æquo animo ferre, multoq; magis quod ipsi libebat, bonum accommodum putet. Igitur si quis improbus & scelestus homo, bonũ & probum aliquem iniuria affecerit: ille quidẽ qui scelus ausus est patrare, obliquæ rationis œstro percitus peccauit: Deus autem omni illius rei culpa uacat. Quemadmodum enim, qui sagittam iamiam uult eiaculari, eum qui sagittæ sese obuium dederit, quisquis sit, necessariò uulnerabit: sic ille quoniam improbus est, quem poterit, quem'ue obuium habuerit, eum iniuria afficiet. Ipse etiam auarus, non quidẽ recto fertur ordine: at peruersum auaritiæ ordinem Deus in ordinem atq; in uiam rectam reducit. idq; ceu artifex optimus, qui communi utilitati sui operis bene consulturus, quicquid est eius quod temere effluat, sitq; alijs inutile, totum expurgat, & ut cęteris sit accommodatũ cogit, inq; totius operis complementũ adducit. Ergo iniuria facta ei qui fecerit, ceu peccatũ imputatur, estq; etiam damno: quippe qui, cum fecerit, nec facti culpa uacet, nec pœnas effugiat. Ei uero qui passus fuit iniuriam, saluti potius est quàm damno: quandoquidẽ ei ad felicitatem momenti multum attulerit, & in utilitatẽ publicã quoq; cesserit hęc afflictio. Hominibus enim sapientibus atq; ad uirtutem aspirantibus sufficiens est solatium, hoc sibi persuasum habere: metu mortis ei qui bonus sit, uirtutem minime esse fugiendã. uirtutẽ enim Deus propterea diuitijs, potentia, uoluptatibus omnino uacuam esse uoluit, ut athletę boni, non illarum quas dixi rerum, sed illius ipsius gratia, uirtutem ipsam amplecterentur: nempe ut ne cũ affectibus uirtutẽ confunderent, & concederent aduersa bonis superari. Veluti si quis certamen cum eo quod malum est, decernat, ac uelit omnem animæ facultatẽ exuscitari: quo pro pulchro & bono tantum periculum subire queat: sanè ea ipsa perturbatio, fortitudinis, non imbecillitatis specimen erit. Et ut hoc addam etiam, si quis bonus, alicuius boni gratia, mali quiddam patiatur, ac tandem obeat mortem: spes est certissima, eum etiam mortuum uiuere, & ad primum principium ascendere, nec esse quod ullam aliam mutationem pertimescat: sed habeat felicitatem sempiternam, & uoluptatem anima pura dignam. quæ certe sunt & uidentur esse iusta uirtutis præmia: non autem dominatio, non opum affluentia: quæ multis etiam ipsorum dominis damnũ sæpenumero dedere: multoq; minus ea bona, ex quibus mala prouenire consueuere, quęq; nõ æterna sunt, sed spectra umbrarum similia, & momentanea. Interdum autem ad uirtutem contendit homo, in eoq; proposito susceptoq; consilio perit. Hic, si quid aduersum legibus patrarit, aut saltem cogitarit: nobis quidem uidetur optime eius res habere, quippe quibus nostri, seu potius illius prętextus obstant: quo minus quid intus lateat, uideamus. Ex quo solet usu uenire ut ignoratione causæ decepti, quamobrem aduersi quid protulerit, admiremur. At in conspectu supremi iudicis, nuda detectaq; sunt omnia.

Qui si uideat hominē aliquib. in rebus officiū suū praeclare facere, in aliquibus rursus utcunq; uitiatū quidē esse, ueruntamē aliquo adhuc remedio curari posse: tunc sanè permittit, ut leniore aliquo malo afficiatur: nempe ut poenis, quas dederit, factus purior, ijs quę isthic adsunt, bonis caste perfruatur. Cęterum, si quis, ubi in alium fuerit iniurius, ab alio rursus malum accipiat: iure quidē ipse malū illatū feret, sed qui damnū ei dedit, iniuste dedit, minimeq; poenas effugiet. Deus aūt utrūq;, quemadmodū factum est, constituit: quippe qui hominē illū iniuria uel malo afficiendū, homini ad id, quod debebat pati malū inferendū apto atq; idoneo adduxit: quasiq; utriusq; ex utroq; uocē emittēs ipse, hanc quidē meliorē, illā uero deteriorem: altero quidē agente, sed patiente altero: unū quendā in ijs ambobus concentū dedit. Neq; uero hoc ipsum cōstituendo peccatū cōmissum est: quando factū ipsum ab hominibus patratū est, à prouidentia constitutum & coordinatū. Magnae uero facultatis est, etiā ea, quae malefacta sunt, in usum aliquē bonū cōuertere, & quae nos informia fecimus, ea in formā pulchrā posse redigere, & perfecta exhibere. Atq; sic quidē animabus sua dignitas acquiritur, & quod aliquid est mali passum curatur, & publicū bonū cōseruatur. Sed si scelestus aliquis ditescat ac ualeat, id quidē cōstat esse ex prouidentiae diuinae erga nos propensa uoluntate & gratia. Siue enim hoc remedio fiat melior, quemadmodū pueri quibusdā illecebris ad bonarū artiū studia inuitari solēt: siue cōuictus desperatae maliciae, atq; nudato eo, quod latebat, animae totius ulcere, se ipsum q̄ sit intus & in cute malus, prodiderit flammā ipse sibi parat, multā uidelicet materiam cumulans, unde etiā lapsus nullā habebit neq; excusationē, neq; culpae condonationē. Neq; eñ potest cōminisci, quod propter inopiā agentib. nō potuerit succurrere, qui diuitijs abūdabat: neq; etiā fingere, quod potentia ac uiribus destitutus, eos qui premerētur iniurijs, neglexerit, qui summus rerū dominus erat: neq; praetexere, quod imbecillitate suapte factū sit, ut uoluptatib. succūberet, cui corporis robur alias ad res affuerat. Nam ut omnibus cōstet, q̄ multa sit huius iudicis, & excellens iustitia: uult ille ipse iudiciū suū nec obscurū esse nec ambiguū: uerū sic iudicare, ut reus & poenā sibi irrogatā ferat, & sententiā ab iudice de se latā suspiciat atq; reuereatur. Etenim si mors omniū rerū finis ultimus esset: recte in quaestionē uocarēt homines, qui nā fieret, ut homo scelestus in imperio, atq; in lauta fortuna uitā suā omnē finiret. Iam uero cū immortalis sit anima, ac neq; ad inferos demissa poenā effugiat, sed isthic maxime anteactę uitae uindictā sentiat: cū in ima tartara ceciderit, inde nunq; est exitura. Quamobrē insperati lucri uice fuerit, hic aegrotare, egere, seruum esse: cum is qui illa pręfert, in priuato uitae genere, parū deliquerit, ac deinceps membrorū suorū compactione iam soluta, iamq; eius fortunae suae causa cognita, ac satis deplorata, à supplicijs inferorū liber & immunis euadat. Alius excęto oculo factus hic exemplū iustitiae, uitij sui, siue perturbationis euentū odio prosecutus ac detestatus, liber etiam ipse euadit. Theophrast. Egregiè tu quidē abstrusas illas atq; abditas res exponis. At ille de quo dixeras, quia fecerat iniuriam alteri, ideo priuatus est oculis. puer autem qui recens natus cęcus est, quando

quando antea nec uixit, nec peccatū cōmisit ullū: quibus de causis, dic sodes, oculorū morbo grauatur? Axit. Quæ sunt huius generis seu miseriæ seu ęgritudines, eas ego potius ex aliquo corporis infortunio, q̃ animę puniendę causa arbitror euenire. Etenim ex principio deficiēte & debili, quę cūcꝫ consequuntur, confusa ac manca sint necesse est. Quid em̄ sibi cohæreat, eo ipso, ex quo totū desumptū est, dissoluto? Ergo si principiū seminis, & ipsa materiæ uis præpolleat, quicquid coagmentatum est & affabre effictū, et exornatū ab opifice procreante, idipsum fœtus pulcherrimus, ac quasi uiua quędā statua existit. At humano semine propter caloris inopiā tabescēte, & materia per nimiū humorē turbata, aquis totum corpus illud quasi undis obruitur, tātocꝫ magis cadit, ac suffocatur. Quo fit uti necesse sit id quod nascitur, in cōtrariū cōuerti. Contraria uero sunt, robori debilitas: ei quod saluū est, id quod periit: sano et incolumi, quod morbidū est & ęgrū. Atcꝫ hac ratiōe potissimū accidit, ut multi infantes, imbecilles, & mōstri similes, & mutili nascātur. Vnde etiā alius digito uno abūdat, alius uno caret: & alius quidē secundū naturā, alius obuerso tergo in lucē prodit, tum alius uel ex parentū uel cognatorū aliquo tabidum aliquid sibi cōtraxit. Ac rursus oculus alij imperfectus mansit, alij pes detortus fuit. Nec defuere, quibus dextræ contractæ essent: quorū aliqui ad summū sapientiæ culmen ascenderūt: nec corporis uitio, quo minus isthuc peruenirent, impediri potuere: aliqui uero in malitiam lapsi, non quantū uellēt peccare possunt: estq; illis hoc corporis incōmodum, quasi quædā animæ eorum diuinitus attributa custodia: uideturq; rem recte reputantibus saluti potius esse q̃ damno. Qui uero in tenebris oberrant, & suæ ipsorū animæ oculum mancum atcꝫ imperfectum haud respiciunt, illi solent cæci illius animam, quasi pœnis inferorum affecta iam esset, sic contemptā atcꝫ abiectam iudicare. Verum aliam etiam occultam rationē possum tibi referre. Non in eas solum quę modo ante pedes sunt res, prouidentiæ lex animaduertit: uerum etiam in eas quæ longo post tēpore ueniunt, prospicit: tum quę quibuscꝫ conuenientia sunt atcꝫ digna, ea ut eueniant, decernit. Hunc quidem, quoniā durus in seruos herus futurus esse uidebatur, seruum fieri permisit: illum uero quod male esset usurus opibus, pauperē reliquit atcꝫ egenum. Ille quia decepturus & adulaturus, ac falsos statim damno affecturus erat: capite, in quo animæ sedes ac uis est, lęsus atcꝫ ictus est: unde eum ipsum ratio defecit, ipseq; stolidus atcꝫ imprudens euasit. Alij rursus procliui ad cædem facto dextra contabuit: eoq; factū est, uti sibi tranquille potius pacateq; uiuendum putet. Sed prodeat in medium cæcus ille puer, qui ratione duce aliàs uti solet: quo de nobis antea quocꝫ sermo fuit. Hic si suorum haberet oculorū usum ullū, certe haberet lasciuum atcꝫ impudicū. Quare ei prouidētia oculos clausit, hacq; plaga ipsum affectū coercuit: estq; cæcus hic factus Lynceo ipso felicior, quādo simul etiam iustior euasit. Necꝫ uero multis id usuuenit quādo minime oportuit præter naturā ut euenirēt plurima, dare: sed pulchritudinis suæ munus, naturæ quā Deus ipse cōstituit, ut ne tota turbata tandē euerteretur, saluū atcꝫ integrū relinqui. Ac rursus hæc ut euenirēt, oportuit cōcedi, ut ei quod pul-

chrũ eſt,eò quod deforme eſt oppoſito,quantopere excellit pulchritudo, unde eſſet ſuus naturæ decor,cognoſceremus. Perfectior enim penes eos eſt,& plenior boni cognitio,qui malorum aliquid experti ſunt. Ac quod gratiſsimum eſt, non una eademq́ eſt huius medicinæ ratio. Hæc enim prouidentiæ medicina,omnia quidem curat,non autem unum idemq́ medicamentum omnibus affert:ſed ad alios morbos pharmaca alia profert: quãdo cũ morbi ſint multi et uarij, ars quoq; ipſa multiplex ſit neceſſe eſt. Hic quidem eo ipſo quod nil uidet,malis etiam amoribus prohibitus atq; excluſus eſt: ille etiam hoc aſpernatus remedium, aliquo alio acutiſsimis oculis prædito longe uehementius ad libidines fertur, ac propterea alio quoq; remedio opus habet. Vnde & interdum flãma aut ferro coercetur. Alijs ad temperãtiam pecuniarum inopia ſufficiens remedium, alijs aliud ſalubre fuit. Neq; idem pharmacum omnibus adhibitũ. Suntq́ etiam cuiuſq; morbi remedia multa & uaria. Qua de cauſa ars quoq; ipſa eſt,& habetur illuſtrior. Verum qui medicæ facultatis huius eſt ignarus,is,ſi quod antea ſibi nec uiſum nec exploratũ medicamentũ uidet,medicũ ipſum con uicijs ſtatim petit. Solent eñ qui ſine ratione & doctrina medicã artẽ aggrediũtur,cum unum quoddam medicamentũ cognorint, illud ipſum omnibus ægre affectis ſemper adhibere, nulla naturæ, temperamenti, loci, ætatis,morbi habita ratione:quarum rerum eum,qui peritus ſit artis medicæ, nihil omnino prætериſſet. Exiſtimandum eſt autem omnino, nec pauperiem,nec morbum,nec quæcunq; alia,quæ uulgo uidentur & dicuntur mala,ijs qui boni ſunt, eſſe mala: quando ipſi neq; diuitijs,neq; corporis robori atq; formæ comparandis multũ ſtudent. Malis aũt hęc exiſtimantur mala,quæ etiam bonis potuerint boni plus afferre. Omnis enim naturę uitioſitas uoluptate haud ſecus atq; oleo flamma exuſcitatur:dolore uero ceu mãdragora ſopitur. Neq; enim in corporibus modo,uerum etiam in animis,contraria contrarijs adhibita, remedio ſolent eſſe. Neq; etiã futura malitia,priuſquam in apertum erumpat,ſemper aliquò morbo reprimitur:quando prouidentiam non oportuit eiuſmodi eſſe, uti nos in nihilum omnino redigeremur. Etenim ſi quicquid eſt, prouidentia ſit, nihil prorſus eſſet. Ac cuius quæſo,quicquid eſt, eſſet,ſi diuina omnia forent: Itaq; parentes etiam,ut imbecillitatis natorum rei,ſunt accuſandi. Naſcuntur enim ex caluis calui, itemq́ ex ægris ægri,quemadmodum & Hippocrates,& ipſa rei ratio docent. Et intemperantia atq; ebrietas, quæ iam ſata fuerant damno plerunq; affecere: quando ſemen ipſum deterius & omnino euanidũ eſt,ac ueluti argentũ adulterinũ artificis manũ refugit, atque formam omnẽ recuſat: ſic illud ipſum formã à ratione ſine cauſa recipere nullam poteſt. Atq; hinc quidem monſtra permulta, multiq́ morbi naſcuntur. Minimeq́ hęc etiam utilitate ſua carent cum ſint hominibus intemperantię non obſcura reprehenſio, eoſq́ excitent etiam,uti uigilent magis, atq; ad liberorum procreationem ſobrij potius accedant. Quamobrem Hebræorum legem ipſe quoq; recipio, quæ mutili nati hominis patrem lapidibus obruit, eo quod tantiſper ſe continere, atq; à muliere dum munda fieret, abſtinere nequiuerit. Vnde materiæ nimia copia, & turpiſsi-

turpiſsimus pueri morbus enaſceretur neceſſe fuit. Et Lacedæmoniorum legislator, hoc ipſo reipublicæ ſuæ præclaræ conſuluit, quod nec muliebri ſexui quietis atq; ocij locum nullum reliquerit: exiſtimans, ſi uterque parens robore laboribus cõfirmato præpolleat, oportere etiã robuſtiores liberos gigni. Atq; hæc eſt illa prouidentiæ ratio, quam niſi qui ratione recta deſtitutus eſt, reprehẽdit nemo. Quẽadmodũ etiam qui pingendi artẽ ignorant, interdũ etiam picturas uariè, ſcitè, & ut delectare poſsint, factas reprehẽdant. Theoph. An uero non iniquũ eſt, aliũ quidẽ, ut primũ natus eſt, uita priuari, aliũ rurſus hac ipſa ad ultimã uſq; ſenectutem frui? Axith. Vitã humanã Deus, utilitatis noſtræ habita ratione, & ut breuior ſit, cõtrahit, & ut ſit diuturnior, producit. Etenim anima, ſi citius recedat, materiam cui formã dedit, eo ipſo ornauit: ipſa uero citra detrimentum ſuum diſceſſit, quãdo generationis experimentũ lucrata eſt, & oppoſito ſibi corpore mortali, quãto præſtet immortalẽ eſſe, plenius atq; melius cognouit: deniq; etiam immortalitatis rationẽ mortali corpori inſeuit, atq; homines reliquos edocuit, ne omnia naturæ credant. Neq; enim hæc dominium uitæ habet: alioquin eam certis legibus extenderet, ac tempus eius terminis ſuis definiret, atq; adeo illã ipſam ſuppeditaret: nec utrum melius deterius' ue eſſet, magnopere laboraret. Prouidẽtię uero, nõ naturæ munus hoc eſt. Vnde etiã ea ſecundũ noſtra cõmoda, diuerſos hoſce uitæ noſtræ terminos figit, eoſq; ut rerũ omniũ moderatori uiſum erit, huc illucq; transfert. Sin aliquis ad ultimã ſenectutẽ perueniat, eò maiorũ quidẽ certaminũ periculũ erit: ſed ſi quę propoſita ſunt, didicerit ac fecerit omnia, omnẽq; etiã ſapientiã, & ſcientiã, & artẽ in uſum humanę uitæ introduxerit: hic poſtq̃ nõ modo ſibi ipſi, uerũ etiã uniuerſæ terræ ſummo ornamẽto fuiſſet, è uiuis exceſsit. Neq; enim oportuit iiſdẽ terminis atq; ſpacijs definitũ uitæ tẽpus omnibus dari: quãdo hoc dato, eò res delaberẽtur, ut homines multò minus pudice uitã agerẽt, ac cõtinentiã uſq; in ætatẽ ultimã differrẽt: quique dũflorerẽt ætate, reb. alienis frui conſueuiſſent, iam ſenes facti, uix dũ iuſtitiã ſeruarẽt. Ac ſi iam impudicitiã atq; auaritiã adeo facile perſequuntur, cũ neſciũt, an uſq; ad ſenectã ultimã ſeſe peruẽturos certè ſcirẽt, facturos putes? Et ne quis liberorũ ſuorũ gratia pecunijs coaceruãdis nimiũ ſtuderet, ac potius cogitaret incertũ eſſe, an prius intereat, q̃ hæreditatẽ adire poſsint: hæc quoq; diuinitus introducta lex eſt, ut ante tẽpus è uiuis excedãt aliqui, ac rurſus, ſi tẽpus & res ferãt, ultra terminũ optimus quiſq; uiuat. Solet enĩ prouidẽtia nõ ſolũ bene res cõſtituere, uerũ etiã optime, quę cõſtituta fuerãt, quocũq; par eſt trãsferre. Terminũ enĩ ſuo loco fixũ manere, uidetur eſſe neceſsitatis, nõ prouidẽtię. Interdũ aũt, ut fixũ terminũ tranſiliãt aliqui, permittit, nempe ut eos, qui ingenio ualẽt, edoceat: ſolere ſeſe, ex libera quadã ac nullis legibus aſtricta poteſtate, nõ aũt ulla coactã neceſsitate, in ordinẽ rectũ, quæ fiũt, cogere, atq; ad id quod optimũ ſit, trãſferre: idq; prudenter, & adductam aliqua ratione: non temere & fruſtra: ut doceat nõ ut cogat, uel cõcedere, uel nõ concedere. Quæ res potentiæ nõ imbecillitatis: induſtriæ, nõ ſocordiæ ſignificationẽ habet. Nemini igitur mirũ uideri debet, ſi corporibus accidãt innumera huius generis incõ-

modã,cũ nõ accidãt citra grauẽ aliquã causam:ac sæpe materia,suis ipsa uirib.destituta,animæ comitẽ se præstare nõ posit, & priusq̃ bene & pulchre uideatur,cadat. Ex quo cognouerũt qui cũ creatore materiã simul cõferũt, & paris momẽti ducunt. quod hæc sit ultimũ quiddã nõ principiũ: imbecillis, nõ uirtute pari prædita:aliunde nõ ex se uitã nacta.Sed & interdũ materia,corpore iam ornata cõfunditur atq; dissoluitur: cũ eam aut irruẽs fera discerpserit,aut incidẽs in ipsam lapis cõtriuerit. Nõnunq̃ etiam homo uel nimio potu suffocatur,uel potu nullo prorsus usus occũbit.Nec raro satietas atq; fames idẽ fecere.Quinetiã hostis irruẽs obuiũ quendã iugulauerit, & undæ maris demerserint,aut terræmotus absumpserit, aut fulmẽ prostrauerit.Quãobrẽ cùm hominib.adeò multæ & uariæ res eueniãt, nõ est illud inopinatũ quiddã, si quis illarũ aliqua intercipiatur, multoq; magis mirandũ esset,si tot casus omnes effugerẽt.Hæc enim singula si consideres,cõtrariũ est alterũ alteri:sin uniuersa respicias,congruunt.Habet enim hoc ipsum harmonia, ut ex cõtrarijs sonis concentũ unũ efficiat. Iam si pater eius qui perijt,filij,inuisus fuit,ut maiore dolore affectus,æquior ac melior euadat, eo casu minime potuit impediri. Sin autem iustus fuit, hoc ipso ad illustriorem uirtutis probationẽ deuenit. Nihil enim fortasse puer ille præclare & fortiter facturus fuerat. alioquin supra q̃ sperari uel optari poterat,saluus cõseruatus esset. Veluti sæpe & multum usuuenisse ferunt. ut quod Pelias,Telephus,Cyrus feris obiecti, ab his nutriti atque educati sunt quibus pascendis ac nutriendis expositi fuerant. Futurum enim erat, ut magnas ipsi res atq; stupendas gererent. Quemadmodum & Hercules fertur, rupta,qua uehebatur naui,à quadã balena deuoratus, & nihilominus saluus cõseruatus esse.Et colligi posset ingens heroum turba, eorum, qui cùm in pericula maxima incidissent, tamen ope diuina magis q̃ spe & expectatione sua semper euaserunt. Rursus nõ pauci sunt,qui in his ipsis, in quæ inciderãt,malis capti atq; irretiti perierũt.Idq; perinde omnino accidit,ut uidebatur & ijs,qui inciderant, & illis,qui spectabãt utile fore. Alijs morbus læsæ mentis sedatus est:in alijs rursus horrẽdus uisus est.Sæpe etiam qui uirtute est præditus, miseriarũ aliquid perfert, nempe ut ne seipsum efferẽs,ipsam uirtutẽ contumelia atq; iniuria afficiat:neue qui ab illo sæpe conseruati sunt,obliti mortalis naturæ,iam ipsum Dei,nõ amplius hominis loco habendũ putent. Quo morbo pleriq; Græcorũ,Thracum, Aegyptiorũ,Italorũ laborarũt: qui uel homines,à quibus beneficiorũ aliquid acceperant, uel etiam magistratus atq; principes suos,nõ heroes, sed deos esse existimarũt: hisq; ut dijs immortalib. & initiati sunt,& uictimas obtulerunt.Ergo Menelaum,& per Iouem ipsam quoq; Helenã,post Alexandrum & Deiphobũ inter ancillas Laconicæ dijs annumerãt, cumq; ijs unà colunt,ac sacrificijs,& suspẽsis ad eorũ aras donis prosequuntur.Bacchum autẽ Semeles filiũ,& Alcmena illa natũ Herculẽ,profecto deos esse, quotquot hinc usq; ad colũnas Herculis habitãt,omnes asseuerãt. Quos tamen mortales fuisse natos Porphyrius cõuincit,cùm scribit alicubi,sceleratissimos dæmones optimis uiris insidias tendere, eosq; repente atq; improuisos adoriri; ueluti Bacchũ atq; Herculẽ, Iuno. Habitant in Thracia

ad Istri

ad Istri fluminis ripas Gethę, qui Pythagorę seruum, Zamolxim, fugitiuũ, & heri sui philosophiã profiteri ausum, solum esse deum autumãt: eiq; pulcherrimos atq; optimos quosq; ex suis mactatos immortalitati solent, ut eorum fert opinio, consecrare. Protheus etiã Aegyptijs uidetur deus esse: atq; eius sacrorũ Helena, quã, qui sacris illis sunt initiati, Venerem Hospitam uocant, partem etiam ipsa capit. Et Itali priscos reges suos, quotquot ex annalibus colligunt, in numerum deorum omnes retulere. Alexander aũt decimustertius deus apud Atheniẽses numeratur. At ille sępe saucius, sæpe æger, demũ uita defunctus, qui nihil humana natura haberet maius, explorate cognitus est & deprehensus homo: & tamen in numerum deorum relatus. Ergo uirorũ illustrium ærumnæ præclara sunt hominibus & illustria documenta. Theophr. Recte mihi quidem tu uideris hæc docere. Nec mihi probatur amplius illa transmigratio. Neq; enim eorũ quæ facta iam sunt, quicquam cogit, ut animã antea uixisse confiteamur. Axith. Recte sane facis amice. Neque enim uolet ratione prædita anima, ad tanta, quæ iam antea est experta, pericula denuo sustinenda redire. Nec concessum est etiam nobis in certamen illud iterũ prodire. Sufficit enim præsens hæc uita, ad cuiusq; uirtutis demonstrationẽ. Et certaminis huius magistro, uel etiam in puero, statim animi uis ostẽditur: ac siue bonus siue malus sit animi habitus, priusquam ad certamẽ ueniatur, innotescit: quæque post sequuntur studia, consilia, facta, non modo non iudicem, sed ne spectatores quidem ipsos latere possunt. Quamobrem nec uitam, nec probationem alteram expectant: ut qui nec dignoscũt præsentia, nec præsciũt futura. Iudex autem eam animam, quæ uirtute sua luctam hanc ornauit: quæ bonæ indolis atq; artis specimẽ de se præbuit: quæ omnes eius leges seruauit: ut uictricẽ iam corona, nectare, honoribus, cœlitum consortio dignatus est, unde fas non est eam unquam excidere. Inertem aũt & ignauam, & stolidam, & futilem: itemq; & theatrum turbare, & leges confundere solitam, statim ut uinculis corporis soluta fuit execratus in pœnarũ carcerem demisit: unde fas non est unquam effugere. Theophr. Vnde ergo tot certatores accersit, cùm tam longis temporibus, adeo multi iam antea e palæstra excesserint? non enim dicis, opinor, eosdem omnes fuisse. Axith. Nequaquam. Theophr. Vnde ergo, dic sodes. Axith. Deus omnia, quæ quidem procreantur, ipse nihilominus hoc ipsum quod est permanens, facit: neq; alia [illegible] facit, in substantiam aliam ipse mutatur: neq; multa cùm promit, ipse cõsumitur. Sed eò magis totus integer manet, quod subinde maiorem rerum copiam facit. Nam ei, non ex singulis ijs quæ nascuntur, uerum ex hoc ipso, quod rerũ conditor aliàs est, opificis nomen datur. Quẽadmodũ etiam in hominũ rebus atq; negocijs, architectus non in ea, quæ facit, ędificia diuiditur: nec propterea quod multa facit, ideò uel de eius animа, uel de tota eius scientia, quicq; decedit: licet iam delubra, iam ędes, modò naues fabricet. Igitur manet primus rerũ conditor, manent etiam quæ sunt ab eo peocreata, eaq; ipsa ab eius nutu & prouidentia pendent. Omitto ergo, quod quærebas, unde sit hæc in theatrum prodeuntium tanta copia: quando de nobis ipsis hoc potius, quàm de summo rerum condi-

 tore

tore quæri posset: quodq; rerũ omniũ opifex præstare & efficere posit omnia, uel mulieribus asseuerantib. crede. Quid enim unde ueniant, qui in theatrũ intrant, certatores, quæras: cum is ipse qui certamen hoc instituit, eos omnes accersat, hocq; eius edictũ opus naturæ statim fiat? Eodẽ consilio superas illas mente & intelligentia præditas facultates produxit, necq; earũ ulla unde nam esset, ausa est sciscitari. Eodẽ modo cœlũ pariter ac terram fecit: quorũ illud astris, hanc plantis ornauit. Vides etiam plantas, partim enatis iam fructibus grauatas, partim nondũ natas parturire: tum ubi tempus fuerit, huic iterũ edicto obsequi, & flores protrudere, & uirere, & tandem perfectos fructus edere: ui illa facultateq; naturali, qua prędite primũ genuerãt, intus manente, sæpeq; & iterum fructuũ copiã suppeditãte, ita ut radix, non modo non corrũpatur, uerũetiam firmior ac ualidior fiat. Quid igitur mirũ, si supremus ille rerum opifex, omnia, quę & futura sunt, & iam olim facta, comprehẽdat: & eorum unumquodq;, qualecũq; uult, quo'que tempore conuenit, quaq; forma pulcherrimum est, arte & sapientia sua profert? Theophrastus. Qua uero de causa, Deus, illas alteras mente & ratione prędítas facultates, & initiò procreauit, & certo numero definiuit: humanas autem animas, quæ & ipsæ mentis sunt & rationis cõpotes, subindè adhuc producit? Axith. Optimus ille legislator, non omnes hominum morbos, dum erumpant, expectat: hoc enim esset eius, qui solummodo iudicis fungitur officio: tantũ aũt principium, ortus eorũ prędicit. Nã & herbas, & multa pharmaca, & remedia, anteq; ulli essent morbi, terræ ut proferret, mandauit. Equidẽ præuidit deus, quod deinceps accidit, ut homines illas ipsas ratione præditas facultates admirati, & nullũ sui principium habere, & nunq; natas esse existimarent: itẽq; multa principia & innumeros deos statuerent, eoq; ipso democratiam quandã inordinatam introducerẽt, illa uidelicet optimè instituta monarchia repudiata. Qui etiã hũc ipsum, qui nostris est expositus et percipitur sensibus, mũdũ, diuinis laudib. celebrarũt, & deũ, qui sit ab æterno, nec unq; ex quoq; natus, esse statuerũt: unde & qui in philosophia plurimũ pollebãt, in opiniones sanè q; absurdas impegerũt. Qua de causa nostras animas, etsi rationis cõpotes essent, nihilominus quotidie adhuc creat, uidelicet indiciũ ipsius potẽtiæ: & documẽtũ iam olim procreatarũ facultatũ originis, q; hæ seu ratione, seu mente & intelligẽtia prẽditæ facultates & substantiæ, ex eodẽ omnes opifice, atq; ex eodem omnes principio trahant. Ac quod hinc illę quoq; prouenerint, facile credetis si in uos ipsos recẽs creatos animos conuerteritis: quippe qui perinde ut illæ iam olim factę substantiæ, supra mortalium rerũ curã in ipsum cœlũ contẽditis, atq; etiam ad principiũ primũ usq; ascẽditis. Quod certè in cœlestibus corporibus itidem fecit. Solam enim ex omni syderum numero lunam, uoluit lucẽ suam modo minuere et remittere, modo restaurare, quasiq; ad iuuentã denuo reuerti. Nempe ut cogitarẽt homines superiorũ illorum corporũ nullum prorsus esse, quod nõ sit natum, quod'ue suapte sponte existat: hocq; absurdo errore abstineremus, ac potius ex infimo illo sydere, quod etiamnum modo magis, modo minus lucere cernimus, superiora quoque illa facta esse colligeremus.

Eodem

Eodem modo, ex anima humana, illa uidelicet ultima, ac nuper procreata, quæ rationis est particeps etiam ipsa, substantia, eas etiam, quæ sunt ante ipsam creatæ, ratione præditas facultates, ex eodem opifice exortas esse, ut colligamus, ipsa ratio suadet. Nihil enim ille ociosum, nihil superfluum, nihil frustra fecit. Sin demus, cùm unus homo fuisset, unam etiam animam iam antè extitisse, corpus autem longo post tempore effictum: ociosa profecto fuit anima, priusquã in corpus descenderet, & tamdiu superflua, seu frustra condita, nec potuit uires suas exerere, neq; quid quãtũ'ue posset, ipsa scire: quæ omnia, postquam descenderit, demũ acquirit. Ea uerò, quã uos incorruptã ac recens effectam appellatis, ociosa potius erat ꝙ bona: quando corporis usum prius nõ est experta, sed iam primũ nata uiuit: cuiusmodi Bacchi atq; Herculis Thebis fuisse ferunt. Sed si quæ apud superos antea uersata, aliquid isthic egit: post ubi descenderit, uacuã, desertam, & in ocio sedẽ suam reliquerit, necesse est. Reliquæ enim facultates, ut primũ prodiere, & quo loco oportuit, collocatæ sunt, & suum quæq; munus obire, & ministrare, & subseruire, & curare iussæ. Humanã aũt animã illi, postꝙ cõstituere longũ tempus in ocio, sero tandẽ uinctã in sepulchrum, nempe corpus mittunt. Equidẽ ei iniunctũ hoc est, ut terram ornet ac tueat: minimeq; hominis esset, si cessaret quæ ad dei cultum pertinent prædicare, & ut nullus deo uacuus sit locus, efficere. An ergo non præstat, eam ut primũ prodierit, cõmissum sibi munus obire, ꝙ perinde ac si nondum esset nata atq; perfecta, adeo diu cunctari, eoq; ipso quod initiò nihil aget, suam ipsius uim facultatẽq; prorsus omnẽ ignorare? Actio enim quid aliud est, ꝙ quædam cognitio demonstratioq; uirtutis? Theophrast. Sed si tempore certo & definito prodit, qui potest esse immortalis? Axith. Non alius est qui superiores illas facultates creat, & alius rursus, qui hominis animam condit: sed unus idemq; & illas, & hanc ipsam producit. Quod si idem sit, non erit nouum aut rarum quiddam, quod una facultas, una scientia, & olim & etiamnum hanc efficiat. Eiusmodi enim est supremus ille rerum opifex, ut neq; eius potentia consenescat, neq; eius scientia limitibus ullis circumscribi concludiq; posit. Quamobrem aut ne illas quidẽ immortales esse fateamur, aut etiã hãc immortalẽ esse cõcedamus necesse est. Hæc enim perinde ut illæ, ad principium primum usque ascendit. Et certe Deus, nullam earũ, quæ sunt rationis compotes, substantiarum mortalem fecit. Qui igitur factum esset, ut suam hanc legem transgrederetur, cum nostram animam crearet: quam & si non communi secum substantia donauit, similem tamen, quasiq; quandam sui ipsius imaginem fecit? Ac si quidem ei philosophari libeat, Dei similis euadit. At id quod immortali simile est, ipsum quoque sit immortale necesse est: quando id quod est mortale, ei quod immortale est, non simile sed contrarium est. Tu uerò, qui Platonem ipsum totum ebibisti, dicis, omne quod natum sit, prorsus esse mortale, & interire, & solui. At ego Timæi memoriam tibi renouabo, & orationis illius egregiæ, quam conditor ipse habet, cuius exordij memini: O' uos (inquit) dij deorum, quorum ego & pater sum, & procreator: immortales quidẽ omnino uos haudquaꝙ estis, quia procreati estis: neq;

neq; tamen soluemini, hoc uidelicet consecuti ex mea, quæ mortem superat, uoluntate. Quibus uerbis hæc ambo introducit, & factum esse, & nunquam interire: & natũ esse, & morte superiorem euasisse. Ergo hominis anima principio sic facta prodijt, uti sit substantia rationẽ habens, quę semper moueatur, sitq; sui iuris ac libera: quæ uitam ex se habeat suam, eamq; posit etiam corpori impertire. Quibus bonis eorum, quæ mortalia sunt, nullum est præditum: sed sunt hæc, extra controuersiam, uera ac certa immortalitatis argumenta. Et certè miraberis uim illam intus in anima latentem, si rerum quas foris agit, uarietatem noris. Omnis enim ars, omnis scientia, itemq; actio & contemplatio satis superq; docere possunt, animam hominis esse immortalem. Qui enim ei suum illud esse dedit, ille ipse etiam perpetuũ ut esset hoc eius donum, dedit. idq; donum est ipsa iam natura. Platoni uerò uidetur, etiam mundus hic totus & factus olim fuisse, & mortalis esse, & perpetuo cõseruandus: quando quod uri queat, nõ ideo prorsus comburi posit. Iam Platonem commendãt, licet asserat, corpora facta quidem esse, nõ autem dissolui, contra animabus nolunt tribui, quod corporibus facile concedunt. Theophrastus. Non possumus non has rationes sequi. Sed unum nos adhuc fugit: quod cùm cæteras ratione atq; intelligentia præditas substantias certo quodam modo numeroq; circumscriptas asseramus: humanas autem animas dicimus, extra modũ numerumque omnem prouenire, nisi eandem animã in multa corpora commigrare concedamus. Axith. Animarũ humanarũ multitudo omnis, nobis quidẽ in immensum excrescere: at ea penes ipsum opificem æquè est finita ac certa, atq; aliarũ rationẽ habentiũ substantiarũ. Eas ipse quidẽ minime facile numeraueris: deus aũt facillime. Et quæcũq; ipse cõprehẽdit, ea nobis quidẽ infinita sunt omnia: ipsi uero cõplectenti illa deo prorsus finita. Hicq; est eis modus, quẽ uult qui cõprehendit. In incorporeis aũt & rationẽ habentib. substantijs, multitudo non facit, ut ipsis substantijs aliqua accidat angustia. Vnum enim sunt omnia, & singula totũ explent, & omnia totũ suscipiunt: nec impellitur aut premitur alterum ab altero, quemadmodũ corpora alia alijs impedimento esse possunt. Nam & in plantis, eorum quæ iam dicta sunt quasi quædam simulachra cernuntur. Amputantur enim ex una aliqua arbore surculi propè innumeri, qui tamen, iam amputati, uitã in se totã quiq; habent: ita ut terræ mandati germinent, eoq; ipso ostendant, sibi non minus q̃ magnæ arbori uitã intus affuisse. Atq; ex uno illo germine fiunt innumera, & unum omnia, & eorum quæ ex eo sunt nata, nullũ est idipsum, ex quo sunt enatę. Ac quanq; nobis hęc in infinitũ deduci uideantur, tamen infinitum eorum est nullum. His adde, quod quæ ex imparibus composita sunt, tempore suo dissoluantur necesse est. Atq; eiusmodi mundus hic est, qui cernitur. Si quid sit, cuius partes, ex quibus ipsum constabat, intereant: sanè totum illud cum suis, ex quibus compositum fuerat, partibus unà pereat necesse est: usq; dum mortalitatem puram putam accipiat. Omne uerò tempus deo quidẽ breue est, hominib. contrà longũ. Igitur si corpora aliquo usq; finita sunt ac terminis suis circumscripta: non certe committendũ est, ut animas in immẽsum producamus. Sed

ibi siste-

ibi sistetur animarũ motus, ubi corporũ animas ipsas suscipientiũ numerus gradũ sistit. Quò fit ut animab. is sit præscriptus numerus ac modus, quẽ earum usus postularit: isq́ ipse modus in eo, qui anima aliqua eget, gradũ sistit. Mirum sit autem, cùm Apollinem fama ferat, omnẽ arenam in numerato habere: & supremũ illum opificem animarũ, quas ipse procreauit, numerum nescire? Atq; earũ, quæ sunt intelligentia præditæ, facultatũ plenũ est totum cœlum: plenus etiam æther angelorum atq; dæmonum: itemque plenus aer, plena terra, plenum mare, plena deniq; quæ sub terra sunt omnia: ac quemadmodum ait quidam sapientum nostratium, adeò nihil est in rerum natura uacuum, ut ne sit etiam, quò capillum iniĳcias. Sed & si mortalibus in decies millenos annos hæc externis sensibus exposita uita producatur, nunquam tamen, opinor, tantæ angelorum atq; dæmonum multitudini, humanarum animarũ numerus par erit, ac quemadmodum nunc ferunt, in hac quoq; uita fiet, ut hæc animarum copia omnis cesset atque deficiat. Hac enim durante & permanente uita, boni quidem in campum Elysium euecti ibidem agent sempiterna conuiuia, semperq; erũt pleni nectare, quæ & ipsa Platonis in ciuitate lex est: mali uerò in tartara delapsi, ex quibus nunq; sunt egressuri: ipsi quidem non amplius proficiunt, sed exemplum iustitiæ facti æternum isthic iacebunt. Quod in Phædone & Gorgia Socrates constanter affirmabat. Animarum igitur numero tantopere diminuto, ipsæ uitã hanc quasi destitutã desertãq; relinquent. Nec dices deinceps unq; fore, ut in hanc uitam redeat anima, uidelicet hic iterum uictura: cùm hæc omnia sint iam ante confutata, & siquidem iuuenili quodã modo gloriari libeat, uinculis adamãtinis ligata. Iam si mille annis semel (ut ait in Phędro Socrates) unaquęq; anima consuetudinẽ cũ corpore habeat, & in decem millium annorũ ambitum modus animarũ sufficere statuatur: nos lõge minore numero animarũ egebimus. Neq; enim in tam longum tempus mortalia corpora produci ipsi statuimus. Quò fit ut mihi potius animarum numerum atq; modũ finitum statuenti, q̃ tibi diuersum existimanti sit assentiendum. Theoph. De anima quidem nullum mihi dubium reliquisti: sed putas ne fore aliquando, ut mundus hic dissoluatur? Sic sanè. id enim, cùm mundus ipse sit corporeus, & sua sponte atq; ex se ipso minime existat, facile est demonstratu. Quid enim dicas? Si corporum generatio, quæ ipsa motus quidam est uidelicet, manere uno in loco nolit, ac potius ad unum illud & perfectum ex quo peruenit, principium tendat, properet, atque etiam propellatur: neq; enim sine causa aliqua fit motus, neque uspiam sistitur, antequã id quod desideratum est, inuentum sit: inuenietur, quando supremus ille rerum opifex uoluerit: uolet autem ille, cùm ei uisum fuerit opportunum. Etenim facta iam animarum probatione, & perspicua atq; omnibus nota malitiæ reprehensione: hoc omne quod sensibus est expositum, in id quod immortale est atq; æternũ conuertetur: quando conueniens est hominum immortalitati, ut locus aptus atq; accommodus fiat incolarum felicitati. Oportuit in eo, qui periturus est, mundo, mortale quoq; seu periturum animans esse: ac rursus in illo ęterno ęternum atq; immortale. Omnium enim rerum una quædã est concor-

concordia: nec est inordinatũ, aut ab hac concordia deflectens quicquam: sed singula singulis sunt amica, apta atq; idonea. Atq; hæc supremi conditoris uoluntas est ipsa natura. Nam & sapientis & præpotentis esse puto, res easdem & mortales facere, & immortales. Quanta enim potentia & sapientia sit, ut & mortalis naturæ non expertes atq; ignorantes simus: & in illa ipsa iam explorata non maneamus? Theophrast. Quid uero? An non hic mundus, & nunquam natus est, & principio omni caret? Aut quomodo opifex ille est opifex: siquidem tempus fuit ullum, quo suarum rerum nihil peragebat? Axith. Idipsum audias quæso: reddunt enim rationem, sanè quàm bonã. Supremus ille rex omnium, ex quo omnia promanant, rerum omnium principium & origo, inprimisq; fœcundus fons est: quippe qui sit summum bonum, sapientiæ pater, rerum omnium conditor. Is non tempore aliquo cœpit habere generationis uim atq; facultatem: sed semper uerbi & sapientiæ pater existit. Neque uerò passus est quicquam generando: quippe qui nec aliqua necessitatis ui, nec assumpto generationis consorte (quanquam non esset quisquam alius) neque exhausta per hoc sua potentia generauit. Semper enim in se eum quẽ genuit, totum in toto, replentem & repletum habet. Solus ipse pater esse uoluit. Nec propterea est superflua illa soboles: alioquin enim non haberet eum in se, & ipse esset eiusdem naturæ atq; substantię. Iam quia compositum in eo non est quicquam, ideo uerbum naturaliter, aut, ut sic dicam, substantialiter genuit: nempe ut substantiam & uirtutem patris enarret: qui ipse est uerbum quiq; ipse est mens, & mente in unum omnia cogit, omniaq; per ipsum pater facit. Sapientia enim hoc quicquid est sola potuit effici. Atq; unà cum filio, qui naturæ est eiusdem, spiritum sanctum etiam produxit: non ui certe ulla adigente, sed uirtutis suæ facultate. Vnde & quia ualuit, & quia potuit, eum produxit. Quo spiritu deus omnia mente & sensu prædita solet afflare, & uirtute replere, & complecti, & ad sese pertrahere. Semper enim spiritus ad patrem se conuertit, eoq; etiam quicquid contigerit, prorsus trahit. Atq; eiusmodi est perennis hæc magna patris sapientia & uirtus quæ est unitas & diuina trinitas, nec maius nec minus quicquam in se recipiens. Est enim una substantia, quæ mentem habentes substantias constituit ac fecit: quando uoluit habere quibus benefaceret, ideo'que supernas illas facultates produxit, nempe ut ipso bono, primaq; sua beneficẽtia abunde fruerẽtur. Nullus enim in bono inuidiæ est locus. Atq; sic quidem conditor antequam hæc ipsa quę sensibus sunt exposita, procreasset, minimè ociosus fuit. Cœlum autem, à quo tempus initium sumpsit, & terram, & aerem, & mare, his iam procreatis effecit. aliàs etiam aliud, pro sua summa potentia facit, materiam'que rebus omnibus ipse præstat, exuscitat, coagmentat, concinnat, ornat. Neq; enim credendũ est materiam non nasci, principioq; carere. Quod te Chaldæi docent: itemq; Porphyrius in eo, quem Καθόλȣ inscribit, libro, cùm rationes Chaldæorum in medium omnes affert, ijs materiam esse natã affirmat: tum Plotini librum explicans dicit, existimare secundum naturam ac rectè dici, materiam non natam, & tanq; rerum principium poni, planè ut impiam opinionem minuendam & explo-

eſt explodendã. Si igitur materia eſt nata, nec habenda pro primo rerũ omnium principio, ſed ultimo creata: quomodo ſenſibus expoſitus ille mundus poterit nõ natus eſſe, aut principio carere, aut omni tẽpore prior extitiſſe? Opus em̃ ipſũ nõ poteſt eſſe prius aut antiquius ſua materia. Idẽ nobis etiã Plato, quemadmodũ ipſe nõ ignoras, in Timæo, nullo colore uerborum uſus, affirmat. Ac primũ ſit ne factus, an infectus hic mundus, quærit: tũ cauſa aſcribitur, poteſt enim cerni: ipſaq; cœli ſuauiſſima portio, ſydera itidem facta ſunt. Ipſorum enim cõmigrationes ſiue motus, & decurſus, & conuerſiones, & aduerſus Boream aſcenſus, & in Auſtrum deſcenſus: ſolis que & lunæ defectiones, & quicquid ſenſus non eſt expers, gigni quidem Platoni uidentur, uerum eſſe firma ac ſolida nunquã. The. At Platonis myſteriorũ interpretes, τὸ γίγονεν, id eſt, factũ eſt, nõ ſimpliciter accipiũt, ſed perinde ac ſi diceretur ſecundũ cauſam factũ, exponũt. Vt umbræ meæ cauſam meũ ipſius corpus aio: at eã corpus meũ nõ fecit, ſed hæc ipſum ſecuta eſt. Axith. Ergo cõditor nõ eſt cõditor: ſiquidẽ quæ fecit, minime ſua uolũtate fecit: & uniuerſum hoc quicquid eſt, ſpõte ſua atq; ex ſeſe exiſtit. Et ni ſit factũ iã aliquod corpus, quod ſtet è regione ſolis, nõ cõcedit ut à tergo lux fiat, idq; ipſum eſt umbra. Vnde & talis eſt umbra, quale corpus illud exiſtit. At cõditor eſt incorporeus, & immenſus, & lux quædam æterna: quomodo igitur, aut undenã umbra acceſſit? Quomodo uerò præſtantiſſimus & uerus rerum creator erit? utrũ, ſi quæ uelit, ipſe condat & componat: an uerò umbra neceſſariò comitante? Et quis eſt qui ſuã ipſius umbram ornare aut demoliri uelit? Nunquid nõ prouidentiã etiam hæc deſipientũ hominũ ratio ſuſtulerit? Sic enim nulla prorſus haberetur umbræ cura ac ratio. Adde, quod iuxta corpus umbra cernitur: at fieri non poteſt, ut ſimul cũ creatore ſumatur ipſa quoq; materia. Atque hoc ipſum Plotinus inquiſiuit, & apertis uerbis dixit materiã antea fuiſſe, ſimulq; Anaxagoram obiurgat, quòd eam nõ etiã dicat antea fuiſſe, magiſq; creatorem ſimul & materiã unà introducat. Quod tamẽ fieri nõ poteſt: cùm opificem opere ſuo priorem eſſe omnino oporteat. Atticus autem aſſiduus ille Platonis imitator, exponẽs Platonis ſui cariſſimi placita, huiuſq; mundi materiam atq; ordinem inquirens, ait: illũ ipſum, quoniam dicimus mũdum neq; non natum, neq; ſempiternum eſſe: ſed ab eo, qui potentia ſit maior & perfectior, & antiquior, & ſapientior, conditum eſſe: cùm fieri non poſſit, ut ipſe qui cerni & contingi queat, quiq; corpus habeat, nunquam natus eſſe uideatur. Quarum enim rerum natura, ad id ut exiſtat, ope & auxilio eget: quomodo audebimus dicere, eas nec natas eſſe, nec ab eo qui ipſas fecerit, conſeruari? Ariſtotelem autem ridiculum appellat, quod & uniuerſam hanc mundi machinam cerni tangiq; poſſe, itemq; eſſe corpoream fateatur: & nihilominus contendat, eam nec creatam olim, nec perituram unquã eſſe. Sed cur nõ rideatur ille, qui nec Aegyptiorũ uatibus aſſenſum præbeat, qui cum mundi initiũ generationẽq; exponunt, cancro tẽpus ætatis eius aſcribunt. Sed & Apollo quodã oraculo edito reſpõdit: ante hominum mundiq; creationem, dæmones factos eſſe, qui conditori ſalutẽ hominis curanti ſubſeruirent. Oraculum autem ipſum ſic habet: ἐκτίσθη πρὸ ἡμῶν

θείας τε κόσμου γονῆς, ἄφθαρτα πνεύματα εἰς ἡμετέρας χρείας. Id eſt, Conditi ſunt ante nos, diuinam'que mundi generationem, immortales ſpiritus in noſtram utilitatem. Qui fit igitur ut Platonis & interpretes, & mentem & ſenſum habentia ſimul omnia introducant? an non contrariam Apollini, ipſi'que etiam Platoni philoſophiam hoc ipſo efficiunt? Neque enim omnia ſimul exiſtunt. Iam æſtatis tempus eſt, & plantæ fructibus ornatæ mirifice ſibi placent: nec dum hyems nos obruit. Num ergo ille ſolum æſtatis ac non etiam hyemis eſt creator? num ille non pluit? an uerò tellurem propterea non hic etiam proferendis frugibus aptam atque idoneam facit, quia cum hyeme non confundit æſtatem? At hoc neque imbecillitatis, neque neglecti ordinis: ſed & ſeruati ordinis, & ſummæ potentiæ ſignificationem habet. Silentium quidem Pythagoræ decretum fuit, & tamen nihilominus rationis compos erat, utut ei tunc tacendum uideretur. Statuariam artem Phydias nouerat, atque etiam bonus erat artifex: & ſi non in arce Athenien. ſimul & in Olympia ſtatuas erigeret. Theophraſt. An ergo uniuerſam hanc mundi machinam malè cōpactam cenſes? Axitheus. Non eſt aliud hoc opificio melius ullum. Theophraſtus. Quo pacto igitur poterit diſſolui? Quia hoc opus non ſimplex eſt, ſed compoſitum: quippe in quo alterum cum altero coniungatur. At quicquid eſt ex multis & diſſimilibus, ijs'que etiam inter ſe contrarijs rebus compactum, id uerò facile diſſolui poteſt. Quicquid autem uim & naturam aptam ad ſui diſſolutionem atque interitum habet, id aliquando hoc ipſum aget, ad quod à ſua natura uocatur. Theophraſtus. An uerò tu ſapientis eſſe putas, id quod bene compactum eſt, & concinne coagmentatum diſſoluere? Axitheus. Si quidem & partes eius interituras fecit: & ut totum ipſum diſſoluatur, iam antea decreuit. Ex his enim illud ſequitur. Si oculus, & digitus, & unumquodque corporis membrum aliquid male pati poſſunt: non erit à malis immune corpus: ſed ipſum totum idem feret quod partes. Porrò ſi interitum hæc membrorum diſſolutio toti corpori importet, ipſum quidem ſoluere, eſt alienum à ratione & prudentia: ſed ſi interitum ſiue mortem hæc partium diſſolutio frangat ac ſoluat ipſa: magnæ eſt profectò ſapientiæ, & immenſæ potentiæ, quæ mortalia fuerant immortalia efficere. Theophraſtus. Cur igitur non initio hoc fecit? Vtrum non potuit, an noluit? Axitheus. Dei uoluntatem nullæ unquam uires deficiunt. Voluit igitur ille ea quæ mentem habent, eſſe ſempiterna: non item ea quæ ſenſum tantum habent. Theophraſtus. Inuidia'ne, an alia aliqua'cauſa? Axitheus. Penes eum qui ſummum bonum eſt, nulla prorſus eſt erga quenquam inuidia. Sed ſi ſimilia eſſent omnia, nihil eſſent, cum unum eſſent. Iam uerò mente & ratione præditas ſubſtantias, & illum mente præditarum facultatum mundum omnino omnem immortalitate donauit: nec eſt ulla inuidia. Secundo ordine ſenſum habentia, ea'que mortalia collocauit: quæ pulchra quidem ſunt & magna: ſed primis illis longe minora. Non ergo quod ſecunda primis adiunxit: ſed aliquid pulcherrimarum illarum rerum, quod quidem procreare poterat, infectum prætermittere, fuiſſet inuidiæ. Et immortalia pariter ac mortalia creare potentiæ

potius

potius est quàm imbecillitatis. Diuitis enim illius & omnipotentis uerbi atque opificis est, non modo res diuersas, uerum etiam inter se contrarias procreare, ut album & nigrum, calidum & frigidum, mortalia & immortalia: quæ tamen ipsa quoque pro sua summa atque excellenti potentia, deinceps immortalitate donauit. Qua de causa iam antea quoque mortalibus rebus immortalitatis semen aliquod iniecerit, quod aliquando germinabit, & superabit, & quod minus est, absumet, sibique accommodabit, æternumque florentes fructus feret. Estque huius rei minime leue argumentum, quod illa purissima cœli terræque pars, uel iam ab interitu salua atque immunis conseruatur. Quibus sanè Olympi, & fortunatarum insularum, & campi Elysij nomen ueteres attribuerunt: nempe ut ostenderent fore, ut cœlum totum, terra'que tota eiusmodi essent. Neque enim quicquam est à creatore factum, quod usquequaque sit mortale. eaque de causa corruptio seu interitus rerum, uim suam non semper obtinebit. Hoc autem fecit, ut id quod sensum habet, & est corporeum, aliquantisper sui ipsius ortum interitumque susciperet: idque alicuius, quod cogitabat, boni maioris causa. Simul enim & formis earumque multitudini & uarietati, & pulchritudini locum dedit: uoluitque eas sui ipsarum interitu atque ortu subinde iterum atque iterum imprimi, & continuata illa mutatione, hæc pulchra formarum genera, in materia quasi detecta ac nudata ob oculos ponere: uoluit etiam eas quæ sunt formis rationes siue causas studio quodam confirmari, motu'que demonstrari: nimirum ut externa illa uarietate ducti internas illas rationes siue causas admiremur. Veluti si quis pictor alicuius pulchri simulachri multas imagines fingat: ut nulla pulchritudinis pars lateat, sed ea tota undequaque appareat, artem'que efficiat augustiorem. Sed & productis ijs, quæ ratione sunt præditæ substantijs simul ostendit, se non necessitate ulla, uerum sua liberali uoluntate ductum, immortalitatis munus eis concessisse, eas'que loco priore, magis quòd uellet, quàm quod posteriora nulla haberet, collocasse. Est igitur earum officium, ut ipsæ, quoniam primæ sint, secundis inseruiant, eas'que potius curent, quàm præ se contemnant, multo'que magis illas ultimas etiam amplectantur: tum ad primum principium semper respiciant, & imperata faciant, malintque parere quàm dominari. Vera enim est & libertas & potentia, ei qui uerè bonus est, seruire uelle. Oportet igitur eos qui rationem habente natura sunt donati, suapte uoluntate, huic imperio quanta possunt reuerentia parere: siquidem suo iure, sua'ue libertate bene uti uelint. Quod enim sui iuris sunt, ac uerè liberi, idipsum acceperunt à creatore maximum immortalitatis signum. Sin qui supremo rerum moderatori grauatè inseruiant, quodque ipse primus factus non sit quisque moleste ferat, atque aspiret ad imperium, & uiolare leges occipiant: ij ab ordine recto auulsi in quandam ἀταξίαν incidunt, ac quoniam à clarissima summi regis luce defecerunt, mortales quidem non erunt, quippe qui initio facti sunt immortales, sed tenebras mortalium sentient, quasique in profluentem lapsi, huc illucque ferentur, subiecti potius quàm præfecti imperio. Atque hæc supremus opifex præuisa cauit, ac ne euenirent, fecit: ac neque propter eos qui deficiunt, obedientibus liber

tatem ademit, sed potius obedientium, imbecillitatem corporis seu terrenis rebus castigatam curauit, quia deserti perdere non seruare norunt. Eos miseratus, non sinit morbo tabescere, id'que mortale fecit, quo cupiunt ipsi maxime perfrui: quo deinceps soluto saluti sunt & libertati ipsi, tum post tyrannorum interitum rursus immortalē faciet partem eam, quam propter illos initiò mortalem dimisit. Atq; hoc ipsum introduxit ceu escam, deprehensionem, solutionem tyrannidis: tum uelut demonstrationem quādam eius, qua pollet conditor, potentiæ, iustitiæ, mansuetudinis, propēsæ erga humanū genus uoluntatis: atq; etiam uictoriæ. Hoc autem corruptionis genus, etiam Plato uidit, licet immortalitatem futuram ignorauit. Neq; enim terræ solum, uerum etiam cœli interitū satis claris & apertis in Timęo uerbis introduxit, dicens cœlum ex [illegible]a ipsius propria corruptione quasi quodam modo nutriri. Ergo si corruptio quædam nutritio conseruatioq; est: ubi locorum erit immortalitas, nisi creator corruptionē cœli terræq; sic prorsus omnem cōuertat, sicq; induat immortalitate, ut eam nulla amplius mors, nulla malitiæ insultatio, nihil deniq; mortale consequatur. Stoicis autem cœlum simul ac terra sæpe interire, sæpeq; renouari uidebantur. Sed si sunt iterum interitura, inutilis eis erit & superuacanea mutatio. An nō præstaret eiusmodi semel fieri mutationē, quam mutatio alia nulla consequatur? Estq; omnino sic reuicturus homo, ut nō iterū moriatur. Nihil em̄ erit in eo mortale. Sed & homo, & totus hic mūdus, & omnino omnia fiēt noua atq; æterna. Theop. Sed utrū cum corpore reuiuiscet homo an sine corpore? Axith. Si quidē integer est homo, anima rationē habēs corporiq; cōiuncta. Theo. Quali uero corpore? huic ne simili, an aerio, aut ostrei simili? Eiusmodi enim corporib. cōiuncta est anima, per quæ qualiaq; loca uenit. Axith. Dicis tu quidē animam multorū & uariorū corporū onus ferre. Ac quemadmodū parua illa animalcula in aranearū telas illapsa, statim inuoluuntur & capiuntur: sic tu statuis animā humanā, ubi corpori licet multū, diuerso, appropinquauerit, eo ipso statim indui & capi, ut si per astra habeat iter, astrorū simili: si per æthera ęthereo corpore uestiatur: sin descēdat in aerē, circūdet aerio: sin uero in terris sit, cū terreno corpore cōiungatur. Si igitur aliis elementis adeò facile coniungitur, quid prohibet, quin si in ignem inciderit, igneo corpore amiciatur? sicq; marinis undis obruatur, aqueum sibi corpus hauriat? Vis ne Aegypte huiusmodi corporum experimentum sumere? Aegyptus. Mihi non est ocij tantum ut uel ignibus comburi uelim, uel aquis suffocari. Axith. Ac omne corpus, ait Theophrastus, animæ perinde ac uestem conuenire: quanquam eam uel triplā uel quadruplam esse, nos hactenus latuit. Theoph. Rides tu quidem prisca mysteria. Axith. Tu uero seriò doces hæc: minimeq; ridiculum uidetur tibi incorporeum quiddam cum quocunq; corpore coniungi, aliudq; alij & coalescere, & consui, multaq; corpora eodē uestimēto tegi. Sin aūt animata sint corpora, tu multa animalia unā animā quasi quendā cognatorū pecorū gregē dicis impellere, & ordinem in sese ascendentium animalium simul trahere. Theoph. Absurda quidem uidentur hæc esse, nihilq; ipse non cōfutatum reliquisti. sed an non audis etiam circa sepulchra uideri umbras ac spectra,

quæ

quæ profectò sunt illa aëria animarum corpora, quæ simulachra uocant. Axith. Nunquid hoc ignoras, qui cognita habes omnia: hæc spectra esse mala dæmonia, humanas animas repræsentia? quodq; ij qui incantationibus operam nauant, seq; posse profitentur, iam olim defunctum euocare: non hominem carminibus suis attrahunt, sed dæmonium aliquod malum, quod simulachrum hominis effingat, atque ut imponat, miracula simul ac humanam uocem edat. Quod tamen spectrum orto sole statim euanescit, cum uerisimile sit ipsum, si esset hominis anima, etiam interdiu, quos charissimos habet, suauiter allocuturum, unaq; futurum. Theophrast. Quem igitur anima in modum cruciatus ullos sentiet atque feret, si corpus aerium è medio tollamus? Neque enim cruciatus ullos sentiet corpore destituta. Axith. Rectè quidem hæc dicis, illam sine corpore sentire dolores ullos posse. Sed corpus suum ipsius repetet, quo iam antea publicè atque in conspectu hominum est usa: idq; tunc fiet, cum definitum iudicij tempus postularit. Neq; enim fiet, ut cum alio uoluntatem ceperit, cum alio uero dolorem communem capiat: neq; corpus aliud animæ subseruierit, aliud rursus uocetur in iudicium. Theophrastus. An ergo terrenum hoc corpus resuscitatum iri putas? at id miraculi simile fuerit: quãdoquidem diffluxit & dispersum est: & aliud quidem à piscibus laniatum, aliud autem ab auibus discerptum est: eaq; animalia deinceps ab alijs capta, sic absumpta sunt, ut ne uestigium quidem humani corporis ullum amplius existat. Axith. Terres tu me quidem, ô generose uir: sed hac re plenius ac melius cognita, prorsus eris mansuetior. Verum dic mihi, est ne corpus humanum, simplex, an cõpositum? Theophrastus. Omnino compositum. Axith. Quibus igitur ex partibus compositum putas? ex quatuor dices? Theophrastus. Elementis, inquam. Axith. Iam uero si id quod compositum est, dissoluitur: an non in res eas redit, ex quibus compositum fuit? Theophrastus. Omnino. Axith. An igitur non humanum corpus, & piscis, & auis, & fera in elemẽta recurrunt: & unumquodq; in id ex quo collectum fuerat, redit? Theophrastus. Omnino. Axith. Iam si elementa conseruantur, & una corporis nostri causa conseruatur, consequens est fore, ut omnia, cum supremus opifex uocarit, undecunq; colligantur. Etenim si principio parua quædam, eaq; informis atq; humida materia, totum hominem concepit: non mirabor ipse amplius, si totius hominis corpus in elementa disseminatum, non amplius aut maius, sed priori par reddiderit. Vidi ego grandẽ, pulchram, amplam, umbrosam uitem: quæ meas ipsius ædes ornabat, non ab ullo uinitore plantata, neq; ab ullo surculo nutrita: sed eam mihi quidem acinus in fundum lapsus totam porrexit. Vbi igitur truncus seu ramus ille latitauit? Vbi tot folia, itemq; fructus ubi delituit? Qui uero rei rusticæ sedulam operam nauant, ij ficum iunco perforatam & seminibus replent, & unà cum iunco defodiunt. nec multo post, ad numerum seminum ficus arbores eodem ordine sitæ apparent. Atqui semen quàm paruum, propeq; indiuiduum, & puncti similis res est? & tamen protritum postquàm fuit, adeo magnam arborem parit. Et palma arbor licet osse durissimo orta, usq; in sublimem aerem exaltatur. His adde & humanã illam artem, cuius paulò antè meminimus, quæ

apes facit. Quomodo uero apes hæc facit? Solent apum producendarum studiosi, taurum fustibus mactatũ, ac mortuum, in aliqua casa, pauca terra, dum totus consumatur ac computrescat, defossum accurate claudere. Ibi tum præter omnium spem, unius tauri corruptio & putrefactio, plurimarum apum ortus uitaq; existit. Et Phœnix auis fertur in quingentos annos uitam producere: tum deinde mortua totaq; consumpta reuiuiscere. Succurrit etiam ingens animalium copia, quæ ex aliorum animantium interitu generantur. Sed horum nihil Theophrastus admiratur: solumq; hominis corpus reuiuiscere & admirandum & credendum opinatur: qui tamen Atheniensibus indigenas se esse dicentibus fidem habet. Sed naturam hãc ad credendum adeo difficilem, conditor eo ipso iam antea sustulit, quod tanta miracula huic ipsi affinia dedit, ut illud deinceps incredibile uideri nequaquam possit. Etenim telluri mandat, ut multas producat & plantas & bestias, ipse interea ad uberiorem partum innumera semina præparans, ut ne nouum ei uideatur hoc deinceps imperiũ. Nam si uiua atq; animata corpora dederit, nõ erit deinceps nouum quicquam, si hæc eadem hominum corpora solũ reddat. Theoph. Licet hoc mihi persuadeas: sed si corpus in ea, quam nunc habet, forma perduraret, haud incredibile mihi uideretur animam iterum in idipsum, quasi quandam statuã subire. Sin autem sit multis iam annis hæc corporis constitutio proportioq; soluta: quo pacto hoc ipso iterum utetur? Aegypt. At certe nostra corpora facile reuiuiscent, quãdo iacent belle condita, atque ad suscipiendam animam præparata. Axith. Quàm lepidus est Aegyptus? Theophrastus autem nondum animaduertit parui referre, diffusum ne sit cadauer, an adhuc compactum, æque enim in ambobus compago compositioq; membrorum soluta est. Neq; enim à corpore discedit anima, nisi compositione soluta, quò fit ut homine picto nihilo præstet, sitq; potius imbecillior. Ille enim pulchro colore uenustus, & in suo quasi flore est: hic autem florere omnino desijt, estq; totus exoletus. Igitur aut colores, & elaboratos lapides ad suscipiendũ animam aptiores esse, quàm sit hominis defuncti corpus, existimandum: aut confitendũ est, ad consortium animę, sit ne compactum an diffusum corpus, nihil afferre: quando anima, ne nunc quidem in corpus migrans ipsum perfectum atque omnibus suis partibus absolutum corpus, sed informe semen inuenit. Quin illud ipsum etiam eius robur, nõdum cernitur, magisq; intus latens uis est ipsum erigens. Th. An igitur suũ quæq; anima proprium corpus recipiet? Axith. Corpus hominis materia & forma cõstat. Iam materia quidẽ corrũpitur atq; dissoluitur, immunis autẽ ab interitu formę causa aut ratio omnis manet. An uero non uides, ut triticũ quod qui sementẽ faciunt homines, humi cõdunt: ipsum quidem totũ perijt, diffusum est & mortuũ: at efficiẽs eius causa incorrupta, incõcussa, quasiq; immortalis existit. Quę etiã salua permanẽs, & omnẽ circũ se humũ colligẽs, humoreq; undequaq; circumfusum attrahens & calore fouens, extinctum iam triticum resuscitat, & radices altius figit, & florem emittit, & culmum erigit, & aristas nutrit, omnino'que defunctum triticum ut reuiuiscat, facit. Eodem'que modo siliginis causa siliginem, fabæ'que fabas hucusque conseruarunt: nec est

eorum incredibile quicquam. Sin res postulet hominem saluum conseruari, dæmonum inuidia accidit, ut ab eo assensum cohibeamus. Si igitur in caducis mortalibus'que rebus, formę conseruatrix causa sit immortalis, multo magis immortalis animæ causa fuerit immortalis, nec ullo tempore dissoluitur, sed in seipsa manens cum libuerit, & opportunum uisum erit, (sunt enim omnia perbene constituta, atque optimo ordine collocata) materiam totam exuscitat, ui sua in pristinum statum restituit atque exornat. Quò fit, ut sua animæ cuiusque forma sit cognitu facillima. Sed & Deus ipse, qui unum animas omnes uocat, ad suam propriam formam, etiam unamquamque animam mittit: & separat alias ab alijs, & distribuit præmia ac pœnas. Id'que haud secus facit, ac qui apud nos sunt boni pastores, solent sua pecudibus, quas innumeras habent, loca propria destinare: nempe, ut & eas ipsi facile discernant, & illæ quàm minimum inter sese perturbentur. Iam uero cum pluat ipse Deus, cum multæ sint arbores & plantæ: cum una aqua: iuxta tamen cuiusque illorum omnium causæ, illa una eandem'que aquam in suam ipsius propriam formam trahit: tum confert colorem, magnitudinem, dulcorem, amarorem, calorem, frigus, & aut bonum aut malum odorem. Atque hæc res homines sapientes nunquam perplexos fecit: sin opificis edicto fiat, ut anima, quæ est aliàs immortalis, suam ipsius recolens formam agnoscat, ac recipiat: solum id est & uidetur illis eiusmodi, ut de eo dubitent, ac secum ipsi pugnent. Statuendum est igitur, formam, qualis initio prodijt, talem prorsus mansisse: materiam autem, quoniam subiecta est, & ad suscipiendam quamlibet formam facta, eam quæ melior est & præstantior, omnino suscipere. Veluti ponas ob oculos Achillis statuam æream. Is æreus Achilles temporis uetustate consumatur: æs'que illud abiectum aliqui sibi sumant, atque in frusta minutissima sectum, passim disseminent. Ibi tum peritus aliquis artifex, æris materia, ut ad artem aptissima collaudata: æs illud omne conquirat atque inueniat: ac deinceps conflatum & expurgatum arte & facultate quadam sua, ipsum æs in aurum conuertat, ei'que Achillis formam induat: erit profecto & uidebitur aureus idem ille Achilles, qui prius fuerat æreus. Eodem modo nostrorum corporum materia procul ab se remotis pondere, & situ, & mortalitate: supremi conditoris arte & summa gratia, pura, & leuis, & immortalis euadit. Oportebat enim eam, quoniam ad immortalem animæ societatem facta fuit, immortalitate, cuius anteà quoque gustum aliquem, siue fructum ceperat, aliquando potiri. Aliàs enim, ut sæpe dictum est, obijsse nonnunquam profuit: nempe ut malitia, aut amputetur, aut ipsa sibi pœnam inueniat. Cæterum si nostra corpora omnino rediguntur in nihilum, quamobrem eis tanta uirtus insedit, uti sepulchris condita plus possint, quàm olim, cum terra tota oberrarent. Audis Oedipum, ut Colone iacens, Atheniensibus sit uisus in Scyro sepultus esse. Fertur etiam, Atheniensibus, cum peste premerentur, Apollinem consultum respondisse, ut Theseum Aegei filium Athenas transferrent. In Scyro autem sepultus fuerat, in qua etiam dolo oppressus obierat. Monebat igitur Apollo, finem morborum nullum prius fore, quàm

re, quàm apud Athenienses Theseus iam defunctus cōderetur. ac postquā in Atticam regionem Thesei reliquiæ sunt deportatæ, pestis etiam illa cessauit. An uero non hoc etiam cognouisti, ut Orestes quadam apud Arcades urna delituerit: longo uero post eius mortem tempore Lacedæmonij, cum bella prius omnia feliciter gessissent, ab Arcadibus, contrà ac cogitarant, uicti sunt & profligati? Cum rerum suarum incerti prorsus essent, Apollinem, quid facto opus esset, rogarunt. Is respondit, non armatos milites aduocandos, non cogēdos equites: sed unum iam olim uita functum hominem in belli societatem inueniendum. Et docuit obscurè quidem, sed docuit tamen: quod in Chalcide Agamemnonis filius iaceret, cum illi clam surriperent, sicq; unà cum ipso uictoriam simul ad se transferrent. Inueniūt igitur Orestem, eum'que suffurantur, & deinceps semper uincunt. Igitur, si Oedipus ille, qui rem cum matre turpiter habuit, & Orestes, qui matrem interemit, & Theseus qui pudicum puerum corrupit, terra iam operti, terram ipsam conseruare dicuntur: an non ij potius, qui uitam omnem in uirtutum studio consumpserunt, ac mortem ipsam illustriorem, pro uera erga deum pietate fortiter obierunt? Quemadmodum ego noui multa bonorum uirorum corpora, quæ etiam phalanges dæmonum tantopere terrerent, quantopere ipsi uexabant hominē abs se captum atq; obsessum: itēq; morbos innumeros, quibus curandis ars medica non suffecerat, ipsa facile curarent, perpurgarent, omninoq; auferrent. Si uero futuræ illius immortalitatis omnino expertia sunt nostra corpora: certe etiam infirma, superuacanea, prorsusq; abiecta sint necesse est. Præterea si sceleratos oporteat in pœnarum carcerem descendere: quo pacto iustum non erit, animæ bonis id corpus frui, cuius in aduersis rebus societatem nunquam declinauit? Est autem hoc sanè quàm sapienter excogitatum, ut anima aliquausq; à corpore discedat: quando hoc ipsum pati discere est, uidelicet, quanta sit animæ uirtus, quantaq; sit corporis imbecillitas. At legis habendum loco, quod ipsum reuiuiscat. Neq; enim oportebat corpus, quasi frustra factum, semper abiectum esse, cum initiò statim animæ immortalitatem degustarit: sed neque in hanc quoq; uitam reuiuiscere, quando primus in hanc uitam ortus noster ad demonstrandum usum uitę humanæ sufficiebat. Sed & ociosa mors esset, si in uitam eandem iterum esset redeundum. Inanes autem, & fabularum similes esse rationes istas iam antea satis est demonstratum. Neque enim obliuisci illarum potuisti, qui memoria polles maxima. Illud potius est uerum, in uitam immortalem nos reuicturos esse: eamq; bonis quidem iamdudum optatum, malis autem & ijs, qui dum in uiuis essent, nullarum rerum metu coerceri poterant, omnino terribilem ac metuendam.

Theophrastus. Egregiè tu quidem hæc oratione explicasti. Sed si corpora ad tuendum suam cum animabus societatem æterna fiunt, uidetur profecto, brutorum animantium corpora, ipsa quoque sempiterna fore: quippe quæ & ipsa suas animas adepta sint. Axith. Animas quidem, sed rationis expertes, & mortales, & quæ simul cum corporibus intereant. Iam si defecerit anima, superuacaneum fuerit corpus suscitare, quando non sua ipsorum, uerum animæ gratia corpora suscitantur. Ergo brutis animanti-

mantibus nihil insitum est, quod sit immortale. Nã & illorum animã mors superat: nostra uero anima, quæ est immortalis ipsa, ubi in unam cum corpore societatem coierit, immortalitatis ei semen quasi quodam modo infudit. Ac quoniam homo supremi illius opificis maximum quasi germen atque opus sit: nec conueniebat, nec poterat fieri, ut humanę substantiæ quicquam prorsus mortale permaneret. Sed quoniam brutorum animantium ortum ex elementis educi iussit, idq; eius edictum sit iam ipsa naturæ uis & potentia: ea talibus tamq; fluxis rebus quasi parentibus orta, ipsa quoque dissoluantur atque intereant necesse est. Neque enim æternitatis siue gustum siue fructum ullum ceperunt. Humanum autem corpus, quoniam cũ anima simul egit, immortali quoq; alimento, quasi nutriri cæpit, & ad omnem artem apte & suauiter incitatur, est, hocq; ipso sibi immortalitatis aliquid iam attraxit, nec parum illius nectaris gustauit. Qua de causa collapsum non perpetuo iacebit. Etenim si sole ui caloris sui in frigidã aquam agente, qua ipsa calescit, atq; ex se quasi ignem flammãq; emittit: quis nõ credat, humanũ corpus, suscepta anima tota immortali, uim ignem ue æternitatis sibi quoq; uendicasse? Veluti sulphur quid est aliud quàm terra quasi igne succensa? ea tamen iacet, estq; & uidetur ei qui tãgit frigida & abiecta: at ignem, quem occultatum intra se habet, adhibitum facile & extemplo arripit, celeriterq; succendit, uimq; suam re ipsa mõstrat, atq; in ordinem seu naturam ignis propere transit. Hoc modo hominum corpora, postquã cũ animæ immortali natura coniuncta fuerint atque commixta: aliàs quidem frigida & immobilia prorsus iacent: at cùm sint ad ineundam cum anima societatem apta, quamprimum eadem deinceps eis iterum obtigerit coniunctio, prompta profecto sunt & parata ad id, ut se foueri sinant ac resurgant, ut suauiter ipsam sequantur, & ad immortalitatem recurrant. Neque incredibile est materiam in meliorem statum cõmutari. Nam & apud nos, qui materiæ peritiam aliquam habent, ij sibi argentum & stannum sumunt, priori metalli genere deleto, materiam ipsam in augustius & preciosius conuertunt, atque aurum pulcherrimum efficiunt. Pariter etiam arena dispersa, & nitrum diffusum iacent: at ars humana, uitrum ex his nouum & perspicuum ut fiat, excogitauit. Plantarum autem mutationes uel agricolarum pueri canunt. Quid igitur eum, qui creauit homines, hominibus ipsis imbecilliorem & rudiorem suspicamur? An non debebat earum, quæ quotidie eueniunt rerum seu fides seu certa ac firma persuasio, ut ne de futuris dubij perplexi'que essemus, prohibere? Sed multa cùm sint ante nostrum hoc certamen exercitia: cur eorum omnium obliti quasi metu soluti cedimus? Si factus est mundus, quemadmodum etiam homo factus est, & initio, quoad corpus, terrigena prodijt. Vnde enim aliàs prodijsset? an non est naturæ consentaneum, eundem etiam è terra deinceps hominem nasci? Quid igitur de rebus omnino ueris & concessis pueriliter disceptatis, præsertim qui & obscura & absurda tam libẽter admittitis? Vos enim quod Glaucum Minois filium eum, qui melle suffocatus erat, Polydius uates Argis in Cretam profectus fertur suscitasse, herba uidelicet per Draconem cognita, nulla alia rei probatione requisita recipitis. Et quod

itidem fertur, Hyppolitũ atq; unum Tindari filium Aesculapius, quodq; Hercules Alcestem, Theseum, Timonem, Lydum, Timosthenẽ Atheniẽsem suscitarint, Eudoxo res eiusmodi conscribenti fidem habetis. Pindarus autem Thebanus & Herodotus Halicarnasseus Aristeum illum Proconnesium aiunt in ipsa Proconneso ad fullonem quendam ingressum istic mortem obijsse: cumq; aliquantisper latuisset, Cycicenis deinceps oppressis uerbis locutũ esse: tũ ducẽtis post ac quadraginta annis in Italia Metapontinis apparuisse: ijsq; iussisse, uti ipsũ & Apollinẽ simul, sacrificijs honoribusq; diuinis prosequerẽtur. Erat ẽm, inquit, tũc coruus, & sequebatur Apollinẽ, qui nũc iterũ est Aristeus. Vbi uerò Metapõtini Delphos missent, qui cõsulerẽt Apollinẽ, utrũ Aristeo fidẽ habendã cẽserẽt: Apollinẽ siquidẽ uerbis eius fidẽ habuissent atq; obtẽperassent, saluti id fore, responsisse. Quo factũ est, ut statua Aristei nomẽ habẽs, ponè simulachrũ Apollinis erecta iam uideatur: quodq;, ut dijs, ambobus uictima cõmunis decernatur. Atq; hæc uos omnia, nulla rerũ habita ratione, perinde sequimini, ut fruticem pecudes, uobisq; inuicem instar Corybantum insanientiũ applauditis. Nec contrà quisquam unquam scripsit. Cæterũ si conditor immortali animæ corpus etiam immortale se facturum polliceatur: aduersus eum ut atrox & subitũ bellũ moueatur, alij alios incitatis. Atque Plato fertur, Harmoniũ ex inferis, unà cum corpore reduxisse. Zoroastres autẽ uaticinatur fore tempus, quo sit omniũ mortuorum resurrectio futura. Sciuit etiam Theopompus quod dico, idq; ipsum alios quoq; docet. Sed illis priscorum sapientũ nemo, quicquam cõtradixit. Soli recentiores adeo sunt audaculi, ut uerbo diuino repugnandũ existiment: quippe qui à uia seu acie diuina digressi, multũ brutæ, & eius quæ rationis omnis est expers naturæ secum trahunt: non solum corpus perpetuo mortale esse sinunt, sed & ipsam animam sua uicti stultitia, mori quasi quodam modo cogunt. Virtutis enim ignorantia reuera animæ mors est. At Hebræorũ uaticinia, quę profecto ipsa quoq; nonnullis Apollinis oraculis cõmendantur, non unam tãtum hominis partem, sed hominẽ ipsum totũ atq; integrũ uitæ redditũ iri pollicentur. Sunt autem adhuc aliqui, cùm apud Syros, tum alibi quoque homines, qui ab ineunte ætate usque ad senectã ultimã, temperantẽ modestamq; uitam egerunt: atq; etiam animũ ad cœlestium, & omnino omniũ, quæ mente & intelligentia percipiuntur rerum contemplationẽ aduerterunt: & ut ei corpus quoq; subseruiret, coegerunt, & hymnis Deũ celebrarunt: sicq; & agendo & contẽplando ad summũ philosophiæ culmen ascẽderunt. Hi quo suã, quæ erat eis cũ deo, cognationẽ re ipsa cõprobarent, pura mente deũ ipsum precati, ut mortui reuiuiscerent, effecere. Hancq; satis firmam huius doctrinæ probationem attulerunt. Nullum enim apud eos receptum est dogma, quod solis uerbis constet, ac non potius ex ipsis rebus gestis statim fidem sibi sumat. Et qui miraculi spectator est, is etiam doctrinæ minime dubius aut perplexus auditor abit. Nec fabulæ sunt quod dicimus, nec è longa uetustatis memoria repetitum, sed hac tempestate factum miraculum. Ego ipse uidi senem, & egregie bonum, & deo cumprimis carum. Ei familiaris erat quidam agricola uir simplicis ingenij, & pa-

ter unius tantũ puerulì: cum quo puero uir ille rusticus senẽ illũ frequẽter adibat, uolens aliquid boni facere & discere, illucq́ suarũ quoq́ frugũ primitias, tanq́ ad fanũ quoddã afferebat. Accidit haud ita multò post, ut puer graui morbo correptus, uitã cum morte cõmutaret. Eum iam defunctũ pater, nõ uti lex mandabat, sepulchro cõdit, sed sporte impositũ, folĳs obtectũ, atq́ in humeros sublatũ, portans ad senẽ ipsum intrat: deinceps aũt deposito onere, senẽ, uti consueuerat, affatus: cùm ei intentis in ipsum oculis assedisset, paucaq́ & dixisset & audisset, puero, ut habebat, ceu uuarum primitĳs illic relicto, discessit. At ubi sol iam occidisset, facta solita precatione senex, fructus illos attacturus, folĳs remotis, non uuas sed mortuũ puerũ inuenit, ac quantã pater spem fideq́ habuisset, est admiratus. Ergo cum animo in Deũ intento super puerũ incubuisset, prius non surrexit, q́ puerum resuscitasset. Atq́ sic eum suscitatum ad patrem misit, ipse uerò in exiliũ iuit, ne admiratione eius homines perciti nimis molesti deinceps essent. Atq́ hoc opus cum sermone conuenit, cũ id ille nõ potuisset unq́ efficere, si falsam animo opinionẽ cepisset. Sed ut uerbũ hoc à deo accepit, uerbũ in opus auxilio dei producit. Est aũt optima argumenti forma reuera prestare, quod facile prestitu polliceare. Theoph. Inopinatũ & rarũ hoc est quidẽ, sed ei, qui factũ uiderit, fidẽ nõ habere, nec facile nec fas est. Axitheus. Est etiã aliud quod tibi commemorẽ: idq́ ipsum quoniã his oculis uidi, ut audias perq́ uelim. Fuit boni cuiusdã uiri discipulus minime malus. Is animi uenustate præstabat quidẽ, sed oculorũ sensu carebat. Igitur ut magister iamiam uitã cum morte cõmutaturus esset, cæcus assistens illi rogabat, uti sibi ad recipiendũ uisum opẽ ferret. Ille uero, si uerũ est, inquit, quod ego mihi persuadeo, sicq́ deus erit propitius: septimo ab hinc die, soluta hac caligine, certe solẽ uidebis. Tantũ effatus senex, animã exhalauit. Nec secus res euenit, quàm ut die septima cæcus ille, qui hactenus manu ductabatur, repẽte solis radios, dictu mirum, aspexit, & librum sumptum publice legit: eoq́ & in stuporem omnium animos conuertit, & auditori contentioso, quod anima sit immortalis, quodq́ bene hic nutrita atq́ educta, ac deinceps hinc digressa, corpus mortuũ sit suscitatura facile persuasit. Theoph. Equidẽ te felicem iudico, tibiq́ & de ea tua persuasione, & de eo quod hoc uideris gratulor. Axith. Atque hæc quidem apud nos ita sunt facta: sed etiam eiusmodi multa, alibi cùm facta sunt olim, tum adhuc fient. Quod autem heri, & quidem paulò ante factum est, id opinor, ipse quoque uidisti. Theophrast. Quid id est cedo? Axith. Magnam Libyam dura premi tyrannide. Ac quoniam tyrannis humanitatem siue benignitatem, & sanam atque ueram de rebus sententiam haud admittit: sanè tyrannus criminis in loco ducit eorum, qui ipsius imperio subsunt, pietatem, iubetq́ illud tam præclarum ac bonum dogma sacerdotes abnegare: ĳs qui non obtemperant, proh scelus, charam deo linguam excindit: Terei illius, de quo scriptum est in fabulis, exemplum imitatus, qui cùm uim uirgini fecisset, & accusationem sceleris declinare studeret, linguam execuit. At uirgo peplo facinus intexuit, & exponit arte, cum natura, ut eloqueretur, non daret. Illi uero, de quibus nobis est oratio,

nec arte

nec arte nec peplo opus habent, sed ipsius naturæ conditorem implorant, qui recentiorem eis naturam die tertia post largitur: non dato quidem alterius linguæ, sed facultatis sine lingua articulatius quàm unquam antea quod uellent eloquendi munere. Ego uerò putabam fieri non posse, ut tibicen carens tibijs artis suæ specimen ullum daret: itemq; citharœdus destitutus cithara, Musicam artem eam exerceret. At nouũ hoc spectaculum cogit me sententiam illam mutare, nihilq; earũ quæ uidentur rerum fixum ac firmum existimare, siquidẽ id deus loco suo mouere uelit. Ipse ego hos uiros uidi, & loquentes audiui, & uocem adeò articulatam esse posse miratus sum, instrumentum uocis inquirebam: & auribus non credens, oculis iudicandi munus remisi, atq; ore aperto linguam totam radicitus euulsam uidi ac stupefactus mirabar, non sanè quo pacto uocem conformarent, sed quomodo conseruati essent. Atq; hoc ipsum etiam imperiti cuiusq; ad credendum duritiem emolliret: ac doceret, uerum ne sit quod dicimus, corpora collapsa resurgere. Illic enim ex ijs, quæ existunt, rebus, corporum resurrectio existit: hic uerò ex ijs, quæ nusquam sunt, rebus harmonia uocis efficitur. Ac certè ijs quæ ferunt, quæq; norunt illi, quis nisi planè stupidus non accedat atq; acquiescat? Theophrast. Quid enim faceret, ô charissime? uerum dic mihi, unde hæc illis sapientibus est cognitio atq; facultas, ut factis asseuerent quæ uerbis docent? Axith. Deus, ô optime, idipsum, quod est, manens, amore nostri generis homo factus est, uerbi sapientiam & operis potẽtiam ijs qui sunt ad percipiendum apti, inspirauit. Atq; hic ipse primus, ut qui deus est, suum ipsius corpus ad immortalem uitam resuscitauit, idq; munus deinceps omnibus commune pollicetur. Mendacij uerò arguere non sapientem uirum, nedum ipsum deum fas est. Quin etiã quasi deus immortalis euadit, nec mortalis est amplius, quisquis dei legibus obtẽperat. Est enim et immortalitatis munus, & ut idem quod mente præditæ facultates solent, agat, iam adeptus: nempe ut magnifice regi maximo astet, eumq; semper & quocũq; sequatur. Theophrast. Credo. Iam enim quendam diuinæ gratiæ sensum percipio. Itaq; ualeat academia, potiusq; ad ipsum eamus: quando ipse etiam Plato, eousq; sibi credendum dicit, dum quis ipso sapientior adueniat. At deo sapientior est nemo. Axith. Iam quoniam isthuc uenimus, sacrificium gratiarum actionis deo offeramus: non hecatomben, ut apud Athenienses Mineruæ: nec formicam, ut in Isthmo, Soli & Neptuno: sed perpurgata mente, quo Deo similes euadamus. impuris em̃ quæ pura sunt attingere nefas existimatur. O' rex, & pater, & conditor omnium, ô prima sapientia patris & uerbum per quod is omnia produxit. Qua enim re alia quàm sapientia & uerbo deus omnia creat? O' spiritus sancte, per quem deus omnibus aspirat, omnia comprehendit ac conseruat, & ad suam perfectionem adduxit. O' diuina trinitas & sancta unitas: des nobis supernæ illius pulchritudinis memoriam: des omnibus æternitatem. Sed iam satis precati sumus. Itaq; hinc eamus.



FINIS.

IN PHILONIS IVDAEI OPERA

RERVM ATQVE VERBORVM
Index copiosissimus.

anaxa-

B

Genesis

I

Immorta-

M

Ordinis

T

V

uoluptatis

FINIS.

SERIES CHARTARVM.

* a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z. ABCDEFGHI KLMNOPQRSTV XYZ. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq. Omnes terniones præter * duernionem, & Qq quaternionem.

BASILEAE, APVD NICOLAVM EPISCOPIVM IVNIOREM, MENSE SEPTEMBRI, ANNO DOMINI M. D. LXI.


EPI SCOP.

